Digitized by Google

Dogm.
369c
743



8.6.
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS MARCKII

# HISTORIA EXALTATIONIS JESU CHRISTI, ILLUSTRATA LIBRIS TRIBUS.

Quorum

*Primus Narrationem Euangelicam Reſurrectionis Domini cum hujus Apparitionibus exponit; Secundus Veritatem ejuſdem monſtrat, quam maxime ex Vaticiniis; & Tertius ſpectat ad declarandam & firmandam ſimiliter inſecutam illius Aſcenſionem in Cœlum, atque Seſſionem ad Dextram Dei Patris.*

Cum Indicibus Rerum & Vocum neceſſariis.

*LUGDUNI BATAVORUM,*

Apud ABRAHAMUM KALLEWIER.

A. MDCCXXIX.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

*EXCELLENTISSIMO ATQUE ILLUSTRISSIMO COMITI,*

# JOHANNI HENRICO

## DE WASSENAAR, BARONI DE WASSENAAR, DOMINO DE OPDAM, HENSBROEK, SPIERDYK, ZUIDWYK, KERNHEM, & LAGE, ETC. ETC. EQUITI ORDINIS JOHANNITICI, HOLLANDIÆ NOBILIUM SECUNDO, SUPREMI BELGARUM FOEDERATORUM SENATUS MEMBRO SPECTATISSIMO, ETC. ETC.

## ACADEMIÆ LUGDUNO-BATAVÆ CURATORI PRIMO.

*F. P. P.*

JOHANNES à MARCK.

Cujus Curam Principem, ILLUSTRISSIME COMES, Academiæ noſtræ Lugd. Batavæ gratulatus ſum clam & coram cum Rectore Magnifico & Ordinis noſtri Senioribus, ex more



Digitized by Google

recepto, ab ejus ſuſceptæ initio primo ante unum nunc fere & alterum annum; hanc & eidem palam hoc Epiſtolico Alloquio nunc denuo gratulari liceat mihi. Ubi felix nempe experientia aliquamdiu firmavit ſatis valide ſpes hujus maximas, Tuaque verba Optima, quibus teſtabaris tunc ſerio admodum, non niſi Boni Publici juvandi intuitu Te fuiſſe permotum ad onus hoc ſubeundum, quod ipſis factis Te ſemper demonſtraturum addebas. Illud autem dum ego nunc tento, non poſſum quin vim aliquam inferam Generoſæ Modeſtiæ Tuæ, per quam Virtutem omnem præ Laude amas, & hanc mereri multum mavis quam accipere. Enimvero non permittit mihi, ab omni etiam adulatione alieniſſimo, Inſtitutum hoc præſens meum, vel & Æquitas ulla, ut illud perſequar abſque omni Encomio Tuo; ad quod plene & digne ſatis Orbi exhibendum, minime me inſtructum eſſe fateor animo ſinceriſſimo. Interim

Digitized by Google

rim nec dicam quidquam, quod ignorari vel taceri queat aut debeat; quodque non communi conſenſu & rebus ipſis conſtet adeò, ut admirationem & æmulationem honeſtam præ turpi invidia merito operetur. Quis utique eſt, qui neſciat Gentis Tuæ Antiquiſſimæ Splendidiſſimum ab ævo Decus? ſive WASSENARIOS cogitet, Potentiſſima illa Batavorum domi militiæque Fulcimina & Fulmina, à quibus Paternum ducis Genus; ſive RAASVELTIOS, atque FLODORPIOS, Glorioſiſſima Belgarum vicinorum Ornamenta & Munimenta, ex quibus Matrem habuiſti. Quis deinde eſt, qui Te non obſervantiſſime veneretur in Faſtigio illo Dignitatis, quod poſt Majores Tuos tenes? in Equitum aliorumque Patrum Batavorum Conſeſſu non tantum, ſed & in communi Belgarum tam Conſilio antea quam Senatu modo Supremo; quodque tam ſplendide & utiliter tueris, ad Patriæ gaudia & Exterorum ſtuporem. Quis



Digitized by Google

eſt porro, qui non celebret Dotes & Virtutes Tuas, per quas non minus quam per Stemma Tuum ad Culmen iſtud aſcendiſti, à quo illarum jam dudum diffundis fulgorem? tanquam Sapientiæ veræ & Prudentiæ civilis Magiſter magnus, Chriſtianæ Pietatis infucatæ Exemplar vivum, Juſtitiæ incorruptæ Patronus integer, Temperantiæ cujusvis Cultor diligens, Conſtantiæ Fortis & Invictæ Typus excellens, Doctrinæ omnis ſolidæ atque utilis Poſſeſſor Stator & Reſtitutor verus, Bonorum tandem Fautor & Protector perpetuus. Et quid magni à Viro Tanto ſibi, cum Republica & Eccleſia univerſa, non polliceatur meritò etiam Academia noſtra, ubi & hæc ad ejus Curam tam benigniter nunc eſt admiſſa? modo ipſa ſibi atque Tibi pro ea ſtrenue & conſtanter laboranti non deſit. Quod uti à Viris Bonis abſit ſemper & procul, ita horum mecum commune fervidiſſimum eſt votum, ut diu Academiæ liceat frui Te integro

Digitized by Google

tegro & valente, Tuoque uti Patrocinio & Adjumento potentiſſimo, quo firmetur, duret, & augeatur, ejus Gloria, in Belgii, Europæ, & Orbis totius commoda, atque Eccleſiæ etiam afflictæ ſolatia! Quod quidem Votum ex meo ore audiri, nequaquam miraberis, EXCELLENTISSIME COMES; qui ab initio manſionis meæ Lugdunenſis Favorem ſingularem Illuſtriſſimi Patris Tui, in Academiam & adverſus me, expertus ſum; qui Aviæ Tuæ Maternæ, Fœminæ Nobilis & Chriſtianæ, Pietatem & Benignitatem multo ante Seculi hujus initia habui experientia inſigni perſpectiſſimam, cum in Lagenſi Dominio ab ipſa amiciſſime exceptus luſtravi Eccleſiam cum hujus Miniſterio erectam illic ſola ipſius liberalitate; qui etiam de monſtrata mihi ſæpius Benevolentia Tua gloriari haud temere poſſum; imo qui ad Tui Venerationem religioſam Juramenti ſolennis fide à multis annis adſtrictum me agnoſco. Sed nec indigne

digne feres, SPLENDIDISSIME COMES, me cum iſthoc Voto candidiſſimo Tibi in manus tradere hoc Opuſculum; quo Gloriam communis Domini noſtri, in Euangelio traditam, pro viribus ſenilibus illuſtrare & aſſerere mihi propoſui, cum oſtenſa Increduli mundi Vanitate exitiali; quodque Chriſtiano Tuo Pectori eo nomine diſplicere nequaquam poterit, ſed & facere ex adverſo, ut Magnum hunc Deum & Servatorem veneremur omnes in vita omni & morte, cum Fiducia confirmandæ & conſummandæ noſtræ beatitatis per Ipſum. Vale Tu, VIR MAXIME! valeantque Tecum, & per Te, Res Publica, Eccleſia, Academia, & Boni Omnes! Dabam Lugd. Bat. ipſis Kall. Sextil. A. Dom. Dion. MDCCXXVIII.

AR-

# ARGUMENTUM & SERIES

## Operis hujus Totius.

## LIBER PRIMUS.

Qui Hiſtoriam Reſurrectionis Jeſu Chriſti ex Euangeliis atque Apoſtolicis Epiſtolis expoſitam exhibet.

### CAPUT PRIMUM.

Quo de Verbis, Neutris Paſſivis & Activis, agitur, quibus Reſurrectio Chriſti exprimitur.

I. *Euangelium quænam tradat de Chriſto, ut Homine Miſero, ab omnibus communiter facile admiſſa, & quænam à paucis & difficulter admittenda.* II. *Quænam idem Euangelium de ipſo addat, ut ſimul Filio Dei Vero, qui poſt Opera glorioſa ex morte Vitam receperit Glorioſiſſimam; & quæ Incredulis omni ſtudio perſuadenda.* III. *Propoſitum Autoris, Illuſtrandi primum, & deinde Aſſerendi, Hiſtoriam Glorificationis Chriſti, facto initio ab ejus Reſurrectione.* IV. *Verbum Neutrum & maxime Proprium ἀναζάειν ſeu ζάειν, reviviſcendi, declaratur, quo Chriſti Reſurrectio venit, ejusque Vis monſtratur.* V. *Verbum aliud Paſſivum, tum proprium ζωοποιᾶσθαι, vivificari, tum Metaphoricum ἐγείρεσθαι ſuſcitari, quod ad Deum Patrem ut Autorem nos ducit, ob rationem plusquam unam.* VI. *Verba alia Activa magis illuſtrantur, præcipue illud ἀνιϛάναι, tranſitive Patri reſuſcitanti, ſed intranſitive Filio Reſurgenti ſuo Jure & Robore tributum paſſim.* VII. *Etiam omnino illuc ſpectante ἀναϛάσει Reſurrectione; prout illa memoratur & deſcribitur Rom. 1. 4. Quod aſſeritur & defenditur, cum textus illius illuſtratione neceſſaria.*

### CAPUT SECUNDUM.

Quo Reſurrectionis Chriſti Ratio Formalis breviter declaratur.

I. *Reſurrectionis Dominicæ breviſſima Deſcriptio.* II. *In qua Eadem Domino contigit Anima Rationalis, ſpecie & numero,*



*quam*

*quam ante mortem habuerat, mutatis tantum Qualitatibus.* III. *Et perinde Idem Corpus Humanum, non modo ſpecie, adeoque Determinatum loco, Viſibile, & Palpabile, ſed & numero, quod antea in morte depoſuerat.* IV. *Quod tamen magnam in Qualitatibus Mutationem certiſſime ſubiit.* V. *Utriuſque hujus Unio nova amplius declaratur.*

## CAPUT TERTIUM.

### Quo de Dominicæ Reſurrectionis Tempore agitur paulo plenius.

I. *Reſurrectio Chriſti ad Diem Tertium paſſim refertur in Euangelicis Prædictionibus & Narrationibus.* II. *Quod quo ſenſu ſit intelligendum, negative & poſitive oſtenditur.* III. *Ratio ejus Spatii Mortis durantis varia additur.* IV. *Idem Tertius Dies dictus Unus Sabbatorum.* V. *Quæ appellatio quo ſenſu capiatur optime, oſtenditur, reſpectu Sabbatorum.* VI. *Dum Unus heic certiſſime ponitur pro Primus.* VII. *Ejus electi præ aliis Diebus Septimanæ Ratio varia additur.* VIII. *Fuit idem Alter à Sabbato Judaico, & Paſchate, & quidem aptiſſime.* IX. *Fuit & idem hinc Vernalis Menſis ultra medium impleti, cum hujus ratione.* X. *Reſurrexit eo die Dominus Altiſſimo Mane, cum adhuc tenebræ eſſent ſecundum Johannem, valde diluculo ſecundum Lucam, cum tranſiiſſet Sabbatum apud Marcum, & oriente ſole &c. quæ phraſes Euangeliſtarum conferuntur.* XI. *Explicatur id quod Matthæus habet* Ὀψὲ σαββάτων. XII. *Et quod addidit,* τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. XIII. *Conciliatio Euangeliſtarum hinc minus fit difficilis; laudato Nyſſeno.* XIV. *Tempore Matutino illo cur reſurrexerit Dominus.* XV. *De Anno rei hujus geſtæ conſiderationes quædam adjiciuntur.*

## CAPUT QUARTUM.

### Quo Modus Glorioſus Reſurrectionis ejuſdem illuſtratur.

I. *Ad Modum Reſurrectionis Chriſti faciunt apud Matthæum Terræ Motus, & Angeli Deſcenſus.* II. *Nomen Græcum* σεισμὸς, *varie heic expoſitum, communiſſime & optime exprimit Terræ Motum.* III. *Idem quo ſenſu Magnus fuiſſe dicatur.* IV. *Is ab Angelo Domini deducitur, cujus Forma ut fulgur, & Indumentum*

*tum album ſicut nix, quique ex cœlo deſcendit, & accedens ſaxum ab oſtio ſepulchri devolvit, ipſe ſuper illud conſidens.* V. *In quibus Matthæus fidem meretur, à quo nec alios Euangeliſtas vere heic diſſentire oſtenditur.* VI. *Quam recte & vere Effectus illi ab Angelo Cœleſti ut Cauſa Miniſtra extra ordinem repetantur, ſimul monſtratur.* VII. *Præmiſſum Ecce nos heic merito ad ſingularem Attentionem vocat.* VIII. *Connexio iſtius Terræ Motus per Angelum Deſcendentem cum Facto Mulierum Matutino nobis monſtrat Tempus rei geſtæ.*

## CAPUT QUINTUM.

Quo Conſequens Glorioſæ Reſurrectionis Dominicæ in Sepulchri Cuſtodibus tractatur.

I. *Tranſitus ad Obſervata à Vigilibus Facta illa Angelica.* II. *Quinam heic per τὸς τηρῦντας ſeu Cuſtodes intelligendi veniant.* III. *Qui commoti & facti ut mortui fuiſſe feruntur præ Angeli tam mira operantis metu.* IV. *Et qui deinde quidam, abeuntibus Mulieribus, in Urbem venientes Pontificibus amunciarunt omnia facta.* V. *Prout hi cum Presbyteris congregati, conſilium ſumpſerunt de corrumpendis pretio Militibus, ut pro veritate craſſiſſimum ſpargerent mendacium de Chriſto furtim ablato ex ſepulchro, ipſi præſtandi ſatis ſecuri, qui & id egerunt, cum externo ſucceſſu magno.* VI. *Ad quem mendacii ſucceſſum longe rectius quam ad veram Corruptionis hiſtoriam referendum Verbum apud Judæos divulgatum.* VII. *Corruptio illa quo pacto ſatis facile innotuerit Matthæo, in ea narranda fidem omnino merenti.*

## CAPUT SEXTUM.

Quo agitur de Fœminarum Piarum, & Diſcipulorum Fidelium, Facto & Fato apud Chriſti glorioſam Reſurrectionem.

I. *Tranſitus ad Fata & Facta Mulierum Piarum & Diſcipulorum.* II. *Mulieres piæ nominantur aliquæ, Maria Magdalene, Maria Jacobi, Salome, & Johanna; aliis indefinitè notatis, quæ illis adfuere.* III. *Et de his narratur, quod alto mane venerint ex Urbe, ut ſepulchrum ſpectarent & mortuum ungerent, in hunc finem aromata & unguenta empta & parata ſecum adducentes.* IV. *In quo adventu ſupervenit Sollicitudo de Devolven-*

*do Saxo ſepulchrali magno.* V. *Quæ ſublata fuit per conſpectum Saxi ejuſdem jam ablati cum adeſſent.* VI. *Sed commutata cum Dolore haud parvo, ubi ingreſſæ non invenerunt Domini Corpus in ſepulchro.* VII. *Nactæ tum illuſtrem Conſpectum Angelicum, in cujus narratione diverſa apud Euangeliſtas nulla eſt Adverſitas vera.* VIII. *Quem & excepit Sermo Angelicus ad Mulieres, tum Dehortativus, tum Inſtructivus, tum Imperativus, & Promiſſivus.* IX. *Factum inſecutum Mulierum harum, quæ ad hæc recordatæ verborum Chriſti, à monumento reverſæ in Urbem, cum affectu magno & vario, Diſcipulis fata ſua annunciaverunt celerrime.* X. *Diſcipulorum fidelium ad iſta audita Incredulitas, à quibus tamen heic magnopere ſe diſtinxit Petrus, ad monumentum currens, & in illud ſe ita inclinans, ut non Dominum ſed linteamina illic videret, & cum admiratione inde abiret.* XI. *Hiſtoria Johannis de Geſtis Mariæ Magdalenæ cum Petro & Johanne ad hæc confertur.* XII. *Leviora quædam Dubia hinc orta ſolvuntur.* XIII. *Quin & graviora, quæ ad Mariam Magdalenam potiſſimum ſpectant.* XIV. *Pro Veritate Reſurrectionis Chriſti fit Concluſio ex hac Hiſtoriæ parte.*

## CAPUT SEPTIMUM.

### Quo de Apparitionibus Chriſti ipſius Redivivi tractatur generalius.

I. *Hactenus non Viſus ipſe Chriſtus, ſe ipſum porro Redivivum quoque exhibuit coram.* II. *Apparitiones iſtæ fuerunt veræ quidem, ſed Temporariæ, non perpetuæ.* III. *Fuerunt & eædem Corporales, ad Viſum, Auditum, & Tactum ipſum.* IV. *Blandæ item & Familiares admodum.* V. *Neque contigerunt Populo omni, ſed Teſtibus à Deo ante deſignatis fideliſſimis.* VI. *Et quidem per Dies Quadraginta.* VII. *Non ſunt illæ omnes nobis narratæ diſtinctius in Scripturis.* VIII. *Sed Septem tantum, aut Octo, diverſæ apud Euangeliſtas, traditæ leguntur.* IX. *Ante quas dicendum de Apparitionibus Petro & Jacobo tributis à Paulo.*

## CAPUT OCTAVUM:

Quo ſpecialius inquiritur in Apparitiones Domini apud Petrum & Jacobum, quas Paulus nominavit.

I. *Apparitionem Chriſti Redivivi primo loco memoravit Paulus, quæ contigit Cephæ.* II. *In illo Cepha omnino intelligendus Petrus Apoſtolus, non alius quiſquam.* III. *Cui Chriſtus Redivivus fertur ipſe Viſus eſſe.* IV. *In quo fidem prorſus meretur Paulus Apoſtolus, id poſitive tradens.* V. *Viſus iſte Petro certiſſime contigit ipſo Die Reſurrectionis Dominicæ, & quidem ante Emmaunticorum Reditum ad Diſcipulos, adeoque ante Apoſtolos alios omnes.* VI. *Quin etiam probabiliter ſatis in matutino Reditu à Sepulchro cum Johanne; ſive & hic viderit tum Jeſum, ſive non.* VII. *Jacobus, à quo etiam Chriſtum Viſum fuiſſe Redivivum Paulus habet, fueritne Major an Minor, inquiritur.* VIII. *De Modo, Loco, & Tempore, iſtius Apparitionis, aliquid annectitur.*

## CAPUT NONUM.

Quo Apparitio Domini apud Mulieres, & nominatim quidem Mariam Magdalenam, decenter illuſtratur.

I. *Tractatio proxima de Mulieribus, & Maria Magdalena, quibus Chriſtum Redivivum apparuiſſe habet Euangelium, tacente Paulo.* II. *De Mulieribus indefinite loquitur heic Matthæus.* III. *De quibus hoc tanquam Antecedens narrat, quod profectæ ſint ad annunciandum Diſcipulis quæ ipſæ viderant & audiverant.* IV. *Hoc deinde tanquam Principale, quod ecce Jeſus occurrit eis, dicens, gaudete.* V. *Hoc tertio tanquam Conſequens, unum à parte Mulierum, quod accedentes illius pedes apprehenderint cum Adoratione, & alterum à parte Chriſti, quod hic illis dixerit, ne metuerent, ſed ut abirent & annunciarent Fratribus &c.* VI. *Narratio Marci de Maria Magdalene, & Dæmoniis Septem antea ex hac ejectis à Domino.* VII. *Fatum hujus, & Factum cum exiguo fructu, à Marco traditum.* VIII. *Narratio Johannis de eadem Maria Magdalene, in qua hujus Facta Prima, quod apud monumentum conſtiterit, fleverit extra, in*

*illud prospexerit.* IX. *Cum Fatis insecutis, seu Angelorum Conspectu & Colloquio.* X. *Deinde Factum Medium, quod retrorsum se converterit, cum Fato lætissimo quod Jesum stantem viderit, illiusque colloquio fruatur, sed incogniti hactenus.* XI. *Qui dein illam compellat emphatice nomine proprio Maria.* XII. *Et ab ipsa compellatur nomine Rabbuni.* XIII. *Illique dicit, quid non oporteret agere, cum ratione gravi addita.* XIV. *Et quid ex adverso ab ea fieri omnino vellet.* XV. *Tandem Mariæ Factum Ultimum, quod venerit ad Discipulos, iisque annunciaverit Visum & Jussum Domini.* XVI. *Narrationes istæ pleniores de Maria Magdalena an brevius tantum contractæ sint, & indefinite traditæ, à Matthæo.* XVII. *Ordo Factorum & Fatorum Muliebrium distinctius paulo exponitur.* XVIII. *Ordinatio à Cl. Coccejo facta confertur.* XIX. *Certitudo Resurrectionis Dominicæ ex Apparitionibus expositis concluditur.*

## CAPUT DECIMUM.

Quo de Christi Apparitione apud Discipulos Duos Emmauntem euntes similiter agitur.

I. *Transitus ad Historiam de Duobus Discipulis Emmauntem euntibus.* II. *Duo hi ex Illis quo sensu dicantur.* III. *Horum Unus appellatur Cleopas, dum alter est prorsus incertus.* IV. *Neuter vero fuit Apostolus, nedum Petrus alter.* V. *Eorundem Ambulatio & Itio in agrum ad Vicum distantem ab Urbe Stadiis Sexaginta dictum Emmaus, inter colloquia de rebus Jesu.* VI. *Quæ quantum absint à Ligtfooti hypothesi de Petro monstratur.* VII. *Eorundem Duorum Fatum, quod Jesus se illis manifestaverit, retentis ipsorum oculis.* VIII. *Jesu ad eos Interrogatio, cum eorum Responso & illius repetita Rogatione.* IX. *Sermo Discipulorum insecutus de Jesu Nazareno.* X. *Cui magna tribuitur Laus.* XI. *Qua non obstante fuerit ignominiosissime habitus à Judæis.* XII. *Spes Discipulorum præterita de eodem nunc magnopere vacillans.* XIII. *Nova quæ Discipulis supervenerat Anxietas ex Mulierum relatione.* XIV. *Sermo Christi ad Discipulos Redargutorius, de Inscitia & Tarditate Credendi.* XV. *Sermo ejusdem Erudiens, de Passionum Messiæ Necessitate, ut Gloriam obtineret propositam.* XVI. *Ejusque rei Assertio ex Mose*

*Moſe & Prophetis omnibus, quam Lucas ei tribuit.* XVII. *Jeſu προσποίησις ulterius eundi, cum prope Emmauntem veniſſet cum Diſcipulis.* XVIII. *A quibus ſe perſuaderi paſſus eſt tamen, ut cum iis maneret.* XIX. *Jeſu cum Diſcipulis Accumbentis, Panemque fractum diſtribuentis, Manifeſtatio plena.* XX. *Ejuſdem Ablatio ab oculis Diſcipulorum ſubita & inexſpectata.* XXI. *Diſcipulorum ad iſta ſermo mutuus.* XXII. *Eorundem inſecutus ad Apoſtolos Reditus.* XXIII. *Qui de Reſurrectione Chriſti tanquam certa plane ad eos loquuntur.* XXIV. *Uti & ipſi narrant ſua Fata & converſationem cum Jeſu Redivivo.* XXV. *Tempus Rei hujus Geſtæ tandem additur.* XXVI. *Et quam certa ſit Chriſti Reſurrectio, ex hac Apparitione argaitur.*

## CAPUT UNDECIMUM.

### Quo Apoſtolis communiter conceſſa Chriſti Redivivi Viſio Prima enarratur.

I. *Viſio Chriſti Redivivi Apoſtolica, quam cum Paulo tradiderant Marcus, Johannes, & Lucas.* II. *Duodecim quo ſenſu heic nominaverit Paulus.* III. *Status eorum congregatorum foribus clauſis ob metum Judæorum.* IV. *Quando Jeſus ſubito ſe ſtitit in illorum medio, dixitque, pax vobis.* V. *Diſcipulorum ad hæc Conturbatio, qui putabant ſe ſpiritum videre.* VI. *Sermo Chriſti ad Diſcipulos Redargutorius.* VII. *Viſus & Tactus ſui à Chriſto mandatus, per quem liqueret eum non eſſe ſpiritum.* VIII. *Qua occaſione de Incorporea Spirituum Natura verbo dicitur.* IX. *Eſus ab ipſo poſtulatus & ſumptus in finem eundem.* X. *Vaticinia ab ipſo laudata, non alio ſed hoc Eodem Tempore.* XI. *Ubi ſermonis Chriſti pars Narrativa, de eo quod antea ipſos docuerat ex Lege Prophetis & Pſalmis.* XII. *Et præſens apertio eorum mentis, ut intelligerent Scripturas.* XIII. *Quarum argumentum multiplex enarrat & implendum fuiſſe, vel eſſe, monet.* XIV. *Mandatum & Promiſſum Chriſti cum Voto Pacis repetito.* XV. *Ad Mandatum ſpectant illa Chriſti, eritis mihi Teſtes.* XVI. *Juxta illa apud Johannem, ſicut me ablegavit Pater, ita & ego mitto vos.* XVII. *Ad Promiſſum illa Lucæ, ecce ego mitto promiſſum Patris mei in vos &c.* XVIII.

*Et*

*Et apud Johannem Spiritus cum Insufflatione addictus.* XIX. *Quin & potestas Remittendi & Retinendi peccata hominibus.* XX. *De qua pessime detorta contra Papistas disputatur.* XXI. *Apparitionis hujus Christi Tempus annectitur.* XXII. *Conclusio pro Resurrectionis Christi Veritate certa ex ea.*

## CAPUT DUODECIMUM.

### Quo Altera post Octo Dies apud Apostolos Apparitio Christi Redivivi explicatur.

I. *Textus Johannis Analysis, quo Altera Christi apud Apostolos Apparitio memoratur.* II. *Ejus Occasio data à Thoma.* III. *Qui antea non erat cum Discipulis, adveniente ad illos Jesu.* IV. *Et hinc quam maxime Incredulus præ iis, quorum testimonium non admittebat.* V. *Attamen illis se deinde iterum junxit.* VI. *Quando Jesus se præsentem stitit, cum salutatione solita.* VII. *Mandatum Christi ad Thomam, de se probe contrectando, & sic dignoscendo.* VIII. *Ne esset Incredulus, sed Credens.* IX. *Quod heic ad Resurrectionem Christi omnino est referendum.* X. *Digressio in sensus alios ἄπιστε & πιστε.* XI. *Responsum Thomæ ad Christum, Domine mi! & Deus mi!* XII. *Vis ejus magna & varia ostenditur.* XIII. *Torsiones Socinianæ Georg. Enjedini adducuntur & exploduntur.* XIV. *Laus Dominica ad Thomæ Responsum consecuta.* XV. *Cum Beatitate eorum qui non viderint & crediderint, rite exposita & male detorta.* XVI. *Tempus hujus Apparitionis Christi notatur.* XVII. *Resurrectionis Dominicæ Certitudo ex hac Apparitione firmatur.*

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

### Quo Apparitio Christi Redivivi apud Discipulos Tertia ad Mare Tiberiados exponitur.

I. *Visio Christi à Johanne solo memorata, ejusque Analysis textualis.* II. *Personæ quibus eadem contigit, cum illarum Mansione & Instituto præsenti.* III. *Modus Apparitionis, secundum quem alto mane in littore stetit, & de ipsorum piscatione egit cum Discipulis.* IV. *Discipulorum ad Christum Accessus ad Johannis monitionem, præcipue autem Petri, cum reperta Præparatione ad Victum.* V. *Christi Manifestatio plenior per dicta & facta*

*facta ſua.* VI. *Chriſti Rogatio ad Simonem Jona ſpecialis.* VII. *An ipſum præ his diligeret; quod communiter exponitur de dilectione majori præ aliis diligentibus.* VIII. *Sed quod forte non minus recte capiatur de Dilectione majori præ aliis dilectis.* IX. *Dum Dilectio hæc certiſſimè intelligenda eſt ſumma, qualis in Chriſtum decet.* X. *Reſponſum Petri, quo Dilectionem ſuam declarat, tanquam a Domino quoque cognitam.* XI. *Mandatum Paſcendi Agnos Chriſti ab hoc datum Petro, dilectionem ſic ſuam rurſus declarante.* XII. *Repetita Interrogatione cum Mandato.* XIII. *Tertia Interrogatio ad aliquam Petri Triſtitiam, cum Reſponſo ſimili & Mandato.* XIV. *Iſta cum Petro acta an ad illum ſolum, an vero & ad alios ſpectent.* XV. *Ter facta cur ſit Interrogatio, & poſt Reſponſionem Juſſio iſta.* XVI. *Excurſus contra Pontificiorum torſiones ineptas ad ſuum Pontificatum Univerſalem.* XVII. *Mala Petro prædicta, ad ipſius Dilectionem Oviumque paſtionem ſecutura.* XVIII. *Quæ etiam innuere Genus Mortis Petri violentæ, certos nos facit Johannes; juxta alios & Crucifixionem.* XIX. *Sequela Chriſti Petro ad hæc mandata, quam ſunt qui ſpiritualiter capiunt.* XX. *Sed & alii heic rectius corporaliter.* XXI. *Petri Rogantis Redargutio Dominica, cum Monitione Repetita.* XXII. *Rumor in fratres temere ſparſus de Johanne non morituro unquam.* XXIII. *Tempus hujus Dominicæ Apparitionis determinatur.* XXIV. *Concluſio pro Veritate Reſurrectionis Chriſti ex ea.*

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo Apparitio Chriſti Redivivi in Monte Galilææ tractatur.

I. *Apparitio Chriſti in Monte Galilææ ex Matthæo exhibetur.* II. *Quæ facta apud Diſcipulos Undecim, quin & plus quam Quingentos Fratres ſimul, ſec. Paulum.* III. *Quæ poſterior hiſtoria omnino illuc eſt à nobis referenda.* IV. *Locus rei geſtæ in Galilæa fuit, & certo Monte quem Jeſus illic determinaverat.* V. *Ubi ſe ſiſtentibus apparuit Dominus.* VI. *Atque ipſi eum adorarunt, aliis adhuc dubitantibus.* VII. *Chriſto cum Acceſſu ad eos loquente etiam.* VIII. *Ante omnia per Declarationem Gloriæ ſibi datæ nunc.* IX. *Cujus perverſæ expoſitiones exhibentur.* X. *Et ſimul breviter refutantur.* XI. *Mandatum Undecim A-*



*poſto-*

*poſtolis de Gentibus omnibus promiſcuè datum.* XII. *Ad quas eundum erat, ut in Diſciplinam Chriſti colligerentur.* XIII. *Tum per Baptiſmum, etiam ad parvulos extendendum.* XIV. *Qui quo ſenſu fieri jubeatur in Nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, monſtratur.* XV. *An verba illa in Baptiſmo prorſus neceſſario adhibeantur, & adhibita ſint conſtanter.* XVI. *Tum per Doctrinam ſervandi omnia quæ Chriſtus præceperat.* XVII. *Collatio verborum Marci, dè Itione in Mundum univerſum, & prædicando Euangelio Creaturæ omni.* XVIII. *Summa Euangelii exigentis Fidem & Baptiſmum ad ſalutem.* XIX. *Atque promittentis Salutem, cum denunciatione Damnationis facta Incredulis.* XX. *Verba Promiſſionis Chriſti factæ apud Matthæum, de Se cum ipſis futuro per omnes dies, uſque ad conſummationem ſeculi.* XXI. *Verba Promiſſionis apud Marcum, de Signis ſecuturis Credentes.* XXII. *Quorum primum nominatur Dæmoniorum Ejectio in Nomine Chriſti.* XXIII. *Alterum Linguarum Novarum Loquela.* XXIV. *Tertium iſtud, Serpentes tollent, & ſi quod mortiferum biberint, nequaquam eos lædet.* XXV. *Quartum tandem & hoc, ſuper Ægros manus imponent, & bene habebunt.* XXVI. *Quæ promiſſa non debent pro Abſolutis & plane Univerſalibus haberi.* XXVII. *De Loco & Tempore hujus Apparitionis Chriſti pauca adhuc adduntur.* XXVIII. *Certitudo Reſurrectionis Chriſti ex hac Apparitione ejus potiſſimum conſtare debet.*

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### Quo Ultima Chriſti Redivivi Apparitio apud ejus Aſcenſionem explicatur.

I. *Ultimæ Apparitionis Chriſti apud Diſcipulos Analyſis ex Luca.* II. *Quæ contigit Apoſtolis omnibus, ſecundum Pauli phraſin.* III. *A quibus viſus eſt, ita ut fuerit cum eis* συναλιζόμενος. IV. *Eoſque eduxerit foras uſque in Bethaniam.* V. *Verba Chiſti ad eos, tum Monitoria, tum potiſſimum Promiſſioria.* VI. *Interrogatio ad hæc ab Apoſtolis facta exhibetur.* VII. *De cujus Senſu, corporali magis an ſpirituali, diligenter diſquiritur.* VIII. *Verba Chriſti Increpatoria, quæ ipſe ad rogationem illam protulit.* IX. *Dein & Conſolatoria maxime per*

*am-*

*ampliſſimam Spiritus promiſſionem.* X. *Tandem Monitoria etiamnum.* XI. *Ad quæ omnia reſpexiſſe etiam Lucas videtur Act.* 1. 2. XII. *Benedictio Apoſtolorum Dominica, quæ in Lucæ Euangelio legitur.* XIII. *Certitudo Reſurrectionis Chriſti etiam hinc evidenter liquet.*

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

### Quo de Apparitionibus Chriſti Redivivi poſt Aſcenſionem Duabus adhuc agitur.

I. *Cum Apparitionibus præcedentibus etiam Paulus eam junxit quæ ſibi ipſi contigit* 1 *Cor.* XV. 8. II. *Qui textus plenius confertur cum Contextu.* III. *Ad quod Tempus & quem Locum ille potiſſimum ſpectet, determinatur.* IV. *Quomodo Chriſtus poſt Aſcenſionem ſuam à Paulo videri potuerit, & viſus vere ſit.* V. *De ſenſu verborum* ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι *agitur diſtinctius.* VI. *Expoſitis etiam variis aliorum exegeſibus.* VII. *Et quid perinde ſignificaverit Paulus per Ultimo omnium.* VIII. *Confertur denique in Veritatem Reſurrectionis Chriſti Apparitio quæ Johanni contigit in Pathmo.*

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

### Quo Hiſtoria Reſurrectionis Domini hactenus expoſita in Summam contracta exhibetur.

I. *De vocibus ſub quibus Chriſti Reſurrectio venit aliqua fuere prænotata.* II. *Ejus deinde Ratio Formalis expoſita.* III. *Contigit illa Die Tertio à Paſſione, Primoque Septimanæ, alto admodum Mane.* IV. *Cum Terræ Motu aperiente Sepulchrum per Angeli deſcendentis miniſterium, cum ſplendore viſi.* V. *Unde Terror magnus in Militibus, qui eos poſt reditum qualemcunque ad ſe fecit adire Pontifices cum annunciatione rei geſtæ, ibidem ad mendacium ſplendidum corruptos.* VI. *Dum Mulieres perinde turbatæ per Angelicum conſpectum & Sepulchrum vacuum repertum, à Spiritibus illis fuere erectæ, & cum nuncio Reſurrectionis Dominicæ ad Diſcipulos ablegatæ.* VII. *Poſt quæ Chriſtus ſe ipſum Vivum exhibuit ſuis varie & validiſſime.* VIII. *Quod ſecundum Paulum contigit Cephæ, quin & ſerius*

*Jacobo ſoli.* IX. *Et ſecundum Euangelia Mulieribus primum & Mariæ Magdalenæ.* X. *Deinde Cleopæ & alteri cum eo Emmauntem eunti Diſcipulo.* XI. *Tum Apoſtolis ſimul congregatis, abſente tamen Thoma.* XII. *Iiſdem porro poſt octiduum, cum Thomas eſſet præſens.* XIII. *Nonnullis porro horum apud Mare Tiberiados.* XIV. *Tum Iiſdem una cum Quingentis Fratribus in Monte Galilææ.* XV. *Tandem & Iiſdem in & apud Jeruſalem in Aſcenſione.* XVI. *Quibus Apparitionibus etiam jungi poſſunt, quæ poſt Aſcenſionem contigerunt, tum Paulo, tum Johanni.* XVII. *Tranſitus ad Librum ſequentem.*

---

# LIBER SECUNDUS.

## Qui Hiſtoriæ Reſurrectionis ejus expoſitæ Veritatem Certam tradit.

### CAPUT PRIMUM.

Quo in Hiſtoriæ hujus Veritatem laudatur ejuſdem Argumentum ipſum, cum Scriptoribus, Scriptionis Modo, & Effectis.

I. *Difficultas notatur in perſuadendis homini verisatibus ſupernaturalibus, ad quarum fidem Deus per Spiritum intus cooperari debet.* II. *Ad Fidem expoſitæ Reſurrectionis Chriſti operandam, attendi debet Res hæc ipſa, quatenus omnino illa eſt Poſſibilis primum.* III. *Quatenus eſt eadem ſecundo Decentiſſima omni modo.* IV. *Quatenus & tertio eſt iſta prorſus Neceſſaria ad hominum Salutem.* V. *Ad fidem ejuſdem merito laudantur & Scriptores ejus Hiſtoriæ, tanquam, Paulo qui Sapientiæ excelluit & Luca forte excepto, Vulgares, Modeſti, Candidi, minime Stolidi, Familiares Chriſto, in Fidem ab initio ipſi tardiores,* Αὐτόπται *vel horum Socii intimi.* VI. *Urgetur in rem eandem Modus rei Deſcriptæ quoad omnes etiam minutiores Circumſtantias quæ ſciri potuere & doceri.* VII. *Quin tandem Effectus in orbe toto conſecutus plane Admirabilis & Divinus, per hujus apprehenſionem communem.*

CA-

## CAPUT SECUNDUM.

### Quo in Fidem ejuſdem Hiſtoriæ confertur Teſtimonium Pilati Præſidis Romani, alterumque celebre Flavii Joſephi Hiſtorici Judæi.

I. *Pro fide Hiſtoriæ Reſurrectionis Chriſti confertur ex Tertulliano Epiſtola Pilati Præſidis Romani ad Tiberium, quæ etiam ab Euſebio laudatur, atque apud Nicephorum Cedrenum & Oroſium memoratur.* II. *Exemplum Epiſtolæ talis ex Sixto Senenſi, quod Chriſtianum magis quam Gentile eſt; dum & conficti certe ſunt Dialogi Chriſti & Pilati, in Chriſti opprobrium manifeſtum dein ſcripti.* III. *Attamen merito valet Teſtimonium Tertulliani, ad probandum Pilati ſcriptionem de Chriſto ad Tiberium aliquam ſimilem.* IV. *Quod & contra Joh. Clericum defenditur breviter.* V. *Teſtimonium Fl. Joſephi de Chriſto celebre, & breve de eo judicium Autoris.* VI. *Argumenta contra illud tanquam minus Genuinum à Cel. Spanhemio noſtro in ſummam contracta.* VII. *Quæ de Jeſu, an Vir ſit dicendus, propter Sapientiam & Miracula ſua, item de Diſcipulis ejus Judæis & Græcis, tanquam veritatem lubenter recipientibus, tunc de Jeſu qui erat Chriſtus, & de ipſius Redivivi Apparitione ſecundum Vaticinia, heic dicuntur, male ad Sarcaſmum referuntur.* VIII. *Poſt alia leviora, objicitur quoque Silentium Veterum de hoc Teſtimonio Joſephi, ſcil. Juſtini Martyris, Tertulliani, Chryſoſtomi, Clementis Alex. Origenis, & Photii ipſius.* IX. *Dum pro Joſepho hujus Teſtimonii Autore vero facit ejus Candor, etiam ubi agit de Johanne Baptiſta & Jacobo Juſto cum laude.* X. *Et perinde Conſtans ejus Lectio, inde ab Euſebio, & Hieronymo.* XI. *Nec eſt in eo, quod Joſephus de Chriſto fert, aliquid ipſi ut Judæo veraci minus conveniens, uti per partes ſingulas oſtenditur breviter.* XII. *Ad Autoritates Veterum oppoſitas ſingulas ſuccincte reſpondetur.* XIII. *De Stylo, Nexu, Codicum Varietate, Fraudibusque Piis diſſeritur.* XIV. *Petri Danielis Huetii verba præcipua de hoc Joſephi Teſtimonio conferuntur.* XV. *Cloppenburgii & Cappelli obſervationes ad Nexum rerum apud Joſephum.*

# ARGUMENTUM

## CAPUT TERTIUM.

Quo in Veritatem Reſurrectionis Chriſti laudantur ejus Facta inſecuta, tum in Suos, tum in Hoſtes, Judæos potiſſimum & Romanos.

I. *Ad Teſtimonia Realia tranſitur, quibus ſe Redivivum vere Chriſtus demonſtravit.* II. *Tam in Suos, per Miſſionem Extraordinariam & Admirabilem Spiritus ſui.* III. *Et Eccleſiæ Collectionem per orbem omni modo ſtupendam.* IV. *Ejuſdemque Conſervationem adverſus Vim omnem & Fraudem mundi & Satanæ.* V. *Quin & Martyribus inditam Conſtantiam inauditam.* VI. *Quam in Hoſtes ſuos, non modo Singulares, uti Pilatum, Neronem, Julianum, &c.* VII. *Sed & ſimiliter in Gentem Judæorum incredulorum totam, ipſius ira perditam.* VIII. *Quin & in Imperium Romanorum Gentile, per Conſtantinum & Succeſſores deletum.* IX. *Exceptio ad hoc Argumentum gemina breviter enervatur.*

## CAPUT QUARTUM.

Quo tranſitur ad Reſurrectionis Dominicæ Veritatem amplius aſſerendam ex ejus Prædictionibus Antiquis.

I. *Uti Vaticinia per Hiſtorias, ſic & Hiſtoriæ per Vaticinia maximè firmantur, quod & in Hiſtoria Reſurrectionis Chriſti obtinet.* II. *Ubi nunc ſpectamus, non tam ad ipſas Chriſti prædictiones, quam iſtas Veterum antiquiores.* III. *Non jam quæ ut Propheticæ apud Gentiles fuere celebratæ, & plurimum confictæ, vel ex incerta traditione hauſtæ.* IV. *Sed quæ Judæis in Vet. Teſt. Scripturis fuere olim traditæ à Deo ipſo.* V. *Quæ variè rurſus diſcriminari heic poſſunt & debent.* VI. *Et quibus jungendi Typi, ſtrictius dicti, tanquam Prophetiæ Reales, varii rurſum generis.*

CA-

## CAPUT QUINTUM.

Quo pro Reſurrectionis Dominicæ Veritate diſputatur ex Pſalmo XVI. Verſſ. 8—11. ad exemplum Petri Actor. Cap. II. Verſſ. 25—32. & Pauli Actor. XIII. Verſſ. 34—37.

I. *Præclariſſimum de Chriſti Reſurrectione Vaticinium in Pſalmo XVI. in hanc rem laudatum in Novo Teſt.* II. *Cujus exhibetur Analyſis breviſſima; nos ducens ad Gloriationem, tum de Præſenti, tum de Futuro verſ.* 9-11. III. *Tum per verba illa; Etiam Caro mea morabitur in fiducia.* IV. *Tum per ſequentia; Non derelinques animam meam in inferno.* V. *Et præcipue illa; Non dabis Benignum tuum videre corruptionem.* VI. *Tum & per juncta; Oſtendes mihi ſemitam vitarum.* VII. *Tandem & per ultima, Satietas lætitiarum cum facie tua, Amœnitates in dextra tua æternum.* VIII. *Quæ omnia juncta beatiſſimam dicunt Reſurrectionem.* IX. *Qualis & vere competit Piis, ſine Corruptione perpetua.* X. *Sed qualis celerrima ſine Corruptione ulla competeret Meſſiæ.* XI. *Qui quo pacto heic denotetur, diſtinctius inquiritur.* XII. *Quod & contra Incredulos monſtratur.*

## CAPUT SEXTUM.

Quo ejuſdem Reſurrectionis Dominicæ Veritas aſſeritur ex Jeſ. LV. 3. quem & Textum ante illum Pſalmi modo tractatum laudavit Paulus Act. XIII. 34.

I. *Vaticinium alterum in Novo Teſt. quoque laudatum ex Jeſ.* LV. 3. II. *Ubi de Meſſia agi, liquet ex verbis Jehovæ ad alios verſ.* 4. *& ad Meſſiam verſ.* 5. III. *Et ex ipſis quoque quæ profert ille, ante omnia liberaliſſime Invitantia verſ.* 1. *heus omnis ſitiens, accedite &c.* IV. *Tum Dehortantia quoque verſ.* 2. *ad quid appenditis argentum pro non pane &c.* V. *Tum Monentia ex adverſo verſ.* 2. 3. *audite audiendo ad me, & edite bonum &c.* VI. *Tum Promittentia tandem verſ.* 3. *& cædam vobiſcum Fœdus Seculi.* VII. *Ad quæ ſequitur iſtud, Benignitates Davidis fideles.* VIII. *In quibus inquiritur in ſignificatum nominis Davidis.* IX. *Et Benignitatum ejus ſimul.* X. *Et Fidelitatis de*

*his*

*his prædicatæ.* XI. *Quas & Daturus ſuis erat Meſſias.* XII. *Vis argumenti ex his verbis pro Chriſti Reſurrectione monſtratur tandem.*

## CAPUT SEPTIMUM.

Quo inquiritur, an & quo modo dictum Pſalmi II. verſ. 7. Tu es Filius meus, hodie genui te, ad Reſurrectionem Chriſti confirmandam faciat.

I. *Dictum Pſalmi II. 7. ter à Paulo adductum in Novo Teſt.* II. *Quod ad Meſſiam ſpectat, & refertur non ad Reſurrectionem ex Morte directe, ſed ad ejus Exhibitionem & Exaltationem.* III. *Abſque minima Læſione Æternæ Generationis tamen & Filiationis ejus.* IV. *Dum diſtinguenda Res dicta, quæ eſt Æterna, ab ejus Dictione, quæ facta in Tempore.* V. *Quæ poſterior à Paulo in citationibus dicti hujus urgetur.*

## CAPUT OCTAVUM.

Quo alia pro Chriſti Reſurrectione Vaticinia laudantur ex Pſalmorum Libro eodem.

I. *Reſurrectio Chriſti etiam aliis pluribus locis olim fuit prædicta, quæ in Novo Teſt. in eam rem non laudantur.* II. *Quorſum referre licet ex Pſalmis Octavum.* III. *Nec non Pſalmum Decimum & Octavum.* IV. *Item Pſalmum Viceſimum Primum & Secundum.* V. *Dein Pſalmum Quadrageſimum.* VI. *Forte & Pſalmum Quadrageſimum Primum.* VII. *Certius Pſalmum Sexageſimum & Octavum.* VIII. *Quin & Sexageſimum & Nonum.* IX. *Utique præ aliis Pſalmum Centeſimum & Decimum.* X. *Juxta Pſalmum Centeſimum Decimum & Octavum.*

## CAPUT NONUM.

Quo pro futura Chriſti Reſurrectione ex Jeſaiæ Vaticiniis diſputatur amplius.

I *Prædictionem Reſurrectionis Chriſti etiam reperire licet apud Jeſaiam, tum Cap XXVIII. 16. & Cap. XLIX. 7–9.* II. *Tum maxime Capite Quinquageſimo & Tertio.* III. *Cujus datur breviſſi-*

*breviſſima Analyſis.* IV. *Ejus Mors illic antecedenter reperta.* V. *Juxta Sepulturam proxime inſecutam.* VI. *Mortis piacularis Repetita illic deſcriptio.* VII. *Poſt quam Meſſias Semen Viſurus.* VIII. *Et Dies prolongaturus.* IX. *Et Jehovæ Beneplacitum proſpere exſecuturus.* X. *Fructus hinc ſecuturi deſideraziſſimi.* XI. *Reſurrectio Chriſti in iis manifeſte comprehenſa.*

## CAPUT DECIMUM.

Quo in eandem Chriſti Reſurrectionem adferuntur Ezechielis & Danielis Vaticinia illuſtria.

I. *Tranſitus ad Ezechielem & Danielem, eandem Chriſti Reſurrectionem deſcribentes.* II. *Ezechielis in Capite XVII. Ænigma Parabolicum de Aquila, in Libanum veniente &c.* III. *Et ſimul Alterum de Aquila altera, cum Vite ad hanc converſa &c.* IV. *Idem à Deo per Vatem declaratum.* V. *Analyſis reliquæ Partis Capitis hujus Promiſſivæ.* VI. *Quæ ſpectat ad tenerum ramuſculum de Summitate Cedri altæ.* VII. *Et declarat ejus Tractationem Divinam, per ejus Sumptionem, Dationem, Avulſionem, & Plantationem ſuper Monte excelſo &c.* VIII. *Per quam ille Ramuſculus ramum proferret, & fructum faceret, fieretque in Cedrum illuſtrem &c.* IX. *Unde ſecutura Agnitio Gloriæ Dei id operantis.* X. *Addita Certitudine hujus rei immota.* XI. *Unde Meſſiæ Reſurrectio evidenter colligitur.* XII. *Ex Daniele confertur Somnium Nebucadnezaris de Lapide abſciſſo &c.* XIII. *Cujus Expoſitio Divina eſt etiam addita.* XIV. *Et quæ omnino ad Meſſiæ Mortem ducit.* XV. *Ac inſecuturam ejus Reſurrectionem.*

## CAPUT UNDECIMUM.

Quo alia quædam producuntur Dicta Sacra, quæ perinde ad Chriſti Reſurrectionem ſpectare minus recte putantur.

I. *Alia Vaticinia vix æque apta quædam prò Reſurrectione Chriſti adducuntur.* II. *Quale eſt Prov.* XXX. 18. 19. *de Via Serpentis in Petra.* III. *Item Pſal.* 111. 6. *ego dormivi & ſoporatus ſum, reſurrexi, &c.* IV. *Nec non Pſal.* XVII. 15. *ſatiabor cum reſurrexerit Imago tua.* V. *Porro Pſal.* LVII. 9. *excitare gloria*

*mea, &c. & inprimis Ham.* IX. 11. *ac Tseph.* III. 8. VI. *Præter alia Mich.* IV. 14. *Hab.* III. 2. *Zach.* IX. 9. *& Jer.* XXXI. 26. VII. *De quo paulo prolixius agitur.* VIII. *Et judicatur hinc candide.*

## CAPUT DUODECIMUM.

### Quo ad significatam & creditam antiquissimo tempore Messiæ Resurrectionem ascenditur.

I. *De Prot-Euangelio Paradisiaco monetur, in eo etiam Messiæ Resurrectionem comprehendi.* II. *Pro Antiquitate hujus prædictæ & creditæ laudatur locus Job* XIX. 25–27. *in quo attendendum nomen Goëlis seu Redemptoris mei, etiam mox appellati Dei.* III. *Quod Humanitatem ejus, & Mortem in ea subeundam includit.* IV. *Post quam Vivus idem denuo foret.* V. *Et aliquando surrecturus super pulverem.* VI. *Cujus Recollectio serior cum sequelis beatis à Jobo annectitur.* VII. *Scientia horum certa in Jobo.* VIII. *Cujus annectitur Genus, maxime probabile ex Abrahami familia.* IX. *Atque Ætas, paulo anterior Israëlitarum Exitu ex Ægypto.* X. *Unde Antiquitas hujus fidei monstratur, præter alia.*

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

### Quo inquiritur, an non & Tempus Modusque Resurrectionis Dominicæ in Vaticiniis sint satis Determinata.

I. *Quæstio an etiam Tertio die Resurrecturum Christum, olim fuerit prædictum.* II. *Quod à plurimis factum creditur Hos.* VI. 2. *textum illum tamen variè ad Christum referentibus.* III. *Dum simplicissime heic intelligitur Vivificatio Fidelium virtute Christi Tertio Die surrecturi.* IV. *Confertur & in rem eam Corruptio à Benigno Dei omnino arcenda, secundum Davidem.* V. *Et sunt in Prædictionibus Veteribus quædam quæ ad Matutinum Diei tempus in Christi Resurrectione ducere apte possunt.* VI. *Dum ad Sepulchrum Saxeum Christi, & quærentes eum Mulieres, alii loca alia temere trahunt.* VII. *Sed nec desunt, qui rectius Angelorum Præsentiam, & Terræ Motum, & Discipulorum præ aliis Visitationem, in vaticiniis reperiunt; & clarissime de Hostium Confusione & Discipulorum lætitia apud Psalten legitur.*

VIII.

VIII. *Conjectura de Primo Septimanæ Diei Reſurrectione Chriſti adſcripta additur.*

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo agitur de Typis Dominicæ Reſurrectionis, generalius non tantum ſed & ſtrictius ſic dici ſolitis.

I. *Prædictionibus Verbalibus jungi debent Reales in Typis Reſurrectionis Dominicæ deprehenſæ.* II. *Quales ſunt aliqui ſic dicti Latius, ſeu Similitudines, etiam hodie in Natura repertæ.* III. *Quin etiam fuerunt olim ſub œconomia priore hujus Rei Imagines quædam Veteres, non modo Reales, uti erat Virga Frondens Abaronis.* IV. *Sed & Viri olim Illuſtres, Adam, Noach, Jacob, Joſeph, Moſes, Simſon, David, Hizkias, Jeremias, Daniel, quin & ipſe Populus Iſrael.* V. *Quos omnes præſignificaſſe Futuram Chriſti Reſurrectionem ex Dei conſilio, vix adeo certum eſt.* VI. *Interim & ſunt hoic Typi Præſignificativi, partim Legales, v.g. in Manipulo Primitiarum agitato.* VII. *Item in Avicula Dimiſſa Viva apud Leproſi purgationem.* VIII. *Nec non in Hirco Hazazelis, qui & Vivus dimittebatur.* IX. *Partim Eventuales, ad quos referimus Manna Die primo poſt Sabbatum denuo Viſum.* X. *Tum maxime Jonam ex Ventre Piſcis emiſſum Vivum.* XI. *Et ſimiliter Iſaacum ab Oblatione Liberatum, Patrique redditum Vivum.* XII. *In cujus Hiſtoria utique latet Myſterium Typicum.* XIII. *Quod felicius in Chriſto Redivivo quam in Eccleſia per hunc liberata invenitur.*

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quo Argumenta, ad probandam Hiſtoriæ Reſurrectionis Chriſti veritatem data, in Summam rurſus contrahuntur.

I. *Ad perſuadendam veritatem Reſurrectionis Chriſti facit Rei Poſſibilitas, Decentia, & Neceſſitas, juxta Tradentium eam Qualitates, Scriptionisque Modum, & Effectum per orbem.* II. *Cum quibus conferri poteſt Teſtimonium Tertulliani de Pilato & Joſephi de Chriſto.* III. *Uti & laudari debent Facta Chriſti Redivivi, tum in Suos, tum in Hoſtes, illuſtria.* IV. *Et quam maxime Prædictiones Veteres, quæ in Vet. Teſt. deprehenduntur.* V. *Uti eſt illa Pſalmi XVI. à Paulo & Petro ipſo laudati in*

*eam rem.* VI. *Nec non iſta Jeſ.* LV. 3. *quam & Paulus urſit.* VII. *Dum nec dictum Pſalmi II. verſ.* 7. *heic plane prætermittendum videtur.* VIII. *Alia Pſalmorum Loca complura luſtrantur, huc facientia.* IX. *Nec non Jeſaiæ Caput* LIII. X. *Uti & Ezechielis & Danielis Textus noti.* XI. *Dum alia plura ab aliis adducta vix audemus urgere.* XII. *Vetuſtiſſima & communiſſima Reſurrectionis Chriſti Fides ex Jobi verbis monſtratur.* XIII. *Tempus Reſurrectionis illius, quoad Diem & Horam, an etiam à Vatibus ſit deſignatum.* XIV. *De Typis Realibus & Perſonalibus illius diſſeritur.* XV. *Et tandem argumentum hoc concluditur.*

---

# LIBER TERTIUS.

## Qui de ejus Redivivi Aſcenſione in Cœlum, & Seſſione ad Dei Dextram, agit.

### CAPUT PRIMUM.

Quo de Verbis agitur, ad notandam Chriſti Adſcenſionem Cœleſtem adhibitis.

I. *Tranſitus à Reſurrectione Chriſti ad ejus Aſcenſionem in Cœlum* II. *Verbum* ὑψόω *heic adhibitum de Chriſto vario prorſus ſenſu exhibetur.* III. *Verba alia Paſſiva* παίρω, ἀνατίθεμαι, ἀναλαμβάνω, *&* ἁρπάζω, *illuſtrantur.* IV. *Verba item Neutro-Activa,* ἀναβαίνειν, ὑπάγειν, ἀφιέναι τὸν κόσμον, πορεύομαι, πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα, διέρχομαι τὸν οὐρανὸν, εἰσέρχομαι.

### CAPUT SECUNDUM.

Quo Adſcenſionis Chriſti Actus Formalis poſitive declaratur.

I. *Adſcenſio Chriſti in Cœlum Tranſitionem dicit omnino Localem Humanitatis ipſius.* II. *Et quidem de Terra hac Univerſa, ſecundum ipſius Prædictionem Matt.* XXIV 23 26 27. III. *Nec non Matt.* XXVI. 11. IV. *Et* 1 *Cor.* XI. *verſ.* 24–26. V. *Maxime autem Joh.* XIV. XV. XVI. XVII. 15–17. VI. *Secundum*

*ſimul*

*ſimul traditum ab Apoſtolis cum Luca Eventum.* VII. *Unde nuſquam deinde in Terra repertus fuit, vel reperiri potuit.* VIII. *Objectiones ex Promiſſis Dominicis, nec non Exemplis obviis, & dictis generalibus, ſolvuntur.* IX. *Fuit porro Chriſtus Aſcendens Tranſlatus in Cœlum Supremum, ſecundum proprias ejus Prædictiones Euangelicas.* X. *Et ſecundum Euangeliſtarum & Apoſtolorum Teſtimonia obvia ubique.* XI. *Quod factum per Viſibilium Cœlorum Spatium medium, notata huic Braunii parermenia ad Hebr.* VII. 26. XII. *Et ſimul vehiculo Nubis Chriſtum auferentis.* XIII. *Et quidem Diſcipulis intuentibus.*

## CAPUT TERTIUM.

### Quo de Tempore & Loco Adſcenſionis Domini diſtinctius agitur.

I. *Ad Tempus Aſcenſionis Chriſti venitur.* II. *Quod à Marco & Luca notatum eſt* III *Et conſtituitur per Diem Quadrageſimum à Reſurrectione* IV. *Poſtquam Chriſtus ad Diſcipulos eſſet locutus.* V. *Locus Aſcenſionis Dominicæ à ſolo Luca, ſed cum aliqua apparenti Varietate, notatur* VI *Qua occaſione de Bethania latius diſſeritur, ejusque ſitu.* VII. *Nec non de Monte Oliveti, huiusque Diſtantia ab Urbe Jeruſalem* VIII. *Tolliturque difficultas, ex nominato hoc loco dupici apud Lucam orta.* IX. *Ex illo loco quam apte aſcenderit Dominus, monſtratur.*

## CAPUT QUARTUM.

### Quo Traditio Vetus, de relictis à Chriſto Aſcendente Veſtigiis Pedum in Monte Oliveti, ad examen juſtum vocatur.

I. *De Veſtigiis Pedum Aſcendentis Chriſti Monti impreſſis, Traditio ex Baronio exhibetur.* II. *Veterum loca, in eam rem adduci ſolita, conferuntur etiam.* III. *Fundamento omni Scripturario Traditionem eam deſtitutam eſſe monſtratur.* IV. *Silentium de his Veſtigiis Chriſti Aſcendentis per Tria Secula Prima & Quarti partem primam additur.* V. *De Autoribus Seculi Quarti exeuntis & Quinti monita generalia adducuntur.* VI. *Specialiores obſervationes ad Hieronymum, Auguſtinum, Paulinum,*

*num, & Sulpicium.* VII. *De Beda & ſcriptoribus Mediæ Ætatis aliquid additur.* VIII. *Tandemque diſſeritur de Recentioribus Terræ Sanctæ Deſcriptoribus, quid & quo cum fundamento illi heic habeant.* IX. *Traditiones aliæ Fabuloſæ conferuntur.*

## CAPUT QUINTUM.

Quo de Corona agitur Chriſtum in Cœlum Aſcendentem intuitorum.

I. *Aſcenſio Chriſti facta præſentibus & videntibus omnibus Apoſtolis.* II. *Quorum & Nomina Singularia recenſentur, & quædam illuſtrantur.* III. *Quod plures ob rationes admodum notabile eſt.* IV. *An alii quoque Fratres cum Mulieribus & Maria Matre adfuerint, inquiritur.* V. *Educti vero illi à Chriſto feruntur uſque in Bethaniam, atque illic corporaliter vidiſſe Chriſtum aſcendentem.* VI. *Quæ Viſio à torſionibus iniquis liberatur.* VII. *Concluſio ex hac narrationis parte decens.*

## CAPUT SEXTUM.

Quo in Nubem inquiritur, quæ Jeſum Aſcendentem ſuſtulit à conſpectu Diſcipulorum.

I. *Incipit tractatio de Nube quæ Chriſtum abſtuliſſe dicitur.* II. *Nubium ſignificatio varia, & Varietas ipſarum per qualitates & effectas.* III. *Qualis hæc fuerit Nubes, inquiritur cum hiſtoriarum aliarum collatione.* IV. *Etiam illius apud Iſraëlem ad Sinai & in Deſerto, & apud Chriſtum in Monte.* V. *Dum placida & grata hæc potius fuiſſe Nubes cenſenda eſt, quam terribilis.* VI. *Quæ tum ſuſtulit, tum abſtulit Jeſum verſus cœlum, à conſpectu Diſcipulorum.* VII. *Quo ipſo non minuitur, ſed potius augetur Domini Aſcendentis gloria.* VIII. *Angelorum Cœleſtium præſentia apud hanc Chriſti Aſcenſionem recte cogitatur.* IX. *Nec non Beatorum Cœlitum Concurſus.*

## CAPUT SEPTIMUM.

Quo de Angelorum Conſpectu & Auditu Apoſtolico, proxime inſecuto poſt Chriſti Ablationem in cœlum, diſſeritur.

I. *Hiſtoria annectitur Angelorum qui Apoſtolis ſe ſtiterunt.*

II.

II. *Dum hi erant proſpicientes in cœlum, Chriſto proficiſcente vel profecto.* III. *Et quidem ut Viri Duo in Albo Veſtitu.* IV. *Qui adſtiterunt Apoſtolis.* V. *Atque dixerunt ad eos, Virorum Galilæorum nomine compellatos.* VI. *Quid in cœlum intuentes ſtarent.* VII. *Dum Jeſus hic ab ipſis in cœlum ſublatus erat vere.* VIII *Sic etiam Venturus inde aliquando.* IX. *Unde ipſi um gaudio Reverſi in Urbem, inſecuta Laude Dei continua in Templo, Manſione amica in Cœnaculo, & Pietate omni exercita.* X. *Veritas Aſcenſionis Chriſti ex hoc omni ejus Modo liquens.*

## CAPUT OCTAVUM.

Quo Argumenta quædam laudantur pro Veritate Hiſtoriæ expoſitæ de Domini Aſcenſione.

I. *Hiſtoria Aſcenſionis expoſitæ Veritas merito monſtranda eſt.* II. *Et ad eam agnoſcendam facit ejuſdem contemplatio in Poſſibilitate ſua.* III. *Quod deinde Decuerit, imo verè Neceſſaria fuerit.* IV. *Porro & eorum qui eam ſcripſerunt ac tradiderunt multiplex laus humana.* V. *Quique heic etiam Circumſtantias addiderunt.* VI. *Accedit vis hujus narrationis apud Orbem totum, & fama apud hoſtes ipſos; nec non teſtimonia realia à Chriſto deſuper in bonos & malos data.* VII. *Et attendi potiſſimum debent Vaticinia Verbalia & Realia.*

## CAPUT NONUM.

Quo illuſtratur textus Pſal. LXVIII. 19. quem ad Chriſti Aſcenſionem ſpectare etiam Paulus docuit Eph. IV. 8–10.

I. *Inter Vaticinia excellit heic Pſal.* LXVIII. 19. *de Aſcenſione Dei in Altum.* II. *Cum qua illic jungitur Captivitatis Captivatio.* III. *Et Acceptio Donorum in homine.* IV. *Atque etiam Refractariis ad habitandum.* V. *In hujus Pſalmi citatione Paulina præmiſſum à Paulo διὸ λέγει illuſtratur.* VI. *Argumentatio Pauli, pro Pſalmi dicto ad Chriſtum Incarnatum ſpectante, exhibetur & urgetur.* VII. *Atque Eventus Vaticinio conveniens, quem Paulus laudavit, illuſtratur.* VIII. *Alia ex Pſalmo illo argumenta conferuntur ad Vaticinii illius relationem ad Chriſtum.*

CA-

# ARGUMENTUM

## CAPUT DECIMUM.

Quo conferuntur alia Pſalmorum loca ad eandem Chriſti Aſcenſionem ſpectantia.

I. *Pro prædicta Chriſti Aſcenſione conferri poſſunt porro omnes Pſalmi, de ipſius Gloria agentes.* II. *Sed & confertur à nonnullis Pſal.* 11. 4. *de Sedente in Cœlis.* III. *Item Pſal.* VII. 8. 11. *de Clypeo noſtro apud Deum.* IV. *Similiter Pſal.* VIII. 2. *de Majeſtate Dei ſuper cœlos data.* V. *Nec non Pſal.* XLV. 5. *per Verſionem verborum, decus tuum trajice.* VI. *Sed rectius & certius ut putamus Pſal.* XXIV. 7——10. *ubi Portæ jubentur attollere Capita ſua ad Ingreſſum Domini Gloriæ.* VII. *Et inprimis Pſal.* XLVII. 6. *de Deo Aſcendente in jubilo, & Jehovah in voce tubæ.* VIII. *Alia ex Pſalmo illo argumenta conferuntur ad Vaticinii illius relationem ad Chriſtum.*

## CAPUT UNDECIMUM.

Quo dicta Jeremiæ & Danielis pro Chriſti Aſcenſione in Cœlum laudantur.

I. *Textus Jeremiæ Cap.* XXX. 21. *ad Aſcenſionem Chriſti manifeſte ſpectans.* II. *In quo agitur de Magnifico & Dominatore Iſraëlis, uno præ aliis omnibus.* III. *Qui ex eo foret & ex medio ejus exiret.* IV. *Et quem Deus appropinquare faceret, ut appropinquaret ad ſe.* V. *Addita ratione, nam quis ille, qui oppignoret cor ſuum, ut appropinquet ad me?* VI. *Applicatio neceſſaria Vaticinii hujus ad Chriſti prædictam ſic Aſcenſionem.* VII. *Tranſitus ad Viſionem Danielis Cap.* VII. 13. 14. *cujus & contextus antecedens exhibetur.* VIII. *Viſus illic Sicut Filius Hominis, quis & quo ſenſu ſic dictus ſit.* IX. *Et quidem cum Cœli Nubibus veniens, imo ad Stabilem dierum perveniens, coram quo eum appropinquare fecerunt, data illi poteſtate & gloria maxima & perpetua.* X. *Ineptiſſima hujus Interpretatio, de Populo Romano, ex Grotio memoratur.* XI. *Dum agnoſcenda heic omnino clariſſima Meſſiæ pictura.* XII. *Alia expoſitio Cl. Cocceji, in Filio hominis non Chriſtum ſed Eccleſiam reperientis.* XIII. *Obſervationes ad hanc expoſitionem quædam adduntur.* XIV. *Solutis ſimul Objectionibus nonnullis.*

CA-

## CAPUT DUODECIMUM.

Quo alia Loca Prophetica quædam examinantur, an perinde ad Chriſti Aſcenſionem pertineant.

I. *Pro Chriſti Aſcenſione in Cœlum laudatur etiam ab aliis Deut.* XXXII. 1—4. II. *Nec non Via Aquilæ in Cœlum, ex Prov.* XXX. 19. III. *Item Varia loca Jeſaiæ* LIII. 8. LII. 13. LXVI. 1. IV. *Tum quoque Ezechielis Viſio Cap.* I. *&* X. V. *Porro & locus Hoſ.* IX. 2. *de Speculante Ephraimum cum Deo meo.* VI. *Atque Hamoſ.* IX. 6. *de Ædificante in cœlis Gradus ſuos.* VII. *Etiam Mich.* II. 13. *de Effractore Aſcendente coram illis &c.* VIII. *Et Geminus ex Zacharia locus Cap.* VI. 13. *&* XIV. 4. IX. *Tandem verba nota Mal.* IV. 2. *de Orituro Sole Juſtitiæ.*

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quo ad Typos Aſcenſionis Dominicæ varii generis tandem tranſitur.

I. *Aſcenſionis Domini noſtri Typus dudum quæſitus inepte in Apocrypha fabula de Habakuko.* II. *Confertur in eandem rem Virgæ Aharonis Refloreſcentis, & Urnæ Mannæ, in Sanctuario Depoſitio mandata & facta.* III. *Quam maxime & rectiſſime Arca Fœderis cum Propitiatorio, quæ erat Gratiæ & Cultus Divini Sedes Principalis intra Velum.* IV. *In primis huc facit Annuus Ingreſſus Pontificis in Adytum ad Expiationem populi cum Sanguine.* V. *Quin etiam facere poteſt Henochi Aſſumptio ad Deum, cui placuerat.* VI. *Nec non Eliæ Raptus in Cœlum in turbine.* VII. *Pro cujus utriuſque Typica præfiguratione admittenda differitur.* VIII. *De Moſe aliquid adjicitur, an etiam Corpore & anima in Cœlum tranſlatus eſſe ſine morte & ſepultura credi queat.*

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quo cum Chriſti Aſcenſione juncta ejus Seſſio ad Dextram Dei declaratur reſpectu varietatis Phraſium.

I. *Tranſitus ad Chriſti Seſſionem à Dextra Dei Patris.* II.

*****

*Lo-*

*Loca Novi Teſt. quæ expticite de ea agunt, ſimul exhibentur.* III. *Dextræ heic quandoque fit mentio ſingulariter, ſed & Dextrorum pluraliter.* IV. *Et Dextra illa dicitur Dei, Potentiæ, Majeſtatis, Throni.* V. *Præpoſitionum additarum notatur Varietas.* VI. *Ad quam Dextram dicitur Chriſtus Eſſe, vel Sedere, vel & Stare.* VII. *Sunt vero & heic Verba adhibita Neutra, Paſſiva, & Activa.*

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### Quo de Re Significata, Seſſionis hujus Chriſti ad Dextram Dei, Negative diſſeritur.

I. *Seſſionis hujus, improprie intelligendæ, varia Expoſitio.* II. *Ab Ubiquitariis illa ad Omnipræſentiam & Omnipotentiam Humanæ Naturæ trahitur, de qua collata eum Communicatione Idiomatum & Conſubſtantiatione Euchariſtica diſſeritur.* III. *Inſtantiæ Ubiquitariorum ex hac Seſſione enarrantur.* IV. *Contra quas notatur, hanc non tribui Naturæ Humanæ in Abſtracto, ſed Perſonæ Θεανθρώπε in Concreto.* V. *Et obſervatur, Seſſionem illam ad Dextram non involvere Præſentiam Ubicunque eſt ea Dextra.* VI. *Præcipue heic ſpectandam eſſe urgetur phraſin integram Sedendi ad Dextram, ſed non notionem Dextræ ſolius.* VII *Quin tandem non omittendum, quod Seſſio hæc ad Dextram in Cœlo ponatur.* VIII. *Expoſitio Seſſionis hujus apud alios de Favore Dei, vel Glorificatione Cœleſti.* IX. *Tracta eadem Seſſio quoque ad Dignitatem Divina majorem à Socinianis & Papiſtis quibuſdam.* X. *Ad quam evitandam felicius, Siniſtram præ Dextra Honoratiam fuiſſe olim, quidam urſerunt.* XI. *Quod non eſſe admittendum monſtratur, ſed aliter tollendum eſſe dubium motum.* XII. *Seſſio illa quo modo ab aliis referatur ſimpliciter ad Æqualitatem Gloriæ & Poteſtatis cum Patre; addita inepta etiam hypotheſi de Sceptro quaſi communi cum eo qui tenenti ad Dextram ſedet.* XIII. *Proximus Deo Patri Honor heic ſpectandus, non tamen Minor quam Divinus.*

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

### Quo verus Senſus Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Patris poſitive declaratur.

I. *Poſitiva Deſcriptio brevis Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei*

*Dei.* II. *Ad cujus veritatem agnoſcendam ducit Ritus humanus, unde Phraſis illa petita eſt.* III. *Nec non alia phraſis magis propria, quum Paulus ſubſtituit Eph.* 1. 20–22. IV. *Quin & tertia qua ille uſus eſt Phil.* II. 9–11. V. *Confertur & phraſis Petri, cum Duplici adhuc textu Pauli.* VI. *Quali modo hæc Seſſio tribuenda ſit Perſonæ Divinæ ut tali.* VII. *Et quomodo illi conveniat ſecundum Naturam Humanam.* VIII. *Et quam Poteſtatem illi ſimul tribuat.* IX. *An etiam Seſſio Corporalis, tanquam Emblematica, in cœlis ſimul ſit agnoſcenda.* X. *An alius Seſſio ad Siniſtram Dei ex hac Seſſione Chriſti ad Dextram concludi poſſit, & cui illa tribuenda ſit.*

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

### Quo de Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Patris Duratione agitur.

I. *Seſſio Chriſti ad Dextram Dei non eſt repetenda ab omni retro Æternitate.* II. *Neque vel à Mundi Conditi, aut Euangelii prædicati, Initio primo; vel ab Incarnatione, & Prædicatione in carne; vel à Reſurrectione etiam ipſa.* III. *Sed ab ejus Aſcenſione in Cœlum inſecuta.* IV. *Seſſio eadem duratura certiſſime uſque ad Finem hujus Mundi.* V. *Et quo modo poſt eum etiam omnino locum ſit habitura.*

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

### Quo Certitudo Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Patris varie aſſeritur; potiſſimum antem ex Vaticiniis Veteribus.

I. *Ad Certitudinem Seſſionis hujus Chriſti aſſerendam tranſitur.* II. *Quæ utique eſt Poſſibilis, Decens, Neceſſaria; à fide digniſſimis Viris tradita; per varias phraſes ſignificantiſſimas; recepta per Orbem; à Chriſto factis ipſis in Suos & in Hoſtes declarata; & ab ipſo cœlitus oſtenſa.* III. *Et de qua nos certos reddere debet prædictio Pſalmi CX.* IV. *Cujus totius ſumma Analytice etiam exhibetur.* V. *Ad quam Seſſionem Chriſti nos etiam ducit textus Pſal.* XVI. 11. VI. *Nec non Pſal.* LXXX. 18. *Filius hominis dictus Vir Dextræ Dei.* VII. *Res per hanc Seſſionem ſignificata, ſeu Gloria Perſonæ & Regni vere Divina, ubique etiam in Vaticiniis fuit inculcata.*

## ARGUMENTUM ET SERIES OPERIS.

### CAPUT DECIMUM NONUM.

Quo ad Vaticinia hæc Typi, Seſſionis Meſſiæ ad Dextram Dei Patris, qualeſcunque etiam adduntur.

I. *Typus Seſſionis hujus qualis in Joſepho Exaltato agnoſci queat.* II. *Etiamque in Adamo Primo.* III. *Sed magis in Moſe & in Joſua.* IV. *Quin & in Davide ac Salomone.* V. *Sed maximus & certiſſimus in Joſua, Filio Jotſadak, Pontifice Coronato à Zacharia.*

### CAPUT VIGESIMUM.

Quo Libri hujus Tertii Argumentum in Summam tandem quoque contrahitur.

I. *Verba Aſcenſionem Chriſti deſignantia conferuntur.* II. *Aſcenſionis Chriſti Terminus A Quo, Ad Quem, Medium ſpatium, Nubes auferens eum, ejuſque factæ Conſpectus Apoſtolicus, jubent Tranſlationem Localem heic agnoſcere.* III. *Aſcenſionis Tempus ita fuit Dies Quadrageſimus, ut Locus fuerit Bethanienſis tractus Montis Oliveti, prope Jeruſalem.* IV. *Traditio Vetus, ſed vere Fabuloſa, de Veſtigiis pedum ab Aſcendente Domino impreſſis monti, hac occaſione exhibetur & ad examen vocatur.* V. *Corona ſplendida præſens apud Domini Aſcenſionem.* VI. *Nubes quæ ad Uſum Domini heic intervenit.* VII. *Angelorum accedens ſimul Miniſterium.* VIII. *Certitudo hiſtoriæ hujus varie monſtrata.* IX. *Quam maxime ex Vaticinio Pſal.* LXVIII. 19. *à Paulo heic merito laudato.* X. *Ex aliis Pſalmis huc optime referuntur loca Pſal.* XXIV. 7. & XLVII. XI. *Rectè etiam Aſcenſio illa prædicta reperitur Jer.* XXX. 21. & *Dan.* VII. 13. 14 XII. *Dum alia Loca varia in hanc rem magis dubia ſunt.* XIII. *De Typis agitur, Arcæ Fœderis cum Propitiatorio, Pontificis in Die Expiationis, nec non Henochi & Eliæ.* XIV. *Seſſio Chriſti ad Dextram Dei Patris Chriſto tribuitur cum aliqua phraſios varietate.* XV. *Expoſitiones iſtius Seſſionis minus probandæ recenſentur variæ, cum earundem examine brevi.* XVI. *Eadem poſitive explicatur, cum aſtructione neceſſaria.* XVII. *De Initio & Duratione iſtius Seſſionis Chriſti agitur.* XVIII. *Certitudo hujus Seſſionis aſſeritur, potiſſimum ex Vaticiniis.* XIX. *Quorſum & referuntur Typi Joſephi exaltati in Ægypto, Adami, Moſis, Joſuæ, Davidis, Salomonis, & maxime Joſuæ Coronati.* XX. *Clauſula operis hujus, cum promiſſo Autoris ulteriori.*

HISTO-

# HISTORIÆ EXALTATIONIS JESU CHRISTI ILLUSTRATÆ

## LIBER PRIMUS.

*Qui Hiſtoriam Reſurrectionis ejus ex Euangeliis atque Apoſtolicis Epiſtolis expoſitam exhibet.*

---

## CAPUT PRIMUM.

*Quo de Verbis, Neutris Paſſivis & Activis, agitur, quibus Reſurrectio Chriſti exprimitur.*

EUANGELIUM, tum Vetus Promiſſionis, & huic reſpondentis Exſpectationis, tum Novum Impletionis, & huic convenientis Receptionis, denominari recte conſtat; tum à *Deo*, ut ordinante, & revelante illud, ad ſuam gloriam; tum à *Bonis*, per illud oblatis & allatis, *Regni*, *Gratiæ*, *Salutis*, *Pacis*, &c. ut tamen præcipuè dicatur idem, *Filii Dei*, *Chriſti*, & *Jeſu Chriſti*, ſecundum argumentum ſuum quod tradit miſeris peccatoribus lætiſſimum, ut ad Bona illa & Dei ipſius Communionem ipſi pertingant. Enimverò annunciatur per illud hic Jeſus Chriſtus; tanquam *Homo* verus, *Natus* ex hominibus aliis, ex Abra-

Euangelium quænam tradat de Chriſto, ut Homine Miſero, ab omnibus communiter facile admiſſa, & quænam à paucis & difficulter admittenda.

Abrahami ſemine, ex Jiſraëlis gente, ex Judæ tribu, atque ex Davidis proſapia; & tanquam homo *Miſer*, non tantum intuitu paupertatis, & contemptus mundani, ſed & *Paſſionis* acerbiſſimæ, quam tulit animo & corpore, uſque ad probroſam Mortem Crucis. In quibus omnibus nihil tradit Euangelium, quod non obtineat, vel certe non mereatur jure omni, fidem ipſius Mundi increduli communem. Dum amplius hoc ab auditoribus ſuis poſcit Euangelium in iſtis capitibus; ut Jeſus Chriſtus habeatur pro Homine illo, qui Natus eſt ſingulariſſima Dei Virtute, ſecundum Promiſſiones Patribus ab ævo omni factas, & horum Exſpectationem ardentiſſimam, ad ſuam temporalem ac æternam Salutem; & ut ille, Purus ab omni labe propria, pro Nobis interveniſſe ſtatuatur, in verè ſubeundis omnibus Malis, quæ nos promerueramus, ſed ipſe bono & loco noſtro tulit, dummodo ad illum ſincere & decenter confugiamus, reperturi illic ſimul Juſtitiam perfectam, cui præſtandæ ſecundum Legem & Beneplacitum Dei non eramus ipſi ullatenus aut unquam.

Quænam idem Euangelium de ipſo addat, ut ſimul Filio Dei Vero, qui poſt Opera gloriosa ex morte Vitam receperit Gloriosiſſimam; & quæ Incredulis omni ſtudio perſuadenda.

II. Ut vero hoc ſecundum Euangelium credi queat, eſt & facit altera hujus Pars. In qua nempe idem Jeſus Chriſtus, Homo miſer & probroſe mortuus, prædicatur ut ſimul in Natura altera *Filius Dei*, adeoque Deus Verus, Patri Æqualis, qualis fuerit ab æterno, & manſerit in tempore carnis & ſanguinis factus quoque particeps, & maneat ſine ulla intrinſeca mutatione in æternum. Cujus Deitatis ſuæ virtute infinitâ ille omnis generis *Divina* prorſus *Opera* patraverit olim in his terris, Prædicatione blanda ſimul & efficaciſſima homines averſiſſimos ad ſe & ſui venerationem religioſiſſimam trahens. Imo per quam Deitatem ſuam propriam ille, ex omnibus Malis & Morte ipſa eluctatus ſecundum Humanitatem, *Vitam* receperit prorſus immortalem, & cum hac acceperit *Gloriam* omnem Filio Dei dignam, tum declaratam magis ad omnem oculum ſecundum Deitatem, tum actu collatam ſecundum Humanitatem pro hujus capacitate. Quam Euangelii partem, tanquam cum priori etiam minus cohærentem, rejicit Mundus Incredulus, illam vel ridens palam, vel obrodens fœde; etiam ſub Chriſtiano nomine. Dum utramque ſimul amplectitur Fides vere Chriſtiana; ſecundum con-

jun-

junctam Apoſtolorum prædicationem *Rom.* I. 3. 4. IV. 24. 25. VIII. 34. X. 9. I *Cor.* XV. 3. 4. *&c.* Atque hoc conſequenter incumbit quam maxime fidis Euangelii Miniſtris, ad Mundi felicem Converſionem, per accedentem Spiritus Virtutem Divinam, ut hunc ſi pote convincant de Divina Domini hujus Gloria, inprimis quæ poſt Paſſiones ejus conſecuta fuit, tanquam per quam Paſſionum uſus ad nos devenit, & quæ Deitatis ejus æternæ argumentum præbet certiſſimum.

III. Fecit hujus rei conſideratio juſta, ut ſenili ætate noſtra ad Fidei communis firmamentum *Illuſtrare* nobis propoſuerimus *Hiſtoriam Euangelicam & Apoſtolicam Glorificationis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quæ ab ipſius *Reſurrectione* cœpit; etiam propter Dubia complura, quæ ex Euangeliſtarum & Apoſtolorum collatione naſcuntur, & ſolutionem aptam merentur; notante hinc cum aliis Veteribus & Recentioribus etiam *Cl. Ger. Jo. Voſſio in Harm. Euang. cum nihil exactius narretur ab Euangeliſtis, nuſpiam tamen plura ſe offerre* ἐναντιοφανῆ, *etiam inter Matthæum & Marcum, qui magis cæteris ſolent convenire*, ſed & addente, hanc ſcriptionem ἐναντιοφανῆ utiliſſimam fuiſſe, *ne opinio foret conſpiraſſe eos & de compacto rem egiſſe ut in velabro olearii ſolent*, nec non *ad exercendam fidem & ſedulitatem noſtram.* Deinde tranſituri ad ejus *Aſſertionem*, per argumenta quæ plene illam perſuadere apta ſint menti omni cœlitus illuminatæ, & ſuadeant hactenus etiam non illuminatis hominibus, ut plane incredibilis & ficta nequeat amplius ab his judicari cum ullo fundamento.

Propoſitum Autoris, Illuſtrandi primum, & deinde Aſſerendi, Hiſtoriam Glorificationis Chriſti, facto initio ab ejus Reſurrectione.

IV. Hiſtoriæ iſtius, quam ex Euangelicis & Apoſtolicis Scriptis inter ſe decentet collatis inſtruemus, certo vel magis verſimili ordine, initium facimus primum generale à *Verbis*, per quæ Domini vere Mortui Reſtitutio in Vitam perinde vera nobis ſignificatur. Sunt vero illa, partim *Neutra*, partim *Paſſiva*, & partim *Activa* magis; ſive jam *Propria*, ſive & *Metaphorica*. *Neutrum* & omnium maxime *Proprium* eſt verbum ἀναζάειν, *reviviſcendi*, quod oppoſitum morti, & junctum reſurrectioni, de Chriſto heic uſurpatur *Rom.* XIV. 9. ἵνᾳ ἀπέθανε, ἵνᾳ ἀνέϛη, ἵνᾳ ἀνίζηϛιν; aliis heic unam harum duarum, aliis alteram vocem cum *Vulgato* non legentibus tamen, & quibuſdam habentibus verbum ſimplex ζῆϛιν, quod

Verbum Neutrum & maxime Proprium ἀναζάειν ſeu ζάειν reviviſcendi, declaratur, quo Chriſti Reſurrectio venit, ejusque Vis monſtratur.

*ex Hebræorum more ſimplicia pro compoſitis uſurpantium* derivat *Beza* inter alios. Uti certum eſt, longe ſæpius in ipſo Novo Teſt. ſimplex illud ζάειν Domino reviviſcenti tribui *Marc.* XVI. 11. *Luc.* XXIV. 23. *Act.* XXV. 19. *Rom.* VI. 10. 2 *Cor.* XIII. 4. *Hebr.* VII. 25. *Apoc.* I. 18. II. 8. etiam quando nobis tribuitur τὸ συζάειν cum ipſo *Rom.* VI. 8. 2 *Tim.* II. 11. Dum & huc maxime reſpexiſſe Chriſtus videtur, prædicens quod certò & citò futurum erat, *Joh.* XIV. 19. ὅτι ἐγὼ ζῶ, καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε, ſicuti & dixerat eodem modo *verſ.* 18. ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. Interim non eſt, ut dicamus ineptè, verbum *reviviſcendi* minus apte conjunctum eſſe cum illo *reſurgendi*; quando vel prius ἀνέστη explicatum poteſt credi per poſterius ἀνέζησεν, vel poſterius referri ad vitæ reſtitutæ continuationem, ad cujus initium ſpectet prius. Obſervandum autem eſt omnino, verbum illud ἀναζάειν, *reviviſcendi*, & ζάειν, *vivendi*, non exprimere quidem Vitæ reſtitutæ Autorem, ſive Deum Patrem, ſive Chriſtum ipſum; ſed potentiſſime ſignificare Vitam Veram humanam, poſt mortem rurſus ſecutam in Chriſto, & factis vitalibus declaratam. Quæ & in tanto majori emphaſi hoc nomen meretur, quanto eſt & lætior ac glorioſior, quam fuerat ante mortem; imo quanto eſt eadem conſtantior abſque mortis iteratæ metu vel periculo ullo, ſecundum illud Pauli forte quod huc frequenter refertur *Act.* XIII. 34. ὅτι δὲ ἀνέστησε αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, & certò iſtud *Rom.* VI. 9. εἰδότες ὅτι χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκει, θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει, quin & tertium Chriſti ipſius *Apoc.* I. 18. καὶ ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Verbum aliud Paſſivum, tum proprium ζωοποιεῖσθαι, vivificari, tum Metaphoricum ἐγείρεσθαι ſuſcitari, quod ad Deum Patrem ut Autorem nos

V. Verbum *Paſſivum*, *Proprium* ſimiliter, eſt illud ζωοποιεῖσθαι *vivificari*, quo uſus eſt Petrus 1 *Pet.* III. 18. θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι, & quod perinde Chriſto tribuit Paulus in compoſito *Eph.* II. 5. καὶ ἡμᾶς συνεζωοποίησε τῷ χριστῷ, & *Col.* II. 13. καὶ ὑμᾶς συνεζωοποίησε σὺν αὐτῷ, etiamſi ad aliud vitæ datæ genus in nobis illic forte ſimul vel & magis ſpectetur. Et huic reſpondet, tum Paterna ἀναγωγὴ ἐκ νεκρῶν *reductio ex mortuis Hebr.* XIII. 20. tum forte ἡ πάλιν εἰσαγωγὴ εἰς τὴν οἰκουμένην *iterata in mundum introductio, Hebr.* I. 6. tum ἡ ἀνάστασις *reſuſcitatio* Patri adſcripta *Act.* X. 24. *&c.*

tum

tum maxime *Metaphoricum* illud ἐγείρεσθαι, *excitari*, vel *ſuſcitari*, quo primum uſus eſt Dominus ipſe de ſe *Matt.* XVI. 21. XVII. 23. *Luc.* IX. 22. quodque hinc Euangeliſtæ & Apoſtoli adhibuerunt communiſſime, *Matt.* XXVIIII. 6. *Marc.* XVI. 14. *Luc.* XXIV. 6. 34. *Rom.* IV. 25. 1 *Cor.* XV. 4. *&c.* Id nemo dubitet proprio ſenſu nos ducere ad ſomnum, ex quo qui ad vigiliam revocantur, hi *excitantur*, ſecundum illud Pauli *Eph.* V. 14. ἔγειρε ὁ καθεύδων, & *Rom.* XIII. 11. ὅτι ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι, *&c.* Sed & id conſtat familiariſſime transferri ad mortem, cujus eſt in ſomno vera imago, & ex qua qui ad vitam revocantur hi perinde *excitari* dicuntur, *coll. Matt.* XI. 5. νεκροὶ ἐγείρονται *&c.* Quatenus nempe antea in morte ſenſu motuque corporeo carentes, etiam præ dormientibus altiſſime, ad vitam revocati ſenſum & motum corporeum recipiunt non tantum intus ſed & extus omnem, per quem vivere ſe irrefragabiliter demonſtrant. Iſtius autem Verbi Paſſivi, unius & alterius, uſus de Domino noſtro licet ad Deitatem ejus propriam tanquam operantem in ejus Humanitatem etiam referri queat & ſuo modo debeat, *coll.* 1 *Petr.* III. 18. *&c.* communiter tamen refertur ad Alterum ut Agentem. Qui heic non eſt; vel Homo ullus, aut Angelus, aut Creatura alia à Natura Divina & Virtute excluſa; vel *Spiritus Sanctus*, manifeſtè ſatis diſtinctus etiam ab *Excitante Jeſum ex mortuis Rom.* VIII. 11. cui tamen vere rectèque Excitatio hæc tribui poſſet, ſecundum eandem Trium Perſonarum virtutem & operationem, non minus quam Humanitatis Chriſti Formatio & Exornatio antecedens, *Matt.* I. 20. *Luc.* I. 35. III. 22. *&c.* ſed omnino Pater, paſſim nomine *Dei* heic deſignatus, uti *Act.* III. 15. ὃν ὁ θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, *coll. Act.* IV. 10 V. 30. X. 40. XIII. 30. 37. *Rom.* X. 9. 1 *Cor.* VI. 14. *&c.* addito etiam quandoque nomine *Patris* ad illud Dei *Gal.* I. 1. Scilicet eſt Pater, à quo ut Prima Perſona omnis incipit Divina Trinitatis Operatio, ſecundum illud Chriſti *Joh.* V. 19. *amen, amen, dico vobis*, οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν ἐὰν μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα, ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ, *&c.* Sed & eſt Pater, qui in Salutis noſtræ opere omni, quod actu Oeconomico præſtat Filius, Ordinantis & Dirigentis Perſonam ſimili actu ſuſtinet, hunc adeo in mundum

ducit, ob rationem plus quam unam.

dum mittit, & in hunc immittit noſtras pœnas, ut ab his plene toleratis pro nobis hunc denuo liberet, & in gloriam promiſſam per gradus extollat tanquam ſupremus Judex, *coll. Joh.* III. 16. 2 *Cor.* V. 21. *Gal.* IV. 4. 5. *Phil.* II. 9. 10. 11. *&c.* qui hinc cenſeri debet Filium ex morte excitans illi ſolutionis peractæ dare apocham, ad noſtræ per eum Juſtificationis certitudinem, *coll. Rom.* IV. 24. 25. 1 *Cor.* XV. 17. 1 *Tim.* III. 16. *&c.* Quorſum an etiam ſpectet illud Pauli *Rom.* VI. 4. ὥσπερ ἠγέρθη χριστὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός, dubium magis eſt apud Interpretes. Quando hoc finaliter ſeu impulſive exponunt plurimi, *ad*, vel *propter*, *gloriam Patris*, quem ſenſum communiſſime habet illa Præpoſitio cum Accuſativo conſtructa; prout Excitationis Chriſti ex morte finis fructusque eſt, tum Gloria Paternæ ſimilis in ipſo, tum fluens hinc demonſtratio & agnitio multiplicis Gloriæ Patris per ipſum, *coll. Joh.* XVII. 1. *&c.* Attamen & alii potius reddunt, vel *in*, & *cum*, *gloria Patris*, ſpectato ſic reſuſcitationis Modo; vel *per Patris gloriam*, ſeu glorioſiſſimam perfectionem & operationem, pro communiſſimo uſu Præpoſitionis ejuſdem cum Genitivo, etiam 1 *Cor.* VI. 14. ὁ δὲ θεὸς καὶ τὸν κύριον ἤγειρε, καὶ ὑμᾶς ἐξεγερεῖ, διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, *&c.* Quod idem dubium perinde obtinet in textu conferri ſolito cum hoc 2 *Petr.* I. 3. τοῦ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, quod hi exponunt *ad gloriam & virtutem*, tanquam Terminum ultimum & medium vocationis noſtræ, proximè deſignatum per ζωὴν καὶ εὐσέβειαν, ſed & illi, *in*, vel *cum*, *gloria & virtute*, vel *per gloriam & virtutem*, h. e. glorioſiſſimam Dei virtutem externe & interne operantem, ſecundum alteram lectionem, ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ, quam & ſecutus *Vulgatus* heic habet, *propria gloria & virtute.*

Verba alia Activa magis illuſtrantur, præcipue illud ἀνιστάναι, tranſitive Patri reſuſcitanti, ſed intranſitive Filio Reſurgenti ſuo

VI. Poſt Neutra & Paſſiva Verba ſequuntur tandem ſenſu *Activa* magis. Quale eſt *Joh.* II. 19. illud *excitandi templum ſolutum*, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν, quod Chriſtum *de Templo Corporis ſui dixiſſe*, contra aliorſum torquentes Judæos monuit ipſe Euangeliſta. Quale eſt itidem illud *Joh.* X. 17. 18. *iterum aſſumendi animam*, διὰ τοῦτο ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, ὅτι ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχήν μου, ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν· οὐδεὶς αἴρει αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἐγὼ τίθημι αὐτὴν ἀπ' ἐμαυτοῦ· ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτήν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν,

αὐτὴν, ταύτην ϯ ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τ πατρός μυ. Quale tandem quadantenus eſt paſſim illud *reſurgendi*, ἀνιςάναι. Quod tranſitive quidem ſenſu *erigendi* tributum reperimus Patri cum reſpectu ad Chriſtum, in *Aoriſto Primo*, ὃν ὁ θεὸς ἀνέςησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τ θανάτυ, καθότι ὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτῦ, *Act.* II. 24. Ubi per eas quæ ſimul memorantur ὠδῖνας τ θανάτυ, quando ab hoc retineri non potuiſſe Chriſtum etiam additur, non poſſunt intelligi dolores quos à Chriſto detento paſſa quaſi ſit Mors; neque etiam dolores aliqui, quos Chriſtus morte durante ſenſerit, utpote in Paradiſo ſecundum animam conſtitutus, & ſecundum corpus in ſepulchro quieſcens; neque dolores, quos in morte inferenda ſuſtulerat, utpote ante excitationem exhauſtos; neque dolores mortis ſubeundi à fidelibus, licet hi vere per Chriſti reſurrectionem ſint ſoluti; ſed longe potius *Mortis* Chriſtum tenentis *Vincula*, quam notionem vox Græca accipit ab Hebræa חבלים *coll. Pſal.* XVIII. 5. CXVI. 3. *&c.* atque ex dolorum operatione ſolita per vincula. Item *Act.* II. 32. τῦτον τὸν Ἰησῦν ἀνέςησεν ὁ θεὸς, *Act.* III. 26. ἀναςήσας ϯ παῖδα αὐτῦ Ἰησῦν, *Act* XIII. 34. ὅτι δὲ ἀνέςησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, *Act.* XVII. 31. ἀναςήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Quin & Chriſto reſpectu fidelium, *Joh.* VI. 39. ἀναςήσω αὐτὸ ἐν ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, *verſ.* 40. κ ἀναςήσω αὐτὸν ἐγὼ ἐν ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, *verſ.* 44. 54. *&c.* unde tum eſt intranſitiva notio Formæ Paſſivæ ἀνίσταμαι. Sed quod, in *Aoriſto* potiſſimum *Secundo Activo*, intranſitive capitur de Domino noſtro *Matt.* XVII. 9. ἕως ὗ ὁ υἱὸς τ ἀνθρώπυ ἐκ νεκρῶν ἀναςῇ, *Marc.* XVI. 9 ἀναςὰς δὲ πρωΐ, *Act.* X. 41. μετὸ ἀναςῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, *Act.* XVII. 3. ὅτι ϯ Χριςὸν ἔδει παθεῖν κ ἀναςῆναι ἐκ νεκρῶν, *&c.* unde eſt idem uſus nominis ἀναςάσεως, *reſurrectionis*, Chriſto ipſi tributæ, *Act.* I. 22. II. 31. IV. 33. *&c.* Uti autem Verbum illud propriiſſime dicit Corporis proſtrati, vel decumbentis, vel ſedentis, Erectionem vel Stationem repetitam, plurimis ſic locis de Chriſto & aliis hominibus uſurpatum quoque; ita ad mortuorum projectorum vitam novam, per quam eriguntur denuo, aptiſſime transfertur, *coll. Marc.* XII. 23. 25. ἐν τῇ οὖν ἀναςάσει ὅταν ἀναςῶσι, *&c.* ὅταν γὰρ ἐκ νεκρῶν ἀναςῶσιν, *&c. Joh.* XI. 24. οἶδα ὅτι ἀναςήσεται ἐν τῇ ἀναςάσει ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, *&c.* Ex

Jure & Robore tributum paſſim.

qui-

quibus & ſimilibus locis hoc equidem manifeſtum prorſus eſt, quod Activa Verbi hujus Forma cum Nomine iſto tribuatur etiam nudis Hominibus, ſeu laxiori ſenſu Neutrali, ſeu per modum Conſequentis ad Dei vivificationem; uti & ſic communiter loquimur de *Mortuorum Reſurrectione*, & in *Symbolo* profitemur *Reſurrectionem Carnis*. Sed dubitari tamen nequit, ubi iſta de Chriſto Dei Filio uſurpantur, qui alios mortuos vivificandi poteſtatem habet *Joh.* v. 28. 29. atque actu exercuit ad omnium oculos *Marc.* v. 42. *&c.* & cui *Corporis* ſui ſoluti *Excitatio*, *Animæque Aſſumptio* nova, tribuitur palam, quin pleniorem habeant ſignificatum; dicantque adeo, non tantum *Jus Chriſti* proprium in Vitam Novam, quod nos tantum habemus per ejus meritum pleniſſimum, alias in morte manſuri; ſed & Juri huic junctam *Potentiam* ejus vere Divinam, *coll. Rom.* IV. 17. *Eph.* I. 19. 20. *&c.* qua ipſe, diſruptis vinculis devictæ mortis, in vitam ſemet ipſum reſtituit opportune. Dum hoc unice eſt ex impie negata ab ipſis Chriſti Deitate, quod doctrinam hanc Euangelicam tanquam *ridiculam*, *abſurdam*, *& impiam*, blaſphement increduli *Sociniani*; præ quibus audiendus heic à Chriſtianis veris eſt ipſe Chriſtus cum Apoſtolis ſuis.

Etiam omnino illuc ſpectante ἀναστάσει reſurrectione; prout illa memoratur & deſcribitur Rom. 1. 4. Quod aſſeritur & defenditur, cum textus illius illuſtratione neceſſaria.

VII. Enimverò uſus heic eſt Paulus de Domino noſtro, non tantum eadem voce ſignificantiſſima ἀναστάσεως, *reſurrectionis*, ſed & alia quædam ad eam adjecit, quæ in ea ad Chriſti Virtutem Propriam agnoſcendam nos evidentiſſime cogunt, in textu noto *Rom.* 1. 4. τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, quem & alias breviter illuſtravimus *EXERC. TEXT. XXXVIII. Parte I.* Ubi ἀνάστασις νεκρῶν non eſt ſane *excitatio mortuorum* aliorum à Chriſto facta, aut futura; neque *reviviſcentia mortuorum* eorundem communis; ſed *reſurrectio* Chriſti ipſius *ex mortuis*, omiſſa per Euphoniſmum repetitione Præpoſitionis *ex*, *coll. Luc.* XXIV. 46. *Act.* X. 41. XVII. 31. 32. *&c.* vel alias Reſurrectionis ſpecie per mortuorum nomen ſignificata, quæ Chriſto heic adſcribatur, hinc & dicta ἐξαναστάσει τῶν νεκρῶν *Phil.* III. 11. Neque eſt cur ſemel poſitam heic Præpoſitionem ἐκ interpretemur per μετὰ *poſt*, ut notetur tempus reſurrectionem Chriſti inſecutum, quo Chriſtus magis magisque declaratus ſit tanquam

quam Dei Filius. Dum nobis cum omni Interpretum turba magis apta heic videtur communior Præpoſitionis notio, qua idem dicit cum ἀμφὶ *per*, & nos ducit ad argumentum, docens Jeſum eſſe omnino *Filium Dei*. Nempe ut talis, modo prorſus ſingulari & eximio per veri nominis Generationem æternam & perfectiſſimam, prodit Jeſus Chriſtus Dominus noſter hic, non equidem *factus*, neque etiam *prædeſtinatus*, quod legitur apud *Vulgatum*, ſed ὁρισθεὶς, *definite notatus* apud *Coccejum*, ſeu *declaratus* apud *Bezam*, ſeu ἀποδειχθεὶς, aut ἀποδεδειγμένον, ex *Act.* 11.22. ſeu ἀποφανθεὶς, *demonſtratus*, & *manifeſtatus*, quod ex *Chryſoſtomo & Tertulliano* confert *Beza*, per illam Reſurrectionem ſuam. Quod eximium nomen ne Chriſto competere putaretur ſecundum Humanitatem, quam ex Davide traxerat ipſe & deduxerat Apoſtolus, additum eſt κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, *ſecundum Spiritum Sanctitatis*, vel *Sanctimoniæ*: potius quam *Sanctificationis*, quod habet *Vulgatus*, quod oppoſitum præmiſſo κατὰ σάρκα, *ſecundum Carnem*, nos neceſſario ducit ad ipſius Naturam alteram ſeu Divinam, cujus à Patre cum ipſo communicatæ intuitu idem unice nomen Filii Dei habet, & Pater illud Patris ipſius gerit, licet à poſteriori res hæc varie demonſtretur. Interponitur autem illud ἐν δυνάμει, *in potentia*; quod non prorſus male arctius jungere poſſes forte cum ſequentibus, *ſecundum Spiritum ſanctitatis*, q. d. in potentia illi competente ſecundum Deitatem ſuam adeoque vere Divina, quæ ſe heic exſeruit; ſed quod quo modo cum præcedentibus cohæreat, & quo ſenſu heic uſurpetur, magis videndum eſt. Nempe quia immediate ſequitur illud poſt υἱῦ θεοῦ, *Filii Dei*, hinc illuc pertinere judicant non pauci. Qui & hinc porro multi heic ſpectant ad δύναμιν *potentiam*, non realem, ſed verbalem, ſeu Vim & plenam ſignificationem Nominis illius, quæ alias ἔμφασις dici ſolet; unde & ſæpius hodie fit mentio Filii Dei in emphaſi. Uti & ſic primo loco habet *Cl. Coccejus*; *In potentia, i. e. ſecundum validiſſimam & maxime propriam hujus vocabuli ſignificationem, ut quando de ipſo dicitur ſit revera præſtantius nomen, ita ut ſit* φερώνυμον, *& non minus ſignificet unitatem naturæ, quam cum nos dicimur filii parentum noſtrorum, qui ſimilem naturam ex parentibus obtinemus, ut intelligatur eſſe*

*Patris æqualis, non ſimilitudine naturæ ſed unitate, quia Deus unus eſt. Ex quo perſpicuum eſt, eum non eſſe Filium appellativum ut Pſal.* LXXXII. 6. *ſed proprium Rom.* VIII. 32. *& unigenitum Joh.* I. 14. *Amos* VIII. 10. *Zach.* XII. 10. *ut inter ipſum & alios filios ſit maxima differentia, quanta ſcil. eſt inter Primogenitum & Creaturas Col.* I. 15. 16. Quæ omnia, quod ad rem ipſam attinet, ſunt ſatis laudabilia. Interim oppoſuimus adverſus illam δυνάμεως interpretationem quaſdam obſervationes olim, quas nondum videmus diſcuſſas. Nempe reperimus quidem, δύναμιν Potentiam ad efficaciam & vim verborum in animos auditorum notandam adhiberi apud Sacros & profanos autores; ſed an ad ſignificatus plenitudinem illa quoque referatur, dubitamus vel ignoramus. Et hoc certum eſt, quod magis propria & plena ſit *potentiæ* notio, quæ ad rem quam quæ ad nomen aliquod ſpectet, quare & illa huic eſt præferenda, ubi apte teneri poteſt, uti heic. Tum ipſum quoque nomen definiti *Filii Dei*, non minus quam mentio connexa ἀναστάσεως νεκρῶν, operis potentiſſimi & vere Divini, ad realem potentiam nos heic vocat. Adde quod vis ſeu emphaſis nominis, cum admittat varios gradus, ſic ſimpliciter nominata non dicat mox per ſe maximam emphaſin; dum certe & Angeli & Protoplaſti parentes noſtri, & Adoptati Regeneratique Fideles præ aliis hominibus Filii Dei in emphaſi dici queunt, licet non tanta quanta in Chriſto locum habet. Et quod ſi omnino velis, ἐν δυνάμει, *in potentia*, connectendum eſſe cum nomine *Filii Dei* proximo, quidni rectius heic reperias *Filium Dei in*, & *cum*, *potentia*, ſumma, h. e. potentiſſimum? quomodo per Nomen ſubſtantivum cum Præpoſitione ſolet Adjectivum alias ſatis frequenter exprimi, *coll. Exod.* XXXII. 22. *Pſal.* XXIX. 4. 1 *Cor.* II. 7. *&c.* Vel etiam, ſi δύναμιν traxeris ad ἐξουσίαν, & legas *Filii Dei in*, & *cum*, *poteſtate*, ſumma ipſi conveniente in omnia, *coll. Matt.* XXVIII. 18. *Eph.* I. 20. 21. 22. *&c.* Quæ notiones hujus vocis cum prima illa mihi vix videntur apte poſſe jungi tanquam ſimul à Paulo ſpectatæ. Cum tamen eas junxerit *Cl. Coccejus*; 2. *Cum potentia i. e. voluntate efficaci, quatenus vivificat quæ vult, & omnia operatur ſimiliter ac Pater quæ Patrem facere videt. Et ita Chriſto potentia tribuitur, Eſa.* IX.

§. XI.

5. XI. 2. *De qua δυνάμει potentia loquitur Christus Joh.* V. 19. XXI. 26. *&c.* 3. *Cum potentia, dignitate, & jure, ut sit Christus, h. e. Sacerdos, Dominus & Rex populi Dei, & Propheta verba Dei loquens &c.* Interim mihi omnino videtur, Nomen cum Præpositione longe aptius, pro usu communiore, referri ad Verbum vel Participium remotius ὁρισθέντος, *definiti*, quam ad nomen Filii Dei interpositum ordine naturali, ut sciremus qualis ille esset demonstratus ante demonstrationis modum. Nec putem, *in* illa *potentia* heic spectari rursus ad vim argumenti, quasi diceret *valide*, *efficaciter*, *irrefragabiliter*, & uti *Beza* reddidit *potenter*, (quamquam alio forte sensu, secundum *Col.* 1. 29. 2 *Thess.* 1. 11.) sed longe potius ad robur reale, quod Christus exeruit ipse, non jam in Miraculis maximis & plurimis ab ipso patratis, quorsum nos ducere huc vellent etiam *Veteres* aliqui, sed in Resurrectione sua Propria & Activa, qua se Mortis ipsius irreconciliabilis Victorem & Vitæ Dominum Potentissimum demonstravit; secundum verborum omnium in hoc textu cohærentiam olim quoque monstratam, & locum alterum 2 *Cor.* XIII. 4. ζῇ ἐκ δυνάμεως θεοῦ. Atque sic active Resurgens Christus documentum dedit invictum, se esse Dei Filium secundum Spiritum non minus quam Davidis secundum Carnem. Dum hoc quidem modo qualicunque etiam concludi forte posset ex ejus Resuscitatione Passiva à Patre facta, quatenus excisus fuerat ob falso & blasphemе scilicet sibi tributam Dei Filiationem; qui tanquam gloriæ suæ studiosissimus eum non suscitasset nisi vere se Filium Dei dixisset, & hinc id agens illum palam ut vere Filium suum proclamaverit. Sed illud Deitatis veræ argumentum vix æque demonstrativum censeri potest. Siquidem Resuscitatio illa est commune piorum omnium beneficium, & suo modo ad homines omnes extensum; nec fuit supplicii Christo illati à Romanis ad Judæorum accusationes causa unica Blasphemiæ illius prætextus, sed & simul Rebellionis alter & Regni quæsiti in Romanorum fraudem; quin tandem Deus multa permittere & agere solet mira ad hominum tentationem magis quam convictionem, *coll. Deut.* XIII. 1--3. & 2 *Thess.* II. 9. 10. 11. inter quæ & Blasphemi mortui Resuscitatio à malesanis numerari cum qualicunque specie potuisset.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Quo Reſurrectionis Chriſti Ratio Formalis breviter declaratur.*

Reſurrectionis Dominicæ breviſſima Deſcriptio.

A *Verbis & Nominibus* venimus ad *Rem* ipſam clarius diſtinctiusque tradendam, quæ per ea ſignificatur. Et hæc eſt Vitæ vere prius depoſitæ per Mortem Reaſſumptio, per novam Animæ ejus Unionem cum Corpore ſuo, & connexam Operationem omnem Vitalem & Rationalem in eo, à quo ſeparata fuerat ad tempus juſtum.

In qua Eadem Domino contigit Anima Rationalis, ſpecie & numero, quam ante mortem habuerat, mutatis tantum Qualitatibus.

II. Scilicet *Anima* vere *Humana*, atque *Eadem*, quam moriens Chriſtus emiſerat, tradiderat, & depoſuerat, commendatam in Patris Cœleſtis manus blandas, & cujus reſpectu cum ipſo fuerat Latro Converſus in Paradiſo ſecundum huic factam promiſſionem, etiam *ſpiritus*, πνεύμα, æque quam *animæ* ψυχῆς, nomine veniens, *coll Job.* x. 17. 18. *Matt.* xxvii. 50. *Marc.* xv. 37. *Luc.* xxiii. 43. 46. *Joh.* xix. 30. *&c.* rediit ad & intra corpus ſuum, huic unita denuo vinculo vere naturali non minus quam ante mortem. Dum illa ſe ipſam in corpore poſt reſurrectionem per operationes omnis generis prodidit convenientes apud ſuos. Sicuti autem dubitari nullo modo poteſt, neç dubitari etiam à quoquam deprehenditur, quin fuerit hæc Anima vere *Eadem*, tam numero quam ſpecie, abſque temere ſomnianda ſubſtantiali ulla ejus Mutatione; agnoſci ſimul debet vere ejuſdem Conſummatio major in Qualitatibus ſuis, quam immediata & plenior Dei fruitio in cœlis apud hujus thronum ei indubiè contulit, nec reditus neceſſarius in has terras ad corpus abſtulit, vel imminuit. Quamvis enim Domini noſtri Anima in morte & cœli ingreſſu non ſubierit eam Mutationem, quæ in Fidelibus eſt neceſſaria ob antecedentem eorum Imperfectionem culpabilem, in Chriſto non repertam perinde ullam; agnoſcendum tamen eſt, eandem, vere ſubjectam Imperfectionibus Naturalibus, & Miſerabilibus, quæ in his terris increverat ſapientia & gratia *Luc.* ii. 52. maxime ubi Spiritus in Baptiſmo ſuper illum viſibili forma deſcenderat *Luc.* iii. 22. ſapientiam, gloriam, & læti-

lætitiam esse nactam in cœlesti mansione, qualis & quanta ei in hisce terris ante mortem nondum contigerat. Nec poterat hæc cum ratione ab ea denuo tolli, ubi pro culpa omni Fidelium erat plenissime satisfactum, atque ad communicandam cum corpore suo gloriam promeritam ipsa descendebat.

III. Et hoc *Corpus* fuit *Humanum*, atque *Idem*, tum Specie tum Numero, cui Anima Christi descendens se junxit. Corpus dicimus *Humanum*, partibus membrisque & organis omnibus necessariis externis & internis, duris & fluidis, majoribus & minoribus, perfecte instructum. Quorsum nos ducunt operationes per eas factæ, juxta manus & pedes, quos cum latere suo contrectandos dedit discipulis suis, ut se neutiquam esse Spiritum Incorporeum probaret *Luc.* xxiv. 38. 39. *Joh.* xx. 20. 27. Corpus hinc porro dicimus *Idem Specie*, quale ante mortem habuerat. *Extensum* adeo secundum *Mensuram Humanam*, procul magnitudine aut exiguitate omni monstrosa, cujus nec ullum est in Scriptura vestigium, atque simul *Determinato spatio Præsens*, unde ab uno loco ad alium se contulit in eo Dominus, tum in Resurrectione, tum post eam, tum in Jerusalem tum extra eam Urbem & Regionem. *Visibile* adeo hominibus, ubi cum lumine necessario aderat satis propinque & absque interjecto tegumento omni apud oculos bene dispositos & hisce recte utentes; quemadmodum hinc à tam multis visus actu fuit cum attentione justa, non minus quam auditus in verbis prolatis. *Palpabile* adeo, sicuti manibus suorum se contrectandum dedit. Ad quale Corpus, tam ut receptum post Mortem, quam ut acceptum in Nativitate, referre licet textum 1 *Joh.* 1. 1. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, &c. Et adversus quale Corpus Idem Specie male adduci ejusdem Resuscitati Gesta, seu ficta, seu vera sed male intellecta, suo loco dein constabit in ipsius Historiæ tractatione textuali. Corpus dicimus etiam *Idem Numero*, quod in Vita priore ante mortem habuerat. Id enim, in sepulchro depositum, post Resurrectionem non erat illic amplius; dum qualicunque modo perditum esse præsumi vel statui nequit. Id per Signa Vulnerum in manibus pedibus & latere, ad hoc servata, ipse de-

Et perinde Idem Corpus Humanum, non modo specie, adeoque Determinatum loco, Visibile, & Palpabile, sed & numero, quod antea in morte deposuerat.

monſtravit invicte. Id fecit, ut a ſuis dignoſci poſſet, qui ſi aliud plane habuiſſe nunc quam antea, eum certo dignoſcere non potuiſſent, *coll. Matt.* XXVIII. 9. 17. *&c.* Dum cavillandum heic neutiquam eſt de *Identitate Numerica*, quaſi illa omnes particulas etiam minimas exigeret eaſdem, abſque minima additione vel ablatione; qualis certè in hoc mundo & in hominibus diverſis momentis neutiquam deprehenditur, ubi tamen de Identitate Numerica minime dubitatur.

Quod tamen magnam in Qualitatibus Mutationem certiſſime ſubiit.

IV. Interim Corporis hujus Ejuſdem *Mutationem* magnam in *Qualitatibus* ſuis agnoſcimus lubentiſſimè, non modo ab eo, quod fuerat in Morte, deſtitutum motu vitali & viribus omnibus exhauſtum, ſed & ab eo quod circumgeſtaverat vivus ipſe in terris ante Mortem. Non equidem, quod ſe res ſimiliter habuerit heic per omnia ut in Fidelibus, quorum Corpora corruptioni peccaminoſæ ſubjecta ab ea liberabuntur in beata reſurrectione; purus enim fuit Dominus noſter ab omni labe ſimili vel minima. Sed quod Imperfectiones Inculpabiles ab eo quoque ſint ablatæ, quibus antea ſubjectus fuerat, & cum Perfectionibus glorioſis permutatæ. Nullum adeo heic in Chriſti reſurgentis corpore amplius locum habuerunt Defectus, vel partium quæ per cibum & potum neceſſarium reſarcirentur & famem ſitimque inferrent, vel virium, quæ tarditatem & fatigationem parerent. Nulli heic motus amplius dolorem vel angorem excitare apti. Nulla heic amplius Corruptionis, nec adeo Mortis repetendæ, ſemina aut principia qualiacunque. Sed cogitare ex adverſo decet, Decus perfectum, Robur ſummum & conſtans, Agilitatem maximam vereque nobis in præſenti ſtatu noſtro incomprehenſibilem, & quæ plura ad τὸ σῶμα τῆς δόξης αὐτοῦ ex *Phil.* III. 21. referas, nec diſſimilia plane in Fidelibus Reſuſcitandis obtinebunt, *coll.* 1 *Cor.* XV. 42. *&c.* quin & ex Domini Reſuſcitati Geſtis agnoſci debent. Dum in adverſum objici non debent, vel diſcipulorum Intuitus facilis, vel retenta Vulnerum ſigna, vel Victus ſumptus; utpote in quibus ſpecialis Oeconomia ad Fidem & Salutem diſcipulorum eſſe agnoſcendam, ſuo loco monſtrabitur.

Utriuſque hujus Unio

V. Iſti autem Corpori ſuo iſta redux ex cœlo ad illud Anima Domini Unita fuit; ut non ſimpliciter illud aſſumpſerit

&

& varie moverit qualitercunque, inſtar Angelorum apud homines apparentium, vel uti ipſius Perſona Divina olim etiam ſe in his terris manifeſtaverat cum Anima Humana illi nondum data eſſet, adverſus cujus Præ-Exiſtentiam ante Nativitatem ex Virgine nos olim latius diſputavimus contra Reven. Præſulem *Eduardum Foulerum*, *Claudioceſtrienſem*, *EXERC. TEXT. XXXIX. Parte V.* ſed ut idem Eſſentiale Vinculum quod ante Mortem heic obtineret ad Humanæ Naturæ Conſtitutionem. Unde Operationum Humanarum Communio in his duabus ejus partibus fluxit Perfectiſſima; dum ipſe, tam per Senſus Corporeos, Externos & Internos, promptiſſimè in Anima ſua fuit affectus, quam per Linguæ, Manuumque & Pedum, externos, quin & aliarum internarum partium motus, Animæ Imperium in Corpore paratiſſimè eſt exſecutus. Ubi non eſt, ut ſcrupuloſè nimis inquiramus in Actiones Animales has & illas, quouſque illæ ſingulæ in Reſuſcitato Domini Corpore locum habuerint, nedum ut illud curioſe & leviter determinemus. Quo loco prorſus habemus, v. g. illa *Franc. Lucæ*, quæ notavimus *ad Joh.* xx. 22. *EXERC. TEXT. XXXVIII. Parte VI. non habuiſſe quidem Dominum Jeſum jam opus ad vivendum ſpiritu quem attraheret & rejiceret, quippe à reſurrectione agentem incorruptibilem vitam, ſed poteſtate reſpiraſſe, non neceſſitate, quemadmodum poteſtate manducavit licet non egeret.* Fuit utique hæc renovata Animæ & Corporis Chriſti Unio conveniens gloriæ partis utriuſque; nec duratura ad Tempus aliquod longius vel brevius, uti in hominibus nonnullis virtute Dei ab hanc vitam ſuſcitatis, qui vulgo Bis Mortui dicuntur, ſed omnino verè Æterna, depoſitâ omni Morte & Mortalitate ulteriori, cujus nulla amplius vel intra vel extra ipſum cauſa & occaſio ſuperfuit. Et hoc eſt, quod ipſe dixit Johanni *Apoc.* i. 17. 18. *ne metue, ego ſum Primus ille & Ultimus,* ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Sicuti idem Paulus ex multorum ſententia prædicavit, *Act.* xiii. 34. ὅτι δὲ ἀνέστησε αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, & ſcripſit perinde *Rom.* vi. 9. 10. εἰδότες, ὅτι Χριστὸς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν οὐκέτι ἀποθνήσκει, θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυριεύει, ὃ γὰρ ἀπέθανε τῇ ἁμαρτίᾳ ἐφάπαξ, ὃ δὲ ζῇ, ζῇ τῷ θεῷ. Dum vere

uova amplius declaratur.

vere ineptiunt, qui nullam dehinc Chriſti Mortem nobiſcum agnoſcentes, vellent non ſublatam tamen Mortalitatem, ante ulteriorem Glorificationem in Abitu ejus ab his terris. Contra quam vanam hypotheſin non male nonnulli ab ævo etiam obſervarunt, Chriſtum cum Exitu ex Sepulchro Linteamina, ad arcendam corruptionem circumjecta, ibidem reliquiſſe provide, utpote qui hiſce neutiquam opus haberet amplius.

## CAPUT TERTIUM.

### *Quo de Dominicæ Reſurrectionis Tempore agitur paulo plenius.*

Reſurrectio Chriſti ad Diem Tertium paſſim refertur in Euangelicis Prædictionibus & Narrationibus.

Ad *Tempus* Vitæ à Domino Reaſſumptæ quam maxime facit, & conſiderationem noſtram meretur, *Tertius Dies* ab ipſius Morte & Sepultura. Hunc nempe, in *Symbolo* quoque expreſſum, ut bene eum obſervaremus, in Euangelicis prædictionibus ſuis ipſe Jeſus ante mortem pluſquam ſemel deſignavit. Uti ſic legimus *Matt.* XVI. 21. Ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ πολλὰ παθεῖν ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ ἀρχιερέων, καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι. Et *Matt.* XVII. 23. καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτὸν, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθήσεται. Et *Matt.* XX. 19. καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ ἐμπαῖξαι καὶ μαστιγῶσαι καὶ σταυρῶσαι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται, &c. Quorſum an etiam referri debeat aut poſſit illud Domini noſtri *Luc.* XIII. 32. ἰδοὺ ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ ἰάσεις ἐπιτελῶ σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι, non immerito dubites. Dum certius idem deſignavit ille per aliam phraſin *Joh.* II. 19. λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτὸν, atque *Matt.* XII. 40. *ſicut Jonas erat in ventre ceti tres dies & tres noctes, ita erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes*; neque enim redivivus manſit in ſepulchro, neque mortuus ex eo prodiit. Atque ſic declaravit illud μικρὸν, ſeu *paululum*, quo diſcipuli eum *non viderent Joh.* XVI. 16. Inde vero eſt, quod Pontifices & Phariſæi ipſi dixerunt ad Pilatum *Matt.* XXVII. 63. 64. Κύριε, ἐμνήσθημεν ὅτι ἐκεῖνος ὁ πλάνος εἶ-

πεν

πεν ἔτι ζῶν, μὴ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι, κέλευσον οὖν ἀσφαλισθῆναι τὸ τάφον ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας, μήποτε ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς, κλέψωσιν αὐτὸν, καὶ εἴπωσι τῷ λαῷ, ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν &c. Sicuti & Angeli ad Mulieres dixerunt *Luc.* XXIV. 6. 7. *mementote quomodo locutus ſit vobis cum adhuc eſſet in Galilæa dicens*, ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδοθῆναι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων ἁμαρτωλῶν, καὶ σταυρωθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστῆναι. Atque hinc adaucta fuit etiam Emmaunticorum anxietas *Luc.* XXIV. 21. ἀλλά γε σὺν πᾶσι τούτοις, τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον ἀφ' οὗ ταῦτα ἐγένετο. Dum & Dominus ipſe hoc reſuſcitatus repetiit apud Diſcipulos *Luc.* XXIV. 46. ὅτι οὕτω γέγραπται, καὶ οὕτως ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Ubi an in *Tertio Die* quoque ſpectaverit ad Prophetias veteres, erit alio dein loco rectius inquirendum. Quod autem ſecundum Chriſti prædictionem infallibilem fuerit heic eventus, inculcavit Petrus *Act.* X. 40. τοῦτον ὁ Θεὸς ἤγειρε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, & Paulus 1 *Cor.* XV. 4. καὶ ὅτι ἐτάφη, καὶ ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, κατὰ τὰς γραφάς. Quod non quidem iis verbis notarunt Euangeliſtæ, ſed plane tamen ſignificarunt hi quoque per deſignationem Primi Diei à Sabbato Judaico, & per illud Cleopæ, τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον.

II. Ex omnibus iſtis inter ſe collatis clarius eſt meridiana luce, heic intelligi *Diem Tertium* elapſum non poſſe, ſed inchoatum & labentem debere, ducente huc & phraſi altera ἐν τρισὶν ἡμέραις. Unde neceſſarium eſt prorſus, illud Hoſtium μὴ τρεῖς ἡμέρας, ſi non perverſum fuerit ab iis ſtudio vel caſu, æque intelligendum eſſe Synecdochice quam *trium dierum & trium noctium* mentio ab ipſo Domino facta *Matt.* XII. 40. qui ſic ad dies totidem & noctes ſpectavit, non diviſos ſed conjunctos & ſimul νυχθήμερον conſtituentes, uti & Petrus in *novis cœlis & nova terra* conjunctim ad novum mundum 2 *Pet.* III. 13. ὠφελιμαίως & συνεκδοχικῶς, dixit *Voſſius*. Cæteroquin quarto potius quam tertio die reſurrexiſſe dicendus eſſet Dominus. Et ſunt porro nimis conquiſita omnia, quæ à Viris Doctis dudum ſunt allata; vel de tribus diebus mortis & ſepulturæ inchoandis ab Angore Gethſemanitano & terminandis in Apparitione Chriſti Veſpertina; vel de Meridiana Solis Obſcuratione habenda pro Nocte, quæ unum Diem in

Quod quo ſenſu ſit intelligendum, negative & poſitive oſtenditur.

duos diviſerit adeo; vel de accelerata ultra promiſſum Reſurrectione, de qua poſt alia cogitavit *Iſidorus Peluſ. Lib. I. Epiſt.* 114. ut alia forte plura ſimilia mittam. Dum Reſurrectio Chriſti, æque quam ejuſdem Mors, heic proprie eſt intelligenda, uti contigit alto mane Diei Primi Septimanæ; neque vel ex uno Die facere duos, aut Meridiem obſcurum in Noctem pro arbitrio noſtro convertere, licet. Hoc autem omnino etiam obſervandum eſt, quod in *Tertii Diei* mentione numerus iſte comprehendat certiſſime Terminum à quo; ut ille Dies, quo Chriſtus licet ſatis ſero Mortuus eſt, habeatur adeo pro Primo, & inſequens poſt exiguum temporis ſpatium pro Secundo; uti illud conſuetudini tam Hebræorum quam Romanorum & aliorum populorum etiam quam maxime convenit.

Ratio ejus Spatii Mortis durantis varia additur.

III. Iſtius porro Tertii Dei, in Reſurrectione Chriſti aptiſſimè obſervati, Rationes dederunt dudum Theologi juſtas. Quas heic non repetimus ex Vaticiniis aut Typis qualibuscunque Veteribus; ubi perinde inquiri ſcilicet poſſet de Ratione Diei Tertii præ Secundo vel Quarto vel aliis determinati. Sed partim repetuntur illæ rectius à Diſcipulorum uſu, quibus & nos ipſi poſſumus jungi, partim à Chriſti gloria. Nempe Diſcipuli erant probandi, an fide conſtanti eſſent Domino adhæſuri poſt ejus mortem, ad quod Tertius Dies erat fere neceſſarius tanquam perfectioris numeri; ſed non vexandi nimium, ne per longiorem moram Mortis Dominicæ in Infidelitatem ducerentur. Et quod ad Chriſtum attinet, debebat & poterat ſic per triduum conſtare, quod vere Mortuus ipſe fuiſſet; & quod tamen Corruptionem nullam ſubiiſſet, quam à quarto die præ tertio repetere ſolent, etiam per illa quæ de Lazaro leguntur dicta a Martha *Joh.* XI. 39. Κύριε, ἤδη ὄζει, τεταρταῖος γάρ ἐστι.

Idem Tertius Dies dictus Unus Sabbatorum.

IV. Qui erat *Dies* à Morte & Sepultura Dominica Tertius, idem heic fuit *Septimanæ Primus*, uti appellatur μία σαββάτων, vel τῶν σαββάτων, *Matt.* XXVIII. 1. *Marc.* XVI. 2. *Luc.* XXIV. 1. *Joh.* XX. 1. *coll. Act.* XX. 7. 1 *Cor.* XVI. 2. ſic relata ad Mulierum facta, ut omnino per nexum rerum ſimul pertineat ad Chriſti Reſtitutionem ex Morte. Ubi in voce σαββάτων urget præ aliis *Ill. Scaliger Lib. VI. de Emend. Temp.*

quod

quod *usus pravus loquendi veram normam depravaverit. Nam* σαββατῶν, inquit, *prius dicebatur ex Hebraico* שבתון. *Et non dubium est, quin vetustissimi Judæi* ἑλληνιζαὶ *dixerint* μία σαββατῶν, *pro quo posteriores maluerunt,* μία σαββάτων, *non bene. Et meo judicio in Actis* XIV. 14. τῇ ἡμέρᾳ σαββατῶν *melius legitur quam* σαββάτων. *Tamen vetustissimus est error. Nam in Epistola Samaritarum ad Antiochum legitur,* τὴ καθ' τοῖς Ἰουδαίοις λεγομένην σαββάτων ἡμέραν. *Inde Josephus Lib. XII.* εἰσελθὼν τοῖς σαββάτοις εἰς τὴν πόλιν. *Et Lib. III.* τὴν ἑβδόμην ἡμέραν, ἥτις σάββατα καλεῖται. *Quemadmodum pro* κεδρῶν *dixerunt* χειμαῤῥον τῶν κέδρων, *&c.* Quæ disputatio, ad modum antiquissimæ pronunciationis spectans, vix est magni ponderis, dum usus recentior constat, secundum quem & Articulus τῶν pluralis accedit tanquam indicium Genitivi Casus *Luc.* XXIV. 1. *&c.* & legitur in Dativo τοῖς σάββασι *Matt.* XII. 1. 5. 10. 11. 12. *&c.* atque in Accusativo ἐπὶ σάββατα τρία *Act.* XVII. *&c.* Optime etiam monuit ad ista *Erasmus Schmidius; licet forte non appareat ratio, cur* τῶν σαββάτων *in plurali sit dicendum, sive de ipso Die Sabbathi sive de tota septimana sit sermo, usum tamen pro ratione esse, &c. non ergo satis causæ esse, cur pro* σαββάτων, *aut* τῶν σαββάτων, σαββατῶν *substituere velimus, licet in uno & altero loco non incommode fieret, præsertim cum consensus omnium Codicum repugnet.* Qui & idem ad Dativum σάββασι observavit, ita scriptum esse *per* μεταπλασμὸν *pro* σαββάτοις, *tanquam* à *Recto* τὸ σάββας.

V. Enimvero nomen singulare σαββάτου *Sabbati*, & plurale similiter σαββάτων, *Sabbatorum*, excellentiæ causa forte adhibitum loco singularis *Matt.* XII. 1. *&c.* ex origine sua à שבת directe nos ducit ad Septimanæ Diem Ultimum, Sanctæ *Quieti* olim à Deo datum. Quæ notio heic commode satis retineri posset, si *Prima Sabbatorum* tantundem diceret quam *Prima a Sabbato* absoluto, (quod inter alios vult *Joh. Mich. Dilherrus*, ita ut *hujus denominationis imitatione pro Die Lunæ possemus dicere Prima Dominicæ, &c.*) vel *Prima ante Sabbatum*, licet & Sexta ante hoc dici potuisset. Sed constare prorsus videtur, nomen *Sabbati* & *Sabbatorum* etiam in Novo Test. dicere Septimanam totam, *coll. Luc.* XVIII. 12. νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, *&c.* Quod ad Synecdoches speciem

Quæ appellatio quo sensu capiatur optime, ostenditur, respectu Sabbatorum.

quandam non male refertur; qualem ſed oppoſitam obſervant etiam in nomine ἑβδομάδ@ poſito pro Die Sabbatico ſeu Septimo, 2 *Macc.* VI. 11. Etiamſi heic etiam cogitari non prorſus inepte poſſet, de ſpectata vel ſpectanda notione שבוע vel שבעה per quam *Hebdomas* ſeu *Septimana* ab Hebræis deſignari ſolet; quo magis *y* in fine vocis in Tau Græcorum etiam alias converti creditur, uti in אלישבע / ἐλισάβετ, *coll. Exod.* VI. 23. & *Luc.* I. 5. Atque hinc forte fluxit *Lactantii* error notus *Inſtit. Lib. VII. Cap.* 14. Sabbatum nomen accepiſſe à Numero Septenario. Quod *mirum non eſſe*, ſcripſit etiam *Joh. Seldenus*, addens, *hinc factum ut Gentiles, quorum in linguas Sabbati hæc notio per Judæorum ſive conſuetudinem ſive Libros Helleniſticos irrepſerat, Diem quemlibet in ordine Hebdomadico vocarent* ἡμέραν τ σαββατικήν, *diem Sabbaticum, perinde ac ſi ſignificaſſet vi vocabuli Diem Hebdomadicum.* Dum heic legimus apud *Theophylactum in Matt.* XXVIII. *& in Marc.* XVI. σάββατα μὲν γὰ ἔλεγον τὰς ἡμέρας τ ἑβδομάδ@, μίαν δὲ τ πρώτην, ὥσε εἶναι τ κυριακὴν μίαν τ σαββάτων, τετέσι πρώτην τ ἡμερῶν τ ἑβδομάδ@, ὡς γὰ τ πρώτην εὐθὺς ἡ δευτέρα λέγεται, εἶτα ἡ τρίτη, ἡ ἑξῆς αἱ λοιπαὶ. Quod ita accepit *Eraſm. Schimidius*, quaſi ſinguli Septimanæ Dies etiam nomen *Sabbati* habuiſſent. Hinc ſcribens porro; *Sicut & Chriſtianis hodie adhuc uſitatum eſt, ut omnes Dies Septimanæ appellent Ferias, non omnibus ferientur, ſed in honorem Septimanæ Paſchalis, quæ in Primitiva Eccleſia, præſertim Antiochiæ, tota feriata fuit. Simili quippe ſenſu haud dubie Judæi omnes Dies Septimanæ in honorem Septimanæ Paſchalis, cujus Dies feriati erant & ἄζυμοι, Sabbata appellaverunt.* Quod multo incertius, & longius omnino quæſitum videtur. Interim & *Joh. Vorſtius Lib. I. de Hebr. N. Teſt. Cap.* 2. notavit, *eſſe ubi Sabbatum*, quod pro Septimo Die poſuerit ipſe *Suetonius in Tiberio, quemvis Diem ſignificat, & voci Dies* ἰσοδύναμον *eſt*, laudato illo *Juvenalis Sat. VI. Obſervant ubi feſta mero pede Sabbata reges.* Atque originem illam appellationis *Feriarum* in Eccleſia Romana ipſe inculcavit *Ill. Scaliger Lib. I. de Emend. Temp.*

Dum Unus heic ceſſiſſi

VI. Sabbatorum utique ſeu Septimanarum fuit *Dies* hæc, (quod nomen manifeſte heic ſubintelligitur, ſed & *Joh.* XX. 19.

&

& alibi expreſſum eſt, *coll. Act.* XVI. 13.) μία. Quæ vox, communiter *unam* dicens, heic illum ſenſum non admittit commode; quando ſic non haberet in ſe ullam temporis definitionem, quam tamen per hanc voculam conſtanter adhibitam nobis dare voluerunt Euangeliſtæ. Notat ergo heic *primam* Septimanæ, uti & *Marcus Cap.* XVI. 9. ſubſtituit πρώτῃ σαββάτου. Cujus Euangeliſtæ narrationem non demum inde incipere, prioribus omnibus νοθεύσεως poſtulatis, quod de iis quæ a *Verſu* 9. ſequuntur temere voluiſſe alios obſervavit *Voſſius*, imo de tota hac Reſurrectionis hiſtoria voluiſſe quoſdam propter ἄσπονδον πόλεμον cum *Matthæo*, optime inter alios monuit *Grotius*, defectum in Codicibus quibuſdam exſcriptoribus potius tribuens. Dum *Joſephus Ant. Lib. I. Cap.* 2. eundem uſum τῆ μιᾶς apud Moſen in hiſtoria creationis animadvertit; ἡ μὲν οὖν πρώτη ἡμέρα, μοναδικὴν δὲ αὐτὴν μίαν εἶπε. Et hunc uſum *Numeri Cardinalis pro Ordinali*, quem etiam reperimus *Gen.* II. 11. VIII. 5. 13. *Hag.* I. 1. *Tit.* III. 10. *Apoc.* VI. 1. *&c.* dicunt aliqui ex Hebraiſmo repetendum; dum alii apud Græcos eundem perinde obtinere monent. Inter quos *Doct. Schmidius*; *Quid dico, Hebraiſmo? immo etiam Doctiſſimi Græcorum ita loquuti ſunt, Hebraiſmorum ignari juxta cum ignariſſimis. Is enim Iliad.* π. *ubi de quinque ducibus navium Achillis loquitur, quarum quælibet claſſis habebat decem naves, ita habet verſ.* 173. τῆ μὲν ἵης σιχὲς ἦρχε μενέσθιος, *ubi* ἵης *quod Jonice pro* μιᾶς *per* ἀφαίρεσιν *ponitur, ab* ἷος, ἵα, ἷον, *Genit.* ἵυ, ἵας, *vel* ἵης, *&c. pro* πρώτης *accipi apud Interpretes in confeſſo eſt, quandoquidem mox ſequitur, verſ.* 179. τῆ δ' ἑτέρης, i. τῆ δευτέρας, *&* verſ. 193. τῆ δὲ τείτης, *&* verſ. 196. τῆ δὲ τετάρτης, *&* verſ. 197. πέμπτης δὲ, *ubi manifeſto Ordinalium ſignificatio patet. Et Euripides Bachis verſ.* 680. ἑνὸς μὲν, *pro* πρώτου, αὐτονόη, ᾗ δὲ δεύτερον μήτηρ ἀγαυὴ σή, τείτου δὲ Ἰνὼ χορῶ. *Concedemus ergo lubenter, Hebræis hoc uſitatum eſſe, ut unum pro primo dicant. Interim negamus, textum Sacrum Novi Teſt. hic Hebraizare; quod tamen in hac phraſi concedere vellemus, niſi per Hebraizare intelligerent Helleniſticum h. e. non pure Græcum eſſe, quum & Homerus ita loquatur.* Quem in modum fere cum diſputaſſet etiam *Joh. Ericus Oſtermannus in Poſit. Philol. fruſtra eſſe, qui* μιᾶς *vocem pro* πρώτης, *Unum*

me ponitur pro Primus.

*pro Primo, ex Hebræorum conſuetudine, atque contra Græci Idiomatis indolem ac uſum poſitum putant*, reprehenſis & *Joſephi* adductis verbis; iterum ſe oppoſuit *Joh. Vorſtius*, & pro ſe laudavit, tum *Joſephum* & *Theophylactum*, tum novam ſignificationem vocibus Græcis ſæpiſſime alias tributam exemplo Hebræarum vocum à Scriptoribus Novi Teſt. Addens amplius; *An vero credibile eſt, Virum Doctiſſimum poſſe talia aliorum quoque Scriptorum verba proferre, in quibus μία ſignificet primam? &c.* Nec admittens huc referri illud *Ciceronis*, de *Uno & Octogeſimo anno*, aut *Taciti* alterum, *una & viceſimæ legionis*, aut alia ſimilia.

Ejus electi præ aliis Diebus Septimanæ Ratio varia additur.

VII. Et hujus Primi Septimanæ Diei (qui & poſt finitam hebdomadem priorem ut octavus ſpectari ſolet à multis, collata Circumciſione tum inſtituenda olim, quin & Templo Octachoro & Fonte ejus Octageno apud *Ambroſium*,) in Reſurrectione obſervati rationes dare ſolent Interpretes. Non jam dicam, quod hic eſſet Tertius à Morte & Sepultura, quando ratio exigi poſſet ſimul & magis, cur in Die Sexto Mortem ſubierit; quæ tamen & inveniri poſſet forte veriſimilis, ſi id nunc ageremus. Neque ad Vaticinia aut Typos, ſtrictius dictos vel latius, recurrendi heic eſt locus. Sed futura nunc aderat Creatio Nova; non jam Hominum ſingularium, qualis antea dudum obtinuerat in ſalvandis omnibus; ſed Mundi totius, novam plane accepturi faciem, cujus fundamentum in Chriſti Reſurrectione ponebatur. Initium hoc idem erat Novi & Melioris Temporis; ſicuti Dies Primus eſt à quo incipit Septimana. Et in hoc initio ſatis tenebricoſo oriri ex ſepulchro conveniebat Lumen illud magnum, quod in mundum veniens illuminaret latè orbem totum, longe magis & melius quam Lux primigenia in rerum omnium initio Moſaico. Et quæ ſunt ſimilia forte plura. Ad quorum collationem etiam adferre licet illa *Juſtini Martyris in Apol. II.* Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶ ἡμέρα ἐν ᾗ ὁ θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε, καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη· τῇ γὰρ πρὸ τῆς κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτὸν, καὶ τῇ μετὰ τὴν κρονικὴν ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς ἐδίδαξε ταῦτα &c.

VIII.

VIII. Dies porro iſte Tertius à Morte, & Primus Septimanæ, ſimul erat *Alter à Sabbato* Judaico & *Paſchate* ipſorum, quod hic conjunctim venit ſub nomine μεγάλης τ̃ς ἡμέρας ἐκείνης τ̃ σαββάτου *Joh.* XIX. 31. Qua in re Dominus noſter tunc reſurgens, uti expreſſe notatum à *Matthæo* & *Marco*, haud obſcure Ceremoniarum veterum finem adeſſe in ipſius præſentis nova gloria ſignificabat; quin etiam permutationem Sanctificandi ad ejus honorem Diei Septimanæ, qui nunc porro non amplius foret Septimus ſeu Ultimus, ſed Primus ex adverſo, hinc etiam dictus manifeſte *Dominicus*, non tantum in Eccleſia Primæva, per ea quæ leguntur in *Ignatianis*, *Clementinis*, apud *Dionyſium* item, *Tertullianum*, *Origenem*, *&c.* ſed & in ipſa S. Scriptura *Apoc.* I. 10. Quæ appellatio, alteri cuicunque diei ſpeciali minus conveniens, nec ſimiliter tributa, (ob quas rationes de *Menſis ejuſdem Die eodem* Annuo per Paſcha Chriſtianum deſignari ſolito minus apte heic etiam *Voſſius* cogitavit,) cur heic minus emphatice capi debeat, quam ubi legimus de *Cœna Dominica* 1 *Cor.* XI. 20. vel etiam de *Nocte Domini Exod.* XII. 42. nulla equidem eſt ratio; ut omnino cogitandum ſit de ejus ſpeciali Deſtinatione Dominica ad ſolennem Cultum ſuum, non ſine promiſſo Gratiæ ſingularis à ſe præſtandæ, qualis & Diſcipulis congregatis contigit ante Pentecoſten plus quam ſemel & in Pentecoſte, quin & Johanni facta in Spiritu cum Prophetico auditu ac viſu ſingulariſſimo. De *agitando manipulo primitiarum* העמר הנפה nihil adhuc dicimus ex *Lev.* XXIII. 10. 11.

Fuit idem Alter à Sabbato Judaico, & Paſchate, & quidem aptiſſime.

IX. Addamus & hoc, quod ex præcedentibus prorſus conſtat, fuiſſe *Diem* Reſurrectionis Dominicæ *Vernalem*, menſis ſcilicet Niſan ſeu Abhib, ultra medium impleti, quo Paſcha nempe annuum ordinaverat Deus ipſe in gente ſua obſervandum. Atque hoc tempus Reſurrectionis Dominicæ nos monere aptum erat, cum de Incremento Chriſti reſuſcitati ſimul & Luminis ejus glorioſo, inſtar herbarum & fruticum ex terra tum prodeuntium læte poſt hybernas cœli ſolique injurias, *coll. Joh.* XII. 24. *Jeſ.* XXVI. 19. *Cant.* II. 11. 12. 13. *&c.* tum de plene impetrata Liberatione à percuſſione promerita, & Evaſione ex dura ſervitute certo ſecutura, ad Domini ipſius dimiſſionem ex morte juſtiſſimam; tum &, denique

Fuit & idem hinc Vernalis Menſis ultra medium impleti, cum hujus ratione.

que de temporis novi læto progreſſu in plenam æſtatem, qualis poſt æquinoctium in mundo obſervatur.

Reſurrexit eo die Dominus Altiſſimo Mane, cùm adhuc tenebræ eſſent ſecundum Johannem, valde diluculo ſecundum Lucam, cum tranſiiſſet Sabbatum apud Marcum, & oriente ſole &c. quæ phraſes Euangeliſtarum conferuntur.

X. De Die cum ſufficiant iſta quæ diximus, nunc & *Diei Pars* ſpectanda eſt ſpecialius, quam ad Reſurrectionem ſuam Chriſtus cum Patre elegit. Et quam æque ac Diem ipſum ſignificarunt nobis Euangeliſtæ per ea quæ de Mulieribus directe ipſi nobis narrarunt, & quæ ſpectant ad *Altiſſimum* vel *Profundiſſimum Mane*; quo ergo & Chriſtus certiſſime reſurrexit, ſecundum id quod *Marcus* magis explicite ſcripſit, ad Apparitionem ſolam à Veteribus multis perperam tractum, *Cap.* XVI. 9. ἀναστὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτου, & quod de Jeſu à Mulieribus & Diſcipulis non reperto amplius in ſepulchro ſed annunciato ab Angelis, quin & Jeſu vivo ab his tum jam viſo, exſtat apud Euangeliſtas *Matt.* XXVIII. 6. 9. *Joh.* XX. 6. 8. 18. *&c.* Dum vero illud πρωῒ, per *mane* redditum à *Beza* æque quam *Vulgato*, neque ſine ratione generalius exponendum per *intempeſtive*, *præmature*, *ante tempus conſtitutum*, aut decens, & ſolitum, videri queat paulo latioris ſignificatus, unde & additum reperitur λίαν *valde Marc.* XVI. 2. (licet id *non extare in vetuſtiſſimo Codice ſuo, & certe repugnare ei quod mox ſubjicitur de ſolis ortu, & fortaſſis adjectum eſſe ab iis qui putarunt Marcum hanc hiſtoriam ut alios Euangeliſtas contexuiſſe*, velit *Beza*,) quin & alias ἔννυχον λίαν *Marc.* I. 35. certiſſime tamen heic ducimur magis ad nocturnum quam ad diurnum mane; quorſum & ſpectat illud, ſi non *Matt.* XX. 1. ἅμα πρωῒ, utique illa Vigiliarum Nocturnarum diſtributio in ὀψὲ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνίαν, & πρωῒ, *Marc.* XIII. 35. In quam rem conferendæ Euangeliſtarum phraſes apud mulierum egreſſum adhibitæ. Convenit ſane heic cum illo *Marci* λίαν πρωῒ, *valde mane*, illud *Johannis*, πρωῒ, σκοτίας ἔτι οὔσης, *mane, quum adhuc tenebræ eſſent*, non adeo plenæ, quales nocte concubia eſſe ſolent, ſed aliquæ reliquæ & nondum cum plena luce mutatæ, quales aurora nobis exhibet. Quin etiam illud *Lucæ*, ὄρθρου βαθέως, *valde diluculo*, ſecundum *Vulgatum*, vel *profundo diluculo* (non jam prorſum quod aliqui voluere, ſed retrorſum potius,) apud *Bezam*, qui in *Notis* heic prolixior eſt; *Id eſt, ut inquit Marcus, valde mane, ſive, ut ait Joannes, quum adhuc tenebræ eſſent, i. e. quum vixdum adhuc inciperet luceſce-*

*ceſcere. Dividitur enim Crepuſculum Matutinum à Græcis in multas partes. Nam* ὄρθρον *proprie vocant primum diluculi punctum, unde gallus dicitur* ὀρθροβόας *quod lucem annunciet primo ſtatim diluculo. Huic ſuccedit* τὸ ἀνεφυγὲς, *quum dubia jam lux eſt, quam excipit Aurora. Totum autem crepuſculum Matutinum vocant* δείλην πρωΐαν, *& interdum quoque* ὄρθρον; *quamobrem Lucas addidit* βαθέως, *ut primam diluculi partem apertius declararet. Sed & Marcus quum dixiſſet* πρωΐ, *quo vocabulo declaratur non modo crepuſculum totum matutinum, ſed etiam prima Diei pars, addidit* λίαν, *i. valde. Sicut Homerus Iliad.* σ. *quum extremam partem crepuſculi deſcribens uſus eſſet vocabulo* πρωΐ, *ſubjunxit* ὑπ' ἠοῖ, *ut planius loqueretur. Recte ergo Joannes dixit,* σκοτίας ἔτι ὔσης, *neque ab aliis Euangeliſtis diſſentit. Loquitur enim non de noctis ipſius parte ſed vix adhuc luceſcente Die.* Aliud tunc tamen adhuc addens ad Euangeliorum conciliationem etiam minime ineptum; *Et tempus hic quoque notatur, non quo ad ipſum ſepulchrum pervenerunt, ſed quo ex Urbe profectæ ſunt ut eo venirent. Quamobrem etiam* ἦλθον *converti, iverunt, ſic enim ſæpe accipitur* ἔρχεσθαι *pro* ἰέναι *&* πορεύεσθαι. Nec diſſentit *Marcus* à ſe ipſo, ubi cum illo λίαν πρωΐ τῇ μιᾷ σαββάτων conjunxit, tum præmiſſum διαγενομένου τοῦ σαββάτου, *cum tranſiſſet Sabbatum* apud *Vulgatum*, vel *exacto intercedente Sabbato*, ſecundum *Bezam &c.* tum ſequens, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *orto jam ſole* apud *Vulgatum*, quaſi additum fuiſſet ἤδη, vel ἔτι, (quod & ad alium novum Adventum Mulierum Veteres & Pontificii nonnulli traxerunt, ſed optime per *adhuc*, vel *ſimul ac*, vel *tantum quod*, vel *ſtatim atque*, exponi poſſe obſervavit *Caſaubonus*,) *exorto ſole* apud *Bezam*, qui mallet legere heic, οὐκέτι ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, vel certe ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου, uti & in *Vetuſtiſſimo Codice* ſic repererat. Utique cum Dies numerarent Hebræi à Veſpera in Veſperam, neque adeo intelligo ſatis id quod *ad Joh.* xx. 1. ſcripſit *Cl. Coccejus*, & ſecutus eſt *Cl. Heideggerus in Corp. Theol. à mane ad mane Hebræi dies computabant, licet Sabbata & Feſta inchoarent a Veſpere*, certiſſime Diluculo primo Sabbatum Judaicum cum ejus Quiete neceſſaria tum tranſierat ad finem perductum. Quod ſi tamen illa phraſi velis innui immediate illud elapſum eſſe, nec interventum plurimarum noctis horarum per illam

poſſe admitti; notandum eſt, illam non connecti directe cum Mulierum Itione ad Sepulchrum, ſed cum Aromatum Emptione, quæ mane illuc ituræ adhiberent ad Chriſti unctionem; καὶ διαγενομένης τοῦ σαββάτου ἠγόρασαν ἀρώματα ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν. Prout Emptionem illam longe veriſimilius nobis eſt factam eſſe Veſpera inchoante diem Primum Septimanæ, ſimul ac per finitum Sabbatum ea ſecundum antiquam obſervationem ipſius *Auguſtini Lib. III. de Conſ. Euang.* liceret, Præparatione per noctis progreſſum mox inſecuta; quam profundiſſimo demum mane Diei Primi, quod per λίαν πρωΐ apud Adventum ad Sepulchrum demum jungitur; vel etiam quam ante Sabbatum inchoatum in exitu Diei Sexti, unde ἠγόρασαν ἀρώματα ſit vertendum cum *Beza* in plus quam perfecto, *emerant aromata*. Quorſum ducere quidem putatur *Lucas Cap.* XXIII. 56. ὑποστρέψασαι δὲ ἡτοίμασαν ἀρώματα καὶ μύρα, καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν. Sed minus certò nos ducit, quando illis quidem reverſis à ſepulchro tribuitur illic *paratio aromatum*, ſed non neceſſario ſtatim & immediate, verum æque & magis commode poſt Sabbaticam quietem, quam ante eam; quam ſecutam eſſe demum poſt parationem æque quam emptionem aromatum nuſquam dixit ſane *Lucas*, per additionem verborum illorum, καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν, id avertens, ne ipſo Sabbato, vel continuaſſe ſi quoque modo per emptionem forte incepiſſent prius, vel alias incepiſſe parationem aromatum crederentur prorſus. Unde minus heic placet annotatio *Bezæ*; ἠγόρασαν *cum Tremellio noſtro verti per præteritum plus quam perfectum, ne quis exacto demum Sabbato empta fuiſſe hæc aromata exiſtimet, Luca repugnante Luc.* XXIII. 56. *neque id ferente temporis circumſtantia, niſi ipſa nocte quæ primum diem hebdomadis inchoabat emta fuiſſe hæc aromata dicamus, quum primo diluculo mulieres ſint urbe egreſſæ.* Quaſi in noctis veſpertino initio & progreſſu non potuiſſet fieri, quod ea exeunte non fuit factum adeo probabiliter. Dum ex adverſo optime ſcripſit noſter *de Dieu*, quatenus ad factum Mulierum, ſed non ad ὀψὲ σαββάτων, ſpectat; *Exiſtimamus itaque feminas ipſa veſpera Sabbati, quum ex more Judæorum Primus Dies Septimanæ initium caperet, accinxiſſe ſe ad iter ſepulchrum verſus, in eo itinere emiſſe aroma-*

*ta,*

*ta, exiiſſe urbe, tota nocte hæſiſſe in ſuburbio, inde excurriſſe Mariam σκοτίας ἔτι ὄσης, reliquas deinde ad ſepulchrum veniſſe ὄρθρε βαθέως &c.* Et quod porro attinet ad alteram *Marci* phraſin, *ἀνατείλαντος τ ἡλίε*, conſtat ſatis; quam varius ſit ſæpe Aoriſti uſus apud Græcos, ut hinc tempus certum ſemper determinari vix queat, obſervante & hoc *Dilherro*; quam varii ſimul ſint gradus ortus ſolaris, ſecundum quos is ut præteritus aut præſens queat ſpectari, uti ſic *Doct. Caſaubonus Exerc. XVI.* laudato *Balſamone*, & *Euthymio*, cum *Libris Aſtronomorum*, vult *ἀνατέλλειν non intelligendum eſſe de ortu ſupra horizontem, ſed de media nocte ſuperata, cum jam incipiunt ſidera aſcendere & jubar aliquod mittere, etiam prius quam ſupra horizontem aſcenderint*, imitante eum *Dilherro*; & quantum denique differat Iter ſuſceptum à mulieribus ad ſepulcrum, moram exigens notabilem, ab Adventu ad hoc ipſum. Quod cum alia adhuc ſolutione junxit *Beza*; *Apparet ex Euangeliſtarum conjunctione, neque ſolas iſtas tres Mulieres, quamvis aliarum duces fuiſſe videantur, ad ſepulchrum veniſſe, ac neque ſimul veniſſe neque etiam pariter inde revertiſſe, quam tamen narrationem Marcus ut & alias aliquot ſicuti mox dicemus ſimul ita contexuit quaſi eodem momento iſta contigiſſent. Deinde alios Euangeliſtas dicu Profectionis, Marcum vero Adventus ad ipſum Sepulchrum tempus notare. Profectas igitur domo fuiſſe apparet vix apparente diluculo, nempe ut ipſarum ex urbe egreſſio facile obſervari non poſſet, &, ut in tanto periculo fieri ſolet, ſubſtitiſſe dum aliæ alias expectant, & de lapide præſertim avolvendo conſilium capiunt, ut ſub ortum ſolis demum propius acceſſerint &c.* Dum aliud adhuc reperio apud *Cl. Roſſallum* noſtrum, de ſubintelligenda heic Præpoſitione non ἐξ, vel ἀπὸ, ſed πρὸ, *ante*, quæ etiam in τῷ πρωῒ queat videri contenta, ut ſenſus ſit, *antequam ſol ortus eſſet*; quod ille non immerito *timide propoſuit*, propter λίαν πρωῒ arctius longe connexum cum τ μιᾶς σαββάτων, ſive Genitivum hunc regat Adverbium illud inſtar Nominis, ut *mane* apud Latinos, ſive Præpoſitio intelligatur πρὸ, *ante*, pro notatione Diei Naturalis vel Artificialis.

XI. Non diſſentit tandem ab Euangeliſtis reliquis in temporis determinatione heic *Matthæus*, habens, ὀψὲ σαββάτων, Explicatur id quod Matthæus

habet ὀψὲ σαββάτων. τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *veſpere autem Sabbati quæ luceſcit in prima Sabbati* apud *Vulgatum* cum *Syro*, obſcurius paulo, *extremo autem Sabbato quum luceſceret in primum diem hebdomadis*, nec ſatis clare apud *Bezam*, *&c.* de quorum verborum difficili intellectu conqueruntur multi, tam quoad repetitum nomen plurale *Sabbatorum*, quam quoad præmiſſum ὀψέ & interpoſitum ἐπιφωσκούσῃ. Quod primo ad *Sabbata* attinet, ubi de μίᾳ, *una*, h. e. prima, illorum agitur, jam ſupra vidimus per illa uno ſeu alio modo deſignari Septimanam totam dierum, cujus primus dies illam inchoat. Qui idem Septimanæ ſenſus etiam apud ὀψέ retinetur à nonnullis, ut phraſios membrum unum & alterum enunciationis hujus tanto magis cohæreat. Dum alii heic potius reperiunt ipſum *Sabbatum*, quo Dominus noſter in ſepulchro quievit, & quietem ſanctam ſecundum Legem obſervarunt Mulieres. Qui & in rem eam conferunt *Marci* verba, διαγενομένου τοῦ σαββάτου. Sed in hoc ſententiarum diſcrimine nihil eſt magni ponderis, cum Septimanæ elapſæ & Sabbati idem omnino eſſet terminus finalis, Septimana finiente in & cum Sabbato. Plus difficultatis habet vocula ὀψέ, communiter notans *ſerò*, atque hinc tranſlata ad deſignandum, ſeu tempus quodcunque *poſterius*, (quorſum & ſpectat *Jac.* v. 2. ὑετὸς πρώϊμος καὶ ὄψιμος, potius quam ad pluviam matutinam & veſpertinam,) ſeu & *Veſperam*, tanquam *ſerum diei*, ſecundum Latinorum antiquiſſimam phraſin, quam omnino deſignat *Marc.* XI. 19. XIII. 35. cum derivato hinc nomine ὀψία *Matt.* XXVI. 20. XXVII. 57. *&c.* etiam adjectivo *Marc.* XI. 11. Quo magis eadem non eſt Præpoſitio, ſed Adverbium; & tamen regere heic videtur Nomen in Genitivo, quod Adverbiis minus convenit. Elegantiſſimè vero de hac poſt alios Viros Doctos complures diſputavit nuper *Clar. Roſſallus*, ad quem lectorem merito ablegamus. Enimvero notio *Veſperæ* in illa conjunctione cum Sabbatis cum heic videretur non poſſe obtinere, dum non in Sabbati parte ulla ſed in Primo Die reſurrexit Dominus; voluerunt quidam, Sabbati Veſperam heic dici Noctem totam, quæ poſt diem Sabbati proxime ſecuta eſt, ſed Judaica computatione ad Sabbatum non ſpectabat. Uti ſic ipſe *Caſaubonus* habet, *Sabbatum hic eſſe Noctem, quæ ſecu-*

*ſecuta eſt Sabbatum, quam Rabbini appellant* מוצאי שבת *Exitum Sabbati*; & monuit, etiam *Nonnum velle noctem in qua reſurrexit Chriſtus fuiſſe partem Sabbati, quæ ex conſuetudine Judaica pars Primæ Feriæ fuit, non Sabbati, quamquam etiam Scripturæ ita loquuntur interdum, ut Exod.* XII. 18. *& alibi.* Atque illuc etiam fere veniendum erit, ſi *poſteriorem*, vel *ſeram*, partem Sabbatorum heic reperiamus. Uti & ipſe *Cel. Bochartus* ſcripſit *in Hieroz.* ὀψὲ *non præciſe Veſperam, ſed Noctem in genere ſignificare, eamque jam recedentem ut illuceſcenti auroræ locum faciat*; ut ſic ipſa *Veſpera* etiam appelletur ἡ ἐπιφώσκουσα. Nec aliorſum tendit id quod *Cl. Coccejus* habet cum aliis; Ὀψὲ σαββάτων *ſignificat quod Hebræi ſolent dicere* במוצאי שבת / *ita Hebræi appellant tempus, quo finitur Sabbatum, ſive nox quæ ſequitur Sabbatum, & ſolebant religionis cauſa de profeſto aſſumere ad feſtum, h. e. Sabbati ſanctificationem ultra Lege definitum tempus continuare longius &c.* Quod cum durius ſit, & vix conciliandum apte cum matutina Itione Mulierum ἀγορασάσαι ἀρώματα, & Reſurrectione Domini conſtanter ad Diem Primum relata, optima eſt obſervatio *Cl. Roſſalli*, de ſubintelligenda heic poſt ὀψὲ & ante σαββάτων aptiſſime Præpoſitione, ἀπὸ, vel ἐξ, vel etiam ἀφ', σαββάτων, ut notetur adeo *ſero*, ſeu *longe*, *poſt Sabbata*, ſeu cum hæc jam dudum per noctis horas plures elapſa eſſent. Quem in modum etiam intelligi recte poſſe ſtatuit exempla ſimilis Conſtructionis à Viris Doctis ex profanis Autoribus Græcis adducta, ὀψὲ τῶν τριῶκῶν, ὀψὲ τῆς βασιλέως χρόνων, ὀψὲ τούτων &c. ut idem dicant cum ὀψὲ ἀπό. Et ne crederetur ad noctem provectam minus commode applicari illud *ſerò*, notavit, in *Etymologico Magno*, apud *Suidam*, *Heſychium*, &c. etiam ὀψὲ reddi per βραδέως, vel μὴ πολὺν χρόνον, &c. uti vere progreſſus noctis dicitur hujus *ſerum*, in diem exiens lucidum, quod & heic ſequitur. Secundum quam obſervationem Viri Cl. dudum inſtituta eſt & noſtra *Verſio Belgica* Euangelii. Interim Ellipſin illam Præpoſitionis heic minus neceſſariam judicarunt alii, potius ſtatuentes ὀψὲ adverbium heic Præpoſitionis naturam induere, nec aliud notare quam μετὰ, *poſt*, vel ὕστερον, uti ſic Præpoſitiones illæ Latinæ *poſt* & *ante* haud infrequenter Adverbiaſcunt, hinc etiam ὕστερον regente nonnunquam

Genitivum. Pro qua Verſione laudari ſolent, non modo exempla exotica, quæ etiam *Grotius* laudavit ex *Philoſtrato* & *Plutarcho*, ſed quam maxime *Marci* phraſis διαγενομένης σαββάτου, qui cum *Matthæo* communius facere ſolet. Atque ita vertit non tantum *Eraſm. Schmidius*, *peracto Sabbato*, ſed & adjecit; *Vel ut Marc.* XVI. 1. *habetur*, διαγενομένου σαββάτου. *Nam* ὀψὲ σαββάτων *hic non ſignificat veſperam Sabbati, vel tempus occaſus ſolis die Septimo, ſed poſt Sabbatum, peracto Sabbato, præterito Sabbato, plane ut Marcus loquitur. Hanc enim ſignificationem Adverbium* ὀψὲ, *cum Caſu conſtructum & in Præpoſitionis naturam tranſiens, habere conſtat. Plutarchus Numa,* ὀψὲ βασιλέως χρόνων, *poſt tempora regis; & apud Philoſtratum,* ὀψὲ τῶν τρωϊκῶν, *poſt bellum Trojanum. Licet alias* ὀψὲ *abſolute poſitum Veſpertinum tempus Adverbialiter propriè notet.* Nec aliter fere *Caſaubonus; Illa vero* ὀψὲ σαββάτων *quam ſententiam habeant, docet nos breviator Marcus, qui eorum loco dixit &c. Atqui ex hac comparatione verborum Marci liquido conſtat, rectam eſſe interpretationem Greg. Nyſſeni, B. Ambroſii, & aliorum qua Veterum qua Recentiorum, qui* ὀψὲ *hic accipiunt ut cum dicitur,* ὀψὲ δὲ καιρῷ, *ubi præteriiſſet occaſio,* ὀψὲ τῆς ἡλικίας, *ubi, ætas præteriiſſet,* ὀψὲ τῆς ἡμέρας, *in fine diei, &c.* Quæ tamen exempla omnia an æque ſint certa & apta, magnopere dubito, cum & ipſum *ſero* ſeu *poſtremum* illic deſignari ſic potuiſſe videatur, occaſionis & ætatis, non minus quam diei.

Et quod addidit, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων.

XII. Cum autem *poſt Sabbata*, vel etiam *ſero poſt Sabbata*, eſſet adhuc minus determinatum ad *ultimam noctis partem quam diluculum vocamus*, quod aliqui voluere dudum, magis tempus Dominicæ Reſurrectionis determinavit etiam *Matthæus* per additum mox τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, quod & illuſtrationem ſuam meretur. Reddidit iſta *Eraſmus Schmidius*; *poſt illud illuceſcente die in primum diem hebdomadis.* Et addidit; *Subaudiendum* ἡμέρᾳ, *i. e. quum jam Sabbato præterito ſuperilluceſceret dies artificialis ſcil. in ſubſequentem primum ſeptimanæ novæ. Numerato nimirum jam die naturali, non amplius ab occaſu ſolis more Judaico priſco, ſed accepta à Romanis longe jam lateque in Judæa dominantibus conſuetudine, poſt mediam noctem à tempore matutino. Addita autem hæc verba ſunt ad determinandum* τὸ ὀψὲ σαββάτων, *quod per ſe indefinitum tempus*

*poſt*

*poſt Sabbatum notat, ut ſciamus quo tempore hæc poſt peractum Sabbatum geſta fuerint, videlicet non biduo aut triduo, ſed ſtatim* τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. *Eodem verbo utitur Lucas* XXIII. 54. *licet de alio die,* ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, *ſuperilluceſcens ſcil. poſt* παρασκευὴν, *h. e. inſtabat proxime ſequenti die Sabbatum.* (Hoc pacto etiam *Syrum* locutum *Joh.* XIX. 31. monuit *Doct. de Dieu.*) ἐπιφώσκειν *enim eſt lucem ſuper inferre, ut ſic loqui liceat, vel proxime ſuperilluceſcere. Hoc loco quæ dies artificialis proxime illuceſcebat* εἰς μίαν σαββάτων, *ita ut eſſet prima dies ſeptimanæ, vel ut eſſet initium primi diei ſeptimanæ.* Enimvero exigere videtur Participium ἐπιφωσκούσῃ, & quidem cum articulo τῇ, ut ſuppleatur ſenſus per nomen ſubſtantivum; quod etiam *Beza* cum aliis voluit eſſe ἡμέρᾳ, collato ſimili uſu τῇ ὑστεραίας, & *Herodoti*, ἅμ' ἡμέρᾳ διαφωσκούσῃ, & rejiciens νυκτὶ, quod ſomniaverit *Oſiander*, dum ipſe vertit absque nomine, *quum luceſceret.* Poſſet tamen ſenſu non plane inepto ſubintelligi forte νυκτὶ, quam &juxta ὥραν heic nominavit *Coccejus*, quatenus hujus tenebræ per accedens diei lumen attenuantur uſque in plenum diem; ſed ſenſu aptiori cogitarunt alii cum ipſo *Paſore* noſtro dè ὥρᾳ, *hora*, ſeu *tempore*, ſi non & ἠοῖ, *aurora.* Cui quando tribuitur τὸ ἐπιφώσκειν, *illuceſcere*, quod neſcio an alibi legatur, ſed magnopere convenit cum ἐπιφάνειν *Eph.* V. 14. & ſuo modo cum διαφώσκειν *Herodoti*, proprie ad ſidera ſpectans; indubie ſignificatur lumen jam cœptum ſpargi ſupra terram, ut ſolet alto Mane, ſed nondum plenum, per quod tenebris plane ſublatis dies ipſe artificialis conſtituatur. Ut ſic optime notetur mane perrumpens luce ſua ad conſtituendum diem lucidum ſeptimanæ novæ, non alium quemcunque ſed primum; atque illuc proxime tendens, in oppoſitione, tam ad Diem hunc plene conſtitutum, quam ad profundiores Noctis horas. Quod ſic omnino convenit cum illo *Marci*, λίαν πρωῒ τῆ μιᾶς, ἀνατείλαντος ἡλίου, & *Lucæ*, ὄρθρου βαθέως τῇ μιᾷ, nec male prorſus cum illo *Johannis*, πρωῒ σκότιας ἔτι οὔσης. Dum ab hoc temporis notato puncto videntur aberrare, qui Diem Primum ſeptimanæ heic naturaliter de toto νυχθημέρῳ intelligentes, putarunt per *Synecdochen Speciei Catachreſticam* heic *illuceſcere* poni pro *incipere* quemadmodum *Luc.* XXIII. 54. καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, quod

quod cum inciperet à Veſpera cum tenebris ſuis, hinc & ad duritiem locutionis minuendam de luce Lunæ & Stellarum orientium aliqui diſſeruerunt, *coll. Act.* XXVII. 20. ſcribente & *Cl. Coccejo ſe haud ſcire an non de Accenſione luminum accipiendum ſit*, vel alias τὸ ἐπιφώζειν *ibi metaphorice notare* τὸ *imminere.* Uti & eundem in modum ſcripſiſſe putatur *Epiphanius*; ἐπιφωζούσῃ τῇ τετράδι, συνελήφθη ὁ κύριος. Verum, ſive heic ad Veſperam Naturalem Judæorum foret reſpectus in nomine Diei Illuceſcentis, ſive etiam ad μεσονύκτιον Romanorum, non ſane notata fuiſſet æque poſtrema noctis pars in diem exiens. Quorſum etiam ſpectant iſta *Bezæ*; *Hoc quoque obſervandum eſt*, ἡμέραν *hic uſurpari, vel pro Luce, ſicut etiam Dies apud Latinos interdum uſurpatur, vel pro Die Civili, qui duodecim erat horarum apud Judæos, non autem pro die viginti quatuor horarum, utpote qui non à diluculo noctem finiente, ſed ab ipſius noctis præcedentis initio incepiſſet.* Quin & confer, quod noſter *de Dieu* contra *Druſium in Præteritis*, additamentum Sabbati protendentem ad τὸ πρωΐ Diei ſequentis, diſputet fuiſſe illud *unius tantum Horæ*, laudato *Fagio ad Exod.* XXXI. *Judæi quia neſciunt ut ipſi dicunt, Momentum illud quo Sabbatum incipit, jam quo illi ſatisfaciant horam unam tardius deſinunt, & hoc tempuſculum vocant* תוספת מחול אל הקדש *additionem de profano ad ſacrum, & hoc ipſum additamentum ſignificari volunt in Lege per* שבתון *Sabbatulum.*

Conciliatio Euangeliſtarum hinc minus fit difficilis; laudato etiam Nyſſeno.

XIII. Et hoc pacto ſatis facile & ſolidè ſublatum puto omne dubium, quod primo intuitu ſatis magnum videtur. Uti id etiam non tacuit *Greg. Nyſſ. Orat.* II. *in Reſ. Chriſti*; Τινὲς μέντοι τὸ μὲν ὠφελεῖσθαι ὁμολογοῦσι, πυκνότερον δέ πως ἀκροᾶσθαι δοκοῦντες ταράττεσθαί φασι, τῶν εὐαγγελιστῶν μὴ τὰ αὐτὰ λεγόντων περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος, ἀλλ' ἐναντία τῇ τὴν ἀκροατὴν μᾶλλον πρὸς τὴν ἀπιστίαν ἐναγόντων, τίνι γὰρ πιστευτέον, ματθαίῳ γράφοντι &c. Sed & non male quoad rem ipſam adjecit inter alia; Τὸ δὲ ὀψὲ σαββάτων ὁ τὴν ἑσπέραν τὴν μετὰ τὴν δύζιν τοῦ ἡλίου δηλοῖ &c. Οὐκ εἶπεν ὃν, ὀψὲ σαββάτου, ἢ ἑσπέρας σαββάτου, ἵνα τὴν ἑσπέραν τὴν ἡμέρας ἐκείνης δηλώσῃ, ἀλλ' ὀψὲ σαββάτων, ἵνα τὸ βραδίον τῆς πολὺ διεσηκὸς ἐμφήνῃ. Καὶ γὰρ που τῆς ὅτως ἡμῖν σύνηθες λέγειν, ὀψὲ τοῦ καιροῦ παραγέγονας, ὀψὲ τῆς ὥρας, ὀψὲ τῆς χρείας, οὐχὶ τὴν ἑσπέραν τῆς τὴν μετὰ ἡλίου δυσμὰς χρόνον δηλοῦσιν, ἀλλὰ τὸ βραδίον τῆς κατόπιν

πιν τῆς χρείας ἢ τοῦ καιροῦ γενέσθαι, τὸν τρόπον τοῦτον μηνύουσι. Καὶ τὸ ὀψὲ σαββάτων τὸ πόῤῥον καὶ βράδιον τῆς περαιωθήσης ἑβδομάδος δηλοῖ. Dum alia tamen habet, quæ nos haud æque per omnia probare possumus; Οὐ δὲ γὰρ εἶπον οἱ τῶν εὐαγγελίων ἱεροὶ συγγραφεῖς, ὀψὲ σαββάτων, ἢ παρωχηκότος τοῦ πλείονος τῆς νυκτὸς, ἢ ὄρθρου πάλιν, ἢ μετὰ τὴν τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος βολὴν ἐγηγέρθαι τὸν κύριον· οὕτω γὰρ ἐναντίωσις ἦν, τὸ ἓν πράγμα τῶν συγγεγραφότων, οὐχ ἑνὶ μᾶλλον ἀλλ' ἐνδιαφόροις, ἱστορησάντων γεγονῆσθαι καιροῖς. Ἀλλὰ τὰς γυναῖκας ἔγραψαν ἄλλοτε ἄλλως ἐπιπαραγενέσθαι τῷ τάφῳ, καὶ οὐκ κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν &c. Ὡς κατ' ἐκείνην μὲν ὁμολογουμένως καὶ συμφώνως τὴν θείαν νύκτα τῆς ἀναστάσεως γενομένης, μηδενὸς δὲ τὴν ὥραν ἐπισημανημένου, τὴν πᾶσιν ἄγνωστον, πλὴν τοῦ ἀναστάντος θεοῦ καὶ τοῦ πατρὸς τοῦ μόνου γινώσκοντος οὕτω τὸν υἱὸν ὡς αὐτὸς ἔγνωσται τῷ πατρὶ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ πάντα ἐρευνῶντος, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ. Etiamsi enim hoc verum sit, quod ipsissimum punctum temporis quo Dominus noster resurrexit Angelus non expresserit, dicens ὅτι ἠγέρθη, οὐκ ἐστιν ὧδε, μὴ προσεθέντος τοῦ πότε, quod ille pro incognito tempore Dominicæ Resurrectionis urget; id tamen per narrationis totius connexionem satis certum est, quod ad valde matutinum tempus, & quidem non multo prius adventu Mulierum ad Sepulchrum, Christi Resurrectio sit referenda, etiam per ea quæ de Terræ Motu cum Angeli Apparitione præsentissimo vel recentissimo adjiciuntur, de quo deinde suo loco dicemus. Ut hoc ipso etiam concidat, quod cum aliis *Veteribus* quibusdam *Ambrosius* ad *mediam noctem* Christi Resurrectionem retulerit, secundum Simsonis typum *Jud* XVI. 3. *&c.* sicuti ab altera parte *horam quadragesimam post mortem* nominavit *Augustinus* plus quam semel; atque rectius *Hieronymus ad Hedib. Quæst.* IV. surrexisse Christum ponat *circa solis ortum*, ut & *Eusebius Lib. I. Dem. Cap.* 8. ἀμφὶ τὴν ἕω, *Cyprianus* autem *de Orat. Domin. ante auroram.*

XIV. Si jam denuo quæras, cur tam alto Mane potius quam Die plene Lucido, vel etiam Vespera, Resurrexerit Servator noster? non est ut heic, magis quam apud Diem Tertium, adhuc dicamus de Vaticiniis aut Typis qualibuscunque Veteribus; quando Vaticinia magis videntur esse propter Eventum constitutum, quam Eventus propter Vaticinia præmissa, licet ad ea consequatur certo & serius. Sed notare oportet

Tempore Matutino illo cur resurrexerit Dominus.

portet uſum hinc fluentem multiplicari, reſpectu Chriſti ipſius, & Fidelium diſcipulorum. Ipſe ſcilicet Chriſtus ſic oſtendere voluit, ſe in Reſurrectione ſua eſſe verum Solem gratiæ & Lumen orbis totius, ſine quo tenebræ craſſiſſimæ & infernales hunc tegerent prorſus. Ipſe ſic, Reſurgens ante Diei tempus quo accederent Mulieres cum Diſcipulis, omnem fraudulentæ ſurreptionis ſui ſuſpicionem voluit potentiſſime amoliri. Ipſe ſic vindictam voluit exercere in Hoſtes contumaces & occiſores ſuos, qui ipſum antea ſpreverant, neque hinc dignandi erant amplius ipſius reſuſcitati viſu; ſecundum vaticinium illud ſuum *Matt.* XXIII. 39. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὐ μή με ἴδητε ἀπ' ἄρτι, ἕως ἂν εἴπητε, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, & *Joh.* XIV. 19. ἔτι μικρὸν, καὶ ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ. Ipſe ſic ſuos voluit reddere certos, de promptiſſima impletione promiſſorum ſuorum de Die Tertio factarum, ante quem ad medium perductum ſepulchrum reliquit, quod vacuum hinc mane repererunt. Ipſe ſic monere eos ſimul voluit, de ſe mature quærendo, deque reſurgendo quantocyus, certe cum exortu primo lucis ſpiritualis, ex morte & ſepulchro ſpirituali, ad exemplum Domini corporale, ut ſic dici queamus συνεγερθέντες τῷ χριστῷ *Col.* III. 1. *&c.* Quæ & ſimilia, ſapientiam & bonitatem Domini arguentia, non eſt ut heic latius diducamus.

De Anno rei hujus geſtæ conſiderationes quædam adjiciuntur.

XV. Non ignoro, apud Tempus Dominicæ *Reſurrectionis* etiam inquiri poſſe in *Annum* ejus, æque quam *Paſſionis* antecedentis, cum relatione, vel ad Periodum Julianam, vel ad Olympiadas, vel ad Annos Urbis Conditæ &c. vel ad Iſraëlitici Populi Formationem in Exitu ex Ægypto, vel ad Judæorum Reſtitutionem per Cyrum &c. vel ad alias Æras complures, ſeu Exterorum, ſeu Judæorum; ut non dicam de Annorum à Reſurrectione hac lapſorum Numero. Sed & ſciunt omnes, quam difficiles & incertæ ſint omnes iſtæ computationes, à quibus hiſtoriæ ipſius veritas heic minime pendet. Certi utique heic nihil de ipſiſſimo Anno dici poterit, quamdiu non conſtiterit, de Anno primum determinato Nativitatis Dominicæ, quæ ipſa abſque illo cognito eſt equidem extra omnem dubitationem conſtituta; de Anno dein determinato Ætatis ipſius, quando ad lavacrum Baptiſmi ſubeundum, & Prædicationem inſtituendam acceſſit; de Anno tandem Uno, Duo-

Duobus, Tribus, vel pluribus, per quos Prædicatio ejus in gente Iſraëlitica duravit. Quorum omnium tractatio digna nos nimium abduceret à præſenti inſtituto noſtro. Ad quod ſufficit hoc ſcire, ex *Luc.* III. 1. quod in *Tiberii Imperium Romanum*, & quidem poſteriorem aliquem ejus Annum, inciderit Mors & Reſurrectio magni noſtri Salvatoris; dum hiſtoria Paſſionis totiens heic etiam nominavit *Pilatum Præſidem*, quem apud XV. Annum Tiberii, tanquam ἡγεμονεύοντα τῆς Ἰουδαίας, ad inchoatum Johannis Baptiſtæ Miniſterium, & factum conſequenter Chriſti ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα Baptiſmum, etiam produxit *Lucas*, & quem *Joſephus* πεμφθέντα εἰς Ἰουδαίαν ἐπίτροπον ὑπὸ Τιβερίου dixit, ſimul narrans *Antiq. Lib. XVIII. Cap.* 5. illum δέκα ἔτεσιν διατρίψαντα ἐπὶ Ἰουδαίας Romam iviſſe ad Vitellii mandatum, in quo dum eſſet itinere Tiberius deceſſerit ante ejus Adventum in urbem.

## CAPUT QUARTUM.

### *Quo Modus Glorioſus Reſurrectionis ejuſdem illuſtratur.*

Ad Modum Reſurrectionis Chriſti faciunt apud Matthæum Terræ Motus, & Angeli Deſcenſus.

Dum reliqui Euangeliſtæ nobis directè non exponunt niſi Conſequentia Dominicæ Reſurrectionis, *Matthæus* tamen quædam reliquit digniſſima attentione noſtra, quæ ad ipſum Reſurrectionis *Modum* magis quam ad ejus Sequelas videntur omnino ſpectare. Et hæc ſunt Duo; tum *Terræ Motus* inſignis, tum *Angeli Cœleſtis Deſcenſus* viſibilis, cum ejus *Effectu*, per quem ſimul ſe prodidit ille. Dum non audemus addere cum *Doct. Voſſio* Reſurrectionem aliorum Sanctorum, quos ex monumentis egreſſos & in ſanctam urbem ingreſſos poſt Chriſti Reſurrectionem apparuiſſe multis legimus *Matt.* XXVII. 52. ſed abſque determinato temporis momento; de quo cum ſequelis ſuis vide *EXERC. TEXT. XXXIII. Parte III.*

Nomen Græcum σεισμὸς, varie heic expoſitum, communiſſime & optime exprimit Terræ Motum.

II. Ita nempe primo loco habet *Matthæus Cap.* XXVIII. 2. καὶ ἰδοὺ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, *& ecce Terræ Motus factus eſt magnus*, uti cum *Vulgato* dixit *Beza*; ſubjiciens proxime, ἄγγελος γὰρ κυρίου καταβὰς &c. Nomen σεισμὸς, ex origine ſua à σείω, à quo ſunt & compoſita ἀνασείω, διασείω, καταςείω,

dicit generaliter *Quassationem*, sive *Commotionem*; atque sic etiam applicatur semel ad Mare ventis desuper irruentibus æque quam ex fundo erumpentibus halitibus Commotum *Matt.* VIII. 24. καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ, ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων, quam tempestatem Christus componens dicitur ἐπιτιμήσας τοῖς ἀνέμοις καὶ τῇ θαλάσσῃ, cum admiratione dicentibus hinc hominibus, ποταπός ἐστιν οὗτος, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ; sicuti & Verbum σείω applicatur ad Commotam variè Populi multitudinem *Matt.* XXI. 10. ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις, & ad perturbatos sepulchri Custodes *Matt.* XXVIII. 4. ἀπὸ δὲ τοῦ φόβου αὐτοῦ ἐσείσθησαν οἱ τηροῦντες. Nec aliter compositum ἀνασείω usurpatur *Marc.* XV. 11. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, & *Luc.* XXIII. 5. ὅτι ἀνασείει τὸν λαὸν; item διασείω *Luc.* III. 14. μηδένα διασείσητε; uti κατασείω ad manum commotam silentii causa aliquoties applicatur *Act.* XII. 17. XIII. 16. XIX. 33. XXI. 40. Enimvero non defuerunt qui heic etiam cogitarent; vel de Commotione Vigilum inter se, aut apud se per magnum terrorem, de qua deinde agitur *vers.* 4. tanquam ad hunc σεισμὸν juxta Angeli apparitionem consecuta; vel de Aëris concussione per lapsum Tonitru. Quemadmodum in *Paraphrasi* sua habet *Hammondus*; *Facta est magna Concussio, verisimiliter Aëris, ope Tonitruum, quibus auditis apparere solent Angeli*; tunc tamen addens, *& Loci etiam, ut removeretur lapis quo sepulcrum clausum fuerat.* Quin & *Clericus* adjecit; *Recte Aëris Concussionem interpretatur Noster, nam & a LXX. Interpret.* συσσεισμὸς *vocatur turbo, in quo Elias in cœlum raptus est* 2 *Reg.* II. 11. *Suidas*, συσσεισμὸς, λαίλαψ, συστροφὴ ἀνέμου. *Sic & Latini dicunt, cœlum tonitru concuti, quod Lucretii exemplo probari facile posset.* Quorsum & referas usum σεισμοῦ pro Hebræis סער vel שער & רעש apud LXX. Interim nihil certius est, quam Nomen σεισμοῦ ad *Commotionem Terræ* potissimum applicari, licet nomen illud alterum non sit additum, *coll. Matt.* XXVII. 54. *centurio autem & cum eo servantes Jesum*, ἰδόντες τὸν σεισμὸν καὶ τὰ γενόμενα *&c.* ubi præcesserat *vers.* 51. καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη, καὶ αἱ πέτραι ἐσχίσθησαν, *Act.* XVI. 26. ἄφνω δὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ὥστε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια τοῦ δεσμωτηρίου, *Apoc.* XVI. 18. 19. καὶ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, οἷος οὐκ ἐγένετο ἀφ' οὗ οἱ ἄνθρο-

ἄνθρωποι ἐγένοντο ἐπὶ τῆς γῆς, τηλικοῦτος σεισμὸς, οὕτω μέγας, καὶ ἐγένετο ἡ πόλις ἡ μεγάλη εἰς τρία μέρη, καὶ αἱ πόλεις ἔπεσον, &c. Ubi tamen æque quam in aliis locis Commotiones Cœli junguntur, sed per alia nomina expressæ, καὶ ἐγένοντο φωναὶ καὶ βρονταὶ καὶ ἀστραπαί. Et est illa nominis notio communissima apud Autores Exoticos; notata hac ipsa appellatione Terræ Motus apud *Aristotelem de Mundo* inter alios, & observante *Suida ex Æliano*, εἶναι σεισμῶν τοὺς μὲν χασματίας. Nec video ullam rationem cur à magis solito illo sensu vocis heic recedatur, ubi & Devolutio Saxi sepulchralis clare ad σεισμὸν refertur, nec Angeli Descensus Tonitru aut Tempestatem aliam cœlestem necessariam facit.

III. Talis ergo Terræ Motus, sive a Vento sive ab Igne Subterraneo satis frequens inter alia Terræ Phœnomena terribilia, fertur hic *fuisse*, vel *factus esse*, si non *factus fuisse*, secundum *Cl. Coccejum* in plus quam perfecto, non qualiscunque, sed μέγας, *magnus*. Quod si per *Divinum* velis exponere, cum à Deo oriretur, seu magis seu & minus naturaliter, per nos equidem licet, qui heic agnoscimus potentissimam manum Dei, tum Patris tum & Filii, sensibili modo operantem; prout Divina opera sunt vere Magna, & Mira, tum quævis, tum potissimum extraordinaria talia. Attamen ad literam heic reperimus *magnum* terræ motum, cujus origo necdum exponitur. Non equidem maximum, sive extensive ad amplissimum terræ spatium, sive protensive ad longissimam temporis durationem, sive intensive ad eversas domos, urbes, & montes totos; qualia inepte fingas heic, aut requiras ob illud epitheton, ubi nihil tale notavit Matthæus, nec requisivit res ipsa ad quam Terræ Motus ordinabatur. Sed neque minimum, qualis terræ qualemcunque quassationem constituit, absque relicto hinc vestigio ullo notabili. Verum ita vehementem in & apud locum illum Dominicæ Sepulturæ, ut nemo non observaret eundem cum terrore dum fieret, & ut Saxum ipsum, quod *valde magnum* fuisse notavit *Marcus*, ad tanto magis arcendum homines à sepulchri ingressu, ab hoc plane devolveretur citissime, non sine validissima commotione. Quemadmodum fere legimus *factum* σεισμὸν μέγαν, non ut carceris ædificium totum concideret, sed ut *quaterentur*

Idem quo sensu Magnus fuisse dicatur.

*tur fundamenta* illius, & mirabiliter *aperirentur fores omnes omniumque vincula laxarentur Act.* XVI. 26. Et ſunt nimis ſane hyperbolica, quæ apud *Hieronymum ad Hedib. Quæſt. VI.* inter alios leguntur, *de terræ motu non ex more ſolito, ſed tam magno, qui cuncta concuteret, & everſionem terræ funditus minaretur, &c.*

Is ab Angelo Domini deducitur, cujus Forma ut fulgur, & Indumentum album ſicut nix, quique ex cœlo deſcendit, & accedens ſaxum ab oſtio ſepulchri devolvit, ipſe ſuper illud conſidens.

IV. Atque iſte quidem Terræ Motus Magnus, uti pro *Fine* ſuo habuit ipſum Effectum additum Saxi Devolvendi à ſepulchri oſtio, ſecundum ſimile illud apud Chriſti Mortem, quando & *Terra Mota eſt & Petræ ſciſſæ, ut monumenta aperirentur Matt.* XXVII. 51. 52. (magis etiam quam Militum plurium obdormiſcentium Excitationem quam nominavit *Voſſius*,) ita Cauſam *Efficientem*, non principalem, qui utique Deus eſt ſemper, *coll. Pſal.* CIV. 32. *Nah.* I. 5. *&c.* ſed *Inſtrumentalem* nominavit & monſtravit Euangeliſta; Ἄγγελος γὰρ κυρίου καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ, προσελθὼν ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας, καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ, ἦν δὲ ἡ ἰδέα αὐτοῦ ὡς ἀστραπὴ, καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ λευκὸν ὡσεὶ χιών. Eſt heic nomen *Angeli* abſque Articulo præpoſito; ſed qui denominatur à κυρίῳ, *Domino*, ſive Deo Patre, ſive & ſimul magisque Filio, de quo hic ipſe Angelus dixit *verſ.* 6. *non eſt hic, reſuſcitatus enim eſt, ſicuti dixit, venite, videte locum* ὅπου ἔκειτο ὁ κύριος, *ubi Dominus jacebat*, prout & Angeli Dei a Chriſto haud infrequenter denominantur *Matt.* XIII. 41. XVI. 27. XXIV. 31. *&c.* tanquam ab ipſo etiam facti & ſuſtentati, eique prorſus ſubjecti ut verè Domino ſuo. Quemadmodum vero nomen illud *Angeli Domini* nos ſic avocat ab omni Nuncio humano, cujus nec erat terram tam potenter commovere, aut in eam rem de cœlo deſcendere; ita & impedit cogitare de Chriſto ipſo heic reſuſcitato, licet is merito alias quoque κατ' ἐξοχὴν idem gerat, cum epithetis glorioſiſſimis; dum neque de Spiritu Sancto cogitandum videtur, ubi non eſt ratio ulla cur apud Angelum Increatum hæreamus ſine indicio ullo ſingulari, atque Angeli appellatio huic non ita dari ſolet certo. Sed eſt indubie *Angelus* ille *Domini* heic unus aliquis, nec infimus, de Exercitu Cœleſtium Spirituum, qui toties celebrantur à Miniſterio ſuo promptiſſimo & fervidiſſimo, quod Deo & Chriſto præſtant, ſive in ordinariis, ſive in extraordinariis actibus. Quod ſi volueris, fuiſſe hunc eundem *Gabriëlem*, qui ad prænunciationem

onem & annunciationem Dominicæ Nativitatis miſſus fertur *Dan.* IX. 21. *Luc.* I. 19. 26. & de quo diximus latius *EXERC. TEXT. XXV. Parte VI.* per nos conjectare id licebit. Eſt vero notabilis deſcriptio ἰδέας αὐτῦ, *aſpectus ejus* apud *Vulgatum*, ſeu *viſus ejus* apud *Bezam*; intelligendi, vel paſſive uti videbatur, adeoque de ejus *forma* aut *ſpecie* viſibili & viſa qua parte hæc veſtibus tecta non erat, vel active, notata ſic *facie* communiter, uti ſic legimus de Chriſti ipſius πρόσωπῳ *Matt.* XVII. 2. vel alias ſpecialius deſignatis *oculis* ipſis ex facie proſpicientibus, unde & Chriſtus deſcribitur *Apoc.* I. 14. *coll. Dan.* X. 8. Quem quidem aſpectum, ſeu viſum, refert *Matthæus* fuiſſe ὡς ἀστραπὴν, *ut fulgur*, non jam lucernæ accenſæ, *coll. Luc.* XI. 36. ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε, ſed cœli & nubium cum tonitru vel abſque eo audito id emittentium, de quo cum reſpectu ad ſe Chriſtus quoque dixit *Luc.* XVII. 24. ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἡ ἀστράπτουσα ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν εἰς τὴν ὑπ' οὐρανὸν λάμπει &c. Qua ſimilitudine ducimur heic ad ſplendoris emiſſi, non æque longum & latum exitum per orbem quaquaverſum ſed magnitudinem & penetrationem efficaciſſimam ad homines varie & inexſpectato afficiendos ſimul cum illuminatione magna loci. Uti apud Chriſtum in monte transformatum legitur, *Matt.* XVII. 2. ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτῦ ὡς ὁ ἥλιος, Solis ſimilitudine pro illa fulguris adhibita. Dum de *ejus indumento*, ſeu *veſtitu*, ἐνδύματι, quo corpora humana ſuperne & inferne tegi ſolent, additur, illud per participationem quaſi ſplendoris illius fulgurei fuiſſe λευκὸν, *album*, ſeu *candidum*, quod omiſit *Vulgatus*, & quidem ὡσεὶ χιὼν, *ſicut nix*, quæ pro exemplo albedinis ſummæ & præſtantiſſimæ haberi & poni ſolet, tam apud Exoticos quosvis, quam apud Sacros Scriptores. *Pſal.* LI. 9. *Jeſ.* I. 18. *Thren.* IV. 7. *Apoc.* I. 14. *&c.* Dum *Marcus Cap.* XVI. 5. ſimpliciter dixit *Juvenem* à Mulieribus viſum fuiſſe, qualis forma Angelis *nunquam caneſcentibus aut conſeneſcentibus ſed perpetuo florentibus ac vigentibus vegentibusque* convenit ex *Voſſii* obſervatione, ὡς βεβλημένον στολὴν λευκὴν, atque *Lucas Cap.* XXIV. 4. *duos viros* nominavit Mulieribus ſupervenientes ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις *in indumentis fulgurantibus*. Confer & heic quæ de veſtimentis Chriſti transformati habet *Matthæus Cap.* XVII. 2. τὰ δὲ ἱμάτια αὐτῦ ἐγένε-

τὸ λευκὰ ὡς τὸ φῶς, & *Lucas Cap.* IX. 29. καὶ ὁ ἱματισμὸς αὐτῦ λευκὸς ἐξαστράπτων, atque latius *Marcus Cap.* IX. 3. καὶ τὰ ἱμάτια αὐτῦ ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν, ὡς χιὼν, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι. Ex iſta autem Angeli Domini deſcriptione viſibili inſtar hominis apparet, Spiritum hunc Incorporeum, non modo operaturum ſed & appariturum inter homines ita ut certo dignoſceretur abſque nimio metu, pro ſolito uſu aſſumpſiſſe ad hoc tempus ſpeciem, externe apparentem tamen potius quam veram, Hominis, ſed quem fulgor pluſquam terreſtris & humanus argueret invicte eſſe Nuncium Cœleſtem, ac vere Angelum Dominicum, cujus ſic ſignum manifeſtum exhibebat. Præter quam rationem communiorem, ad cœleſtium Spirituum tanquam puriſſimorum, penetrantiſſimorum, glorioſiſſimorum, & lætiſſimorum, decus perpetuum ſpectantem; obſervari merito ſolet, hanc ſplendidiſſimam Angeli ſpeciem plane convenire cum Domini conditione præſenti, glorioſiſſima & lætiſſima, ad quam etiam nunciandam ipſe aderat, eum ſcilicet factum & demonſtratum Mortis ipſius victorem feliciſſimum, gloriæque & pacis æternæ adductorem ſanctiſſimum. De illo autem tam illuſtri Angelo Domini tria aut quatuor referentem audimus *Matthæum*. Primum hoc, quod fuerit ἐξ οὐρανῦ *ex cœlo*, non tantum inferiori & medio ſed & ſupremo tanquam proprio ipſorum domicilio, apud Dei thronum, καταβὰς, *deſcendens*, lubentiſſime Domini juſſa ad ejus gloriam exſecuturus, in hanc terram inferiorem. Secundum illud, quod fuerit προσελθὼν, *accedens*, in & cum illa viſibili ſpecie, non modo ad hunc orbem inferiorem, & ad Jeroſolymæ viciniam, ſed & proximè ad *ſepulchrum* Domini, à Cuſtodibus obſervatum, quod nominatum expreſſe fuerat *verſ.* 1. ubi demandatum ipſi opus erat peragendum. Tertium porro illud, quod non ſane Dominum, tanquam ſua propria virtute reſurgentem, reſuſcitaverit qualicunque modo, (quod merito rejicitur *Quæſt.* CXVII. *ad Orthod.* apud *Juſtinum*,) ſed τὸ λίθον ἀπὸ τῆς θύρας ἀπεκύλισε, ſeu *ſaxum*, magnum quo ſepulchrum Domini clauſum erat, *ab oſtio*, ſeu ingreſſu ſepulchri ejuſdem, quod prætermiſit iterum *Vulgatus*, plenè *devolverit*, *Matt.* XXVII. 60. *Marc.* XVI. 4. ſic ut exitus eſſet paratus Domino primum, &

ut

ut Mulieribus ac Discipulis dein inspicere imo & introire in illud plane liceret; sive id factum sit absque, sive & cum manuum observata applicatione ad idem saxum, utique potentissime & cum successu celerrimo, sine ulla mora notabili prorsus. Quartum quin etiam, quod ἐκάθητο ἐπάνω αὐτῆ, seu *super illud*, saxum devolutum, *consederit*; ita ut nec ipso illo momento cœlum repeteret, hominum conspectui se subducens, nec aliorsum à sepulchro se receperit ocyus, nec in sepulchro claudendo iterum aut alio labore aliquo fuerit occupatus amplius, sed plene & tranquille satis se conspiciendum præbuerit custodibus, exspectaveritque Mulierum erudiendarum adventum; simul forte adumbrans quasi Domini ipsius quietem novam & glorioſam post acerrimum certamen prorsus superatum.

In quibus Matthæus fidem meretur, à quo nec alios Euangelistas vere heic dissentire ostenditur.

V. Sed an ista sic à *Matthæo* conscripta, à Spiritus dictamine infallibili profecta queunt censeri? & non potius tribuenda falsæ persuasioni vel narrationi custodum? quibus minus tribuendum sit hac in re, etiam propter terrorem quo per culsi feruntur. Quod & necessarium queat videri per alio rum Euangelistarum narrationes dissentientes. Habet enim *Lucas Cap.* XXIV. 4. non Unum *Angelum*, cujus solius meminit *Matthæus*, uti *juvenis* unius *Marcus*, sed *Viros Duos* in vestimentis fulgurantibus. Et habet similiter *Johannes Cap.* XX. 12. *Angelos duos* in albis. Etiam *Visus & Indumenti* descriptio vix est per omnia eadem apud alios Euangelistas, quæ apud *Matthæum* legitur. Qui & solus de *Saxi Devolutione* est locutus, atque ejus devoluti *Insessione*; pro qua *Marcus Cap.* XVI. 5. Juvenem memorat *sedentem à dextris*, uti videtur in ipso sepulchro; *Lucas* autem Viros Duos *adstantes*, vel supervenientes Mulieribus; atque *Johannes* Angelos Duos, *sedentes*, *unum ad Caput & alterum ad pedes*, *ubi jacuerat corpus Jesu*. Interim si rite attendamus, nulla in ullo horum est contrarietas vera. Utique quod ad *Numerum* attinet, qui Euangelistæ unum modo nominarunt Angelum, hi eo ipso plures non excluserunt, vel minores forte splendore, vel etiam pares prorsus, qui heic potius adfuisse quam abfuisse sunt censendi; uti sic *Luc.* II. 13. post *Angelum Domini* unum ab initio memoratum, repente tamen cum eo adfuisse fertur *Multitu-*

*titudo Exercitus Cœleſtis*; atque apud Chriſti Aſcenſionem *Act.* 1. 10. 11. *Viri Duo in veſtitu albo*, adſtantes & compellantes Apoſtolos, non arcent inde majorem Angelorum præſentium numerum, ad quem præter vaticinia vetera de Modo Aſcenſionis nos duxit Chriſtus ipſe in illo *Joh.* 1. 52. *amen, amen, dico vobis, ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τ ὐρανὸν ἀνεῳγότα, κ τοὺς ἀγγέλους τ θεῦ ἀναβαίνοντας*, in Chriſti Aſcenſione, *κ καταβαίνοντας ἐπὶ τ υἱὸν τ ἀνθρώπυ* in Chriſti Reditu ad Judicium habendum, *coll. Matt.* XXVI. 64. quin & in Deſerto ipſo poſt Diaboli eluſi fugam *Angeli* plures acceſſerunt ad Chriſto miniſtrandum *Matt.* IV. 11. Ut nihil nunc dicam amplius de *Pſalmi* XCVII. 7. verbis, *προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεῦ*, à Paulo applicatis ad *τ πάλιν εἰσαγωγὴν τ πρωτοτόκυ εἰς τ οἰκυμένην*, quam de Reſurrectione recte exponi poſſe putamus. Tum inſuper de Angelis Duobus aut pluribus non narrant eadem omnia reliqui Euangeliſtæ, quæ de Uno habet Matthæus, uti eſt Saxi Devolutio & Inſeſſio in conſpectu vigilum; unde hæc geſta deſcripturus Matthæus, non potuit cum reſpectu ad eadem de Duobus loqui, neque hæc prætermittentes alii Unum illum deſignare opus habuerunt. Et hoc dicendum omnino videtur, quod Angelum Unum modo habeat *Matthæus*, ubi narravit mirandæ rei hujus initium primum apud Saxi Devolutionem, atque illud notavit quod Cuſtodes vel ſoli vel & paulo poſt cum Mulieribus viderunt; dum Lucas & Johannes loquuntur de Duobus, quos ſcilicet in progreſſu ulteriore, adeoque ſerius, Mulieres conſpexerunt. Quod dein ad *Aſpectum & Veſtitum* attinet, variæ heic ab Euangeliſtis adhibitæ phraſes in eundem ſenſum ſplendoris puriſſimi & maximi amiciſſime conſpirant. Quod porro ad *Saxi Devolutionem* ſpectat, hanc non evertunt, ſed ſupponunt ex adverſo factam alii præter *Matthæum*; unde eam tanquam factam obſervarunt in ſuum uſum Mulieres cum Diſcipulis, anxia ſollicitudine priori ex animis excuſſa. Tandem hoc quod Unus Angelus ſuper Saxo Devoluto viſus ſit primo Sedens, nulla ratione impedit, quo minus, & *à dextris*, ſive extra ſepulchrum in ejus ingreſſu quorſum devolutum erat ſaxum, ſive intra ſepulchrum, deinde viderint *ſedentem* Mulieres ingreſſæ; & *adſtiterint*, quoque aliquando, vel *ſupervenerint* mulieribus,

ribus, ſeu idem cum altero comite, ſeu & alii duo; & *ſederint*, denique diſtincto temporis momento, *unus ad caput alter ad pedes*, ſepulti illic ſed nunc non amplius reperti Corporis Dominici. Quibus animadverſis, tantum abeſt ut de Evangeliſtarum contrarietate aliqua heic impie ſomniemus; ut ex adverſo exoſculemur cum decenti veneratione Dei Sapientiam & Bonitatem, qui per narrationis diverſitatem iſtam nobis abſtulit omnem colluſionis indignæ ſuſpicionem, & tanto pleniorem exhibuit hiſtoriam rei geſtæ cum ſuis circumſtantiis pluribus.

VI. Enimvero hoc quod de Angeli tam Illuſtris Deſcenſu, Acceſſu, Devolutione, & Seſſione, ſcripſit fideliſſime *Matthæus*, idem cum præmiſſo Terræ Motu Magno ille quoque junxit per γὰρ, *enim*; σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ἄγγελος γὰρ κυρίου καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ, &c. Quo pacto Effectum illud ad Cauſam ſuam Efficientem Inſtrumentalem evidentiſſime retulit; Terra tantopere mota, per Angelum illum, dum non deſcendebat adeo quam Saxum devolvebat potentiſſime, unde ſcilicet iſta terræ Commotio orta fuit, *coll. Matt.* XXVII. 51. 52. Quod cum non feratur heic ex inani & vana aliqua populi perſuaſione, aut corrupta hominum phantaſia, ad quam de Angelis dicta tantum non omnia referre vellent impie homines profani; ſed ex ipſius Scriptoris ſententia certa & per Spiritum explorata, etiamque per hoſtium ipſorum viſum firmata; conſequitur neceſſario, rem illam ab Angelo veriſſime eſſe ſic geſtam, quidquid difficultatis excogitare ſtudioſe poſſimus in ejus, tum modo, tum neceſſitate, quæ utique non eſt repetenda niſi ex Dei arbitrio ſapientiſſimo, qui & absque Angeli alicujus cooperatione eadem præſtare indubie potuiſſet. Neque eſt heic adeo ad aliquod portentum Naturæ confugiendum, quæ pro Deo nobis obtrudatur; vel etiam ad qualemcunque Creaturam Corpoream & Irrationalem, cui nec illa heic viſa Majeſtas, nec audita ſimul conſequenter Prædicatio lætiſſima convenit ullatenus. Qualia cogitata foventes pervicaci malitia homines, ſi non intus rectioris conſcientiæ ſtimulos ſentiant, haud mirarer, ſi in eam Divino judicio laberentur inſaniam, ut ipſi ſuis oculis coram videntes & ſuis auribus audientes maxima quæque Spirituum opera, quæ ſunt ſupra naturam

Quam recte & vere Effectus illi ab Angelo Cœleſti ut Cauſa Miniſtra extra ordinem repetantur, ſimul monſtratur.

turam & corporeorum motuum ordinem ſolitum, potius ſomniare ſe quam vigilare exiſtimarent.

Præmiſſum Ecce nos heic merito ad ſingularem Attentionem vocat.

VII. Non decet heic prætermittere intactum illud ἰδὲ, *ecce*, quod & heic præmiſit *Matthæus*, & referre pariter oportet tam ad *Angeli Geſta*, quam ad *Terræ Motum* per eundem; ἰδὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, ἄγγελος γὰρ κυρίου καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ &c. Eſt hæc vocula illa familiariſſima in Veteri & Novo Teſt. per quam rei propoſitæ certiſſima *Veritas*, & *Magnitudo* ſimul, atque hinc fluens *Attentio & Fides* neceſſaria, monſtratur. Nihil ergo in his Falſi vel Incredibilis; nihil Minuti item; ſed ſingula digniſſima Attentione & Fide noſtra. *Ecce* heic itaque *Terram!* Quæ gloriam dat Domino noſtro, nec concludi intra ſe ultra Triduum conſtitutum patitur illum; ſed & exſultat quaſi ad receptam ab eo vitam; in ſignum etiam emblematicum Commotionis populorum per Euangelium & Spiritum Reſurgentis Domini futuræ, cum Saxeorum cordum abjectione, quin & noviſſimi Motus Terræ totius, in quo Mortui ex monumentis prodibunt ad Domini exemplum. Neque enim ulla vel minima eſt ratio, cur ad Muliebrem Intuitum & Ingreſſum Sepulchri heic vel unice vel principaliter referamus hunc Terræ Motum, cum Egreſſus Dominici excluſione, & Chriſtum fingamus per Saxum corpore ſuo tranſiiſſe ſeu penetraſſe jam ante; uti hoc cum aliis dictitat *Joh. Gerhardi in Harm. Euang.* & in eam rem quoque laudatur *Hieronymus ad Hedib. Quæſt.* VI. *Angelum non putemus idcirco veniſſe, ut aperiret ſepulchrum Domino reſurgenti, & revolveret lapidem, ſed poſtquam Dominus reſurrexit hora qua ipſe voluit, & quæ nulli mortalium cognita eſt, indicaſſe quod factum eſt, &c.* quod ſi quidquam Corporis Veri Humani naturæ protinus repugnat. Sed & *Ecce* heic ſimul *Cœlum*, ſupremum illud & glorioſiſſimum, quod cum habitatoribus ſuis ſplendidiſſimis teſtatur illuſtriſſimè de Majeſtate Domini noſtri! Quando ex illo prodit viſibiliter Divinus Angelus in tam illuſtri Aſpectu, & tam magnifico Veſtitu, ad miniſtrandum huic Domino ſuo, in aperiendo Sepulchri clauſtro, & prædicanda quoque dein ejus Victoria plena de Morte & Malo omni. Ut hic ipſo opere jam non minus quam apud Conceptionem & Nativitatem antea, apud Aſcenſionem deinde, & apud Judi-

Judicium ultimum olim, præſtet, quod Angelis mandatum fuiſſe Paulus notavit *Hebr.* 1. 6. προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ, & quod firmet alterum illud Pauli 1 *Tim.* III. 16. θεὸς ὤφθη ἀγγέλοις. Et ut hinc conſtet, hunc Redivivum Dominum eſſe ut Deum cum Patre *Dominum cœli & terræ*; & accepiſſe eum ut Mediatorem *poteſtatem omnem in cœlo & in terra Matt.* XXVIII. 18.

VIII. Hoc judicari poſſet etiamnum reſtare inquirendum, quo Temporis Momento iſte Terræ Motus cum Angeli Deſcenſu ad Saxum Devolvendum conjuncto contigerit; ad quod haud difficulter cognoſcendum videmur duci per iſtud καὶ, *Et*, quo res illa geſta cum argumento *verſ.* 1. connectitur ab initio *verſ.* 2. Quæ connexio equidem poſſet forte eſſe & intelligi cum ſola *Re* narrata, ut venerint nempe Mulieres ad ſepulchrum ſpectandum, atque ut etiam contigerit ille Terræ Motus cum Deſcenſu Angeli devolventis Saxum, ſine ulla determinatione Temporis quo res hæc poſterior facta ſit. Sed quæ omnino eſt & agnoſcitur longe plenior, ſi ſimul ſpectet ad idem Tempus quod apud Adventum Mulierum fuit tam clare & emphatice notatum; adeo ut ὀψὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων æque obtinuerit Terræ Motus cum Angeli Deſcenſu & Devolutione, quam Mulierum Adventus. Quem ſenſum ego tantum non neceſſarium putem, ubi nulla nova Temporis Determinatio poſt primam illam eſt adjecta; quin etiam illud ἰδοὺ, *ecce*, ad ſubitaneum & inexſpectatum aliquod factum cogitata noſtra ducere poteſt. Id utique certum eſt, quod Terræ Motus cum Angeli Sepulchrum Aperientis Deſcenſu non contigerit ſerius poſt Mulierum Adventum ad Sepulchrum; cum hæ, antea ſollicitæ de Saxo Devolvendo in ipſo adhuc acceſſu ad Sepulchrum, hoc devolutum repererint attendentes *Marc.* XVI. 3. 4. καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος, ſicuti & legimus *Luc.* XXIV. 2. εὗρον δὲ τὸν λίθον ἀποκεκυλισμένον ἀπὸ τοῦ μνημείου, atque *Joh.* XX. 1. de Maria Magdalene, καὶ βλέπει τὸν λίθον ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου. Et hoc erat, ſi non plane neceſſarium, utiliſſimum ſane ad ſuſpicionem omnem fraudis à diſcipulis factæ longius arcendam, quam tamen mendaciter in vulgus deinde ſparſam fuiſſe monuit *Matthæus verſ.* 12. 13. *&c.* Id ab altera parte,

Connexio iſtius Terræ Motus per Angelum Deſcendentem cum Facto Mulierum Matutino nobis monſtræ Tempus rei geſtæ.

ſi non æque certum, probabile equidem ſatis eſt, quod Terræ Motus cum Angeli Deſcenſu ad Sepulchrum aperiendum non contigerit multum ante Mulierum Adventum, quando uſum eundem per notabile temporis ſpatium non habuiſſet ad quem ordinabatur; dum alia videtur fuiſſe ratio, etiam per clara verba, in textu *Matt.* XXVII. 51–53. καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη, καὶ αἱ πέτραι ἐσχίσθησαν, καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν, καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη, καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς, de quo diximus olim latius *EXERC. TEXT. XXXIII. Parte III.* Præterquam quod res geſta in tenebris adhuc craſſiſſimis noctis, ad fraudis humanæ ſuſpicionem, vanumque prorſus terrorem æque quam ſomnium cuſtodum conjectandum, ducere magis potuiſſe videatur. Unde & in Idem fere aut vere Temporis Momentum convenit referre Terræ Motum & Angeli Deſcenſum cum Mulierum Acceſſu, non quidem inchoato, ſed ferè conſummato, quando omnia per lucem adauctam rectius apud Sepulchrum & in eo videri poterant: Si putes obſtare, quod nec à Vigilibus, nec à Mulieribus ipſis, Chriſtus viſus ſit ex Sepulchro exiens; ſcias, non fuiſſe tenebras plane nocturnas neceſſarias ad impediendum illum conſpectum, cum Egreſſus illius Celeritas ſumma, æque quam Attentio Perterrefactorum ad Geſta mirabilia, quin & multiplex alia Divina oculorum retentio, ad illud ſufficere poſſet. Si porro inſtes, nihil de Terræ Motu, vel & Angeli Devolventis Deſcenſu, animadverſum videri à Mulieribus, quæ cæteroquin, nec miratæ fuiſſent Saxi Devolutionem, nec de furtim Ablato Corpore Jeſu cogitaſſent, uti egerunt tamen *Marc.* XVI. 4. *Luc.* XXIV. 3. 4. *Joh.* XX. 1. 2. 13. hoc attendas velim; quod ſi Terræ Motum forte & paulo ante factum, cum ipſo Angeli Deſcenſu, non adeò obſervaverint aut attenderint Mulieres per zelum ſuum cum ſollicitudine anxia junctum, aut per aliam ſpecialis Divinæ Providentiæ rationem, utique Angelum, pluſquam unum, adhuc præſentem in gloria ſua repererint, hinc perterrefactæ, & per ejus alloquium gratum erigendæ, *coll. verſ.* 5. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἄγγελος εἶπε ταῖς γυναιξὶ, μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς &c. *Marc.* XVI. 6. *Luc.* XXIV. 5. 6. &c. quodque præterea Mulierum anxia incerti-

certitudo de Domini ſui non reperto Corpore tanta facile fuerit, ut mox ad viſa à ſe, quin & audita, non ſatis feliciter & fideliter attenderint.

## CAPUT QUINTUM.

### *Quo Conſequens Glorioſæ Reſurrectionis Dominicæ in Sepulchri Cuſtodibus tractatur.*

Tranſitus ad Obſervata à Vigilibus Facta illa Angelica.

Quis autem fuiſſet Uſus magnus tam illuſtris Gloriæ Chriſti Domini, in ejus Reſurrectione, per Terræ & Cœli Motum inſolitum? ſi neutiquam fuiſſet illa obſervata ab Hominibus, ſive Impiis, qui terrore ſuo eandem quoque haud parum augerent, ſive Piis, qui cum tremore ſancto de illa gauderent uti & cum fidei & ſpei Chriſtianæ fiducia, & ad venerationem ejus religioſiſſimam ſe ſimul componerent. De prioribus ſolus loquens *Matthæus*, & quidem ante narrationem de poſterioribus reliquit nobis; brevius primum illorum *Terrorem verſ.* 4. ſed & latius deinde, poſt alia interpoſita, eorundem *Factum* paulò ſerius, tum *Decens* & bonum *verſ.* 11. tum *Indecens* & peſſimum, ex aliorum *Suggeſtione* perverſiſſima, & cum illius *Fructu* ſimili *verſ.* 12.

Quinam heic per τὸς τηρῦντας ſeu Cuſtodes intelligendi veniant.

II. Sic enim legimus *Matt.* XXVIII. 4. Ἀπὸ δὲ τοῦ φόβου αὐτῦ ἐτινάχθησαν οἱ τηρῦντες, καὶ ἐγένοντο ὡσεὶ νεκροὶ, *præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui*, apud *Vulgatum*, *cuſtodes vero perculſi ſunt præ ipſius metu, & facti ſunt ſicut mortui*, apud *Bezam &c.* Ubi vix ſatis capio, utique nullatenus probo, quæ idem Vir Doct. ſcripſit; οἱ τηρῦντες, i. φύλακες, *ad verbum ii qui ſervabant, ſubauditur*, τὸ τάφον, *ſepulchrum*, (hactenus non male,) *itaque diſtinguendi ſunt iſti cuſtodes ab iis quorum facta eſt mentio Cap.* XXVII. 64. Ex adverſo nihil certius eſt, quam ad verborum horum intellectum eſſe recurrendum ad illa quæ illic leguntur; petiiſſe Sacerdotes & Phariſæos à Pilato, ut *juberet* ἀσφαλισθῆναι τὸ τάφον ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας, *ne venientes Diſcipuli ejus nocte ipſum ſuffurentur, dicantque populo, excitatus eſt à mortuis, eritque error poſterior pejor priori*; & reſpondiſſe ad hæc Pilatum, ἔχετε κουστωδίαν,

σωδίαν, ὑπάγετε, ἀσφαλίσασθε ὡς οἴδατε. Unde ipſi πορευθέντες ἠσφαλίσαντο τ τάφον, σφραγίζαντες τ λίθον, μτ τ κυστωδίας Ubi enim quidquam occurrit in Euangeliis dè aliis ſepulchri *Cuſtodibus?* Et quis ſomniet; vel de Hoſtibus, qui illis cuſtodibus non fidentes ſuo arbitrio amplius obſervarent Crucifixi mortui & concluſi Monumentum? vel de Amicis, qui tanta cum fiducia & cura ad Sepulchrum circumſpicerent de nocte & dè die, quid apud illud tandem fieret? Quibus etiam, nec his nec illis, iſtud nomen τ τηρόντων, *cuſtodientium*, tam apte conveniret, quam illis qui illic ſub nomine Græco-Latino κυστωδίας venerunt, uti & heic *verſ.* 11. 12. στρατιῶται *milites* occurrunt iterum τινὲς τ κυστωδίας, indubie eidem cum τοῖς τηροῦσι, & qui expreſſe conſtituti feruntur ad ſepulchri obſignati ἀσφάλειαν. Cum jam *Cuſtodiam* (quam per ܢܛܘܪܐ reddidit *Syrus*, ſive jam cum aliqua mutatione retenta voce, ſive *quæſtionarios*, ſecundum *Fullerum* & alios, & quam ſexaginta fuiſſe virorum, uti στρατῶν ducentorum, ex *Epiphanio* notavit *Grotius*,) Judæos *habere* dixit Pilatus, quod *etiam Imperandi modo poſſe verti*, *habete*, cum *Eraſmo* notavit *Beza*, quando foret hæc Pilati ſingularis conceſſio præſens; reſpici ex adverſo obſervant communius cum *Beza*, ad *milites præſidiarios Templi Cuſtodiæ deſignatos* à Romanis, qui hinc *collocati erant ad Templum in Antonia*, ſecundum *Joſephum Lib. XVIII. Cap.* 6. & quorum *Præfectus* dicebatur ὁ στρατηγὸς τ ἱερ *Act.* IV 1. v. 24. 26. *&c.* ſicuti στρατηγοὶ τ ἱερ in plurali memorantur *Luc.* XXII. 52. Et hos cum *haberent* conſtanter apud ſe & in uſum ſuum, vel & proxime habuiſſent apud crucem, concedit petentibus Pilatus magis quam jubet, ut *abeuntes*, ab omni violatione *tutum facerent* ſepulchrum, *ſicut noverant* hoc fieri poſſe & ſolere optime. Unde ipſi *euntes*, *ſepulchrum tutum fecerunt*, adhibita ſcil. illa *Cuſtodia* militari & ſufficienti hujus multitudine, qualis etiam ſed major indubiè ſub nomine ἑκατοντάρχ καὶ τ μετ' αὐτ τηρόντων τ Ἰησ apud hujus crucem adfuerat *Matt.* XXVII. 54. Quin etiam dicuntur σφραγίσαντες τ λίθον *obſignaſſe ſaxum.* Ad quam phraſin miror à *Doct. Grotio* ſcriptum eſſe; *Ita in Danielis hiſtoria* VI. 17. καὶ ἤνεγκαν λίθον ἕνα, καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὸ

στόμα

στόμα τοῦ λάκκου, καὶ ἐσφραγίσατο ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ δακτυλίῳ αὐτοῦ. *Josephus in eadem historia ait illos* σφραγίσαι τὸν ἐπὶ τοῦ στομίου κείμενον ἀντὶ θύρας λίθον. *Hoc autem Danielis loco adducor ut credam Pilati annulo & hunc lapidem signatum, hoc Deo agente, ut res anteactæ res Christi undique adumbrarent. Quemadmodum publica sigilli fide constitit Danielem nulla ope humana periculo exemptum, ita simili fide constitit Christi corpus nulla humana manu exemptum sepulchro. Adde Apocal.* xx. 3. Nihil utique heic prorsus de Pilati Annulo rogato vel tradito est in contextu; atque per Danielem conclusum in leonum fovea Prophetice depictam & sic prædictam esse Christi Sepulturam, nondum satis invicte constat, quod tamen ille etiam significat ad textum *Danielis* ipsum; ubi & revera dubitari posse videtur; annon præ Obsignatione Saxi per Annulum Regis & per Annulum Magnatum ejus longe commodius intelligi queat Obsignatio similis Decreti Regii quod per illam fiebat immutabile *vers.* 9. 16. propter additam heic rationem illam, *ut non mutaretur voluntas in Danielem.* Dum certe usus ille Obsignati Sepulchri heic non potuit valere, qui in fovea obsignata apud *Danielem*; quandoquidem Saxo Devoluto indubie Sigillum heic violatum fuit. Sed quid heic factum est à Sacerdotibus & Pharisæis obsignantibus Saxum? Conjicere quidem, sed asserere non ausim, quod illa *Obsignatio Saxi*, minus proprie sic dicta scilicet, sit ipsa Appositio Custodiæ Militaris, ad arcendos potenter homines à Saxi Devolutione. Dum cæteroquin Obsignatio illa constituenda est in Signi Publici Impressione, quæ autoritatem militum firmaret, & homines à vi tentanda absterreret, potius quam hanc actu averteret aut facientes proderet. Ut ad rem nostram redeamus tandem, dicuntur isti Milites, οἱ τηροῦντες, *custodientes*, scil. Saxum & Sepulchrum cum Christi Corpore in eo, in Participio, forte in majori emphasi, non tantum ab Officio ad quod constituti erant, sed etiam ab ipso Actu quo illud fideliter præstiterunt; ut intelligamus sic illos nec dormivisse, nec aliud egisse, nec abiisse longè, dum fierent ista quæ narrantur, sed ex adverso fuisse attentos ad omnia, etiam illa quæ tandem mirabiliter fiebant apud Sepulchrum, sive hoc de illis dictum indefinitum intelligere oporteat de iis omnibus quotquot con-

ſtituti heic eſſent, ſive etiam de maxima aut magna horum parte; hinc enim res præcipua non pendet, & utroque ſenſu ſic potuit loqui Matthæus, uti locutus eſt.

Qui commoti & facti ut mortui fuiſſe feruntur præ Angeli tam mira operantis metu.

III. De iſtis τοῖς τηροῦσι fertur autem, quod ἐσείσθησαν, *commoti ſint*, poſt terram commotam; tum Mente primò, incerti quid fieret modo, & quid porro futurum eſſet, circa ipſos & adverſus ipſos, ſive à Deo ſive & forte ab hominibus; tum & Corpore conſequenter, dum ejus membra plura tremore valido quaterentur, nec officio ſuo ſic ſatis feliciter fungi poterant. Uti & ſequitur quod *ſicut mortui fuerint*, vel *facti ſint*; ita mentis minus compotes, vel mortem præſentiſſimam tantum non unicè cogitantes, ut nec loqui, nec ſe movere, nec conſiſtere forte aut ſentire quidquam amplius poſſent, contracto etiam mortuorum pallore, *coll. Marc.* IX. 26. *Apoc.* I. 17. *Dan.* VIII. 18. X. 8. 9. *Act.* IX. 4. *&c.* Atque hoc etiam addidit *Matthæus*, quod contigerit ἀπὸ δ φόβε αὐτε, *ex*, aut *ab*, *ejus*, ſive omnis quod fiebat modo, ſive directè Angeli deſcendentis & omne illud facientis, *metu*, quem hinc concipiebant, cæteroquin audaciſſimi homines, videntes non eſſe humana ſed Divina verius, vel certe pluſquam humana, quæ heic videbantur & audiebantur, & ad quæ avertenda illi quidem erant conſtituti, ſed minime apti. Uti magnopere præ aliis ſimile eſt illud, quod ad Miracula Jeſu morientis de centurione cum cuſtodibus fertur *Matt.* XXVII. 54. ἰδόντες τ σεισμὸν κ τὰ γενόμενα ἐφοβήθησαν σφόδρα, λέγοντες, ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς ἦν ὅτος, magis forte quam quod de Turba Jeſum apprehenſura legitur *Joh.* XVIII. 6. ὡς οὖν εἶπεν αὐτοῖς, ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, κ ἔπεσον χαμαί.. Nec mirabitur quiſquam, ab Angeli conſpectu & operatione tam illuſtri ac potenti ita affectos fuiſſe homines profanos; ad quem pii ipſi contremuerunt totiens ſuæ indignitatis & impotentiæ conſcientia propria. Sed agnoſcere ad iſta oportet Chriſti Redivivi Majeſtatem, quæ per Angelum ſuum in hoſtibus tantum terrorem eſt operata certiſſime. Obſtat interim omnino iſte terror maximus ex Angeli conſpectu magnifico, quo minus aſſeramus cum quibuſdam, Excubitores in ipſum Sepulchrum ingreſſos eſſe ad quærendum illic Chriſti Corpus, priuſquam adeo percellerentur.

IV.

IV. Ista autem cum contigerint mox ad Christi Resurrectionem, videamus nunc quid paulo serius ab iisdem Vigilibus factum sit; & quidem primum non male, uti id narratur à *Matthæo vers.* 11. πορευομένων δὲ αὐτῶν, ἰδού τινες τῆς κουστωδίας ἐλθόντες εἰς τὴν πόλιν ἀπήγγειλαν τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἅπαντα τὰ γενόμενα. Ubi miramur rursus illa, quæ *Beza* noster annotavit, ad rei hujus gestæ tempus spectantia. Quod cum designaverit Euangelista, per primas voces, *illis autem proficiscentibus*, vel *euntibus*, nempe Mulieribus à Sepulchro in urbem ad Discipulos, ex Angeli & Christi visi jussu claro *vers.* 7. 10. lubuit Doct. Interpreti huic illa quæ sequuntur reddere in plusquam perfecto; *ecce quidam ex custodia venerant in urbem, & nunciaverant primariis Sacerdotibus omnia quæ facta fuerant*, pro eo quod *Vulgatus* habet, *quæ quum abiissent*, (pro *abirent*, per Enallagen heic à *Pontificiis* traditam) *ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem & nunciaverunt &c.* Cujus rei rationem ille dedit; *Nec enim custodes discessum illarum sequutæ sunt, sed ut ipsa narrationis series ostendit, antequam illæ vel quisquam alius ad sepulchrum perveniisset, terræ motus ille evenit, & lapide per Angelum revoluto, Christus resurrexit, & Custodes perculsi in urbem redierunt, quos si apud sepulchrum reperissent Mulieres, credibile non est illas fuisse ad sepulchrum usque progressuras. Itaque* ἐλθόντες *&* ἀπήγγειλαν *recte converti per præteritum pluſquam perfectum.* Sicuti & *ad vers.* 4. notaverat idem; *Hoc intelligendum est contigisse ipsa Resurrectionis Christi momento, antequam Mulieres ad locum ipsum perveniissent, utpote quæ diluculo profectæ in itinere substitissent, incertæ & consilii inopes super Saxi amolitione quo fuerat monumentum obstructum, imo etiam ignaræ custodiam adhibitam sepulchro fuisse, & obsignatum fuisse Saxum, hoc videlicet à Judæis facto. Nec enim ausas fuisse accedere probabile est, si istud rescivissent, aut fuisse constantiores futuras custodibus, si terræ motus ille præsentibus ipsis incidisset. Repererunt ergo sepulcrum jam apertum, custodibus quoque in urbem regressis.* Enimvero sic Participium illud cum Pronomine πορευομένων αὐτῶν, nullum heic locum vel sensum commodum habebit, quem habet optimum, si præsens vel etiam præteritum Mulierum iter designent, dum ista quæ narrantur fierent à Militibus. Nec

Et qui deinde quidam, abeuntibus Mulieribus, in Urbem venientes Pontificibus annunciarunt omnia facta.

eſt quidquam minus probabile, quam quod Cuſtodes perculſi in urbem redierint, antequam Mulieres ad Sepulchrum advenerint; quaſi hæ non auſæ fuiſſent alias illuc accedere, quæ fortiore Spiritus motu impellebantur ad hoc, & perculſos hos metu videbant, & rationem metus eandem plane cum Vigilibus non habebant, & à Metu per Angelum valide fuerunt revocatæ, imo quaſi hæ non merito fuiſſent conſtantiores per rationes iſtas à nobis datas. Per quas rationes perinde concidit, quod *Doct. Voſſius* putat, *poſt fugam militum* demum acceſſiſſe Mulieres, quæ hinc *Angelos ſolum non etiam milites viderint*; à quibus ſcriptis *Cap.* 1. & ipſe dein multum abit *Cap.* 3. Ergo, quoad rem heic occurrunt omnino non omnes ſed *quidam cuſtodiæ, qui in Urbem veniunt, & Pontificibus annunciant omnia facta*; quod factum *mulieribus proficiſcentibus*, atque notabile eſſe, per *ecce* docet Euangeliſta. Sic antea dicti οἱ τηροῦντες *cuſtodientes*, nunc veniunt ſub nomine *cuſtodiæ* ſenſu collectivo; niſi forte mavelis, ipſum actum cuſtodiendi magis proprie heic ſignificari, ſenſu præcipuo manente eodem. Sunt autem illi de quibus heic ſermo eſt, non omnes ad Cuſtodiam illam pertinentes, qui injuſſi imprudentiſſime hinc abiiſſent in urbem; uti nec eſt unus aliquis; ſed *quidam*, τινὲς, plures numero amplius non determinato, qui pleniſſime ſufficerent dando teſtimonio fide digno, qui & hinc præcipui potius inter eos quam infimi fuiſſe videntur prorſus. Communius quod de his fertur eſt, quod *in urbem*, Jerushalem extra quam apud Sepulchrum Domini noſtri fuerant collocati, concedente Præſide ad Judæorum petitionem, *venerint*, à reliquis etiam miſſi aut dimiſſi, itinere illuc ſuſcepto & promoto ad præcipuos eorum à quibus juſſa acceperant, nempe ad *Pontifices*, ἀρχιερεῖς, ſeu *Principes Sacerdotum*, uti *Vulgatus*, ſeu *Primarios Sacerdotes*, uti *Beza* vertere ſolet. Quod illo fine & effectu ſimul factum eſt, ut non imprudenter Plebi vel quibuſcunque obviis, nec etiam Pilato Præſidi, ad quem ſatis ſecurum minus quam ad Judæos ſollicitos res iſtæ ſpectabant, ſed hiſce Pontificibus, pluribus ſimul certo loco præſentibus vel ſucceſſive, *facta*, apud cuſtodiam ſuam cœleſtia & terreſtria, *omnia*, inter quæ forte & Mulierum facta & fata quædam, *annunciaverint*, plene & clare, ſecundum vim Præpoſitionis

sitionis ἀπὸ in hoc verbo. Quod ab hisce Militibus factum indubie est, ut fidem suam constituentibus se probarent, & ab ipsis jussa ulteriora nova acciperent, etiam ex consilii proprii inopia manifesta. Hoc autem fieri ab ipsis nullo modo potuit, quamdiu per terrorem essent mortuorum instar, & antequam qualicunque modo ab eo essent restituti & animos recepissent. Quorsum nos etiam ducit illud *Matthæi*, πορευομένων αὐτῶν, *proficiscentibus*, vel *profectis eis*, Mulieribus nempe, quæ quamdiu præsentes illic manerent, quin & adessent Discipuli alii, tam diu forte abitus ipsorum potuit videri minus tutus, & narratio instituenda minus plena. Et *ecce*, hoc certissimum ac maximi ponderis factum Militum bene notari merebatur; ut Christi Resurgentis Majestatem summam etiam ex Hostium profanorum ore audiremus, & quod factum erat à Judæis ad exstinguendum Servatoris nostri nomen, idem cedat palam ad ejus gloriam firmandam & augendam.

V. Et quid ad ista à Custodibus audita *Factum* est porro, tum à *Pontificibus*, tum ab ipsis *Militibus*, pessime? Quod ad Pontifices attinet, hi audita relatione sibi procul dubio ingratissima, *cum Presbyteris* populi, quorum erat hæc res communis, *congregantur*, paratissime, & forte plusquam semel in re hac maximi momenti, unde pendebat ipsorum tranquillitas, & omnis pessimi flagitii successus scilicet, magis vel minus solito modo & loco. Atque *consilio capto*, eam in rem post deliberationem seriam, τοῖς στρατιώταις, *militibus*, nempe *illis*, quod addidit *Beza*, qui cum nuncio ingrato venerant ad Pontifices, & per hos etiam reliquis quibus sepulchri custodia fuerat demandata, ne repugnantia inter se dicerent, ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν, *pecuniam copiosam* apud *Vulgatum*, *nummos non paucos*, apud *Bezam*, sed ad literam *argenteos sufficientes*, seu *dignos* opere mandato, & æstimatione humana, adeoque multos & copiosos, dum etiam in *Vetustissimo Codice* legit *Beza* ἀργύριον ἱκανὸν, *dederunt*, in speciem pro opera quidem ipsis præstita in sepulchri custodia digna, & pro relatione insecuta, ne ipsis ingrata apud populum videretur, sed revera ne irritarent ullo modo referentium animos, & ad eos corrumpendos porro in rem suam. Sicuti hinc subjicitur;

Prout hi cum Presbyteris congregati, consilium sumpserunt de corrumpendis pretio Militibus, ut pro veritate crassissimum spargerent mendacium de Christo furtim ablato ex sepulchro, ipsi præstandi satis securi, qui & id egerunt, cum externo successu magno.

*dixiſſe* eos militibus iſtis per modum ſeu conſilii ſeu mandati, *dicite*, à nobis dimiſſi cum hoc præmio, non jam apud Præſidem, cui abſque ſingulari juſſu rationem huic reddendam non habebant, ſed apud populum obvium, ad ſpargendum ſic quaquaverſum hunc rumorem, *ejus*, noti hominis crucifixi & indigni qui nominetur, *diſcipuli*, ſeu aſſeclæ vel aperti vel & operti, quos habuit ſatis multos & fervidos, & quidem numero plures, *nocte* tenebricoſa, *nobis* hinc *dormientibus*, per fatigationem vel & ſecuritatem ex diſcipulorum diſperſione ortam, *venientes*, ad ſepulchrum, quod nimis ſero reſcivimus ad vim opponendam cum fructu, *eum*, ſeu ejus cadaver, *furati ſunt*: ſeu furtim acceperunt & ex ſepulchro abſtulerunt, certo vel probabiliter ſecundum id quod antea metuerant Sacerdotes ipſi *Matt.* XXVII. 64. μήποτε ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς κλέψωσιν αὐτὸν, καὶ εἴπωσι τῷ λαῷ, ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, *&c.* Quod ſi ita vere fuiſſet factum, nihil de ipſius Reſurrectione poterat credi amplius, vel ab ipſo ſperari ab hominibus; adeoque actum foret de Euangelio, quocunque etiam ablatum corpus deportaſſent Diſcipuli, ſicuti ex adverſo narrata à militibus portenta illud debebant plurimum firmare. Interim apud rite attendentes mendacium pellucere debebat, homines paucos, viribus deſtitutos, animis deficientes, cum mœrore & pudore disjectos, vim publicam quam nullam pro vivo adhibuerant tentaturos contra cuſtodiam militarem ſufficientem, & quidem ad ignominioſe mortui cadaver, quod nulli ipſis uſui eſſet, atque in ſepulchro ſatis honorato tutiſſime & pretioſiſſime abſconditum, inde abducendum, & incerto loco recondendum, tantum in fraudis orbi faciendæ occaſionem, ex qua nihil boni ſperare dabatur, ſed mala omnia erant metuenda, & à qua ſecundum Magiſtri ſui doctrinam notiſſimam Viri honeſti alieni prorſus debebant haberi merito. Attamen non obſtabant iſta omnia, quo minus apud incredulos, fraudulentiæ ſuæ ſibi conſcios, qui in perditionem Jeſu omnia cum inſano fervore contulerant juxta Sacerdotes & Seniores, & de Diſcipulis ejus male ſentientes pari in hos animo ferebantur, falſiſſimus rumor iſte poſſet admitti; ubi Diſcipulorum Affectus ſingularis in Jeſum erat notus, & in ipſa morte & ſepultura Jeſu demonſtratus, qualis

ad

ad ejus reliquias ſibi ſurripiendas facile duceret, dum ad honorem funeri exhibendum ipſæ etiam Mulieres alto mane aderant; ubi de magno cuſtodum qui vim averterent numero nihil magnopere nobis conſtat, vel & Diſcipulis conſtabat; ubi cauſa Magiſtri, qui ſe Tertio Die ſuſcitandum dixerat palam, non videbatur tam citò deſerenda, per relictionem ejus in ſepulchro ultra illud tempus; ubi ſurreptionem ejus ex iſtis rationibus metuerant ipſi antea Sacerdotes, & metuere ſe profeſſi erant apud Pilatum Præſidem; ubi rem hanc ita geſtam eſſe teſtabantur complures, & quidem publici Cuſtodes, quibus præ aliis fides habenda, & quos ita dormiviſſe ſimul omnes non diceretur, ut nullam prorſus rei factæ notitiam à poſteriori poſſent habere, dum cæteroquin pro tali notitia ſubſtitui poterat conjectura neceſſaria ex Saxo amoto cum exemptione Cadaveris dum dormiiſſent ipſi, atque ex hærentibus adhuc poſt evigilationem Mulieribus apud ſepulchrum. Atque iſtud quidem quando volunt Sacerdotes dici à Militibus, non tantum interdicunt teſtimonium verum rerum geſtarum cum ipſorum tremore magno, quod aliquando eſt equidem minus neceſſarium per varias cauſas, attamen heic pro Chriſto dari omnino debuiſſet, per rationes varias illos ad hoc vocantes, à parte Dei, & Chriſti, & ſui, & populi omnis; ſed & mandant mendacium impudentiſſimum his contra conſcientiæ propriæ dictamen, intuitu uſus hinc ſecuturi in rem ſuam, quaſi facienda forent unquam mala ut eveniant bona, ſive Sacerdotes relationem præcedentem Militum haberent pro vera, cauſisque naturalibus aut ſupernaturalibus eventus iſtos tribuerent, ſive etiam eandem minus veram exiſtimarent, inani ſcilicet metui & vanæ imaginationi potius tribuentes. Ne vero Mendacium hoc divulgarent Milites ex Sacerdotum & Seniorum voto, prævidebant hi forte obſtiturum metum pœnæ inferendæ propter dormitionem ſuam & hinc ortam cuſtodiæ mandatæ negligentiam, forte cum perfidia aliqua junctam, atque hinc eundem prævertere conantur addentes; *Et, ſi hoc* de ablato furtim hujus cadavere per veſtram permiſſionem, ἐπὶ ἡγεμόνος ἀκουσθῇ, non jam ſub *Præſide* (quod multis urget *Eraſmus Schmidius*, ex ſolito alias præpoſitionis iſtius uſu illo, tam ſacro *Marc.* 11.

24.

24. *Luc.* III. 2. IV. 27. *&c.* quam profano apud *Xenophontem*, *Diodorum*, *Pindarum*, *&c.*) sed *apud Præsidem*, vel *coram Præside*, in Judiciali ipsius functione, *coll. Act.* XXV. 9. 1 *Tim.* VI. 13. *&c.*

ܩܕܡ ܗܓܡܘܢܐ apud *Syrum*, potius quam simpliciter à *Præside*, qualicunque modo extra judicium, non στρατηγῷ τοῦ ἱεροῦ, sed Pilato ipso, *fuerit auditum*, illuc per modum Accusationis delata hac causa, secundum severam Romanorum disciplinam militarem adversus male curatas excubias, & desertam stationem, quam heic etiam ex *Digestis* nominavit cum aliis pluribus *Grotius*, ἡμεῖς πείσομεν αὐτὸν καὶ ὑμᾶς ἀμερίμνους ποιήσομεν, *nos*, pro ea qua valemus apud eum existimatione & gratia, potius quam auctoritate, & pro ea relatione quam res hæc habet ad nostram petitionem priorem, ad mandatum quod à nobis immediate accepistis, quin & ad nostra commoda vel incommoda, *illi*, Pilato Præsidi, *persuadebimus*, iis quibus convenit modis sed sufficienter & facile, non, illa esse vera quæ vos narratis, sed ut nihil contra vos agat aut statuat, nempe ingrati eam ob rem, (*placidum reddemus*, dixit *Grotius*, *coll.* 1 *Joh.* III. 19.) *atque* sic *vos* plane *securos*, æque quam *tutos*, faciemus, extra omne periculum constitutos, & prorsus indemnes. Quod tanto magis sperare, quin & præstare poterant, quanto minus res ista horum militum ad Pilatum ipsum & Romanos spectabat; imo quanto magis ad mala Jesu inferenda ipse quasi invitus à Judæis tractus fuerat hactenus. Ita nempe per impunitatem externam ad scelera trahere solet sæpe mundus, quasi hac impetrata non amplius exspectanda vel æstimanda esset Dei ipsius vindicta longe major. De qua cum & heic minus solliciti essent Romani Milites, paratissime jam data pecunia pro sua auri sacra fame inescati quoque, quæ non sinebat dubitare de favore ulteriore Sacerdotum; hinc οἱ λαβόντες τὰ ἀργύρια, *acceptis* latè & avide *argenteis*, ἐποίησαν ὡς ἐδιδάχθησαν, *fecerunt*, *sicut erant edocti*, à Sacerdotibus seducentibus, contra scientiam & conscientiam fœdissimum illud mendacium, quod si non in damnum certe in ipsorum dedecus cedere debebat, spargentes quaquavorsum. Unde fertur & istud esse consecutum, quod ὁ λόγος οὗτος διεφημίσθη παρὰ ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον. Quæ verba clarissimum

ſimum prorſus nexum habent cum illis, quæ à Sacerdotibus mandata, atque à Militibus ad eorum lubitum facta fuerunt. Unde *ſermo hic*, indubie eſt falſiſſimus ille, de furtiva Ablatione Corporis Jeſu ex Sepulchro per Diſcipulos dum dormirent cuſtodes nocte; qui *apud Judæos*, incredulos & contumaces, *divulgatus eſt*, in publicam famam abiens, *in hodiernum uſque* diem, ſeu tempus ſerius Euangelii hujus ſcripti poſt annos aliquot, quorum numerum certo determinare nec licet nec opus eſt, *coll. Matt.* XXVII. 8. 2 *Cor.* III. 14. 15. permittente Deo per ſanctiſſimam & ſapientiſſimam providentiam ſuam, ad fidelium verorum probationem aliorumque promeritam perditionem.

Ad quem mendacii ſucceſſum longe rectius quam ad veram Corruptionis hiſtoriam referendum Verbum apud Judæos divulgatum.

VI. Unde graviter & optime ſcripſit olim *Tertullianus Apol. Cap.* XXI. *Tunc Judæi detractum & ſepulchro conditum, magna etiam militaris cuſtodiæ diligentia circumſederunt, ne quia prædixerat tertia die reſurrecturum ſe à morte, diſcipuli furto amoliti cadaver fallerent ſuſpectos. Sed ecce die tertia concuſſa repente terra, & mole revoluta quæ obſtruxerat ſepulchrum, & cuſtodia pavore disjecta, nullis apparentibus diſcipulis, nihil in ſepulchro repertum eſt præterquam exuviæ ſepulti. Nihilominus tamen Primores, quorum intererat, & ſcelus divulgare, & populum vectigalem & familiarem ſibi ad fidem revocare, ſurreptum a diſcipulis jactitaverunt. Nam nec ille ſe in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur, ut & fides non mediocri præmio deſtinata difficultate conſtaret &c.* Quin & latius *Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryph.* habet; Καὶ ὁ μόνον ὁ μετενοήσατε, μαθόντες αὐτὸν ἀναςάντα ἐκ νεκρῶν, ἀλλ' ὡς ςρατηγὸν ἄνδρας χειροτονήσαντες ἐκλεκτοὺς εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπέμψατε, κηρύσσοντας, ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ὑπὸ Ἰησοῦ τινὸς γαλιλαίου πλάνου, ὃν ςαυρωσάντων ἡμῶν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κλέψαντες αὐτὸν ὑπὸ τὴν μνημαλίαν νυκτὸς, ὁπόθεν κατετέθη ἀφηλωθεὶς ὑπὸ τὴν ςαυρὸν πλανῶσι τοὺς ἀνθρώπους, λέγοντες ἐγηγέρθαι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ εἰς οὐρανὸν ἀνεληλυθέναι, &c. Quæ loca laudans *Grotius*, ſimul addidit; *Veteres omnes magno conſenſu intelligunt famam illam mendacem de Corpore Chriſti à Diſcipulis ſubtracto. Quod ſi recipimus &c. Et certe ſparſum ab eis omni ſtudio hunc rumorem eo eſt credibilius, quia ſine tali aliquo figmento apertiſſime ſceleris convincebantur. Neque enim fieri poterat, ut qui Deum rebus*

 *huma-*

*humanis præſidere, ſimulque Jeſum ad vitam reſuſcitatum crederent, de ejus innocentia dubitarent. Quare merito in omnibus diſputationum congreſſibus hic gradum figunt Apoſtoli.* Unde nequeo ſatis mirari, quo pacto aliam plane exegeſin jungere cum qualicunque commendatione heic potuerit idem Vir Doctus, quaſi ſermo hic notaretur de ipſa Sacerdotum & Militum fraude. *Malunt tamen*, inquit, *alii diligentes atque eruditi harum literarum interpretes ita hæc Matthæi verba accipere, quaſi dicatur, non potuiſſe ita celari ſceleratam iſtam inter Sacerdotes & Milites mendacii nundinationem, ut non aliquam rimam inveniret veritas, per quam in publicum emanaret. Quod ipſum quoque veriſſimum credo, & hoc initium quoddam fuiſſe multorum ad Chriſtum converſionis. Nam ad Pilatum quoque perveniſſe videtur hujus doli notitia, quando Tertullianus his quæ ex iſto citavimus iſta ſubjicit; ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nunciavit. His ita expenſis, ut neutrum improbo, ita priorem interpretationem poſteriori præfero.* Enimvero qui heic διεφημίσθη λόγος eſt, non vera narratio de fraude Sacerdotum & Militum, ad Chriſtianos ab olim uſque hodie per Euangelium Matthæi delata, ſed rumor falſus ille ſparſus à Militibus, agentibus ſecundum juſſum Sacerdotum, apud Judæos, qui in incredulitate ſua illi fidem olim habere magis quam Deo loquenti & operanti voluerunt, uti res ipſa loquitur.

Corruptio illa quo pacto ſatis facile innotuerit Matthæo, in ea narranda fidem omnino merenti.

VII. Sed, inquies tu forte, unde illa clam acta inter Sacerdotes & Seniores cum Militibus habuit Matthæus, ut cum fiducia non tantum propria ſed & cum decenti fide aliorum eadem tradere potuerit? Qua in re nos equidem Chriſtiani ſecuri eſſe debemus & poſſumus, per creditam à nobis Divina illuminatione ac perſuaſione Inſpirationem Matthæi Apoſtolicam, in omnibus quæ ille tradidit Eccleſiæ in Euangelio ſuo, ſive ea aliunde conſtarent, ſive non, cujus & poſterioris generis ſunt forte plura in eo. Sed quis exiſtimet, inter complures Judæos varii generis ab una parte, & Romanos Milites ab altera, & ab his utrisque facta, ita potuiſſe latere, ut non facile in publicum prodirent? ſive notabili aliqua imprudentia variis in perſonis & caſibus, ſive conſcientiæ morſu moleſtiore, inprimis ad factam ab aliis reprehenſionem ſeriam

riam & convictivam, sive conversione salutari mentis, à qua nec Judæos istos omnes nec Romanos excludere jubemur, post ea quæ dehinc sunt ab & in Christo secuta. Quæ tamen fidem Divinam mundi non potuissent heic operari, nisi per Spiritum rem gestam nobis reliquisset *Matthæus*, solus heic in ea latius descripta fidem æque meritus quam alias nonnunquam, ubi eadem non tradiderunt reliqui Euangelistæ. Dum ad majorem *Matthæi* fidem heic etiam facere potest ipsius verbi divulgati argumentum, quod tam parum verisimilitudinis habebat, ut vix aliunde quam à Judaica Militum Corruptione posset deduci; secundum ea, quæ antea de eo notavimus §. V. Quibus satis conformia utique heic etiam reperio apud *Grotium ad vers.* 13. *Videmus hic* τὸ αὐτοκατάκριτον. *Veritate audita ex non suspectis testibus, mendacium pecunia redimunt. Nimirum vitia in præceps ducunt. Ambitio & Invidia crudelitatem attraxit, ea expulit quod supererat conscientiæ. Bene autem notant hic Veteres improbarum mentium cæcitatem. Si quis enim placido animo res consideret,* σφόδρ' εὐάλωτόν ἐστιν ἡ πονηρία. *Quomodo enim constare poterat fides testibus de eo quod se dormientibus dicerent evenisse! Deinde qua fiducia aust hoc fuissent homines & inermes & piscatores? Si impostorem Christum ipsi jam intra mentem animi sentiebant, cur pro ipso subirent periculum? Si à Deo missum crederent, quæ religio ipsos impellebat ad furtum & mendacium? Ut pro concepta opinione mortem quis subeat, fieri potest; quamquam & hoc rarum est: at ut quis idem faciat pro testimonio rei quam falsam esse novit, & unde nihil aut ipsi aut aliis boni possit sperare, omnibus sani judicii hominibus incredibile videri debet.* Quibus similia apud *Vossium* quoque legas. Et pellucet adeo Domini nostri Resurgentis gloria illustrissima, non tantum per conturbatorum Militum Narrationem priorem veram; sed & per insecutum eorundem Mendacium fœdum & crassum, quod non aliunde quam ex consilii melioris defectu, & ex corruptione impia hostium Christi deducas.

## CAPUT SEXTUM.

### *Quo agitur de Fœminarum Piarum, & Diſcipulorum Fidelium, Facto & Fato apud Chriſti glorioſam Reſurrectionem.*

Tranſitus ad Fata & Facta Mulierum Piarum & Diſcipulorum.

Non minorem vero, ſed & majorem potius, conſiderationem merentur, quæ ad Domini Reſurrectionem contigere ipſum amantibus *Fœminis & Diſcipulis*; etiam propter Diverſam Euangeliſtarum narrationem, quæ ab omni adverſitate eſt omnino liberanda, ne eorum teſtimonio nixa fides Chriſtiana in præcipuo hoc capite, vel cadat prorſus, vel vacillet nimium. Atque hic præmittemus quidem illa quæ de *Mulieribus* narrantur primum, deinde ad *Diſcipulorum* hiſtoriam ſubjectam commode tranſituri. Dum horum omnium ſummam contractius expoſuerunt Emmauntem euntes duo illi *Luc.* XXIV. 22. 24. Ἀλλὰ καὶ γυναῖκές τινες ἐξ ἡμῶν ἐξέησαν ἡμᾶς, γενόμεναι ὄρθριαι ἐπὶ τὸ μνημεῖον. Καὶ μὴ ἑυρόσαι τὸ σῶμα αὐτοῦ ἦλθον, λέγουσαι, καὶ ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι, οἳ λέγουσιν αὐτὸν ζῆν. Καὶ ἀπῆλθον τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν ἐπὶ τὸ μνημεῖον, καὶ εὗρον οὕτω καθὼς καὶ αἱ γυναῖκες εἶπον, αὐτὸν δὲ οὐκ εἶδον.

Mulieres piæ nominantur aliquæ, Maria Magdalene, Maria Jacobi, Salome, & Johanna; aliis indefinitè notatis, quæ illis adfuere.

II. Scilicet *Mulieres*, illic à Sexu ſolo ſine nominibus & indefinito numero plurali notatæ, nominantur apud *Matthæum* quidem *Cap.* XXVIII. 1. *Maria Magdelene, atque Maria alia*; ſed apud *Marcum Cap.* XVI. 1. *Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome*; apud *Lucam Cap.* XXIII. 55. deſcriptæ prius ut γυναῖκες αἵ τινες ἦσαν συνεληλυθυῖαι αὐτῷ ἐκ τῆς Γαλιλαίας, dein *Cap.* XXIV. 10. *Magdalene Maria & Joanna & Maria Jacobi, & reliquæ cum ipſis*; denique apud *Johannem Cap.* XX. 1. non niſi una *Maria Magdalene.* Apparet ex omnium traditione pari de *Maria Magdalene*, quæ à tribus primo loco nominatur, & ab uno ſola, hanc fuiſſe, una vel alia vel multiplici forte ratione, generis, ætatis, poſſeſſionis, &c. digniſſimam verè, quin & pietate ac zelo laudabili primam, ſi non unicam forte *in faciendis ſumptibus unguenti* quod & conjicit *Voſſius.* Nomen illud proprium, ex Hebræo מרים / *Mirjam*, ſeu Μαριὰμ, uti & legitur *Luc.* I. 27. 46. indu-

indubiè factum, pro quo & *Mariamne* legitur apud *Josephum*, (expositum per *amaram*, seu *valde tristem*, seu *contumaciam*, sed apud *Hieronymum* per *illuminatricem meam*, seu *illuminantem eos*, seu *illuminant me isti*, seu *smirnam maris*, seu *stellam maris*, dum *in Matth.* tamen post istas expositiones subjicit, *mihi nequaquam videtur, melius autem est ut dicamus, sonare eam stellam maris, sive amarum mare, sciendumque quod Maria sermone Syro Domina nuncupatur*, ab aliis non minus forte recte & apte ad מרום *altitudinem* relatum,) habuit hæc commune, non tantum cum Sorore Mosis, sed & cum Sorore Lazari, & cum Sorore Deiparæ Virginis, quin cum hac ipsa θεοτόκῳ, ut de Matre Johannis dicti Marci, & de alia Romæ salutanda *Rom.* XVI. 6. nunc non dicam. Quapropter distinctionis ergo hæc accipit satis constanter cognomen *Magdalenæ* (unde illud מגדלא שער/ *plicatricis capillorum*, Mariæ cuidam datum apud *Gemaristas*, probabiliter deducere conatur *Cel. Ligtfootus*,) *Syriace*, ܡܓܕܠܐ/ non tam verisimiliter à *magnitudine*, instar *turris*, quasi *turrensis* apud *Hieronymum*, quam à loco ortus sui *Magdalo* vel *Magdala* dicto *Matt.* XV. 39. mirantibus meritò eruditis hinc, quod Cognomen hoc à singulari patria petitum dudum transierit in Nomen proprium tam multarum apud nos mulierum, forte ob ejus affinitatem aliquam primi nominis earum seu ab initio seu à fine. Et de hac Muliere, quam *Cananæa* in Euangelio *filiam* quosdam statuisse refert *Nicephorus Lib. I. Cap.* 33. vix quidquam certi nobis constat, quam quod legimus *Luc.* VIII. 3. *Dæmonia septem ex ea exiisse*, quæ & *ab ea expulisse* Christus fertur *Marc.* XVI. 2. absque ratione non trahenda ad Peccata hujus singularia, aut ad Corporis etiam Vitia; ubi in contextu proximo agitur de mulieribus sanatis non modo ab ἀσθενείαις sed & πνεύμασι πονηροῖς. Dum nullo equidem fundamento nituntur traditiones de Mulieris hujus Impuritate libidinosa priori; neque illa haberi cum ulla specie potest pro *peccatrice* illa resipiscente de qua actum fuerat *Luc.* VII. 37. *&c.* Et dum vere mirandum est, quod ad solvenda dubia Euangelica *Ambrosius Lib. X. in Luc.* posuit duas mulieres quæ habuerint idem hoc nomen & cognomen Mariæ Magdalenæ. Post illam Mariam

Magdalenam apud *Matthæum* prodit *Maria alia*, vel *altera*; quæ à *Marco* & *Luca* dicitur *Jacobi* Minoris, quin & ſimul *Joſe* apud *Matthæum Cap.* XXVII. 56. mater, quæque eadem creditur fuiſſe cum *Maria Clope*, ſive filia, cum eſſet uxor Alphæi, *coll. Matt.* X. 3. ſive & uxor hujus tanquam alterius mariti, ſi non utrumque nomen ad eundem maritum nos ducat. Et hæc eſt, quæ communiter habetur pro Sorore B. Virginis ſeu germana ſeu conſobrina; unde & Jacobus ejus filius dicatur *frater Domini Gal.* I. 19. Poſt hanc utramque Mariam *Marcus* producit *Salomen*, à *perfectione* aut *pace* appellatam; quæ habetur pro matre Filiorum Zebedæi, ſeu Jacobi majoris & Johannis, ex *Matt.* XX. 20. & XXVII. 56. *&c.* à Chriſto ob vanam petitionem redarguta, nec tamen hunc amare deſinens, *Matt.* XX. 22. *&c.* quam eandem cum Maria Clopæ eſſe vult *Voſſius* temere prorſus. Adhuc *Lucas* habet *Joannam*, à Divina gratia ſic dictam; quam idem Euangeliſta *Cap.* VIII. 3. deſcripſit ut *uxorem*, in præſenti vel præterito, *Chuzæ ἐπιτρόπου Herodis*, habiti à nonnullis pro βασιλικῷ illo cujus filium Jeſus ſanavit *Joh.* IV. 46. quem alii tamen putant μαγειρὸν Herodis σύντροφον *Act.* XIII. 1. Ad quas nominatas quatuor idem generalius addidit τινὰς σὺν ἄυταῖς, imo τὰς λοιπὰς σὺν ἄυταῖς, *reliquas cum illis*, quod tamen à *Vulgato* abeſt, ſeu plures Chriſto adhærere ſolitas, inter quas & *Suſanna* quædam nominatur *Luc.* VIII. 3. quarum numerus non eſt determinatus heic magis quam apud Chriſti crucem *Matt.* XXVII. 55. 56. ſed quæ ex *Galilæa* potiſſimum ortæ indo *cum Chriſto venerant*, ipſum ita ſecutæ ex amore, etiam gratum animum pro beneficiis magnis teſtantes, ut *miniſtrarent Chriſto de facultatibus ſuis*, quod de his & *aliis multis* fert *Lucas Cap.* VIII. 3. dum heic *nonnullas cum illis Voſſius* vellet facere *Hieroſolymitanas potius*. Ipſa tamen Mater Domini, quæ ad Crucem adſtiterat *Joh.* XIX. 25. 26. & Diſcipulis dein ſe junxit *Act.* I. 14. heic adfuiſſe non deprehenditur; ſive ex mœrore, ſive ex infirmitate, ſive ex metu, ſive ex fidei ſcientia majore, ſive ex gentis more, ſive ex alia qualicunque cauſa, graviori potius quam leviori. Quod multum præſtat dicere præ eo, quod cum aliis nonnullis vult *Doct. Voſſius*, ipſam Matrem Domini dictam Jacobi & *Joſes Matrem*, h. e. novercam eorum

rum natorum Joſepho ex conjuge priori; quod & ille in *Diſſert. de Geneal.* Chriſti contra omnem veri ſpeciem inculcavit. Ergo ſunt Mulieres quidem quæ præ viris alto mane occupantur circa Dominum, & tutius hoc forte agere poterant; ſed Piæ omnes, atque a Spiritu advocatæ ad teſtimonium dandum de Reſurrectione Chriſti, quibus in eo fides tuto habeatur, non obſtante communiori infirmitate ſexus, quæ alias ad errores & vitia majora abripere quoque poteſt. Neque harum numerus ita à quoquam Euangeliſta eſt initus, ut per unam & alteram nominatam reliquæ debeant cenſeri eſſe excluſæ. Quo magis hoc quod illis tribuitur ab iis omnibus ſimul & eodem temporis puncto factum eſſe non conſtat, etiam ex exemplo Johannis & Petri *Joh.* xx. 3. 4. quin etiam Mariam Magdalenam ſolam ante alias ad ſepulchrum advolaſſe debeat exiſtimari per integram *Johannis* narrationem.

III. Quod iſtis Mulieribus tribuitur ab initio *Factum*, id conſiſtit in eo, quod tempore admodum Matutino Diei Primi Septimanæ, de quo antea actum eſt *Cap. II.* adeoque ipſius Reſurrectionis Dominicæ, *venerint*, ex urbe, non mente tantum ſed & corpore ſuo, θεωρῆσαι τὸ τάφον, *ut ſepulchrum*, Domini ſui crucifixi, *ſpectarent*, quomodo ſe illic res modo haberent. In quam rem antea provide à Cruce ſecutæ erant illæ Dominum ad Sepulchrum, ἀπὸ μακρόθεν θεωρῦσαι, & *conſidentes ἀπέναντι τοῦ τάφου, ex adverſo ſepulchri Matt.* xxvii. 55. 61. *& ſpectantes ubi poneretur Marc.* xv. 47. imo θεασάμεναι τὸ μνημεῖον καὶ ὡς ἐτέθη τὸ σῶμα αὐτοῦ. *Luc.* xxiii. 55. Nec erat iſte ſcopus unicus, certe omnium, ſed & alter accedebat itionis hujus, utique in nonnullis, ſiquidem & *venerunt ad Ungendum ipſum Marc.* xvi. 1. pro more apud Judæos in mortuis recepto, ad corruptionem cum fœtore arcendam, & decus addendum majus. In quam rem alteram *aromata*, adhiberi ſolita, *emerunt Marc.* xvi. 1. non ante ſed ad Sabbatum elapſum potius, non mane, ſed veſperi juxta μύρα *unguenta*, ſatis pretioſa indubie, quæ & empta *pararunt* amplius de nocte, & *attulerunt* ſecum mane. Quod quidem propoſitum poſterius ſupervacaneum queat videri, ubi *Joſeph corpus* Chriſti non modo *involverat ſindone puta Matt.* xxvii. 59. *Marc.* xv. 46. *Luc.* xxiii. 53. ſed & *Nicodemus*, ex Euangelio antea notus, adve-

Et de his narratur quod alto mane venerint ex Urbe, ut ſepulchrum ſpectarent & mortuum ungerent, in hunc finem aromata & unguenta empta & parata ſecum adducentes.

*advenerat*, φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν, atque ſic ἔλαβον τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν, *Joh.* XIX. 39. 40. Quæ cum apud ſepulturam præſentes vix potuerint ignorare Mulieres, quæ vel neceſſitas, vel forte etiam occaſio novæ & amplioris Unctionis ab his faciendæ? ubi pondus *centum librarum*, materiæ aptiſſimæ ad hoc & præſtantiſſimæ, de qua latius differens videri poteſt *Ill. Salmaſius in Exerc. Plin.* jam erat adductum & adhibitum. Sed, quod factum erat ab aliis, non erat factum à Mulieribus; quæ id quod minus erat neceſſarium voluerunt ex abundanti ipſæ etiam agere pro ſuo affectu in Dominum ſingulari. Eſtne vero ille ſcopus alter Mulierum ut ungerent mortuum æquè laudabilis, quam prior ut ſpectarent ſepulchrum & in mortuum inquirerent? De hoc poſteriori equidem non adeſt dubitandi ratio; ubi ſe Tertio Die reſurrecturum dixerat Dominus, in cujus eventum cognoſcendum hinc merito ibatur ab iis quarum cogitationes ab eo abduci non poterant, & quæ eum male ulterius haberi non ferebant. Sed prior illę multum habet Infirmitatis humanæ immixtum virtutibus, quæ ſe heic produnt palam. Ad quid enim Unctio illa funebris apud hunc Mortuum & Sepultum, ſi ſciviſſent & firmiter ſatis credidiſſent, uti decebat poſt monitiones iteratas hoſtibus ipſis non ignotas, eum illo ipſo Die Revicturum Incorruptibilem propria ſua virtute? Unde Inſcitia, vel Incredulitas, Mulierum heic eſt manifeſta prorſus; etiam ſi forte ſibi perſuaſiſſent virtutem aliquam Unctionis ad Reſurrectionem promovendam. Dum ab altera parte Adventus Matutinus ad Ungendum mortuum invicte arguit Amorem Jeſu maximum, qui operabatur ejus Quæſtionem in ipſa morte, eamque Maturam plane, ſine Pudore ejus & Timore hoſtium, cum lubenti Collatione omnium ad ipſius Decus & Gloriam, unde de Mulierum harum vera Fide & Pietate ſincera dubitare neutiquam licet.

In quo adventu ſupervenit Solliciudo de Devolvendo Saxo ſepulchrali magno.

IV. Sed videndum nunc eſt latius earum inſecutum *Fatum*, ſeu id quod ipſis ita facientibus contigit, ad *Animum*, ad *Oculos*, & tandem ad *Aures*. Ad *Animum* ſpectat *Anxia ſollicitudo*, qua affectæ feruntur, in ſuo Adventu ad Sepulchrum, non jam inchoato demum per exitum, nec finito prorſus per Sepul-

chri ipſius conſpectum, ſed promoto verius ad Sepulchri Viciniam; & quam refert *Marcus Cap.* XVI. *verſ.* 3. 4. καὶ ἔλεγον πρὸς ἑαυτὰς, τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου; &c. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα, quod illuc verius quam ad proxime interpoſitum pertinet. Per quæ verba reducimur ad id quod à *Joſepho* factum fuerat, quando ad monumentum ſuum novum ſaxeum, poſt poſitum in eo Corpus Jeſu, *advolverat ſaxum magnum ad oſtium Matt.* XXVII. 60. &c. ne illud cuiquam ſeu feræ ſeu homini pateret facile ad auferendum aut lædendum aut probro ullo afficiendum ſepulti corpus; ad hoc cum ipſe ſolus minime ſufficeret, adhibito indubie auxilio hominum quin & inſtrumentorum ſufficienti. Quod ſaxum cum dicatur à *Matthæo* ſimpliciter *magnum*, & à *Marco* etiam *magnum valde*, uti & hodie ſimilem in modum ſepulchra noſtra occluduntur; hinc mirandum eſt minime, quod, antea affectus ſui fervore abreptæ ne de eo cogitarent ocyus, nunc *ad ſe* ipſas intus corde, & mutuo extus ore, Mulieres debiles ſolæ, *dicant*, anxie prorſus, *quis nobis*, ingreſſuris viſuris & uncturis, *ſaxum*, illud magnum, *ab*, vel *ex*, *monumenti oſtio devolvet?* Viderant namque, & hinc noverant optime, illud ei impoſitum eſſe. Secus ſe res autem habebat reſpectu Obſignationis & Cuſtodiæ Militaris, à qua nullum metuebant obſtaculum, quod certe metuere majus etiam debuiſſent ſi illud cognoviſſent. Sed neſciverunt iſta, quæ facta erant à Sacerdotibus Pilati conceſſione, poſt abitum Mulierum à Sepulchro clauſo, die demum inſecuto poſt Sepulturam, ſecundum illud *Matt.* XXVII. 62. τῇ δὲ ἐπαύριον, ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευὴν συνήχθησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι πρὸς Πιλάτον, λέγοντες, &c. In iſto autem Mulierum Anxiarum exemplo videre licet, quæ & quantæ difficultates ſæpe piis obveniant in exſequendis etiam propoſitis bonis; ſed quæ in defectu conſilii humani à Deo ipſo facile tollantur.

V. Ita profecto heic contigiſſe liquet per illa quæ ad *Oculos* Mulierum harum ſe prodiderunt, primum quidem *Lætius* quid, dein *Triſtius*, & tandem *Magnificum* aliud prorſus varii effectus. *Lætius* utique erat, quod *Marcus* interpoſuit apud Mulierum Incertitudinem, καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν, ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος: pro quo *Lucas* habet, εὗρον δὲ τὸν λίθον ἀπεκυ-

Quæ ſublata fuit per conſpectum Saxi ejuſdem jam ablati cum adeſſent.

κεκυλισμένον ἀπὸ τῦ μνημείυ. Et dum prope Sepulchrum in anxietate ſua hærent, *oculos attollentes*, & reſpicientes verſus ſepulchrum, *quod ſaxum eſſet devolutum* modo, de quo devolvendo erant ſollicitæ, *vident*, clare & certo ſatis, atque ita non tantum ſepulchrum apertum, ſed & *ſaxum* adjacens etiamnum in vicinia *inveniunt*. Quod indubie fuit ex earum voto; factum nempe per Angelum deſcendentem, quod tamen ipſæ hactenus vix aut non ſciebant. Etiamſi poſſit facile cogitari ratio, per quam idem vix plene placuerit Mulieribus, ex ignorantia cauſæ & modi apertionis ſepulchri; quando illud quidem forte potuiſſet eſſe factum per Amicos & Joſephum ad curandum melius cadaver, ſed & non minus per Hoſtes Judæos, opprobrium ei illaturos & abducturos à notitia omni amicorum, vel per Milites, quos illuc miſſos deprehendebant nempe, adeo ut ad viſionem & unctionem propoſitam pervenire non daretur ipſis modo. Unde iſta ex hoc Devoluto Saxo lætitia fuit conſternatione & metu veriſimiliter temperata admodum.

Sed commutata cum Dolore haud parvo, ubi ingreſſæ non invenerunt Domini Corpus in ſepulchro.

VI. Qui affectus poſteriores valde aucti debent cenſeri, per *Viſum* alterum longe *Triſtius*, quod in monumentum apertum *ingreſſæ*, εἰσελθοῦσαι, ſeu *intra ſeptum* exterius, ſeu *in ſpecum* quoque inferiorem in quam alias proſpicere licebat, ſecundum ea quæ latius heic habet *Grotius ad Matth. &c. Domini Jeſu Corpus*, illic antea depoſitum, *non invenerint* amplius, narrante partim *Marco*, partim *Luca*. Enimvero debebat quidem hoc eſſe argumentum maximæ Lætitiæ in Mulieribus; ubi ſic jam ſperare dabatur, ſi nondum ſcire, non eſſe Jeſum amplius inter Mortuos, ſed Redivivum reliquiſſe ſepulchrum. Attamen id adhuc minus exſpectantes illæ venerant ad videndum & ungendum Chriſti corpus, quod ipſis per hujus abſentiam non licebat, ceſſante ſic illius itionis ſcopo prorſus. Et licet poſſet vivus exiiſſe, non minus tamen potuiſſet ille ab hoſtibus eſſe abductus. Unde pravæ ſuſpicionis, & hinc doloris, aderat ratio juſta, quam Maria Magdalena cum fletu valido palam teſtata eſſe fertur *Joh.* xx. 2. 13. *Suſtulerunt Dominum è monumento, & non ſcimus ubi poſuerint eum.* Sicuti & *Lucas* refert *Cap.* xxiv. 4. διαπορεῖσθαι αὐτὰς περὶ τύτυ, *mente conſternatas fuiſſe eas de iſto* apud *Vul-*

*Vulgatum*, ſeu *in ea re hæſitaſſe* eas apud *Bezam*, ܗܘ ܕܐܬܝ ܠܗܘܢ ܐܢܓܠܐ apud *Syrum*, &c.

VII. Ut vero à ſuſpicione iſthac iniqua liberarentur quantocyus, *Viſus* ulterior acceſſit *Magnificentiſſimus*, & vere pluſquam humanus. *Ingreſſæ enim in monumentum εἶδον νεανίσκον καθήμενον ἐν τοῖς δεξιοῖς, περιβεβλημένον στολὴν λευκὴν, καὶ ἐξεθαμβήθησαν*, uti refert *Marcus*; dum *Lucas* habet, *καὶ ἰδοὺ δύο ἄνδρες ἐπέστησαν αὐταῖς ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις, ἐμφόβων δὲ γενομένων αὐτῶν καὶ κλινουσῶν τὸ πρόσωπον εἰς τὴν γῆν*. Cum quibus confer id quod in hiſtoria Mariæ Magdalenæ occurrit adhuc de *conſpectu Duorum Angelorum in albis*, *ſedentium*, *unius ad caput*, *& unius ad pedes*, *ubi jacuerat corpus Jeſu*, quod huc etiam una vel alia ratione ſpectat, ex *Joh.* xx. 12. Nec non quod apud *Matthæum* eſt de *Angelo* viſo ſedente ſuper ſaxum devolutum, cujus *Aſpectus* erat *ut fulgur*, *& Indumentum album ut nix*; de quo directe ad Cuſtodes perculſos ſpectante egimus antea *Cap. III.* & qui etiam ad Mulieres locutus, ab *his*, ſive eodem ſive vicino aliquo loco, viſus fuiſſe cenſeri debet omnino. Repete ergo heic de illius Angeli Dominici ſplendore cœleſti antea dicta. Et repræſenta tibi, ſive eundem, ſive alium Angelum Domini, in forma virili *Juvenis*, præſtantis & validi, ejuſque præter corporis ſplendorem *ſtola* demiſſa honeſtatis & honoris indice, & *candida induti*, qui *à monumenti dextris*, partibus extra aut intra illud, *ſedeat*, quem *viderint* Mulieres. Quin & amplius, quod notabile prorſus eſſe arguit additum *ecce*, Angelos à ſpecie aſſumpta dictos *Viros*, numero *Duos*, qui *in veſtibus fulgurantibus*, adeo ſplendidis, *illis*, Mulieribus in monumentum aliquouſque ingreſſis, *adſtiterunt*, ſeu *ſupervenerunt*, repente præter exſpectationem. Quos quidem eoſdem *Johannes* deſignaſſe videtur per *Angelos Duos in albis*, *ſedentes*, intus in ſepulchro, *unum ad caput & unum ad pedes*, *ubi corpus Jeſu jacuerat*, ſed jam non amplius deprehendebatur. Qualis Angeli pluſquam unius Præſentia conſpicua, digna Domino & conditione ejus glorioſa, indicium quidem præbebat lætum Sepulchri aperti & Abſentiæ Chriſti ex eo, non per hoſtium vel aliorum quorumcunque hominum vim aut fraudem, ſed per Dei ipſius diſpoſitionem

Nudæ tum illuſtrem Conſpectum Angelicum, in cujus narratione diverſa apud Euangeliſtas nulla eſt Adverſitas vera.

cœleſtem, ad Domini Reſurgentis gloriam, qui ſic ab Angelis ſpectabatur. Attamen non ceſſabat perterrefacere has Mulieres, infirmas & humanæ infirmitatis multiplicis ſibi conſcias; uti ſolitum hoc in ſanctiſſimis quibusvis ab omni ævo, *coll. Luc.* 1. 12. 29. 11. 9. *&c.* Quemadmodum haud exiguum terroris gradum deſignavit heic *Marcus* per verbum ἐξεθαμβήθησαν, *obſtupuerunt* apud *Vulgatum*, *expaverunt* apud *Bezam*; & ſimiliter *Lucas*, dicens eas *factas* ἐμφόβους, atque hinc *faciem in terram inclinantes*, dum non amplius apparentes Angelos aſpicere vel poterant vel audebant. Quod multum adhuc abeſt ab eo quod de Cuſtodibus ſepulchri legitur, eos præ metu *factos quaſi mortuos*.

Quem & excepit Sermo Angelicus ad Mulieres, tum Dehortativus, tum Inſtructivus, tum Imperativus & Promiſſivus.

VIII. Acceſſit ergo ad Mulieres erigendas & plenius de re geſta inſtruendas *Sermo*, ab iis auditus, ex Angeli unius aut duorum ore. Vel enim unus tantum eſt locutus nomine communi, vel & alter confirmavit unius dicta hoc vel illo verbo & modo; quo pacto nulla heic eſt pugna inter Euangeliſtas, ſingulariter & pluraliter loquentes. Et habet iſte Sermo Angelicus ad Mulieres latior varias partes. Quarum prima eſt *Dehortativa*, cum *Ratione* addita; μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς apud unum, μὴ ἐκθαμβεῖσθε apud alium Euangeliſtam, *vos*, non perinde ut cuſtodes, *ne metuite*, quidquam mali inſoliti, à nobis heic ad miniſterium & gloriam Domini apparentibus, vel etiam à Deo ob peccata veſtra manifeſta vel occulta, & accenſam per ea iram illius, utique *ne obſtupeſcite*, hinc futuræ inidoneæ ad audiendum cum fructu quæ vobis dicenda habemus & vos audire cum attentione & reverentia ac fide & obſequio decet; ſiquidem *Jeſum*, illum *Nazarenum*, appellatione contempta ab educationis loco ſic communiter dictum, ſed ſecundum vaticinia de illo *Germine* futuro & dicendo, illum *crucifixum*, tam nefarie & probroſe à Judæis per Romanos, quem qui ignorant vel oderunt metuendi ſibi rationem habent ſoli, nunc etiam manifeſtam, *quæritis*, amorem veſtrum in eum ſic opere ipſo demonſtrantes, & hoc nobis *notum eſt* ſic ſatis, ut bonum nunc pro malo vobis annunciandum & curandum quoque habeamus. Quæ eſt ipſiſſima Euangelii vox, oppoſita illi Legis Metum denuncianti tranſgreſſoribus & operanti, *coll. Luc.* 11. 10. 11. *&c.* Altera ſequitur

quitur Pars *Inſtructiva*, cum *Probatione* per *Interrogationem* primum; *Quid quæritis*, non utique Jeſum ſimpliciter quod erat ſummopere laudabile, ſed hunc adhuc *cum mortuis*, ſeu inter mortuos & ſepultos qui in monumentis quieſcunt, cum jam iterum & magis quam antea unquam ſit *vivus*? Quæ vere Mulierum harum erat culpabilis infirmitas, & hinc redarguenda blande ſimul & ſerio. Dein per *Aſſertionem*; *Non eſt heic*, in monumento amplius, ſecundum Corpus & Humanitatem ſuam, *nam*, vel *ſed*, *ſuſcitatus eſt*, ἠγέρθη, in vitam immortalem potentiſſime revocatus morte triumphata, *ſicuti dixit*, ipſe antea, & vos *meminiſſe* poteſtis ac debetis, *qualiter vobis ſit locutus*, *cum adhuc eſſet in Galilæa*, procul hinc apud ſuos, *dicens*, *Filium hominis* (ſe ipſum deſignans, hominem verum ex hominibus, vilitate primum & dein gloria excellentiſſimum, & ab ævo in aliorum ſalutem promiſſum,) *in hominum peccatorum*, præ aliis impurorum & damnabilium, *manus*, ſeu poteſtatem affligentem & perdentem, *tradi*, à ſuis, conſequenter & *crucifigi*, crudeliter ſic ad mortem adactum, *oportet* quidem, ſecundum vaticinia infallibilia, & conſilium Dei immutabile, & hujus glorioſas perfectiones demonſtrandas clare in peccantium ſalute, quod nec ille hinc ſubterfugere conabitur; ſed & *reſurgere*, ἀναστῆναι, devicta ab ipſo morte & relicto ſepulchro, & quidem *die tertio*, qui eſt hodiernus, non citius nec ſerius, *coll. Matt.* XVI. 21. XVII. 22. 23. XX. 18. 19. *&c.* quod non minus oportebat per prædictiones veteres, decretumque & gloriam Dei, & Electorum ſalutem. De cujus verbi ipſius Eventu præſente ſi etiamnum ullo modo dubitatis, *ecce locus ubi poſuerant eum*, in cruce mortuum prius, & *ubi Dominus* ille veſter & noſter, imo omnium, hinc *jacebat*, *venite*, propius ad illum, & *videte*, eundem jam vacuum & ab illo redivivo relictum ipſæ. Tertia ad hæc ſubjicitur Pars Sermonis *Imperativa*, ſimul & *Promiſſiva*. *Sed abite*, hinc modo vos, ubi temere & inepte eum amplius quæratis unquam impoſterum, aut ſanctitatem aliquam ſpecialem dehinc ſomnietis; & *profectæ cito*, ſine ulla mora ulteriore aut tarditate itineris, ad *ejus Diſcipulos*, præcipuos & quoſque alios, minime prætermiſſo aut poſtpoſito *Petro*, qui præ aliis peccavit primum, & deinde flevit, quem-

que ſi ut reliquorum Principem & Caput heic ſpectari voluiſſent Angeli ſolum potius vel primum nominaſſent, vos conferte, ut *dicatis* eis, ad communem eorum lætitiam vobiſcum, *quod à mortuis ſit ſuſcitatus* veriſſime, quin & *ecce*, rem magnam certam & bene notandam, *in Galilæam*, patriam & ſolitam magis ejus & diſcipulorum plurimorum manſionem, *vobis*, Mulieribus eum quærentibus ſimul ac Diſcipulis, *præit*, ſeu certo & cito præibit, (erat enim adhucdum in Jeroſolymæ vicinia, ubi & viſus fuerat hoc die,) *ubi*, non ſolum vel primum omnium, ſed præ aliis locis, *eum* redivivum *videbitis*, communiter, illuſtri modo, & ad πληροφορίαν veſtram, *ſicut vobis dixit*, ante mortem ſuam, *coll. Matt.* XXVI. 32. determinato etiam certo ad hoc monte *Matt.* XXVIII. 16. nec excluſo omni tamen conſpectu priori. Quod poſtremum Mandatum cum Promiſſo, juxta alia omnia, valide inſinuatur ab Angelo apud *Matthæum*; *Ecce dixi vobis*, defunctus meo apud vos munere, per quod inexcuſabiliter ad officium veſtrum vocati idem credendum & præſtandum per omnia habetis.

Factum inſecutum Mulierum harum, quæ ad hæc recordatæ verborum Chriſti, à monumento reverſæ in Urbem eum affectu magno & vario, Diſcipulis fata ſua annunciaverunt celerrime.

IX. A Fato hoc Mulierum redimus ad earum *Factum* poſterius. Præmiſit heic *Lucas* ſolus, eas *verborum illius*, in Galilæa dictorum, de ſua Traditione, Crucifixione, & Reſurrectione Tertii Diei, ſatis clare & plene, *recordatas eſſe*, ad Angelicam monitionem, adeoque de iis antea neglectis aut non ſatis obſervatis ſeriò cogitaſſe; uti hoc erat decentiſſimum, atque ita uſum Verbi Divini à ſe auditi habent pii frequenter ſeriorem longe, Spiritu illud animis eorum inſinuante, etiam in Morte ipſa. Sed diſcimus ex aliis Euangeliſtis duobus æque quam Luca, quod Mulieres, *à monumento egreſſæ*, *cito* etiam, ſine mora, & tarditate ulla, & *reverſæ*, in urbem ubi diſcipulorum manſionem ſolitam vel & præſentem, ſeu communem ſeu & diſtinctam, noverant, *cum* vario & *magno* affectu, tum *metus*, ab inſolito potiſſimum viſu, cum animi incertitudine, tum *gaudii*, à Reſurrectionis accepto nuncio, (τρόμον ϗ ἔκστασιν, *horrorem & ſtuporem*, tanquam prævalentem fere nominante ſolum *Marco*, quo *tenebantur*, atque iterum addente eas *metuiſſe*,) *cucurrerint* quantum poterant, etiam per ſpeciem *fugæ*, nuſquam ſe detineri paſſæ, *nec* etiam

*cui-*

*cuiquam*, alii præsenti aut obvio qui abuti varie posset in suum incommodum, (quod minime ad Apostolos ipsos extendere licet,) *quidquam dicentes*, quod nec jussæ erant facere, atque Christi *Discipulis*, *Undecim illis* post Judæ desertionem reliquis, strictius dictis *Apostolis*, quin *& reliquis omnibus* apud *Lucam*, *annunciaverint*, plene & distincte illa *dicentes*, quæ fecerant quæque ipsis ad animum visum & auditum contigerant modo. Dum non erant qui impedirent, vel Judæi gestorum inscii, vel Milites perculsi aut dilapsi. Quod institutum laudabile fuit per omnia; uti adhuc omnes pios decet gratiam sibi factam cum aliis communicare decenter, *coll. Psal* LXVI. 16. *&c.* nec tacere Domini sui gloriam, in qua & alii fratres nobiscum exsultent.

X. Hactenus cum apud Mulieres Pias hæserimus, nunc ad Viros *Discipulos* progrediendum erit, ad quos Mulieres missæ venerunt. De hisce autem nihil heic quidem habent *Matthæus* & *Marcus*, sed notabilia duo *Lucas* & *Johannes*. Prior enim dicit communiter de illis quos antea *Undecim* & *Reliquos omnes* non modo sed & *Apostolos* dixerat *Cap.* XXIV. 11. 12. quod ad illorum dedecus facit magnum, ἡ ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν ὡσεὶ λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν καὶ ἠπίστουν αὐταῖς. *Earum*, Mulierum nunciantium, *verba*, de Factis non adeo quam Visis & Auditis à se, dicenda & dicta ex Angelorum jussu, *sicut nugamentum*, vanum & futile, nulla attentione vel fide dignum, seu *deliramentum*, uti hanc vocem cum *Vulgato* retinuit *Beza*, (satis verisimiliter petitam ex λῆρος & δὴ asseverativo, pro eo quod alii ex *de* & *lira* derivant quasi diceret aberrationem,) *coram illis*, seu *ante illos*, seu *apud illos*, *apparuerunt*, seu *visa sunt*; non quod pro Mulierum, à se rectius cognitarum & æstimatarum, mendaciis haberent, sed quod eas phantasia aut metu & spe sua deceptas putarent. Atque hinc *illis non crediderunt*, in dictis suis, uti decuerat, sive nullo modo, sive plene satis, dubitantes valde ex adverso. Quod factum indecentissimum, nec eventui quem Dominus antea credere & sperare firmiter jusserat ipse, nec nuncio Angelico per testes fidos adducto, nec conspectui Sepulchri Aperti & Vacui reperti, fidem, sed ista in deliramentis habere, ita arguit piorum in fide Infirmitates summas, ut à

Discipulorum fidelium ad ista audita Incredulitas, à quibus tamen heic magnopere se distinxit Petrus, ad monumentum currens, & in illud se ita inclinans, ut non Dominum sed linteamina illic videret, & cum admiratione inde abiret.

poste-

posteriori tamen faciat ad firmamentum rei ipsius, æque quam Thomæ Incredulitas etiam serior, post Domini Redivivi Conspectum Apostolicum. Ab ista tamen Incredulitatis Apostolicæ macula communiori excipit *Lucas*, si non in totum certe in tantum, *Petrum*, notum & magnum illum Apostolum, quem sceleris maximi conscientia in fletum amarum jam antea conjecerat. Ille enim ex *Lucæ* testimonio, *surgens* de loco quo erat manens, propter mentis suæ commotionem validam ad audita à Mulieribus, *ad monumentum*, Domini sepulti, *cucurrit*, celeriter, *& procubuit*, παρακύψας, vel *prospexit* deorsum in illud excavatum, vel & curiose *se inclinavit* ad introspiciendum. Dum de hoc verbo, alias quoque lecto *Jac.* I. 25. I *Pet.* I. 12. eriam apud *Siracidem Cap.* XXI. 26. ἄφρων ἀπὸ θύρας παρακύψει εἰς οἰκίαν, ἀνὴρ δὲ πεπαιδευμένος ἔξω ἑστήξεται, recte notavit *Beza*; Τὸ παρακύπτειν *à consequenti significat prono capite & propenso collo diligentius introspicere, nisi quum* παρὰ *designat præteritionem ac contemptum. Tunc enim declarat obiter & quasi prætereundo limis oculis aspicere, ut si præteriens alicujus ædes caput immittas, & eo vix conspecto statim discedas, pro quo Latini dicunt, à limine salutare. Est igitur procumbendi vocabulum nimis generale, prospiciendi vero improprium. Neque vero hæc observatio inanis est, ita enim significatur, Petrum rem totam diligenter esse perscrutatum, quo minus est nobis dubitandum de hujus historiæ fide.* Sic autem procumbens, seu prospiciens, seu inclinans se, non Jesum illic in monumento depositum, sed *linteamina*, ὀθόνια, seu fascias quibus ipsius corpus involutum secundum mortuorum modum fuerat, *coll. Matt.* XXVII. 59. *jacentia sola*, sine corpore involuto, *videt*, clare distincte & certo; atque *abiit* mox, *factum*, absentis corporis & linteaminum relictorum, *admirans*, cum ignorantia & dubitatione de causa & modo, πρὸς ἑαυτὸν, quod si referas ad abitum dicit *ad se*, vel suam mansionem priorem, *coll. Joh.* XX. 10. *&c.* sin ad admirationem, notat *apud se*, seu animum suum absque multa loquela, *coll. Luc.* XVIII. 11. XX. 14. *&c.*

Historia Johannis de Gestis Mariæ Magdalenæ.

XI. Paulò pleniora sunt quæ heic scripsit *Johannes Cap.* XX. *v.* 2 — 10. Is, de aliis Mulieribus plane tacens, de sola dixit *Maria Magdalene*, quod videns saxum sublatum ex monumento,

mento, ſine ulla adhuc mentione Angeli Viſi vel Auditi, non ad Diſcipulos communiter, ſed *ad Simonem Petrum*, antiquo & novo nomine ſic ſatis diſtinctum ab aliis omnibus, quin & *ad Diſcipulum Alterum*, *quem Jeſus*, præ aliis magnopere, ob rationem incertam ſed juſtiſſimam indubie, *diligebat*, *coll. Joh.* XIII. 23. XXI. 20. nempe Johannem, Zebedæi filium, ſic ſe ipſum deſcribere ſolitum, *cucurrerit & venerit*, ſive uno communi ſive diſtincto etiam ſed vicino loco, vel propter hujus ſitum propiorem, vel ob æſtimationem horum Apoſtolorum majorem, vel ob aliam aliquam cauſam planè incertam, (*ſolos nominari principes* diſcipulorum, ſcripſit *Voſſius*, *quibuscum ſi non ſolis præcipue tamen ſermo fuit*, *qui & ſoli cucurriſſe ad viſendum ſepulchrum referuntur*,) *illisque dixerit* ſimul, cum dolore & ſollicitudine magna, nec non exſpectatione judicii conſilii & auxilii ab his, *Dominum*, noſtrum præ aliis, in ſepulchro repoſitum, *ex monumento*, illo ad quod veneram, *ſuſtulerunt*, ſive hi ſive illi quos ignoro, *& ubi eum poſuerint*, hi qui ſuſtulerunt animo ſeu bono ſeu potius malo, *non ſcimus*, ego cum aliis Mulieribus ſociis. Per quam Mariæ querelam acerbam, quæ ſcientiam vel fidem Reſurrectionis factæ præſentem excludit manifeſte ſatis, excitati hi Apoſtoli Duo, *Petrus & Diſcipulus Alter* deſcriptus, à Cleopa pluraliter dicti τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν *Luc.* XXIV. 24. in ſcenam prodeunt, tanquam aliquid communiter facientes cum ejus fructu, & aliquid ſingulariter deinde, tandem & communiter rurſus. Tribuitur enim Utrique, quod *exiverit* ex urbe & manſione ſua, unus cum altero, & *ad monumentum* ſepulchrale Chriſti extra urbem venerint, illuc *currendo*, feſtinato ſatis greſſu ex zeli vehementia, *ſimul*, eodem tempore, & juncti ab initio. Sed tribuitur ſingulariter *Diſcipulo Alteri*, quod *præcurrerit* in itionis progreſſu, *celerius quam Petrus*, non ex zelo majori, ſed ex corporis diſpoſitione ad Curſum Aptiori per ætatem & qualitates forte alias, atque ſic ipſe *ad monumentum venerit prior*, poſt ſe relinquens Petrum zeli ſui & curſus vehementia; quando *ſe inclinans* παρακύψας, in monumentum illud, *coll. verſ.* 11. *Luc.* XXIV. 12. *linteamina*, quibus involutum fuerat Domini Cadaver, *faſcias* ſive *inſtitas* mavult *Voſſius*, *videt jacentia* illic, attamen *non ingreditur* mox in monumentum, ad hoc

Jonæ cum Petro & Johanne ad hæc confertur.

potius exſpectans Petrum. Tribuitur hinc *Simoni Petro*, quod & ipſe Diſcipulum Alterum *ſequens*, minus celeri curſu, *venerit ad monumentum*, *in illud* etiam ante alterum *ingreſſus*; *viderit*que adeo, diſtinctius & ipſe, *linteamina jacentia*, nec non *ſudarium*, *quod ſuper* Chriſti *capite fuerat*, ex recepto apud mortuos more, *coll. Joh.* XI. 44. (quam vocem, origine veriſimiliter Latinam, ut Hebræam habent etiam *Chaldæi* & *Rabbini*, atque retinuit *Syrus*, ) *non* quidem *cum linteaminibus*, reliquis, ſeu apud ea, *jacens*, *ſed involutum*, ἐντετυλιγμένον, ordinate potius quam inordinate, *ſeorſim*, à reliquis linteaminibus, *in locum unum*, ſeu *in loco uno*, monumenti ejuſdem alio. Tribuitur conſequenter etiam *Diſcipulo Alteri*, *qui ad monumentum venerat prior*, ſed tum nondum ingreſſus erat in illud tantum παρακύψας, quod & ipſe *in* illud *ſit ingreſſus*, *tunc*, exemplo Petri & forte voce ejus invitante impulſus, ut propius & plenius illic videret omnia. Unde ad utrumque rurſus ſpectat implicite vel explicite, potius quam ad unum Johannem cum Petri excluſione, ille eventus, quod *viderit* ſepulchrum vacuum cum relictis illic involucris ſolis corporis & capitis, quibus Lazarus prodiens adhuc cinctus erat *Joh.* XI. 44. δεδεμένος τὰς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο; idque videns *crediderit*, imbecillius forte magis quam firmius adhuc, non jam ablatum eſſe Jeſu corpus, quod tamen volunt complures ex *verſ.* 9. ſed illum vere reſurrexiſſe potius. Dum *ex mortuis reſurgere eum oportere* docentem *Scripturam*, Sacram & Divinam, Vatum antiquorum, οὔπω ἤδεισαν, *nondum* antea *noverant*, ſeu cum intellectu vero perſpectum habuerant, prædictiones ipſius Chriſti forte habentes pro improprie dictis & ſic capiendis; contrario nunc conſtante ex eventu, quando non tantum Chriſtus non eſſe amplius in ſepulchro deprehendebatur ad examen duorum adeo accuratum, ſed & lintea ſepulchralia mortui in eo erant relicta, quibus ipſe nec opus habebat nec conſtrictus teneri poterat Redivivus, & quæ abſtuliſſent indubie qui corpus ejus fuiſſent forte ſuffurati ſeu bono ſeu malo animo. Quo quidem pacto in Pluſquam Perfecto rectius capi putamus οὔπω ἤδεισαν, quod plures in Perfecto reddunt;

quaſi

quaſi vel ſolus Johannes heic jam credidiſſe diceretur, vel utriuſque fides tantum ſpectaret ad corpus ſeu non repertum in ſepulchro ſeu raptim ablatum, non autem vitæ redditum. Prout ſic ipſe cum aliis habet Grotius *ad verſ.* 9. *Eſt αἰτιολογικὸν & διαπαμένον, q. d. Corpus illud vitæ redditum nondum credebat Johannes, nam & ille & Diſcipuli alii nondum ſatis perceperant id quod Scriptura prædixerat de ejus Reſurrectione. Sæpe quidem audiverant Dominum id pollicentem, ſed rei magnitudo & ingenii tarditas obſtabat, quo minus hoc in animum admitterent &c.* Qui ergo *Diſcipuli* Duo inſignes, Petrus & Johannes, venerant ad ſepulchrum non credentes, hi poſt examen decens *abierunt rurſus*, cum reſpectu non ad abitum priorem, ſed ad acceſſum, ſeu inde redierunt πρὸς ἑαυτὸν, *ad ſe*, ſeu ad manſionem ſuam ſolitam communem vel propriam, potius quam *ad ſuos*, quod ſubſtituit *Beza*, credentes jam poſt inſpectionem propriam monumenti. Et quorſum manerent heic amplius? vel & alias irent, neſcientes ubi Dominum eſſent reperturi? niſi ad ſua & ſuos, ac habendos inter ſe ſermones fidei & pietati convenientes.

XII. Enimvero non una nec levis difficultas heic videtur, ad *Johannem* cum *Luca* & *Euangeliſtis* aliis rite conciliandum. Id quidem levius eſt, quod unius *Petri* meminerit *Lucas*, cum Johannes facti ſui optime conſcius ſe ſub *Diſcipuli Alterius* Dilecti nomine junxerit, etiam ut Præcurſorem, ſed ſerius tamen ingreſſum in monumentum. Ad hoc enim optime dicitur, quod Petrum quidem ſolum nominaverit *Lucas*, ſed Alterum non excluſerit, nec dixerit illum ſolum fuiſſe & unicum, qui accurrit & viderit. Unde optime narratio unius ex altero Euangeliſta ſuppletur, qui Lucæ teſtimonium de Petro ſimul firmavit. Nec illud eſt majoris ponderis; vel quod *Lucas* meminerit ſolius *Inclinationis* Petri, per quam ſane Ingreſſum conjunctum non negavit, uti nec Johannes per Ingreſſum hunc celerem negaſſe cenſendus eſt Inclinationem priorem; vel quod *linteaminum* à Petro viſorum *ſolorum* idem meminerit, ad quæ capitis ſudarium commode referas, dum per additum μόνον hoc non excluditur ſed ipſum Chriſti Corpus; vel quod ſecundum ipſum poſt inclinationem & viſum linteaminum *abierit*, quod factum immediate ſine præcedenti ingreſſu

Leviora quædam. Dubia hinc orta ſolvuntur.

non narrat ſane; vel denique quod ſolam ille Petro tribuit *admirationem*, per quam equidem fides ejus implicite à Johanne tradita non negatur omnis, *coll. Luc.* 11. 18. 33. *&c.* Quamquam poſtremum hoc ipſe inculcaverit *Beza* noſter; *Johannes igitur ſolus jam tum hoc credidit, Chriſtum reſurrexiſſe, Petrus autem admirabundus, & neutram in partem inclinans, ſolus in urbem rediit &c. Maria vero manſit incredula. Triplex hic igitur exemplum habemus, unum fidei in Joanne, alterum admirationis cum incredulitate certantis in Petro, tertium incredulitatis in Maria &c.*

Quin & graviora, quæ ad Mariam Magdalenam potiſſimum ſpectant.

XIII. Sed multo graviora ſunt dubia, quæ contra Johannis hiſtoriam de Maria Magdalena heic moventur ex aliis Euangeliſtis. Illa nempe heic ab initio ad finem ſola prodit, abſque minimo Mulierum aliarum indicio, quas tamen alii juxta eam nominant. Atque illa dein, ſaxum devolutum cernens, nihil vero aliud videns aut audiens, fertur ad Petrum & Alterum Diſcipulum cucurriſſe, ad nunciandam Domini Ablationem ex Sepulchro; cum alii narrent Mulieres communiter in Sepulchrum Apertum eſſe ingreſſas, nec inde diſceſſiſſe ante Viſum & Auditum Angelorum, qui etiam juſſerunt ad Petrum aliosque Diſcipulos ire cum nuncio Dominicæ Reſurrectionis, uti egerunt illæ communiter. Enimverò nec in iſtis quidquam pugnæ veræ reperietur à pie attendentibus. Quod enim attinet ad nominatam à Johanne Mariam Magdalenam ſolam, eo ipſo minimè negatur aliam ullam adfuiſſe, ſiquidem & hoc diſci poteſt ex Euangeliſtis aliis & hinc commode ſuppleri. Sed ut ſimul alteri difficultati occurramus, Mariam Magdalenam ſolam nominavit Johannes, propter ſingularius ejuſdem factum, quod ſolum ipſe de hac narravit, & diſtinctum magnopere fuit ab eo quod de Mulieribus narrant reliqui. Hoc ſcilicet in hac obſcuritate eſt meridiana luce clarius, quod non ſemel ſed bis ad Monumentum venerit Maria hæc; quando illa videns ſaxum devolutum, nec quidquam hactenus aliud, citiſſime mox ad Apoſtolos Duos ſe recepit ad nunciandam his Domini ablationem; & quando eadem hos ad Sepulchrum ſecuta rurſus vel comitata, dein redeuntibus etiam Diſcipulis Duobus apud Sepulchrum ſubſtitit, tunc demum Dominum ipſum videns, & ex ejus

juſſu

juſſu viſum à ſe annuncians Diſcipulis. Unde hoc eſt conſequens ferè aut vere neceſſarium, quod Maria Magdalena profundiori mane, ante alias quaſdam Mulieres ſocias, non tamen neceſſariò plane ſolitaria, exiverit ad ſepulchrum, ſicuti & hoc dicitur factum, non modo πρωΐ, ſed & σκοτίας ἔτι ὔσης, *cum adhuc eſſent tenebræ.* Quando ad intuitum Saxi Devoluti, ante aliud viſum aut auditum quidquam, adeo commota fuit, ut non exſpectato Mulierum aliarum Adventu ad Petrum & Johannem cucurrerit feſtinatiſſimè; dum interim ab accedentibus reliquis Mulieribus, quæ indefinite nominantur ab Euangeliſtis aliis, fiebant & audiebantur, quæ illi narrant. Et quando dein redux Maria Magdalena, cum Apoſtolis Duobus advenit ad Sepulchrum, poſt iſta ab aliis Mulieribus viſa & audita, & has ipſas jam dimiſſas cum nuncio ad Apoſtolos proximè mandato quod injuſſa ad Duos jam detulerat ipſa; ad quod tamen Petri ille accurſus omnino eſt referendus, ſecundum expreſſam Johannis narrationem, potius quam ad Mulierum omnium narrationem, poſt quam demum hunc quidem memoravit *Lucas*, ſed abſque determinatione momenti temporis quo hic contigerit. In quibus tutiſſime nos acquieſcimus; ſupplente ſic Johanne rem geſtam, quam alii aut ſilentio prætermittunt, aut minus plene narrant. Dum quæ ſuperſunt adhuc Dubia de Apparitione Chriſti ipſius apud Magdalenam, deinde in illa hiſtoria ſuam ſolutionem invenient.

XIV. In ſummam contrahentes modo hujus noſtri Capitis argumentum, obſervamus; ab una parte, Mulieres debiles & pias, easque numero Plures, quæ procul omni animo inſano & profano vis aut fraudis adhibendæ ad furandum vel decipiendum alios ad monumentum accedunt ex ſingulari quidem affectu, ſed cum multa infirmitate, quæ ſepulchrum mirabiliter apertum reperiunt in ſuo adventu ad illud, & illud vacuum, hinc admodum perculſæ cum nihil minus exſpectaſſent, & quæ ad hæc vident coram non tantum Spiritus cœleſtes præſentes in majeſtate maxima, ſed & audiunt eoſdem nunciantes lætam Domini Reſurrectionem, atque annunciationem hujus ulteriorem ſerio mandantes, quarum prima Maria Magdalena hinc perperam à *Celſo* apud *Origenem* ut γύνη

Pro Veritate Reſurrectionis Chriſti ſit Concluſio ex hac Hiſtoriæ parte.

πάρεσις fuit taxata; ab altera dein parte ſimul, Viros, non unum nec plures ſed Duos, & notiſſimos Apoſtolos, qui ad acceptum à Muliere nuncium, non Reſurrectionis adhuc, ſed Ablationis Domini, adeoque præter omne conſilium aut propoſitum ſuum aliquod fraudulentum, ad quod exſequendum neutiquam erant inſtructi, nec per animi ſui dejectionem apti, ad Sepulchrum accurrunt, idemque poſt curatiſſimum examen ita deſtitutum Corpore Chriſti reperiunt, ut per linteamina cum ſudario, quæ nec aſpernandi erant pretii, provide relicta nec ſine labore & mora ab hominibus detrahenda, haud difficulter cogitent, ipſum reſurrexiſſe modo ſecundum prædictiones Vatum & ſuas, quod antea cogitare non potuerant. Quod poſtremum quam maxime etiam urſit olim *Sedulius*

*—— —— —— —— Fare improbe cuſtes,*
*Reſponde ſcelerata cohors, ſi Chriſtus, ut audes*
*Dicere, concluſo furtim productus ab antro*
*Sopitus latuit, cujus jacet intus amictus?*
*Cujus ad exuvias ſedet angelus? anne beati*
*Corporis ablator velocius eſſe putavit*
*Solvere conjectum quam devectare ligatum?*
*Cum mora ſit furtis contraria, cautius ergo*
*Cum domino potuere magis ſua lintea tolli.*

Atque ita facit illud indubie quam plurimum ad Fidem Dominicæ Reſurrectionis glorioſæ; ad quam & hæc Euangelii pars omnino ordinata eſt à Deo, per Spiritum eandem operaturo in Electis ſuis ad ipſorum Vitam ſpiritualem & æternam.

---

## CAPUT SEPTIMUM.

### *Quo de Apparitionibus Chriſti ipſius Redivivi tractatur generalius.*

Hactenus non viſus ipſe Chriſtus, ſe ipſum porro Redivivum

Quamquam non haberent Diſcipuli primi, vel & nos poſt eos, juſtam ullam rationem dubitandi de Dominica Reſurrectione, poſt quam in talibus rerum & temporis circumſtantiis Vacuum à Mulieribus & Viris repertum eſſet Sepul-

pulchrum, quin & per Angelos glorioſiſſimos immediate vel mediate acceptum ejus Nuncium cœlitus; lubuit tamen Domino noſtro, ad Diſcipulorum & noſtri per eos, convictionem pleniorem, ſe ipſum quoque multis vicibus & modis Redivivum exhibere ſuis, uti antea promiſerat ſe facturum, *coll. Joh.* XVI. 16. *&c.* Quam ob rem & dixit Petrus *Act.* X. 40. 41. τοῦτον ὁ θεὸς ἤγειρε τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ἡμῖν οἵτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Et ſcripſit *Lucas Act.* I. 3. 4. *Quibus &*, Apoſtolis, παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος αὐτοῖς, καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, καὶ συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός, *&c.* quoque exhibuit coram.

II. De quibus Domini Redivivi Apparitionibus quædam Generalius prænotamus merito, antequam ad Specialem earum hiſtoriam tradendam tranſeamus. *Apparitionum* heic utimur nomine, pro illo φανῆναι *Marc.* XVI. 9. φανερῶσαι *verſ.* 12. 14. ἐμφανῆ γενέσθαι *Act.* X. 40. παρεστάναι ἑαυτὸν ζῶντα *Act.* I. 3. *videri Marc.* XVI. 11. *Luc.* XXIV. 34. *&c.* Et per illud ſignificamus, illum non adfuiſſe hominibus poſt vitam receptam in his terris, uti ante mortem adfuerat, continuata cum iis converſatione per terreſtris manſionis ſuæ durationem vel omnem vel præcipuam. Id nec ipſius gloria major, nec diſcipulorum patiebatur infirmitas; qui ſic etiam aſſueviſſent nimium ipſius præſentiæ corporali. Sed tenemus & tradimus, illum ſe aliquando tantum præſentem manifeſtaſſe ad ipſorum ſenſus externos, ita ut illum vere pleneque dignoſcerent. Nec determinamus extra Scripturas inepte, ubi Chriſtus Redivivus hæſerit, cum non appareret apud ſuos reliquo tempore. Dum ſtulte ponas, vel conjicias, illum vel in cœlum iterum iterumque aſcendiſſe, vel per terras longe lateque fuiſſe divagatum abſque ſui manifeſtatione, vel inviſibiliter præſentem apud ſuos manſiſſe; ſemel enim demum poſt quadraginta dies aſcendit; nec vanæ cupidini mundum luſtrandi erat ſubjectus; nec recepta vera Humanitas cum Inviſibili prorſus præſentia conſiſtit feliciter. Nos hominum conſortio ſubductum, abſque

Apparitiones iſtæ fuerunt veræ quidem, ſed Temporariæ, non perpetuæ.

minus

minus neceſſario longiori receſſu, delituiſſe credimus ubicunque voluerit in Dei fruitione arcta & beata; quod agnoſcendum videtur, cum profeſſione ulterioris ignorantiæ noſtræ lubentiſſima.

Fuerunt & eædem Corporales, ad Viſum, Auditum, & Tactum ipſum.

III. *Apparitiones* porro non capimus tam ſtricte, ut ad oculorum conſpectum ſolum referantur, neque tam late, ut ſolius mentis acies heic etiam in conſiderationem veniat; ſed ſenſu medio, qui ad Senſus Externos plures nos ducit. Eſt enim ille vere *Viſus* oculis humanis, *Matt.* XXVIII. 17. *Marc.* XVI. 11 14. *Luc.* XXIV. 39. *Joh.* XX. 18. *&c.* nec ex longinquo tantum aut obſcure, ſed ex propinquo & clare. Sed & eſt ille quoque *Auditus*, loquens cum ſuis, ita ut non modo ex rebus & vocibus adhibitis, ſed ex harum ſono ipſo dignoſceretur ſatis, *coll. Joh.* XXI. 7. *&c.* Imo & eſt ille *Tactu* ipſo ſimul perceptus, uti liquet ex hiſtoria Mulierum *Matt.* XXVIII. 9. dum alia tamen ratione Chriſtus ad Magdalenam dixit *Joh.* XX. 17. μή μυ ἅπτυ, & ex dicto ejus ad Diſcipulos *Luc.* XXIV. 39. ψηλαφήσατέ με, nec non ad Thomam *Joh.* XX. 27. φέρε τὸν δάκτυλόν συ ὧδε, καὶ ἴδε τὰς χεῖράς μυ, καὶ φέρε τὴν χεῖρά συ, καὶ βάλε εἰς τὴν πλευράν μυ, *&c.* Ut & hoc reſpectu merito dixerit Johannes 1 *Joh.* I. 1. ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγυ τῆς ζωῆς. Quales Apparitiones non poſſunt pro mere Phantaſticis aut Imaginariis, ſed debent omnino pro veriſſimis haberi.

Blandæ item & Familiares admodum.

IV. Fuerunt & eædem *Apparitiones* ſatis Amicæ Blandæ & Familiares; non autem ſpecie Majeſtatis Terribiles, ut in ſtuporem darent præſentes, extra ſe prorſus abreptos. Huc facit *Corporis* viſi & tacti *Humana ſpecies*, & retracta ejuſdem gloria, quæ ne quidem cum illa Angelorum Apparentium conferri potuit. Huc faciunt *Sermones*, ſerii quidem & graves, ſed *gratiſſimi* & utiliſſimi, quos humano ore cum ſuis habuit apud quos apparebat, eos ſic etiam à metu omni avocans & gaudere faciens, quin & fiduciam ſecum libere diſſerendi operans. Huc quam maxime faciunt quæ de *Cibo & Potu* cum ſuis ſumpto, imo & ab ipſis rogato, nec non Benedictione Piſcationis Apoſtolicæ ſingulari, narrat Euangelium. Ad quæ & ſimilia ſpectaſſe heic cenſendus eſt *Lucas* in πολλοῖς τεκμηρίοις

τεκμηρίοις *multis argumentis* apud *Vulgatum*, *multis certissimis signis* apud *Bezam*, qui & notavit ex *Quintiliano Græcos ita vocare necessaria & indubitatissima.*

V. Hoc vero prorsus considerationem summam etiam meretur, quibus Apparitiones istæ contigerint. *Non omni*, seu *toti populo*, inquit Petrus, *sed Testibus ante designatis à Deo, nobis qui &c.* Non est ille equidem manifestatus per Apparitiones sensibiles omni populo suo, vel qui tum credebant in ipsum absque ulla exceptione, vel qui tum viverent dein ad fidem convertendi, vel qui post ipsius Ascensionem vixerunt & crediderunt, in quibus obtineret illud Christi ad Thomam *Joh.* XX. 29. μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες, cum cæteroquin nec Testimonium Apostolicum necessarium in hanc rem fuisset. Sed magis heic spectari putamus tamen ad Populum totum Judaicum, tam incredulum & impium quam credentem, ex quo Christus secundum carnem ortus erat, & cui indiscriminatim se spectandum & audiendum dederat ante mortem in his terris, etiamque tangendum in amarissimis passionibus; ita ut nec Populus heic nominetur in oppositione ad Sacerdotes & Seniores, sed & hos includat. Sed quidni id factum est? inquis, quod utilissimum potuisset videri ad faciliorem populi totius fidem, vel alias ad majorem ejus convictionem. Quando ita disputabis inepte contra Domini nostri beneplacitum sanctissimum & sapientissimum, cujus rationes nobis semper exigere non licet. Dum nos illius æquitatem heic tamen facillime monstramus; ex diverso Gradu Gratiæ in Ecclesia, utili ad mutuam charitatem & excitationem, *coll.* 1 *Cor.* XII. 4. 5. 14. 15. *&c.* ex necessario exercitio Fidei, acquirendæ per studium Scripturarum, & probandæ per certamina contra scrupulos objectos, *coll.* 1 *Cor.* XI. 19. *&c.* ex ipso denique impii & increduli mundi, dudum per Christi dicta & facta convicti, promerito judicio, uti sic Judæi gratia illa singulari se indignos prorsus reddiderant, *coll. Matt.* XXIII. 39. Dum alienum magis videtur nobis, quod *Nic. Gurtlerus* ad *Dubium Secundum* suum de Vespera Apparitionis apud Discipulos causatur, Christum sic evitasse repetitas Judæorum *insidias*, *violentiam*, *aut contumeliam*, qui illi suscitato *non pepercissent.* Positive ex adverso declarat Petrus,

Neque contigerunt Populo omni, sed Testibus à Deo ante designatis fidelissimis.

apparuiſſe Chriſtum Redivivum *Teſtibus*, per verba certa & paſſiones acerbas, ſeu *Martyribus*, ad hoc *à Deo* ipſo & Domino noſtro ſolenniter, *deſignatis*, quod inter homines ſolebat quidem fieri per χειροτονίαν *Act.* XIV. 23. 2 *Cor.* VIII. 19. heic tamen proprie locum non habentem; & quidem prius, ſeu *ante*, vel eorum Nativitatem & Mundi ipſius initia, in quem ſenſum confertur & vox προχειρίζεσθαι *Act.* XXII. 14. XXVI. 16. vel Chriſti Mortem & Reſurrectionem; qui nempe erant Apoſtoli, à Domino *electi*, ad quos & ante Aſcenſionem ſuam proxime dixit, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἰερουσαλὴμ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ Σαμαρείᾳ καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς, *Act.* I. 2. 8. Uti & hinc *Petrus* ſubjecit ipſe, καὶ παρήγγειλεν ἡμῖν κηρύξαι τῷ λαῷ, καὶ διαμαρτύρασθαι, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν. Quales Teſtes præ aliis indigebant confirmatione propria rei, à ſe prædicandæ, & ab aliis accipiendæ ad ſalutem. Et quales per αὐτοψίαν infallibiles Teſtes cum heic eſſent Plures numero, hoc ſufficere poterat & debebat apud reliquum Populum omnem, tam docentium quam diſcentium. Quamquam nec hi omnes ab Apparitionibus Chriſti Redivivi excluſi fuerint, ſed & aliqui de Populo in oppoſitione ad illum totum ſeu omnem, partem in illis habuerint; dum & ipſe à *Mulieribus* viſus & auditus fuit *Matt.* XXVIII. 9. 10. & à *plus quam Quingentis Fratribus ſimul* 1 *Cor.* XV. 6. qui ſic teſtimonium Apoſtolicum confirmarent quoque. Confer ad iſta id quod Chriſtus dixerit de ſui Manifeſtatione in Gratia Spirituali potius quam corporali hac, & Judas exponi amplius voluit *Joh.* XIV. 22. κύριε, τί γέγονεν, ὅτι ἡμῖν μέλλεις ἐμφανίζειν σεαυτὸν, καὶ οὐχὶ τῷ κόσμῳ; Facit & heic cum Petro Paulus *Act.* XIII. 31. ὃς ὤφθη ἐπὶ ἡμέρας πλείους τοῖς συναναβᾶσιν αὐτῷ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας εἰς Ἰερουσαλὴμ, οἵτινές εἰσι μάρτυρες αὐτοῦ πρὸς τὸν λαόν.

Et quidem per Dies Quadraginta.

VI. Sed quamdiu durarunt iſtæ Redivivi Jeſu Apparitiones inter homines in hac terra? Ἐπὶ ἡμέρας πλείους, *per dies multos*, dixit Paulus *Act.* XIII. 31. Δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα, inquit *Lucas*, *per Dies Quadraginta Act.* I. 3. poſt quos ἀνελήφθη, ſive *ſurſum aſſumptus eſt*, vel *receptus*. Per quæ verba hoc innui, quod ſingulis iſtius ſpatii diebus vel ſæpius vel ſemel apparuerit ſuis Diſcipulis, ego quidem aſſeverare nequaquam auſim, nec

nec etiam per Euangeliſtarum narrationem fit veriſimile ſatis. Ex adverſo hoc notari credendum eſt, quod Apparitiones illæ factæ ſint intra illud ſpatium nunc & tunc, ſeu quandoque, tam in principio, quam in medio, & in fine ejus, adeoque veritas ejus hinc etiam conſtet. Si roges rationem hujus Spatii temporis, præ alio longiori vel breviori, vix habeo quod conjiciam, nedum ponam, heic magis, quàm in Dominica Manſione Deſerti cum Jejunio & Tentatione Diaboli, *Matt.* IV. 2. *Marc.* I. 13. *Luc.* IV. 2. & in Moſaica Mora apud Dominum *Exod.* XXXIV. 28. & in Eliæ Ambulatione 1 *Reg.* XIX. 8. Niſi ſic compenſare Dominus voluerit ſpatium Horarum non quidem Sepulturæ, ſed Mortis ſuæ, & quo à ſuis abfuerat vel fere vel prorſus æquale totidem Diebus, quomodo Septuaginta Annorum Captivitati Dominus olim oppoſuerat Septuaginta Septimanas Annorum Reſtitutionis *Dan.* IX. 24. & Dies Secundum Annos numerantur *Ezech.* IV. 6 *&c*

VII. *Quot* autem *vicibus* intra illud ſpatium Dierum Quadraginta Chriſtus apparuerit ſuis, quis rite & ſolide determinet? Dum illæ omnes neutiquam nobis in Euangelio ſunt relictæ; etiam ſecundum illud *Johannis Cap.* XX. 30. πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα σημεῖα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἃ οὐκ ἔστι γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ, quod, tanquam ſubjectum proxime poſt ſingularem gratiam Thomæ factam, & determinatum ad Diſcipulorum præſentem conſpectum, ſpecialem quoque relationem habere videtur ad Chriſtum Redivivum. Dum latioris potius extenſionis ſunt quæ leguntur *Cap.* XXI. 25. ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἓν οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. Sapienter ſic ordinante Deo, & compeſcente noſtram obmurmurationem iniquam Johanne, etiam per illa, ταῦτα δὲ γέγραπται ἵνα πιστεύσητε ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Non ſunt illæ omnes nobis narratæ diſtinctius in Scripturis.

VIII. Quin & de *Numero Apparitionum*, ab Euangeliſtis & Apoſtolis traditarum, vix eſt adhuc conſenſus generalis apud Interpretes, qui vel diſtinguunt vel confundunt earum unam & alteram, atque hinc vel Novem, vel Undecim, vel etiam Decem cum *Auguſtino* ipſo numerarunt dudum. Dum poſt Euangeliſtas Paulus 1 *Cor.* XV. 5–7. ante ſibi factam gratiam Sed Septem tantum, aut octo, diverſæ apud Euangeliſtas, traditæ leguntur.

tiam ſingulariſſimam, nonniſi *Quinque*, ſine dubio maxime notabiles præ aliis, enumerare deprehenditur; Καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα. Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ, ἐξ ὧν οἱ πλείους μένουσιν ἕως ἄρτι, τινὲς δὲ καὶ ἐκοιμήθησαν. Ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν. Interim ſunt omnino *Septem*, ſi non *Octo*, Apparitiones, quas Euangeliſtæ plenius nobis enarrarunt. Habet ſic *Matthæus* unam, quæ contigit *Mulieribus Cap.* XXVIII. 8. 9. 10. & alteram, quæ tribuitur *Undecim Diſcipulis* in monte Galilææ. *verſ.* 16. *&c.* Habet *Marcus* unam, conceſſam *Mariæ Magdalenæ Cap.* XVI. 9. alteram *duobus Diſcipulis verſ.* 12. 13. tertiam *Undecim ἀνακειμένοις verſ.* 14. *&c.* Habet *Lucas* unam, factam *Duobus Emmaunticis Cap.* XXIV. 13. *&c.* alteram *Apoſtolis* ſimul congregatis *verſ.* 36. *&c.* Habet denique *Johannes*, unam apud *Mariam Magdalenam Cap.* XX. 14. alteram apud *Diſcipulos congregatos verſ.* 19. *&c.* tertiam apud *Eoſdem poſt Octiduum verſ.* 26. *&c.* & quartam apud *Quoſdam horum* ad Mare Tiberiados *Cap.* XXI. 1. *&c.* Quæ tanta diverſitas omnem hinc ſuſpicionem colluſionis indecentis longiſſime arcet, ex ſapientiſſimo & ſanctiſſimo Dei conſilio; ſed nullam adverſitatem in ſe continet, uti apud Apparitionum illarum ſingularum exegeſin manifeſtius liquebit, ubi etiam de earundem mutua conſecutione agendi locus erit commodus.

Ante quas dicendum de Apparitionibus Petro & Jacobo tributis à Paulo.

IX. In tractatione hac lubet nobis præmittere *Apparitiones Duas*, quas Paulus nominavit, ſed explicite non deſcripſit Euangeliſta ullus, quæ contigerunt *Petro & Jacobo* ſcilicet; dein progreſſuris ad reliquas, quas plenius enarrarunt hi. Ita quidem ut & apud ſingulas dicamus, tum de *Tempore*, in quod illæ conjiciendæ, certo ſaut probabiliter, tum de illarum *Diſtinctione* aut *Identitate* inter ſe vera vel veriſimillima.

CA-

# CAPUT OCTAVUM.

## *Quo ſpecialius inquiritur in Apparitiones Domini apud Petrum & Jacobum, quas Paulus nominavit.*

Apparitionem Chriſti Redivivi primo loco memoravit Paulus, quæ contigit Cephæ.

Quando tradit Paulus, ſecundum Scripturas ſuſcitatum eſſe Jeſum, & quidem tertio die, idem confirmaturus latius, tanquam præcipuum quoddam Chriſtianiſmi caput, unde juſtitia ſalus & tranquillitas noſtra pendet, primo dixit ille loco 1 *Cor.* XV. 5. ὅτι ὤφθη κηφᾷ, *quod Cephæ ſit viſus*, dein *verſ.* 7. habens, ἔπειτα ὤφθη ἰακώβῳ. In quo textu illuſtrando poterimus eſſe tanto breviores, quanto latius de illo jam olim diximus *EXERC. TEXT. XLV. Parte V.* dum eum in hac noſtra hiſtoria prætermittere intactum minime poſſumus.

In illo Cepha omnino intelligendus Petrus Apoſtolus, non alius quiſquam.

II. Diſputavimus illic ante omnia de *Syriaco* nomine Κηφᾶς, ܟܐܦܐ / *Cepha*, non confundendo cum ܟܝܦܐ / *Kajapha*, quod prius πέτρος, πέτρον, *ſaxum*, vel *lapidem*, notans, ſexies in Novo Teſt. legitur, heic & *Joh.* I. 42. 1 *Cor.* I. 12. III. 22. IX. 5. *Gal.* II. 9. Et fuit illud Nomen Proprium magni Apoſtoli, qui antea dictus *Simon*, & quidem *Jonæ filius*, ſic appellatus eſt à Domino *Joh.* I. 43. σὺ κληθήσῃ κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται πέτρος, & dehinc dictus *Simon*, *Petrus*, *Simon Petrus*, *Symeon*, *Symeon Petrus*. Præter quem alios plures idem Cephæ nomen potuiſſe gerere nemo quidem negat aut neget, ſed actu idem accipere in Scripturis, minime novimus, vel admittimus, propter teſtimonium, ſeu *Clementis Alexandrini* apud *Euſebium*, ſeu *Pſeudo-Dorothei*, ſeu *Chronici Paſchalis*. Utique hunc Petrum Apoſtolum in nomine *Cephæ* conſtanter intelligi 1 *Cor.* I. 12. ἐγὼ μὲν εἰμὶ παύλου, ἐγὼ δὲ ἀπολλώ, ἐγὼ δὲ κηφᾶ, ἐγὼ δὲ χριστοῦ, 1 *Cor.* III. 22. εἴτε παῦλος, εἴτε ἀπολλώς, εἴτε κηφᾶς, 1 *Cor.* IX. 5. μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ κυρίου, καὶ κηφᾶς, nec non *Gal.* II. 9. καὶ γνόντες τὴν χάριν τὴν δοθεῖσάν μοι ἰάκωβος καὶ κηφᾶς καὶ ἰωάννης, οἱ δοκοῦν-

δοκοῦντες σύλοι εἶναι, &c. valide monſtravimus, & vindicavimus contra Jeſuitam *Joh. Harduinum*, qui prolixiſſime contrarium in rem Pontificiam urſit. Nec alium quam Petrum eundem eſſe, cui Dominus noſter Redivivus viſus heic fertur à Paulo, clariſſimum eſt; ex eo quod iſte nomine hoc ſuo ſolo notiſſimus ſit apud Chriſtianos; ex ejus apud hos probata fide & auctoritate; ex ejus cum Domino communione arctiſſima; ex ejus collocatione apta ante Collegium Apoſtolicum; ex Chriſti viſione ipſi ſub nomine *Simonis* quoque tributa *Luc.* XXIV. 34. præter conſtantem alibi nominis hujus applicationem iſtam; & quæ ſunt forte alia plura. Dum nec ullius plane in adverſum ponderis ſunt, quæ ille objecit ſtudioſe ad hunc Pauli textum; imprimis quod *ex ſilentio Euangeliſtarum, aliisque argumentis, oſtendi poſſit non viſum fuiſſe à Petro Chriſtum priuſquam à ceteris Apoſtolis.* Hoc enim poſtremum inaniſſime ſupponitur; & ſilentium illud non ſufficit ad negationem rei, quod contra alium Cepham æque cæteroquin valere deberet; præterquam quod aliud ſit Res ipſa, ſeu Chriſti Apparitio, & aliud ejuſdem Tempus Determinatum heic expreſſe non additum, à quo illa ipſa minime pendet tota.

Cui Chriſtus Redivivus fertur ipſe viſus eſſe.

III. Quod jam de Cepha ſeu Petro teſtatur Paulus, eſt Chriſtum poſt Mortem & Reſurrectionem ſuam illi apparuiſſe, ſeu *viſum eſſe*, ὤφθη, verbo hoc ter heic uſurpato ſenſu eodem *verſ.* 5. 6. 7. Unde non licet cogitare in hoc textu de conſpectu mentali, vel phantaſtico, vel ſymbolico ullo, ſed cogitare omnino decet de viſu corporali, externo, & vero ipſius Domini. Neque magis conveniens eſt in hoc loco quam ad textum *Luc.* XXIV. 34. illud ὤφθη referre, non ad Chriſti perſonam reſuſcitatam, ſed ad ejus Reſurrectionem, quod in iſto urſit ineptiſſime tamen *Harduinus*; *Haud temere videmur nobis arbitrari, verbum Apparuit hoc quidem in loco non ad Chriſtum referri, ſed ad verbum ſurrexit, ut non Chriſtus Petro dicatur, ſed ejus Reſurrectio apparuiſſe, hoc eſt, perſuaſiſſima fuiſſe ex quo Corpus Chriſti in monumento non reperiſſet, ſed ſudarium tantum & linteamina poſita.* Quod ſi non ſit Scripturam in vanas & inutiles hypotheſes peſſime torquere, nihil eſt tale unquam. Dum & ex Chriſti ipſius conſpectu indubie magis perſuaſus fuit Petrus de Reſurrectionis Dominicæ veritate,

te,

te, quam ex Corpore ejus non reperto, juxta ſudarium & lintcamina, in monumento ſepulchrali.

IV. Enimvero quis Paulo, Apoſtolo magno & fido, illud de Petro tam clare pronuncianti, ad primum firmamentum Reſurrectionis Chriſti, apud Corinthios fidelles & rerum conſcios ex communi prædicatione Euangelii ab aliis etiam facta, fidem non habeat in hac hiſtoriæ parte? Quomodo, tu dices tamen, rem eam tacere potuerunt Euangeliſtæ omnes, ſi non ex vana forte traditione hauſta, ſed vere geſta fuit, quam Paulus dignam judicavit, ut primo exhiberetur loco ante alias Apparitiones Domini noſtri Reſuſcitati? Ad quæ ego dicendum putem, quod præter ſapientiam & prudentiam humanam, Divina Inſpiratio Magni Apoſtoli neutiquam patiatur, ut in hoc capite magis quam in aliis perinde non levis ſed magni ponderis ipſi narranti fides denegetur ullo modo. Idque propter Euangeliorum ſilentium merum; dum hæc æque ſuppleri poſſunt ex Epiſtolis Apoſtolicis, quam ex ſe mutuo rite collatis, & Paulus in iſtis pro Euangeliſta ſupra numerum quaternarium, æque quam pro Apoſtolo ſupra duodenarium poteſt haberi. Quo magis poteſt ſilentii iſtius Euangelici ratio conjici non inepta ſeu una ſeu alia. Qualis v. g. eſt, quod, ne nimia eſſet Petri veneratio apud Chriſtianos, uti vere fuiſſe dici poteſt ab antiquo ſatis tempore, & eſt hodieque in communione Romana, Deus noluerit hunc Petri conſpectum ab initio primo prolixius narrari; quaſi ab eo præ aliis penderet communis Chriſtianorum fides. Neque aliter ſtatuens de Pauli hac narratione, minus impetere debes Conſpectum Jacobi, quin & Quingentorum Fratrum, ab Euangeliſtis explicite ſic non deſcriptum, quam illum Petri. Qui plurimum utique habet probabilitatis, & nihil ex adverſo quod à veriſimilitudine abhorreat. De quo enim magis præſumatur Chriſtum Redivivum Viſum ei fuiſſe peculiariter, quam de præcipuo illo multis modis Apoſtolo? quem maxime ſpectavit & curavit Jeſus, qui ferviditſime ejus cauſam egit, qui deinde graviſſime quidem lapſus fuit abnegatione & abjuratione fœda Domini ſui, ſed & qui vehementiſſime factum hoc doluit, hinc corroboratione præ aliis opus habens, qui deinde ſolenniter propterea in Munere ſuo confirmatus fuit, qui ad Sepul-

In quo fidem prorſus meretur Paulus Apoſtolus, id poſitive tradens.

pulchrum cum Johanne etiam accurrit, & in illud curate inſpiciendum ingreſſus eſt, ſine aliis Apoſtolis, imo cui nominatim Angelus voluit à Mulieribus annunciari ipſius Reſurrectionem. Hoc inſuper addendum omnino eſt, quod, licet in Euangelio non ſit deſcriptus Petri Conſpectus Dominicus in modo & circumſtantiis ſuis, idem illic ſit nominatus tamen ab ipſis Apoſtolis *Luc.* XXIV. 34. ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη Σίμωνι. Quod cum manifeſtiſſime pertineat ad Petrum, ſub iſto antiquo *Simonis* nomine ſic ſatis notum, atque etiam à Chriſto notatum *Luc.* XXII. 31. *Simon, Simon, ecce Satanas quæſivit vos ventilare ut triticum, ſed ego precatus ſum pro te ne deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; mirandum eſt vere, quo pacto ad alium aliquem *Simonem* iſta trahere nonnulli ſtudioſe conati ſint. Dum cum illis minime facere poſſumus, qui hunc Cephæ tributum Viſum vellent ei ſimul cum aliis Apoſtolis contigiſſe, & ſic in Euangeliis narrari; ubi poſt hunc ut peculiarem textus habet diſtincte, εἶτα τοῖς δώδεκα, *deinde illis Duodecim.*

Viſus iſte Petro certiſſime contigit ipſo Die Reſurrectionis Dominicæ, & quidem ante Emmauntico-rum Reditum ad Diſcipulos, adeoque ante Apoſtolos alios omnes.

V. Interim hujus Viſus Dominici, qui Petro contigit certiſſime, *Modus* nos plane latet. Dum temere huc refertur quod *Ignatius* ad *Smyrneos* refert, Chriſtum Petro dixiſſe λάβετε, ψηλαφήσατέμε, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον, cum illud *Euſebius* fateatur ſe ignorare unde ſit petitum, & *Hieronymus* illud repetat ex Euangelio Secundum Nazaræos, ſed revera ſpectare videatur ad Apparitionem veſpertinam apud Apoſtolos. Non datur etiam de ejus *Tempore & Loco* quidquam dicere, niſi per meras conjecturas. Præter iſtud tamen, quod illa contigerit ipſo Die Reſurrectionis, & quidem ante Emmaunticorum Diſcipulorum Reditum ad Apoſtolos, qui cæteroquin ad illos redeuntes jam tum verè dicere non potuiſſent, *ſuſcitatus eſt Dominus vere, atque viſus Simoni.* Quorſum etiam facit, quod Paulus non tantum poſt traditam Reſuſcitationem ipſam primo mox loco ſubjecerit, καὶ ὅτι ὤφθη Κηφᾶ, ſed & addiderit, εἶτα, *deinde*, τοῖς δώδεκα. Quamquam enim illa vocula alias forte non male adhibeatur ad rerum & verborum ordinem, ſine notatione temporis conſequentis rei traditæ, *coll.* 1 *Cor.* XII. 28. *Hebr.* VII. 2. *Jac.* III. 17. *&c.* heic tamen cum ſequente gemino ἔπειτα lon-

longe rectius illa nos ducit ad Sequelam ipsius Conspectus Duodecim Apostolorum post illum Petri præmissum, unde & tandem de se ipso adhibuit Paulus illud ἔσχατον πάντων, *ultimo omnium*, utique respectu temporis rei gestæ. Per quæ argumenta simul convincimur, aberrare eos plane à Pauli mente, qui Apparitionem Cephæ factam heic vellent reperire eandem cum Apostolis reliquis, quando illud ἔπειτα *deinde* heic locum non reperiret equidem. Nec minus illos, qui Cepham seu Petrum vellent fuisse Alterum Emmaunticum, adeoque in itinere illo Christum Petro visum esse; de quo in illius historiæ tractatione dein latius videbitur.

Quin etiam probabiliter satis in matutino Reditu à Sepulchro cum Johanne; sive & hic viderit tum Jesum, sive non.

VI. Tanquam satis probabile tamen admittimus, quod Domini Redivivi Conspectus, à *Paulo* traditus, post Apostolicum Cœtum apud *Lucam*, contigerit Petro, non serius in Diei primi Progressu ad meridiem vel post hunc, sed in suo Reditu ipso à sepulchro, post hoc curate satis ab ipso spectatum, quem narrat *Johannes Cap.* xx. 10 quando factam ipse *Resurrectionem* jam cœperat credere, sic in fide eadem plene confirmandus, sive paulò post, sive paulo ante Magdalenam, illic longius consistentem. Viditne vero Christum solus tum Petrus? & non una Johannes, qui ipsius comes in Itione & Reditu à Sepulchro fuit, secundum Johannis narrationem? Nihil nos quidem de hoc Visu Johannis legimus apud ipsum; sed neque quidquam de illo Petri. Et potuit fieri, ut hi duo *abeuntes* πρὸς ἑαυτὸς *ad se*, à sepulchro, non ita loco & tempore fuerint proxime conjuncti, seu initio reditus sui, seu in ejus progressu ulteriore, ut non uni aliquid contigerit præ altero, per singularem Domini dispensationem. Atque id, quod de Petro notum nobis fecit Paulus, de Johanne neutiquam significavit, ut idem asserere nobis de hoc non liceat; quod tamen si gestum & significatum fuisset de Duobus illis, ad tantò majorem Euangelii confirmationem facturum fuisse censeri posset. Interim Paulus per narrationem suam de Petro non plane negavit, Johannem partem suam habuisse in eadem Domini Apparitione. Quod si conjicere lubeat omnino, ex pari illorum Zelo pro Domino heic demonstrato, atque ex illorum Societate mutua in hoc itinere, nec non ex anteriori & posteriori conjunctione illorum in aliis

casibus lætis æque quam tristibus, *Matt.* XVII. 1. *Marc.* V. 37. XIV. 33. *Luc.* XXII. 8. *Act.* III. 1. IV. 13. VIII. 14. *&c.* ut de majori confirmatione eventus læti nihil addam; per nos equidem licebit. Quod si in contrarium tam de Petro quam de Johanne objicias illud Emmauntici Cleopæ *Luc.* XXIV. 24. ἦλθον τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν ἐπὶ τὸ μνημεῖον, καὶ εὗρον οὕτω καθὼς καὶ αἱ γυναῖκες εἶπον, αὐτὸν δὲ οὐκ εἶδον, tolli non male illud dubium poterit, per ultimi membri relationem ad Monumentum antea nominatum, in quo Christum non reperientes eundem non viderunt quoque hinc. Nisi ad alios, præter Petrum & Joannem, Discipulos illic forte spectetur.

Jacobus, à quo etiam Christum Visum fuisse Redivivum Paulus habet, fueritne Major an Minor, inquiritur.

VII. Nunc vero verbum adhuc addere oportet de *Jacobo*, cui *postea*, seu *deinde*, ἔπειτα, *visum esse* etiam Dominum Redivivum dixit Paulus *vers.* 7. proxime ante Apostolos omnes, & post Quingentos Fratres. Isthoc nomine an heic designetur Frater Johannis & Zebedæi Filius, dictus Major, quem Herodes gladio sustulit *Act.* XII. 2. an vero Alter, Filius Alphæi & Mariæ, Frater Josæ & Judæ & Domini, dictus Minor, & Justus, qui sæpius in Actis memoratur *Cap.* XII. 17. XV. 13. XXI. 18. *coll. Gal.* I. 19. II. 9. 12. & apud Antiquos plurimum celebratur, quis solide determinabit? Pro posteriori facit inter alios *Doct. Ligtfootus*; *Probabilius est, Alphæi Jacobum intelligendum, & quod in vivis jam foret cum Paulus hæc scriberet, & quod videatur Apostolus ex instituto agere de Apparitione Christi exhibita Petro & Jacobo Ministro Circumcisionis, & sibi ipsi Ministro Præputii.* Jubens porro videre *historiam de quodam Discipulo ut vocatur Jesu, Avoda Zara.* Uti inter Antiquiores passim idem tenentes est quoque *Theophylactus*; ὤφθη Ἰακώβῳ τῷ ἀδελφῷ τοῦ κυρίου, τῷ ὑπ' αὐτοῦ καταξιωθέντι ἐπισκόπῳ πρώτῳ Ἱεροσολύμων. Dum post multas ejus laudes *Hieronymus* ipse *in Catalogo* adduxit ex *Euangelio sec. Hebræos* μετὰ τὸ ἀνάστασιν τοῦ σωτῆρος sequentia; *Dominus autem cum dedisset sindonem servo Sacerdotis, ivit ad Jacobum & apparuit ei*, (pro eo quod Græce legitur, ἤνοιξεν αὐτῷ.) *Juraverat enim Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursusque post paululum; Afferte, ait Dominus, mensam & panem. Statimque additur, tulit panem, & benedixit ac fregit, & dedit Jacobo*

*cobo Juſto, & dixit ei, frater mi comede panem tuum, quia reſurrexit Filius hominis à dormientibus. Triginta itaque annis Hieroſolymis rexit Eccleſiam &c.* Præter quæ ſatis ut videtur fabuloſa ſunt & alia aliis apud hunc locis huc ſpectantia. Quibus in tantum fidem habuit ipſe *Grotius*, ut heic ſcripſerit; *Videtur ἔπειτα hic eſſe, non poſtea, ſed præterea, ut ſupra* XIX. 28. *Jac.* III. 17. *Nam apparitio Chriſti Jacobo facta eſt ſtatim poſt Reſurrectionem, ut habet traditio quam ex Hieronymo commemoravimus in Proleg. ad Matthæum.* Nec aliter *Doct. Hammondus*, niſi quod minus forte certum ſe prodat. Pro *Paraphraſi* habens; *Præterea ſtatim poſt Reſurrectionem eum vidit primum quidem Jacobus, Epiſcopus Jeroſolymitanus, &c.* Et *in Adnot. Hujus Apparitionis Chriſti non meminere Euangelia, verum eam memorat Hieronymus, quaſi ex traditione Eccleſiaſtica, atque Chriſtum à Jacobo conſpectum fuiſſe, antequam cerneretur ab ullo aliorum qui in Euangeliis poſt reſurrectionem eum vidiſſe dicuntur. Quod ſi verum eſt, vertenda eſt vox ἔπειτα, non poſtea, ſed alio modo, ita ut ordinem dignitatis, non temporis ſignificet; vel habenda eſt quaſi particula qua ſignificatur quidpiam ſæpius contigiſſe ſine notatione temporis, ut primum, deinde, &c. Sic uſurpatur in hac ipſa Epiſtola Cap.* XII. 28. *ἔπειτα δυνάμεις, ubi nulla ordinis ratio habetur.* Ex adverſo pro Jacobo Zebedæi dici poſſe videtur, quod hic communius cum Petro & Johanne fratre jungi ſolcat, tanquam excellens valde inter Apoſtolos Dòmini, *Matt.* XVII. 1. *Marc.* V. 37. X. 35. *Luc.* IX. 35. *&c.* hinc & ante Alterum Jacobum in Apoſtolorum recenſione nominatus *Matt.* X. 2. 3. *Act.* I. 13. *&c.* cui propterea ſpecialis hæc Apparitionis gratia æquiſſime tribuatur, non obſtantibus laudibus maximis, quæ poſt Majoris illius cædem tribuuntur Jacobo Minori, forte cum haud exigua fabularum mixtura. Fuit certe horum alteruter, qui uterque ex æquo fidem meretur, ut nihil interſit fidei Chriſtianæ uter fuerit. Nec audiri merentur ullo modo, *qui Jacobum hunc expungunt è catalogo Duodecim Apoſtolorum, diverſum facientes ab utroque Jacobo Apoſtolo*; & quidem iſto etiam fundamento, quod ab *Apoſtolis*, & *Duodecim*, diſtincte ille heic nominetur. Quaſi unus ille non recte opponeretur omnibus ſimul ad illius Collegium pertinentibus; uti & ſic *Cephas* diſtinguitur à *Duodecim verſ.* 5. at-

que *Petrus* à *Diſcipulis Marc.* XVI. 7. & ſimiliter tum diſtingui deberet à Quingentis Fratribus, heic ante Jacobum nominatis. Sed de hac re tota etiam multo latius contra *Harduinum* diſputavimus *Loc. Cit.*

De Modo, Loco, & Tempore, iſtius Apparitionis, aliquid annectitur.

VIII. De Modo, Loco, & Tempore, hujus Dominicæ Apparitionis apud Jacobum non habemus quod dicamus; dum de iis nihil eſt apud Paulum, & de ea tota nihil habet Euangeliſta ullus; adeoque & temere prorſus *Severianus Gabal. Orat. V.* in accurſu ad Sepulchrum Jacobum cum Petro & Johanne conjunxit. Neque enim illa vere ſpecialis eſt quærenda temere, ubi vel omnibus Apoſtolis communiter fertur contigiſſe, vel inter alios quoſdam etiam memorantur οἱ τοῦ Ζεβεδαίου, ſeu filii *Zebedæi Joh.* XXI. 2. Et oportet eam tantum figere poſt illam quæ *pluſquam Quingentis Fratribus*, & ante ultimam quæ *omnibus Apoſtolis* contigiſſe fertur; non modo propter ordinem recenſionis à Paulo ſervatum, ſed etiam interpoſitum ἔπειτα & εἶτα, per quas voculas relatas ad ordinem, non rerum geſtarum, ſed narrationis ſic factæ abſque ratione certa aut probabili ulla, elegantia hujus multum imminuitur. Ineptum itaque eſt prorſus, quod fuiſſe monet *Eſtius*, cui *videbatur probabile*, *contigiſſe* hanc Apparitionem, *poſt Aſcenſionem Domini*, ſine ratione allata, quando *ultimo loco ponenda fuiſſet cum ea qua Paulo viſus fuit.* Qui idem *Autor* ſatis ſolide ſimul diſputat contra *Hieronymi* narrationem ex *Euangelio ſecundum Hebræos* modo adductam; *Quæ*, inquit, *ſi vera ſunt, dicendum erit Dominum apparuiſſe Jacobo ſtatim à Reſurrectione, ſaltem ipſo die quo reſurrexit, non autem demum poſt alias jam memoratas apparitiones, quarum poſtremæ longe poſt diem Reſurrectionis contigit, maxime quod inedia Jacobi, de qua Hieronymus, non debuerit, nec vero naturaliter potuerit, extendi ultra tempus prædictarum apparitionum. Verum iſtam de Jacobo narrationem, ut fabuloſam & fidei ſacrorum Euangeliorum contrariam, rejicit Johannes Heſſelius, nec id immerito, quantum arbitror. Pugnat enim cum eo quod hoc loco ſcribit Apoſtolus, Dominum Jacobo viſum, poſteaquam viſus eſt Quingentis fratribus. Nec eſt quod dicas, illud deinde non ordinem temporis ſignificare, ſed narrationis. Nam temporis ordinem hic ab Apoſtolo ſervari, vel ex eo ſatis apparet, quod Dominum ſibi omnium noviſ-*

*noviſſime viſum fuiſſe referat, utique juxta ſeriem temporis. Alii, ut Paulum cum Euangelio Nazaræorum concilient, fingunt Duas Apparitiones Jacobo factas. Sed inepte. Quorſum enim Paulus omiſſa priore tantum commemoraret poſteriorem? ac non potius utramque? Deinde refellitur illa narratio; quia clarum eſt ex Euangeliis, omnes Apoſtolos in Chriſti paſſione & morte fuiſſe ſcandalizatos, nec quicquam ſibi promiſiſſe de ejus Reſurrectione poſt triduum futura &c. Unde & ad credendam ejus Reſurrectionem ſibi nunciatam tardi difficilesque fuere, coll. Joh. xx. 9. &c. Atqui juramentum illud Jacobi certo fuiſſe perſuaſum arguit de Chriſto paulo poſt Reſurrecturo. Jam ſi Chriſtus reſurgens, ut habet narratio, ſindonem ſecum abſtulit, & dedit ſervo Sacerdotis, quomodo verum eſt, ſecundum Joannem & Lucam, reſurgente Domino linteamina relicta fuiſſe in Sepulchro, videlicet in argumentum reſurrectionis? &c. Denique nulla eſt authoritas illius Euangelii, quod conſtat apocryphum eſſe, & propter quædam alia ab Euangeliis diſſona fidem moveri, licet eo Hieronymus interdum utatur ubi commodum eſt. Igitur ea narratione repudiatâ, quam nec ipſe Hieronymus approbare ſe declarat, teneamus, hanc Apparitionem de qua Paulus Jacobo factam fuiſſe multis diebus poſt Domini Reſurrectionem eo ſcil. ordine temporis quo facta recenſentur à Paulo &c.* Et nos in hac parte fidem habere debemus Paulo; ſicuti & ipſe Jacobus, Apoſtolus ſive unus ſive alter, erat teſtis omni exceptione major.

---

## CAPUT NONUM.

### *Quo Apparitio Domini apud Mulieres, & nominatim quidem Mariam Magdalenam, decenter illuſtratur.*

Ab Apoſtolis Duobus Illuſtribus, Petro & Jacobo, fide omni digniſſimis teſtibus, de quibus præ Euangeliſtis locutus eſt Paulus, & quorum unus longe ſerius quam alter Dominum Redivivum vidit, veniendum eſt ad *Mulieres Pias*, quibus ipſe, ſi non ante Petrum ipſum, utique ab initio & ante Apoſtolos alios apparuit vivus, & maxime quidem *Mariam*

Tractatio proxima de Mulieribus, & Maria Magdalena, quibus Chriſtus Redivivus

apparuiſſe habet Euangelium, tacente Paulo.

*riam Magdalenam.* Quarum hoc fatum proſperrimum uti per Euangeliſtas conſtare voluit Deus, in documentum certum liberrimæ & ſimul paratiſſimæ atque debilibus ſufficientiſſimæ gratiæ ſuæ, ita non repetiit Paulus, *eo quod* forte *Mulierbre teſtimonium in re tam ardua parum ponderis eſſet habiturum apud contradicentes & ad credendum tardiores; forte etiam idcirco, ne facere videretur contra ſuum ipſius præceptum paulo ante datum de Silentio Mulierum in Eccleſia, ſi earum teſtimonia velut authentica referret in ſcriptum publice in Eccleſia legendum;* notante inter alios *Doct. Eſtio.* Quam hiſtoriæ Euangelicæ partem ita tractabimus, ut primum videamus, quæ de *Mulieribus* communiter habet *Matthæus Cap.* XXVIII. 9. 10. & dein quæ ſpeciatim de *Maria Magdalena* nobis reliquit, tum brevius quidem *Marcus Cap.* XVI. 9–11. tum latius porro *Johannes Cap.* XX. 11—18. in fine etiam conſideraturi, quomodo *diſtinguendæ*, atque ſimul *diſponendæ*, ſint iſtæ hujus hiſtoriæ partes inter ſe.

De Mulieribus indefinite loquitur heic Matthæus.

II. *Perſonas* heic non nominans iterum *Matthæus*, in tertia perſona loquitur ſermone continuato, & adhibito quoque bis pronomine Fœminino αὐταῖς, de *Mulieribus*, quas Angelus blande compellaverat *verſ.* 5. & quæ hinc a monumento cum metu & gaudio magno cucurriſſe feruntur ad annuncianda Diſcipulis quæ viderant & audiverant ab Angelis *verſ.* 8. nominatis etiam ab initio Duabus illis, *Maria Magdalene* cum *Maria Altera* Jacobi matre *verſ.* 1. De iſtis autem heic indefinite dicta, ſive omnia ſive quædam, an ad has omnes & ſingulas ex æquo pertineant, & quidem tanquam uno eodemque plane momento facta, poteſt forte videri minus certum per ea quæ apud *Marcum* & *Johannem* de Maria Magdalene feruntur. Dum clarior eſt tamen & ſimplicior *Matthæi* hæc narratio; ſi non ad unam aliquam ex iſtis Mulieribus tantum, ſed ad omnes vel certe plures ex illis, ſpectet eadem, quamquam in oppoſitam ſententiam pronior videatur ipſe *Cel. Voſſius.* Eſt autem aliquid, quod de illis fertur, *Antecedens*, alterum *Principale*, & tertium *Conſequens* geminum.

De quibus hoc tanquam Antecedens narratur.

III. *Antecedens*, repetitum ex *verſ.* 8. illud eſt, quo *Tempus* rei geſtæ ejuſque adeò ſimul *Locus*, & *Occaſio*, ſignificantur *verſ.* 9. ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτῦ,

pro

pro quo alias Græci dicerent, ἐν τῷ πορεύεσθαι, *coll. Luc.* XVII. 11. vel πορευομένων αὐτῶν, *coll. verſ.* 11. *Matt.* XI. 7. dum cum poſteriori hac phraſi etiam perinde ut heic legitur *Act.* I. 10. ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν. πορευομένου αὐτοῦ. Niſi quis velit, per illud ὡς ἐπορεύοντο validius adhuc ſignificari ipſum quaſi momentum Itionis, quo Apparitio hæc contigerit, ac ſi eſſet, *ſimul ac irent.* Ubi notavit etiam *Beza*, *totum hoc membrum deeſſe apud Veterem Interpretem, & in ſuo vetuſtiſſimo Exemplari, ac certe etiamſi ſuſtuleris, integram manere ſententiam, & alioqui copulam* καὶ *mox ſequentem redundare*; quod tamen poſtremum ego neutiquam video, cum potius rei prius narratæ augmentum notabile innuat, & ſic in Verſione à *Beza* prætermittendum non fuiſſet. *Arabs & Euangelium Hebræum habent*, inquit *de Dieu*, *ſi legantur, retributivum eſt ſive conſecutivum, quod ſequitur* καὶ ἰδοὺ, *ad morem Vau Hebraici.* Abeſſe tamen à *Syro* quoque monuit idem rectius, quam ab hoc *agnoſci* ſcripſit *Grotius*, hinc *delere non auſus*, & καὶ volens παρέλκειν *notiſſimo Hebraiſmo*, *coll. Matt.* IX. 10. Quod ad rem ipſam attinet, *iverunt*, ſive *profectæ ſunt*, Mulieres à ſepulchro ad *Diſcipulos* Chriſti, ut hiſce *nunciarent* viſa & audita à ſe, ad quod *exiiſſe*, ſimul vel ſucceſſive quadantenus, immediate antea fuerat dictum, exemplum ſic obedientiæ decentis & zeli in eo dantes laudabile, *coll. Joh.* XIV. 21. 23. *&c.* & *ſimul ac* irent in eum finem ipſo Mane Diei Primi, hinc in via inter ſepulchrum & Diſcipulos adeundos, veriſimiliter quoque non procul à ſepulchro, quin tandem occaſione nuncii læti ad Diſcipulos deferendi prompte & celerrime, cum gaudio quidem attamen & metu; hoc factum eſt quod ſequitur.

rat, quod profectæ ſint ad annunciandum Diſcipulis quæ ipſæ viderant & audiverant.

IV. Et hoc eſt *Principale* illud, quod magnum certum & notabile, non minus verùm & magis quam priora, arguit cum copula καὶ præmiſſa repetitum *Ecce*; ὁ Ἰησοῦς ἀπήντησεν αὐταῖς, λέγων, χαίρετε, *Jeſus*, ipſe hactenus non viſus, *illis*, omnibus vel aliquibus, ſi non uni ſoli per Enallagen, *occurrit*, ſeu *obviam factus eſt*, ſive à tergo ſive à latere ſive à fronte quod illo verbo heic determinari vix putem, utique in Corpore Viſibili & Vivus, imo etiam in Forma ipſis ſeu mox primo momento ſeu paulo tardius agnita. Neque hoc tantum,

Hoc deinde tanquam Principale, quod ecce Jeſus occurrit eis, dicens, gaudete!

tum, ſed & eas ante vel poſt compellationem ab eis factam, alloquitur blande, *dicens*, cum vocis ſono ſolito, abſque vel cum Nominis additione, χαίρετε, ad literam *gaudete*, quod cum *Vulgato* per *avete* reddidit *Beza*, habente *Syro* ܫܠܡ ܠܟܘܢ *pax vobis!* Qualis ſalutationis formula declarat, tum Bonum verum gaudio dignum, tum ejus Attentionem & Conſiderationem juſtam cum Effectu ſuo optabili, tum Affectum denique ſalutantis illuc in ſalutatis tendentem. Quæ cum locum habeant in meris Hominibus, eſt ſalutatio illa longe validior, ubi fit à Domino ipſo Salutis & Gaudii Autore vero, & cujus dicta ad ſuos factis ſunt conjunctiſſima. Ut ſic loquens ipſe declaret; & ſolidiſſimam Gaudii cauſam, ipſis in Reſurrectione ſua datam & dandam porro; & Gaudium ipſum, hinc ab ipſis concipiendum, fovendum, atque augendum, pro viribus; quin tandem ejus Operationem certam in ipſis per Spiritum ſuum, quem exſpectandum habebant quantocyus largiſſima copia. Sic apparet nempe Dominus Mulieribus, non minus ad Aures, quam ad Oculos ipſarum, ad majorem convictionem.

Hoc tertio tanquam Conſequens, unum à parte Mulierum, quod accedentes illius pedes apprehenderint cum Adoratione, & alterum à parte Chriſti, quod hic illis dixerit, ne metuerent; ſed ut abirent & annunciarent Fratribus &c.

V. Unde eſt decentiſſimum illud *Conſequens Prius* à parte *Mulierum*, quod *hæ*, omnes vel aliquæ ſi non una tantum, *accedentes*, propius ad Dominum Viſum & Auditum, *illius*, Domini Viſi & Auditi, *pedes apprehenderint*, vel *amplexæ ſint*, vel *tenuerint*, ἐκράτησαν, ſive actu ipſo ſive conatu ſolo, ex amore ſimul & reverentia pedes ipſos exoſculaturæ, & tactu in fide etiam firmandæ, magis quam abitum ipſius impeditura ifthoc facto; & ſic ſimul procidentes coram ipſo cum intuitu & voce conveniente, *coll. Luc.* VII. 8. *Apoc.* I. 17. 2 *Reg.* IV. 27. *&c. eum adoraverint*, προσεκύνησαν, tanquam mortis victorem & vitæ ducem vere Divinum, cui ſe committerent ſalvandas heic & poſthac religioſiſſime. Quod convictum arguit animum; & quod imitandum ſpiritualiter eſt omnibus piis, inprimis ad gratiam ſibi factam à Domino ſuo ſingulari modo. Et quodnam eſt porro *Conſequens Poſterius* à parte *Chriſti*? Hoc, quod *tunc*, immediate, *Jeſus illis dixerit*, his tantum vel & pluribus vocibus uſus; *Ne metuite, abite, annun-*

*nunciate Fratribus meis, ut abeant in Galilæam, atque illic me videbunt.* Sic cum Metum anxium omnem mali a ſe promeriti & ſibi forte obventuri hactenus non depoſuiſſent, ad Angeli monitionem, *coll. verſ.* 5—8. ab illo, non autem à reverentia debita, etiam eas avocat Dominus ipſe, tanquam minus conveniente ipſis, nec conciliando ſatis cum gaudio ſpirituali in Domino vere Redivivo. Sic *Abitum* ulteriorem à ſepulchro & à ſe jam viſo quoque ſine longiori mora ad Diſcipulos, antea ab Angelo commendatum *verſ.* 7. & jam inchoatum *verſ.* 8. urget & ipſe, nec detinens eas, nec detinendus ab eis. Sic *ſuis Fratribus*, non Naturæ tantum communis, vel Gentis, vel Familiæ, ſed Gratiæ Adoptionis & Regenerationis reſpectu, *coll. verſ.* 17. *Matt.* XII. 49. 50. *Rom.* VIII. 29. *Pſal.* XXII. 23. *&c.* iiſdem indubiè cum Diſcipulis & Apoſtolis *verſ.* 7—9. (quod & heic *in Exemplari quodam ſcribi* notavit *Beza*,) ſed hoc jam nomine à Chriſto ipſo appellatis ad exprimendum ſummum in eos affectum cum lætis ſequelis omnibus; his, inquam, vult *annunciare* eas, *ut in Galilæam abeant*, ad certum nempe in illa extrema terræ Iſraëliticæ parte patria & tutiſſima ipſis montem, *coll. verſ.* 7—16. XXVI. 32. Sic tandem pollicetur, quod ipſum vivum & ipſi cum aliis plurimis Fratres illi *ſint viſuri*, communiter & ſolenniter ex voto ſuo ad pleniſſimam convictionem, *illic*, loco illo determinato, ad quem eundum erat bonum illud deſiderantibus. Ubi *Dubium Primum* quaſi maximum movit *Nic. Gurtlerus*, quomodo Promiſſio hæc cum Eventu conveniat, dum Jeroſolymis & in via Emmauntica prius Diſcipulis apparuit Dominus, & hinc in latam ejus ſolutionem excurrit; notans etiam fuiſſe ex culpabili metu & incredulitate Diſcipulorum illud factum ut non irent in Galilæam citius, quin & Jeſum *revera iter Galilæam verſus inſtituiſſe*, ducente illuc *Emmaunte*, unde ob *viam aquaticam clam navigio in Galilæam commodiſſime pariter & tutiſſime trajicere potuiſſet, ſed Diſcipulos eo venturos fruſtra expectaſſe*, quos comites voluiſſet viæ. Sed nimis profecto inſulſe per omnia, quam ut in iis hæreamus diluendis. Dum quod heic promittit Chriſtus tanquam non mox ſed aliquando futurum ita veriſſime contigit deinde; nec evertitur ullo modo per Apparitiones priores Jeroſolymitanas, minus com-

munes & ſolennes. Atque hoc omne ſicuti mandatum fuit à Domino hiſce Mulieribus, ita & præſtitum eſt indubie, uti & ſequitur *verſ.* 11. πορευομένων δὲ αὐτῶν: licet idem tam plene non narretur cum fructu ſuo, quam de Maria Magdalene apud *Marcum & Johannem.* Prout ex narratis Divinis Mandatis apud viros ſanctos horum Obedientiam, nec non ex horum Factis peculiaribus reſpondentia illis Divina Mandata, haud infrequenter alias etiam colligimus.

Narratio Marci de Maria Magdalene, & Dæmoniis Septem antea ex hac ejectis à Domino.

VI. Videamus nunc, quid pro hac hiſtoria de Chriſti ipſius Apparitione apud *Mulieres*, de qua prorſus ſiluit *Lucas*, habeant *Marcus* & *Johannes* de *Maria Magdalena.* Hanc ſcilicet non tantum Nomine & Cognomine ſuo diſtinctivo expreſſit *Marcus*; ſed & deſcripſit à Miſeria priori, & Beneficentia ſingulari quam Dominus illi olim ab ea liberandæ præſtiterat; ἀφ' ἧς ἐξεβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια, *ex qua ejecerat Septem Dæmonia.* De illa jam diximus *Cap. VI.* §. 2. quantum ſufficere poteſt. Repetimus heic merito tamen, nullam plane eſſe rationem, ob quam pro *Dæmoniis*, ſeu Spiritibus malis ſic dici ſolitis in Scriptura, ſubſtituamus, vel Animi Vitia fœda, qualia operantur uno vel alio modo Spiritus illi hinc denominandi varie, vel Corporis Mala graviora, ad quæ & illi ſeu vere ſeu ex vana hominum perſuaſione cooperentur. De qua expoſitione *Dæmonum*, ex horum abnegatione aperta vel operta per traditam & inculcatam eorundem inſcitiam & impotentiam apud homines, diximus olim ad *Dæmoniacos* latius contra *Beckeri Amſtelodamenſis* impietatem fœdam *EXERC. TEXT. XXIX. Parte I.* docuimusque multis, inaniſſime conquiſitas in adverſum eſſe tam exceptiones quam objectiones aliorum contra obtinentem olim hominum per Dæmonia Obſeſſionem Corporalem, per quas Scriptura certe Euangelica communi impiorum ludibrio exponitur. Atque Magdalenam hanc à Dæmoniis omnino etiam obſeſſam fuiſſe, liquet, tum ex altero *Lucæ* loco *Cap.* VIII. 2. ubi *ab illa exiiſſe Dæmonia Septem* feruntur, tum ex hoc *Marci*, ubi exitus ille Chriſto ut Autori tribuitur, ἀφ' ἧς ἐξεβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια; ſive id ſimul ſive ſucceſſive ſit factum potius, quod Scriptura nuſquam determinavit. Unde laudamus heic merito ſcriptionem *Grotii ad Luc.* VIII. 2. *Non opus eſt figuram quærere, nec in*

*voce*

*voce δαιμόνια, cum præcedat πνευμάτων πονηρῶν, nec in numero Septenario, cum etiam plures Dæmones unum hominem obſederint ut qui ſe Legionem vocabant.* Et vellemus, non ſcripſiſſe *Ligfootum* illic; *De numero Septenario non contendimus, cum vix quicquam uſitatius, quam numero hoc certo uti pro incerto.* (Cur tale quid heic cogitetur nulla eſt ratio.) *Scrupulus eſt an ſecundum literam hæc verba ſint intelligenda, an ſenſu Judæorum, quibus etiam Vitia ſunt Dæmonia, ut Malus Affectus eſt Satan, Gloſſa in Joma, Ebrietas ex muſto eſt Dæmonium, Gittin &c. Si Maria hæc eadem fuerit cum Peccatrice Cap. præc. quod creditur, tum per Dæmonia videntur intelligi ejus Vitia; præſertim vero, cum & Phariſæus & Euangeliſta eam vocent Peccatricem potius quam Dæmoniacam. Sed rem in medio relinquimus.* Verum hoc agere nequaquam decet, ubi *Peccatrix* illa in Urbe extra ordinem cum offenſione Phariſæi hoſpitis ad Chriſtum venit, & ab hoc iterum cum pace mox dimiſſa fuit; atque ubi *Maria Magdalene* numeratur ἐν τῷ καθεξῆς inter comites ordinarios Chriſti euntis per oppida & vicos ad prædicandum Euangelium, tum Duodecim Apoſtolos, tum Mulieres ſanatas à Spiritibus malis & Infirmitatibus, hinc ſubminiſtrantes Chriſto de facultatibus ſuis, abſque ulla ad prius illud *Peccatricis* reſipiſcentis factum & fatum vel minima relatione. Sed & ex iſta falſa traditione de Maria Magdalene hoc forte ortum eſt, quod Dæmonia ejecta non forent heic proprie intelligenda, quando ab illis obſeſſa vix potuiſſet Meretricem impuriſſimam agere; contra quod tamen etiam graviſſima corporis Mala, quin & ſeptuplex Mentis Malitia, haud parum obſiſtere potuiſſent. Hac etiam occaſione addimus, diſtinctam omnino cenſeri debere hanc Mariam Magdalenam, ab altera quæ Marthæ & Lazari fuit ſoror *Luc.* x. 39—42. *Joh.* xi. 1. 2. *&c.* & quæ dein pedes Jeſu unxit *Joh.* xii. 3. quale quid cum *Peccatrici* ſimiliter tribuatur, hinc & cum iſta quandoque hæc confuſa fuit, ſed peſſime, uti id olim quoque monſtravimus adverſus *Baronium* & alios *EXERC. TEXT. XXVIII. Parte I.* Dum ſpeciali *Diſſertatione* tamen cum aliis heic multus admodum in eo eſt *Bernardus Lamyus*, ut per plura diſtincta Capita doceat; *Mulierem Peccatricem, Mariam Magdalenam è qua Septem Dæmonia ejecta, Mariam ſororem Marthæ &*

*Lazari, unam & eandem esse Mulierem.* Et miramur, plusquam semel istud inculcatum fuisse à *Doct. Ligtfooto*, uti in *Joh.* XII. 2. *In disputatione ista, an Maria soror Lazari eadem fuerit, cum Magdalena, hoc aliquantum attestabitur affirmativo, nempe quia erat urbs quædam nomine Magdala, quæ prope Hierosolymam &c. dè qua dirum hoc & funestum refertur, quod destructa est propter adulteria, seu scortationem. Jam ergo quid prohibet quo minus Maria soror Lazari Bethaniensis vocari possit Magdalena, & ob vicinitatem hujus oppidi quo forsan elocata est in matrimonium, & ob mores oppidanorum lascivos, qua labe maculatam fuisse Mariam Magdalenam creditur vulgo.* Et in *Luc.* VIII. 2. *Observamus ad Joh.* XII. *fuisse oppidum quoddam prope Hierosolymam nomine Magdala, mali nominis & famæ, quæ forte ipsa Bethania fuit; aut esto alia ab ea, non incongrue dici potuit Maria nostra Magdalena, si soror scil. Lazari, vel quod ibi aliquando habitaret, illuc elocata per nuptias, vel quod mores meretricios istius loci imitaretur. Sed pronum mihi est credere, ipsam Bethaniam ita fuisse dictam.* Ita nempe una conjectura vana profertur post aliam, ut absque ratione ulla, ad firmandam tantum inanem traditionem, maxima labes ei affricari queat. Certe ubi *Mariæ*, sororis Lazari & Marthæ, fit mentio, longe post historiam Peccatricis illius, & Mariæ Magdalenæ descriptionem, nulla prorsus relatio est ad illam vel hanc; nec quæ de illa vel hac feruntur, conveniunt cum prædicatis de Sorore Marthæ & Lazari; & nominatur hæc Magdalena omnino; nec cogitare heic licet de Magdala prope Jerusalem, ubi Magdalene nostra numeratur inter Mulieres quæ *Jesum secutæ erant ex Galilæa Matt* XXVII. 55. 56. *Marc.* XV. 40. 41. Neutiquam porro temere, ut ad institutum nostrum redeamus, hoc annotasse heic censendus est *Marcus*, quod *Dæmonia Septem ex ea ejecerat Jesus;* siquidem sic arguit ille simul, & Gratiam singularem post calamitatem summam huic Fœminæ à Domino factam, & Gratitudinem hujus etiam post mortem ejus demonstratam, quam sibi gratam prorsus esse Jesus Apparitione sua prima apud eam docuit.

Fatum hujus, & Factum cum exiguo fru-

VII. Quod de hac Maria Magdalene habet *Marcus*, est tum illius *Fatum*, tum *Factum*, sed absque *Fructu* magno. *Fatum* est, quod *Jesus*, uti in nonnullis Codicibus hoc quo-

que

que nomen adeſſe monuit *Beza*, ſed alias ex prædicato idem ſubintelligitur certiſſime, *cum reſurrexiſſet*, ἀναστὰς, *mane prima Sabbati*, πρωὶ πρώτῃ σαββάτου, (quod non ad Reſurrectionem præmiſſam, tanquam incerti momenti, ſed ad ſubjectam Apparitionem referre voluit inter alios *Theophylactus*, ſcribens illic, ἐναῦθα ςίξον, atque *Hieronymus Quæſt. III. ad Hedib.* monens, *parumper ſpiritum coartandum* heic, vel alias *non recipiendum Marci teſtimonium, quod in raris fertur Euangeliis, omnibus Græciæ libris pene hoc Capitulum in fine non habentibus, præſertim cum diverſa atque contraria Euangeliſtis cæteris narrare videatur*,) quod inquam hic tunc illi ἐφάνη πρῶτον, *apparuerit* redivivus, *primum*, (quod *Pontificii* aliqui temere tribuunt Mariæ Virgini, etiam *Baronius in Indice* pluſquam ſemel,) ſeu abſolute ante alios omnes homines & Mulieres & Viros, ſeu reſtricte forte, tum ante Diſcipulos quibus illud annunciavit, tum & ante annunciationem illam à ſe factam Diſcipulis. *Factum* Mariæ ejuſdem immediate conſecutum in eo conſiſtit, quod illa, hinc *profecta*, ſeu *vadens* apud *Vulgatum*, πορευθεῖσα, *iis qui cum ipſo fuerant*, τοῖς μετ' αὐτοῦ γενομένοις, ipſius doctrinas & ipſum ſectati, *lugentibus* intus *& flentibus* ex luctu magno, ob mortuum probroſe & dein ablatum forte ex ſepulchro Dominum, iſtam ſibi factam Redivivi Apparitionem *annunciaverit*. Quod directe utique pertinet ad Petrum & Johannem, juxta Diſcipulos, ſeu Apoſtolos Undecim reliquos, *coll. Joh.* xx. 17. 18. ſed per facti conſequentiam recte extenditur ad alios omnes ejuſdem Jeſu ſectatores, monente *Beza*, & in eam rem laudante illud *Duobus ex ipſis verſ.* 12. Quomodo illa conſtanter pergit in promovenda gloria Domini ſui & fide ſociorum; poſtquam antea haud diſſimiliter, ſed cum majori anxietate mentis, annunciaverat, Dominum ex ſepulchro ablatum. Quis vero inde conſecutus eſt *Fructus*? Exiguus equidem. Nam *illi*, *quod ille*, Jeſus, *viveret*, iterum poſt mortem illatam & firmatam per ſepulturam, *& ab ipſa*, Muliere hac (ſi non *ab* illis juxta aliam lectionem quæ Mariæ ſocias tribuere videtur,) *conſpectus eſſet*, certo & clare, *audientes* à Maria ipſa, *non credideruntadhuc*, vel ullo vel decenti modo, adeo vanis præjudiciis & luctu præoccupati, ut auribus ſuis & ſociæ oculis non fi-

&u, à Marco traditum.

derent ſatis, nec ad Chriſti ipſius promiſſa repetita attenderent ritè. Quod ſunt qui indefinitè dictum cum *Cl. Coccejo* etiam reſtricte volunt eſſe *intelligendum, de Thoma & forte quibuſdam aliis ipſius ſimilibus, qui non crediderint, antequam Chriſtus in medio ipſorum compareret.*

Narratio Johannis de eadem Maria Magdalene, in qua hujus Facta Prima, quod apud monumentum conſtiterit, fleverit extra, in illud proſpexerit.

VIII. Sed longior multo eſt narratio *Johannis Cap.* XX. 11. 18. de hac ipſa *Maria Magdalene*, quam etiam ſolam, ſed aliquoties, ille nominavit. Illius enim refert hic primum, *Facta*, tum *Prima verſ.* 11. cum *Fatis* inſecutis, *verſ.* 12. 13. tum *Media verſ.* 14. cum *Fatis* principalibus *verſ.* 14–17. tum *Poſtrema* adhuc *verſ.* 18. De *Facto primo* ſic Johannes *verſ.* 11. *Maria vero*, in oppoſitione ad Petrum & Johannem Diſcipulos, qui à ſepulchro curate ſpectato & vacuo reperto reverſi erant ad ſe ſatis ſubito, ex una vel alia cauſa, minus aut forte magis laudabili, *verſ.* 10. *apud monumentum*, Domini qui in eo non erat amplius, ſed ſola linteamina ſua depoſita reliquerat, *conſtitit* diutius, neſcia quid ageret amplius, aut quorſum ſe conferret, forte etiam notitiam rei geſtæ majorem heic quam alibi exſpectans. Maria ſimul apud monumentum conſiſtens, fuit illic non tantum lugens, ſed & κλαίουσα ἔξω, *flens extra*, ſeu luctum externo & valido fletu, quem reprimere non poterat, palam teſtata, ob Dominum ablatum in locum incognitum; niſi mavelis cum Interpretum turba voculam ἔξω, quam *Syrus* prætermiſit, à fletu divellere, tanquam huic minus apte convenientem, & jungere cum ſtatione apud monumentum, ut non in eo ſed *extra* illud conſtitiſſe dicatur, ſeu *foris*, etiam extra ſepulchri ſpeluncam æquè quàm caveam. Maria tandem, dum fleret eo modo & loco, *in monumentum* παρέκυψεν, *procubuit*, vel *inclinavit*, vel *proſpexit*, oculos inde non abſtinens, ubi Dominum ſuum honeſte depoſitum reliquerat ultimo. Quamquam & hoc mihi ſit admodum veriſimile, quod hic Proſpectus Mariæ contigerit ad aliquem novum, vel Conſpectum fulgoris ex eo, vel Auditum motus in eo; unde videre voluerit ipſa, quid tandem eſſet quod illic vel conſpiceretur vel audiretur, tanquam attenta & commota ad omnia vel minima. In quo illa nequaquam redarguenda videatur.

Cum Fatis inſecutis,

IX. Unde & *Fatum* hoc lætum eſt conſecutum mox *verſ.* 11.

11. quod Maria eadem, in monumentum ita prospiciens, *conspiciat*, non unum Angelum, sed testimonii certioris ergo, *Angelos duos*, in assumpta à se pro more utili ad tempus & usum istum forma humana, & quidem ἐν λευκοῖς, *in albis*, seu candidis, puris adeo & splendidis vestibus, quæ hòrum statui & nuncio convenirent, & hos *sedentes*, satis tranquillè, *unum ad caput & alterum ad pedes ubi Jesu corpus jacuerat*; addente *Grotio*, *à septentrione in austrum ut creditur*, sed certius è regione sui invicem, instar quodammodo Cherubim super Arcam veterem, quasi custodes illius qui illic positus fuerat, & nunc adhuc loci ejusdem, unde consequenter intelligebatur facile à Muliere, ipsum nulla vi ablatum fuisse, uti illa temere suspicabatur quidem hactenus. De quibus Angelis non est quod dicamus post ea quæ antecesserunt *Cap. V.* Nec tantum datur Mariæ hos Angelos Duos conspicere, sed *& illi* audiuntur *ipsi dicentes*, successive vel unius ore, humana & blanda potius quam severa voce *vers.* 12. *Mulier*, communi nomine sexus, quod & infirmitatem ejus notare aptum est, *quid fles?* seu quam ob causam tantopere luges, & luctum tuum tam palam testaris? vel etiam consequenter in quem finem id agis? ut sic occasionem eloquendi libere ipsa & solandi ipsi haberent, nisi interrogationem illam simul pro consolatoria & dehortatoria à luctu & fletu habere cum *Grotio* aliisque volueris, q. d. non habes rationem magnam flendi, sed majorem gaudendi & ridendi. Erecta utique hoc Auditu simul & Conspectu Mulier, *illis*, Duobus Angelis respondendo ad interrogationem prompte, *dicit*, absque compellatione quam decenter instituere nescivit forte, *quoniam Dominum meum*, diligentem & simul dilectum in vita & in morte, *sustulerunt*, hinc nescio qui, *& ubi eum posuerint*, post sublationem, *non novi*, nec rescíscere queo; quod idem fere ipsa antea dixerat ad Petrum & Johannem *vers.* 2. parum sic utique se tristem ostendens de aromatibus sublatis, quod heic minus apte suggessit *Grotius*, *sublatum* habens *à furibus aromatum lucrandorum causa.*

seu Angelorum Conspectu & Colloquio.

X. *Atque his* quidem *dictis*, καὶ ταῦτα εἰποῦσα, *Medium* Mulieris *Factum* memoratur *vers.* 14. ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω, *retrorsum*, seu post se, *conversa est*, vel *convertit se*, neque enim hoc per extremam vim factum putari debet, sed voluntarie

Deinde Factum Medium, quod retrorsum se converterit, cum Fa-

pror-

to lætiſſimo quod Ieſum ſtantem viderit, illiusque colloquio fruatur, ſed incogniti hactenus.

prorſus, tum oculis & facie, tum & corpore reliquo, ut conversio eſſet plenior. Quod ad incertam animi anxietatem, & quærendi diligentiam, non male quidem refertur; ſed & ſimul tribuendum eſſe recte ab ævo conjicitur alicui ſeu auditui ſeu viſui novo. Scilicet potuit illa percipere, vel ſtrepitum aliquem euntis, aut reſpirantis, poſt ſe, vel videre fulgorem inde emiſſum, vel etiam ante ſe ſigna quædam reverentiæ ab Angelis Duobus exhibita alicui poſt ſe accedenti; quæ omnia ad retroſpiciendum ipſam facile impulerunt. Neque male in eo egiſſe Mariam, liquet ex *Fato* lætiſſimo, quod quæſitum à ſe Jeſum inveniat vivum, ignotum primo ſed & dein agnitum, quem conſpicere & audire familiariter licuit. Simul ac convertitur modo, *Jeſum*, ipſum, quem Dominum ſuum dixerat, non jam jacentem & mortuum amplius, neque ſedentem vel decumbentem ex reliqua infirmitate notabili, neque abeuntem aut accurrentem terrifice, ſed *ſtantem*, ἑστῶτα, vivum validum & tranquillum, haud procul à ſe, unde *adſtantem* ſubſtituit *Beza*, *conſpicit* ipſa ſuis oculis vere, ut hominem nempe, ſed primo conſpectu *non ſcit eſſe Jeſum*, ſive ex mutatione ejus qualicunque exteriori in ſuis oculis, ſive ex defectu attentionis juſtæ, ſive ex pudore aut timore curatiorem intuitum vix admittente. Qua occaſione practicæ cogitationes heic naſcuntur & excitantur piæ, de læto Eventu eorum qui Jeſu gratiam conſtanter quærunt & ſeriò, deque Jeſu ita frequenter præſente ſuis, ut tamen ab iis non obſervetur aut ſatis dignoſcatur mox. Non ſubſiſtit autem heic felicitas Mariæ, unde inſcia ipſa parum uſus habuiſſet. Ergo clarius ſe ei manifeſtaturus Dominus, idem cum Angelis rogat, *Mulier*, *quid fles?* addens ſimul, *quem quæris?* dum de Domino tuo ſublato te modo conquerentem audivi; ut ſic ex ipſa quoque amplius audiret cordis ſui cogitata, & ſecundum ea ſermones ſuos ad ejus ſalutem componeret. *Illa* autem nondum quidquam de Chriſto viſo & loquente ad ſe cogitavit, ſed *putavit*, ὅτι ὁ κηπουρός ἐστι, *quod hortulanus*, ſeu *olitor*, eſſet (qualis & ſpiritualiter Jeſus,) non quidem vilis aut miniſter aliquis inferior, quando tam honorifice ipſum vix compellaſſet, ſed præcipuus & aliorum Præfectus, qui ex munere demandato cum poteſtate inquirebat in ea quæ apud Monumentum

tum ſepulchrale gerebantur, *atque* hinc *illi*, Jeſu viſo & roganti, *dicit* blande, *Domine*, honore illi exhibito cum agnito jure in hunc locum, uti ſupplici & afflictæ maxime conveniebat, *ſi eum*, quem quæro meum Dominum, *tu*, pro poteſtate tua & arbitrio nec malo conſilio ullo, ſed ob rationem aliam tibi perſpectam, *abſportaveris*, εἰ σὺ ἐβάσασας αὐτὸν, non quidem immediate ſolus, ſed mandato tuo & per miniſtros potius inferiores, *mihi*, eum diligenti & quærenti nec male hinc habituro, *dic*, quæſo candide, *ubi eum poſueris*, hinc abſportatum, *& eum ego tollam*, inde ubi tibi moleſtum queat eſſe ipſum retinere, honeſte & grate uti convenit, ſi id mihi permiſeris ſcilicet. Quod ſi intellexerit de ſublatione ſua immediata & abſque auxilio decenti, indubie fuit nimiæ præſumptionis de ſuis viribus & ſatis inconſiderati conſilii verbum. Sed quod rectius longe capitur de Sublationis iſtius cura per alios, quam ipſa ſuſceptura erat & exſecutura diligenter & decenti modo, paratum ad hanc animum oſtendens.

XI. Hactenus autem ignotus Jeſus, non magis ſe tandem quam Joſeph apud Fratres continere potuit, ſed illam *alloquitur* ita ut agnoſcatur, & *agnitus* ab illa gratiſſima ad illam ac utiliſſima verba *profatur verſ.* 16. 17. *Alloquium* fit per unum Nomen Proprium ejus, *Maria!* Quo prolato Jeſus utique generaliter oſtendit, Mulierem ſibi probe cognitam eſſe, atque hoc ab ipſa quoque ſciri voluit, ut ad ſe magis adverteret animum. Sed quod ita protulit indubie ſimul, ut ſonus vocis ſatis antea agnitus à Maria ipſum huic manifeſte proderet. Neque dubium eſt, quin nomen illud prolatum quoque ſit cum ſumma teneritudine animi & vocis, per quam de Domini affectu ſic ſatis certa redderetur Maria. Atque ita prolatum à Domino Nomen mulieris Maria plura hujus menti *inſinuare* aptiſſimum fuit. Nempe & ejus *Laudem*; itane me præ aliis amas, quæris, luges, fles? Et ejus *Opprobrium*; itane me vis adhuc mortuum, non attendis ad promiſſa mea, nec agnoſcis meum ſupra mortem robur? imò nec dignoſcis me jam tibi præſentem & tecum loquentem? Et ejus *Officium*; intuere me diligentius, audi mea verba, accede ad me libere & propius? Et ejus *Felicitatem*, præſentem ac futuram; en tibi adſum propitius, ut me tibi manifeſtem, ut tuum Je-

Qui dein illam compellat emphatice nomine proprio Maria!

ſum & Dominum in quo cum fide viva confidas, & cujus vivi intuitu gaudeas merito quam maxime! Quæ & ſimilia ad pios quosvis ſuo modo transferri poſſunt; quos & novit ille ab ipſis non cognitus, *coll. Joh.* I. 49. *&c.* & nomine ſuo vocat, *coll. Jeſ.* XLIII. I. *&c.*

Et ab ipſa compellatur nomine Rabbuni.

XII. Quid jam operata eſt in Muliere iſta tam blanda per Proprium nomen ſuum compellatio? *Illa*, ad hanc vocationem ſuam, *converſa*, στραφεῖσα, iterum amplius adhuc & plenius quam antea *verſ.* 14. verſus Jeſum compellantem, *dicit ei*, per modum reſponſi, breviſſimi etiam, ſed non minus emphatici, Ραββουνι, ὃ λέγεται διδάσκαλε, *Rabbuni, quod dicitur Magiſter.* Pro Hebræo Syriaco Nomine illo *Vulgatus* habet cum exigua puncti unius mutatione *Rabboni*, quo pacto etiam in altero textu Græce legitur *Marc.* X. 51. dicente illic cæco ad Dominum noſtrum, Ραββουνι, ἵνα ἀναβλέψω. Dum plus abit *Syrus*, per additionem notans Mariam ſic dixiſſe ܪܒܘܢܝ *Hebraice*; non quidem in plurimis hodiernis Codicibus in quibus exſtare deprehendo ܪܒܘܢܝ heic & apud *Marcum* ܪܒܝ/ ſed in Editione *Tremelliana*, habens illic רבי/ atque heic רבולי/ *Rabbuli.* Unde notavit heic *Tremellius*; *In hac voce vel litera Lamed poſita eſt pro Nun ut dicendum ſit Rabboni, vel eſt Compoſitio Nominis cum Pronomine, Rabbuli, pro Rabboni Li. Nec eſt proprie Hebraicum vocabulum ſed Chaldaicum ac Syriacum. Hebræum autem dicitur, quod tum tempus Syriaca lingua Hebræis eſſet vulgaris &c.* Quod etiam ex eo laudavit *Beza.* Indubie vox illa fluxit ex primitiva רב/ *Rabh*, quæ ad *magnitudinis* notionem nos ducens, ad *Principem*, & *Dominum*, ſimul & ad *Magiſtrum* applicari ſolet; à qua perinde ſunt per aliam Terminationem vel additum Affixum *Rabba*, *Rabbi*, in Babylonia, quæ communiſſima eſt in Novo Teſt. *Joh.* I. 39. 50. *&c. Ribbi* in Palæſtina, *Rabban* item, unde *Rabbanæi* dicti qui *Karæis* opponuntur *&c.* De differenti vero uſu iſtorum nominum multi multa, inter quos *Buxtorfius* habet, *Rabbi eſſe excellentius quam Rabh, & his duobus præſtantiorem eſſe Rabban, titulum ſummæ dignitatis circa tempora*

*Nati*

*Nati Chriſti ortum in Hillelis filiis, qui principatum geſſerunt in populo Iſraëlis per ducentos circiter annos &c.* Etiam *Beza* noſter *ad Marc.* x. 51. annotavit *Caninium* velle, quod *Ribbon Syriace dicatur non quivis Dominus, ſed* ἀντεχέξτωρ, *& Soli Deo proprie tribuatur. Quod ſi verum eſt*, inquit, *hic cæcus certe multo apertius Chriſti Divinitatem aſſeruit quam quiſquam alius ante ipſius Reſurrectionem. Nam quod idem Caninius tradit Chriſtum ante mortem à nemine fuiſſe vocatum Rabboni, ex hoc loco refelli poteſt.* Ipſe vero ſubjecit; *Itaque mihi fit veriſimile, differentiam illam inter Rabbi & Rabboni inanem eſſe. Neque enim Deus ſimpliciter vocatur Ribbon, ſed cum adjectione* עולם. *Et Johannes Rabboni non aliter quam* διδάσκαλον *interpretatur.* Quod etiam ad hunc textum repetiit; *Ex hoc loco apparet differentiam illam inter Rabbi & Rabboni, quæ à nonnullis conſtituitur, non ita magnum habere pondus.* Interim legi heic merentur, quæ poſt *Buxtorfium in Lexico* habet *Ligtfootus in Matt.* xxiii. 7. ad illud καλεῖσθαι, ῥαββί, ῥαββί. An jam illud *Rubbuni* ſtatuas Simplex an Compoſitum, haud multum intereſt; notante noſtro *de Dieu, ob frequentem uſum perire vim Affixi, ſicut etiam in Rabbi.* Principalis utique & heic à Maria ſpectata vocis notio non eſt *illa Domini* aut *Principis*, licet hæc Chriſto vere & ex ore Mariæ de Domino ſuo locutæ apte conveniret, ſed illa διδασκάλε, *Magiſtri*, ſive *Doctoris*, & ſi placet non vulgaris ſed omnino Magni præ aliis; ſicuti ad ſenſus iſtius intelligentiam ducimur per illud, non à Maria ſed à Johanne, ὃ λέγεται διδάσκαλε, abſque negata ſic tamen certo vi ſignificativa Pronominis quod forte in nomine adhibito adeſt, & dubitari nequit quin talis fuerit vere Dominus & pro tali agnitus à Maria. Nomen unum pro uno ſic reddidit Maria, affectu ſuo cohibita plura addere. Sed Nomen, quo ipſi dato teſtabatur illa Jeſum ſuum ſibi jam notum evaſiſſe, & ex quo Chriſtus ſcire poſſet ſe illi jam notum omnino eſſe. Et quod indubie protulit illa, cum ea veneratione & fiducia, uti ipſi & Chriſto conveniebat, ſive jam minori ſive majori potius ſoni intenſione. Et per quod ipſa etiam inſinuaſſe Domino ſuo cenſenda eſt, quæ huic placerent; ejus à ſe agniti *Æſtimationem* ſummam in perfectionibus & operibus illuſtriſſimis, cum admiratione ſumma conjunctam;

ejus *Dilectionem*, per quam ipsius communionem arctiorem desideraret, & in ea deliciaretur; ejus *Venerationem* gratam, per quam se illi devinciret ad omnia ipsi grata credenda & facienda, cum aliorum rejectione & desertione prompta; ejus quoque *Glorificationem*, cui studere vellet porro cum omni lætitia & assiduitate; & quæ plura cum illis connexa fuere similia in hac pientissima fœmina.

Illique dicit, quid non oporteret agere, cum ratione gravi addita.

XIII. Unde ad istam suam à Muliere factam compellationem dignissimam *Jesus illi dicit*, iterum verba utilissima, de eo, quod illi *non* erat *faciendum*, cum *ratione* addita, & quod ab altera parte *præstandum* quoque. Præcedit enim illud; Μή μου ἅπτου, οὔπω γὰρ ἀναβέβημα πρὸς τὸν πατέρα μου, *noli me tangere*, apud *Vulgatum*, vel *ne me tangito* apud *Bezam*, *nondum enim ascendi ad Patrem meum*. In quibus, & quod interdicitur, & ejus interdicti ratio, laborant difficultate. Quidni enim Maria *tangat* Dominum? qui tangendum & contrectandum se dedit utique Thomæ *vers.* 27. si non & reliquis Apostolis perinde *vers.* 20. ad majorem πληροφορίαν, & cujus pedes amplexæ Mulieres eum adorarunt *Matt.* XXVIII. 9. & qui hoc sui Tactus interdicto præjudicium ingessisse queat censeri contra Resurrectionis ipsius veritatem. Et quod *nondum ascendisset* ad Patrem, id pro ratione posset haberi eum tangendi potius quam non tangendi; cum post ascensionem perinde ut nunc tangi non posset, quin & major & consummata ejus gloria tactum tunc hominum mortalium vel quorumvis impediret magis. Quæ difficultates solvi possunt & debent. Ante omnia per observationem, quod *tangere* heic non dicat simplicem qualemcunque apprehensionem aut contactum corporeum, sed magis determinatum, sive per rationem ejus interiorem, sive per durationem, sive per nimium ejus studium, sive aliter. Primo modo lego apud *Cameronem*; *Mirum, si Christus adorantem repellit Mariam Magdalenam, qui neminem unquam repulit adorantem. Causa nulla potest dici alia cur id fecerit, quam quod Christum non simpliciter adoraret, sed adoraret gratulabunda quasi Christus jam eluctatus esset & nixus ad supremum usque fastigium & culmen dignitatis suæ.* Sed jam satis habebat dignitatis, ob quam adoratur semper, & nunc potissimum mortis victor constitutus ac declaratus; quam victoriam

riam ipſi gratulari licebat, dicente & hinc Thoma ad eum *Domine mi & Deus mi!* utique cum Adoratione gratulabunda. Paulo generalius eſt illud *Grotii; Similis eſt hic locus, ſi quid recte judico, illi apud Matthæum* XXVI. 29. *Nam ut ibi fructus vitis ſive vinum alium habet ſignificatum in priore membro, alium in ſecundo in quo repetitum cenſetur, ita hic ἅπτεσθαι, q. d. Jeſus, vis me tangere Maria, i. vis omnino frui amicitia mea? id nunc non licet, cum tantum οἰκονομικῶς ad fidem veſtram roborandum me do conſpiciendum. At ubi ad Patrem adſcendero, veniet tempus cum frui mea amicitia perfectiſſime poteris, non terreſtri contactu, ſed tali qui loco illi i. cœlo conveniat ſpirituali. Philo, τὸ ἁπλᾶ πᾶν τὸ σῶμα σχιδναμένης δυνάμεως, ἣν ἔθος ὀνομάζειν ἁφήν. Ideo fruitio voce Tactus optime indicatur.* Sed & obſcurius idem ac minus cohærens cum allato exemplo alio videtur. Alterum ego putem eſſe longe ſimplicius, ut continuatus *Tactus* deſignetur, quo Chriſtus detineretur nunc & heic à Maria, & ipſa ſe detineret apud illum: in quam ſignificationem conferri poteſt illud Sponſæ emblematice dictum *Cant.* III. 4. *apprehendi eum & non dimittam eum, donec introduxerim eum ad domum matris meæ & ad cubiculum conceptricis meæ.* Cum quo & certiſſime cohæret tertium, ſeu nimium *Tactus* iſtius corporalis ſtudium, quod tantum non eſſe decebat, quam Communionis Spiritualis cum eo, *coll. Joh.* XVI. 5–7. *Act.* I. 11. *&c.* Nec male conjicias, illam *Tactus* prohibitionem Dominicam eſſe conſecutam ad apprehenſionem cum prolapſu forte à Maria factam, quam ne longior eſſet & fervidior, monuerit hoc verbo eam Chriſtus. Quod porro ad Rationem annexam ſpectat, *nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, quæ refertur ad conſummationem gloriæ ejus cœleſtem à dextris Patris in ipſius throno, illa non dicit, tangendum illum tum eſſe magis, hoc vel alio modo, à Maria aut à Suis. Sed ſimpliciſſime innuit, illum in terris non eſſe permanſurum diu, ſed alibi agenda pro ſuis habere omnino, & gloria majori illic coronandum eſſe, quod ergo bonum ab Eccleſia atque ejus Capite non erat Tactu corporali avertendum, q.d. adhuc illuc aſcendere debeo. Quod ſi, præter Abitus iſtius Neceſſitatem, heic reperire cum plurimis lubuerit negatam illius nimis inſtantem celeritatem præſentem, ut ſenſus ſit, nondum diſce-

do ab hoc mundo, ſed plurium dierum tempus adhuc elabetur, priuſquam diſcedam ad Patrem; per me id licebit. Prout & plura heic conjunxit *Beza*, neſcio an ſatis apte & feliciter; *Quid igitur, an poſtquam aſcendiſſet ad Patrem licuit tangere? Ita certe? ſed ſpiritualiter & animis in cœlum per fidem ſubvectis, quæ una eſt Salvificæ Chriſti carnis apprehenſio, rectiſſime ſcribente Auguſtino, mitte fidei manum & Chriſtum tenuiſti. Cum vero Matt.* XXVIII. 9. *dicuntur Mulieres, quibus itidem in urbem properantibus Chriſtus occurrit, pedes ejus hunc cultum minime repudiantis prehendiſſe, apparet Chriſtum minime hic ſimpliciter prohibuiſſe ſui contactum, quo ſuos etiam poſtea invitavit, ne amplius de ipſius vera Reſurrectione dubitarent Luc.* XXIV. 39. *ſed Mariam blande commonefacere ſic voluiſſe, ut nihil morata ſtatim ſeſe in viam daret, annunciatura quod diſcipulos perterritos recrearet. Satis enim adhuc illum ſpectandum & amplectendum habituram, ipſo non tam cito ad Patrem abituro.*

Et quid ex adverſo ab ea fieri omnino vellet.

XIV. Præſtari vero ab altera parte hoc à Maria voluit Dominus; *Sed*, quod cum hoc mei Tactu conſiſtere ſimul nequit, *ad meos Fratres*, tales ſenſu ſpirituali à me dictos cum dilectione & blanditia pari vere, *coll. Matt.* XXVIII. 10. ſeu Diſcipulos & Apoſtolos maxime & primo, *vade*, ſeu *proficiſcere* quantocyus; uti jam ſemel ad Petrum & Johannem profecta fuiſti, de non reperto Chriſto ſed monumento aperto narratura *verſ.* 1. 2. *atque illis dic*, non jam tuis ſed meis verbis; *ad meum Patrem & veſtrum Patrem*, neutiquam duplicem ſed unum eundemque; ſimul *ad meum Deum & veſtrum Deum*, altero hoc nomine quoque deſignatum; *aſcendo*, in cœlum ejus thronum, mea quidem poteſtate & potentia, certiſſime & non multum poſthac id facturus, quin & agenda in his terris ad hoc compoſiturus. Ubi in phraſi Græca, πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεόν μου καὶ θεὸν ὑμῶν, hoc optime notavit *Beza*; *Erudite Eraſmus in hunc locum obſervat, priore tantum loco dixiſſe* ὁ πατέρα, *addito Articulo, ut hic unus Pater ac Deus eſſe intelligatur communis Capiti ac Membris. Hic enim Chriſtus de ſe ut Mediatore loquitur. Quod ſi dixiſſet,* ὁ πατέρα μου καὶ ὁ πατέρα ὑμῶν, *Duos Patres facere videretur. Item, ſi non contentus dixiſſe* ὁ πατέρα μου, *etiam dixiſſet* καὶ ὁ θεόν μου, *viſus fuiſſet alium dicere Patrem ſuum, alium Deum*

*ſuum*

*ſuum.* Nec male *Cyrillus Hieroſ. Cat. VII. & XI.* non dictum, τὸ πατέρα ἡμῶν, ſed ἐμὸν καὶ ὑμῶν, ne communio creaturarum cum Unigenito nimia notari videretur. Quod vero ad rem notatam attinet, idem ille Deus, non ἀσιωδῶς ſed ὑποστατικῶς ſic dictus, dicitur & eſt Domini Jeſu *Pater*, per æternam Generationem ſeu Eſſentiæ Ejuſdem Communicationem ipſi ut Filio factam, *veſter* autem, ſeu fratrum & diſcipulorum, per Adoptionem & Regenerationem benigniſſimam in tempore; idemque eſt & dicitur à Domino Jeſu & Filio illo *meus Deus*, quem ut conſtitutus Mediator habeo æterno Fœdere mihi devinctum ad obſequia mea coronanda mercede promiſſa, & quem ſecundum Humanitatem cum ſpe omni & fiducia colo conſtanter, *atque veſter*, ſeu fratrum & diſcipulorum, *Deus*, ſecundum Fœdus ſpeciale in meo nomine initum, magis quam communiori aliqua relatione, quæ minime tamen ſic tollitur, his benefacturus & ab his colendus. Et aptiſſima erant modo hæc nomina, ubi ſuam fidem & gratiam Paternam ac Divinam in Filio Reſuſcitato demonſtraverat ipſe, per Spiritum dandum facturus ut eadem à Fratribus æque quam à ſe agnoſceretur palam. Eſtque res altera heic notata, quod ad hunc Patrem & Deum, nobis cum Chriſto ſed alia & alia ratione communem, eſſet *Aſcenſurus* ipſe non modo, ſed etiam ut talem, tum antecedenter quem talem reperiret, tum & conſequenter, quem talem porro conſtitueret ſua potentiſſima Interceſſione jugi apud eum, *coll. Joh.* XIV. 2. 3. 1 *Joh.* II. 1. ἐὰν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον, καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν &c. Quin & ut tertium heic notari debet, quod non tantum Reſurrectio, ſed & per hanc parata Aſcenſio ad quam illa ducebat, annunciari deberet Fratribus, ut à Tactu Corporali etiam illi ſic avocarentur magis, & cœleſtia quærere diſcerent, & plenam ſalutem ab ipſo exſpectarent, ſeu per ipſum à Patre & Deo ſuo, *coll. Rom.* VIII. 33. 34. Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν θεοῦ; θεὸς ὁ δικαιῶν. Τίς ὁ κατακρίνων; Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς, ὃς καί ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν &c.

XV. Nihil nunc ſupereſt, quam Mariæ *Factum Ultimum* poſt tam lætum Fatum, quod conſiſtit in juſſus à Domino dati

Tandem Mariæ Factum Ultimum

num, quod venerit ad Discipulos, iisque annunciaverit Visum & Iussum Domini.

dati Exsecutione paratissima, qua à Tactu desistens, ipsa utroque nomine *Maria Magdalena* nunc quoque appellata, (ut vere, notante etiam *Camerario*, mirandum sit, cum aliis etiam paucis *Epiphanium in confutatione Massalianorum* scripsisse, *Mariam* hanc *fuisse Jesu matrem*, φησὶ τῇ μητρὶ αὐτοῦ, μή μοι ἅπλου, dum laudari hic merito solet propter dicti prioris exegesin contra *Arianos*, πατέρα μὲν ἔλεγε μὲν κατὰ φύσιν ἐν τῇ θεότητι καὶ πατέρα ὑμῶν δὲ χάριν ἐν τῇ υἱοθεσίᾳ, θεὸν μου δὲ, ὅτι τὸ ὑμέτερον σαρκίον ἔλαβα, καὶ θεὸν ὑμῶν κατὰ φύσιν καὶ ἀλήθειαν,) *venerit* mox, ἔρχεται, ad *Discipulos*, antea in mandato dictos Fratres, iis *annuncians* lætissime, *quod Dominum* redivivum ipsa *viderit* omnino, & *hæc sibi dixerit*, per modum mandati & promissi certi. Ubi *Vulgatus*, sive per lectionem aliam, sive per liberiorem Versionem, habet; *Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi*; quæ *scriptura* etiam *rectior videtur Bezæ*, sed nihil in sensu plane mutat. Utique non repugnat adversus ista narratio Cleopæ *Luc.* XXIV. 22. ἀλλὰ καὶ γυναῖκές τινες ἐξ ἡμῶν ἐξέστησαν ἡμᾶς, γενόμεναι ὄρθριαι ἐπὶ τὸ μνημεῖον, καὶ μὴ εὑροῦσαι τὸ σῶμα αὐτοῦ ἦλθον, λέγουσαι καὶ ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι οἳ λέγουσιν αὐτὸν ζῆν. Siquidem positio unius heic non mox est certa exclusio alterius; & quis ab omni narrationis defectu certo liberet hunc Cleopam cum Socio? vel & à suspicione de Angelo aliquo conspecto pro Jesu, à quali non fuisse Apostolos ipsos dein plene liberatos, arguit ipse per illa *Luc.* XXIV. 39. *spiritus carnem & ossa non habet, sicut me conspicitis habere?* præterquam quod ista referenda sunt ad prius nuncium Mariæ Magdalenæ *vers.* 2. post quod acceptum ab initio primo de altero hoc nihil inaudiverant forte etiamnum, quod neque hinc referre poterant ipsi.

Narrationes istæ pleniores de Maria Magdalena an brevius tantum contractæ sint, & indefinite traditæ à Matthæo.

XVI. An jam haberi debeat idem plane cum *Marco & Johanne* dixisse heic *Matthæus* paulo generalius, an vero aliud quid, id inquisitionem suam omnino meretur. Adversus rei traditæ Identitatem vix aliud obstat, quam *Matthæi* sermo de pluribus *Mulieribus* quibus & Jesus occurrit, post hujus salutationem ejus pedes cum adoratione tenentibus, & jussis ire Discipulis annunciatum fata sua; dum *Marcus & Joannes* non nisi unam habent Mariam Magdalenam, de qua in singulari continuo loquuntur. Quod dubium duplici fere modo tolli

posse

poſſe videtur, dicendo ſcilicet; vel quod loquutio *Matthæi* pluralis ſit Indefinita, cum quadam ſpecie Enallages, per quam de Sexu Muliebri refert pluraliter quæ non niſi uni illius ſexus contigerint vere, qualia exempla in Euangeliis occurrunt plura notiſſima, *Matt.* 11. 20. *mortui ſunt quærentes animam pueruli*, *Matt.* XXVII. 44. *id ipſum vero etiam latrones cum eo crucifixi exprobrabant ei*, *&c.* vel quod *Marcus & Joannes* unam nominaverint Mariam, non quod hæc ſolitaria fuerit in hoc caſu ſed præcipua inter alias ei junctas, quod & ſuadere queat ſermo Mariæ Magdalenæ pluralis ille ad Petrum & Johannem *verſ.* 2. οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν, *non ſcimus ubi poſuerint eum*, quin & Mariæ oppoſitio, non adverſus Mulieres alias, ſed adverſus Diſcipulos Duos abeuntes à monumento, ad quod illa diutius ſubſtitiſſe traditur *verſ.* 10. 11. ut taceam de exigua veriſimilitudine, quod una Maria, eaque haud vilis fœmina, apud monumentum permanſerit ſola, cujus & teſtimonium ſic minus valuiſſet apud incredulos vel dubios diſcipulos. Quibus modis certa quidem, ſed non apparens, pugna tollitur heic. Qualis quo minus appareat quoque, ego potius agnoſco, illa quæ contractius narrantur à *Matthæo*, diſtinctius apud alios reperiri. Eum in modum, ut *Johannes* clare tradat *Itionem* geminam Mariæ ad Sepulchrum, priorem ante alias Mulieres, non omnes prorſus, ſed quaſdam ſocias *verſ.* 1. & poſteriorem cum Petro & Johanne *verſ.* 3. abſque qua apud monumentum hæc poſt duorum illorum abitum ſubſiſtere non potuiſſet; & ut ſimiliter *Abitum* à Sepulchro ad Diſcipulos referat ille duplicem, unum quo nunciaret & nunciarit his Dominum ex ſepulchro ſublatum eſſe *verſ.* 2. & alterum quo referret, eundem redivivum à ſe viſum & auditum fuiſſe *verſ.* 18. Quæ haud obſcure etiam conſtant ex *Marco*, habente *verſ.* 1. 2. Adventum Mariæ Magdalenæ juxta alias Mulieres; dein Abitum Mulierum indefinite à Sepulchro ante viſum Chriſtum, ſed poſt conſpectos & auditos Angelos; tum Apparitionem factam Mariæ Magdalenæ *verſ.* 9. quam & illa abiens annunciaverit Diſcipulis *verſ.* 10. 11. Sed quæ non ita diſtincte retulit *Matthæus*, de Duplici Itione & Abitu Mulierum, æque quam de Diſcipulis Duobus, tacens; ſive in Conſpectu Jeſu ipſius reſpexerit ad illum qui Mariæ

præ aliis contigit, ſive & ad alias cum hac Mulieres, quibus idem ſimul vel ſucceſſive contigerit, ſive ad alias Mulieres denique ſolas, de quibus uti non dixerunt alii Euangeliſtæ, ſic neque de Maria Matthæus. Quod poſtremum forte præ aliis placere poſſet, ut tanto facilius omnia concilientur & cohæreant. Quando tamen vix hoc admittere poſſemus nos, quod plane ſolitaria fuerit Maria, tum in aliis prius ipſi tributis Itionibus, tum in Conſpectu & Auditu Jeſu Redivivi, ſed conjicimus magis, illam quaſdam alias ſed pauciores & forte viliores ſibi præſentes habuiſſe. Ad duplicem Magdalenæ itionem ſpectant & illa quæ habet *Voſſius*; *Quamquam jam parere angelo cœperat, tamen animi incerta mox regreditur, diligentius ſcrutatura annon alicubi videat vel corpus Chriſti vel ejus ablati indicium.*

Ordo Factorum & Fatorum Muliebrium diſtinctius paulo exponitur.

XVII. Addimus etiamnum *Ordinem* Factorum & Fatorum Muliebrium, qui non male ſequentem in modum à nobis componitur. Præcurrit altiori mane Maria cum paucioribus ſuis, ſed ante reliquas Mulieres, ad Sepulchrum Dominicum. Ad hæc videns Saxum Devolutum, ſine conſpectu vel auditu Angeli alicujus, aut exſpectato aliarum Mulierum omnium Adventu, illa ad Petrum & Johannem citiſſime ſe confert conſilii & auxilii cauſa. Diſcipuli hi cum ipſa redeunt ad Sepulchrum, viſuri quid tandem de Sepulchri Apertura & Ablato Chriſto eſſet. Antequam adeſſent illic, Mulieribus aliis pluribus quæ interea acceſſerant apparentes Angeli annunciant Chriſti Reſurrectionem, & annunciatum Diſcipulis abire jubent. Quod acturæ mox in via Chriſtum habent obvium, qui ipſe ab Angelis dicta confirmat, & pergere in inſtituto itinere jubet, uti & agunt illæ. Nihil vero niſi Sepulchrum vacuum reperientes Diſcipuli Duo, poſt ejus inquiſitionem ſatis curatam, abeunt ad ſua. Quo tempore & loco medio videtur Petrus, & forte cum Johanne, Dominum qui Mulieribus obviam factus erat vel fiebat, conſpexiſſe Reſuſcitatum, ſecundum dicta à nobis *Cap. VIII.* Cum autem Maria Magdalena conſiſteret apud Sepulchrum, in illud proſpectans cum mœrore magno, ecce poſt Angelos Duos præſens Jeſus ipſe accedens ab illa videtur & auditur illic cum magna lætitia, cujus & ipſa ex Domini juſſu fuit nuncia apud Diſcipulos,

juxta

juxta Mulieres alias, quin & Petrum. Quod ſi obſtare adverſus iſtam ordinationem geſtorum horum putes illud *Marci Cap.* XVI. 9. ἐφάνη πρώτον Μαρίᾳ τῇ Μαγδαληνῇ, *apparuit primum Mariæ Magdalenæ*; agnoſce in eo ſenſum, non abſolutum, ſed reſtrictum per relationem ad Undecim Apoſtolos, & ad Emmaunticos Duos, apud quos ſerius apparuiſſe in *Capitis verſ.* 12–14. progreſſu narratur, quin & ad τὰς μετ' αὐτῆ γενομένας πενθοῦντας καὶ κλαίοντας, ad quos erigendos per nuncium Apparitionis ſibi factæ illa mox ivit *verſ.* 10. 11. vel alias dic, ſi id magis placeat, Apparitionem Chriſti apud Magdalenam fuiſſe omnium primam, poſt quam ſed celerrimè, ſecundum Corporis Reſuſcitati vigorem, ſecutæ ſint Apparitiones, tum apud Petrum digreſſum, tum apud Mulieres reliquas antea abeuntes, ut concurrerent ſic magnopere læta iſta nunciantes Apoſtolorum & Diſcipulorum multitudini reliquæ Jeroſolymitanæ.

XVIII. Nec diſcedere ab iſtis multum deprehenditur *Cl. Coccejus* noſter. Qui ſcripſit *ad Matthæum*; *Matthæus in compendio narrat ſummam eorum quæ tum Angeli tum Chriſtus ad diverſas Mulieres dixerunt.* Latius *ad Marcum*; *Marcus in his breviter complexus eſt, quæ alibi diſtinctius leguntur. Ipſe Marcus verſ.* 9. *atteſtatur Johanni narranti quomodo primo Mariæ Magdalenæ Chriſtus apparuerit, & ex eo ſequitur illam tunc circa ſepulchrum fuiſſe ſolam ſine reliquis mulieribus. Quippe cum vidiſſet ablatum lapidem, ſtatim cucurrit ad Petrum & Johannem, & cum iis regreſſa eſt ad monumentum. Iis autem abeuntibus verſus civitatem ipſa ſubſtitit, & ab Angelo compellata, ac deinceps viſione Chriſti fruita eſt. Reliquæ Mulieres & viderunt & audiverunt Angelos. Inter Apoſtolos autem primo apparuit Simoni, quamquam non narretur quo tempore id factum ſit; quemadmodum & ignoramus quando Jacobo viſus ſit. Quod Matthæus dicit Cap.* XXVIII. 9. 10. *quod Chriſtus abeuntibus Mulieribus ad renunciandum Apoſtolis quæ viderant & audirerant occurrerit, easque ſalutaverit, id poteſt accipi ſynecdochice ratione Mariæ Magdalenæ, quæ cæteris jam proficiſcentibus Hieroſolymam Chriſtum & quæſivit & vidit. Nihil tamen officit, quo minus & reliquis ſe præbuerit conſpiciendum, dum modo relinquatur Mariam Magdalenam primam vidiſſe.* Et perinde *ad Johannem*; *Jo-*

Ordinatio à Cl. Coccejo facta confertur.

*hannes quædam memorat diſtinctius, unde Ordo Apparitionum Chriſti cognoſci poteſt. Maria Magdalena cum aliis Mulieribus venit ad ſepulchrum, ſed ibi nihil aliud vidit quam lapidem amotum. Cæteræ viderunt Angelum unum atque alterum, & mandatum acceperunt nnnciandi Reſurrectionem. Et hæ quidem profectæ ſunt, ut nunciarent hæc Apoſtolis. Maria autem Magdalena citius cæteris refugiens à ſepulchro, aut non attendens ad dicta Juvenum qui Angeli erant, ſola venit ad Petrum & Johannem. Cum illis recurrit ad tumulum, nec paſſibus æquis. Præcurrit Joannes, videt ſepulchrum vacuum nec intrat. Petrus intrat, atque item Joannes. Abeunt mirabundi, ſed credentes. Magdalena Maria ſtat apud Monumentum & plorat. Videt Angelos. Converſa videt Jeſum. Tum abit ipſa ad Apoſtolos. In hac poteſt videri id actum, quod Matthæus dixit indiſtinctè de Mulieribus. Certe Marcus & Joannes teſtantur, ei quum ſola eſſet Chriſtum apparuiſſe, &c.* Aliorum circa ordinem cogitata alia nunc mittimus. Dum nobis nimis profecto ludicrum & ineptum videtur, quod *Nic. Gurtlerus* ſcribit, ante ſuam Apparitionem Primam *Dominum iviſſe forte Bethaniam ad Lazarum aliumve amicum ad petenda ſibi indumenta quibus contectus appareret.* Quod & ipſe monitus in *Addendis* vaniſſime excuſavit, *conjecturas has* dicens *innocuas, profectas à ſtudio inquirendi in abdita vel ignota quævis pertinentia ad Chriſtum redivivum*

Certitudo Reſurrectionis Dominicæ ex Apparitionibus expoſitis concluditur.

XIX. Eſt autem, quod ad Certitudinem Reſurrectionis Dominicæ omnino etiam referamus iſtas Chriſti ipſius Redivivi, poſt Angelos cœleſtes glorioſiſſimos, Apparitiones, apud Mulieres quidem, ſed vere Pias, qualis ſane fuit Maria Magdalena, poſt maximas miſerias & liberationes Divinas ab his inſolitas, quæ & ipſæ viderunt, audiverunt, & contrectarunt, & ſic omni modo dignoverunt ipſum, hoc matutino tempore, ut à præjudicio magno ſublationis ejus furtivæ plane liberarentur, & metu cum lætitia permutato certos de Reſurrectione illa Diſcipulos omni conatu facere nequaquam dubitarunt; procul omni fraude activa; quam nec pietas irreprehenſa earum, nec affectuum in illis vehementia, cogitare heic permittit, & paſſiva ſimul, ubi omnia ante fidem habitam ab iis curate ſunt inquiſita, & tantum non omni ſenſui earum Chriſtus ſe exhibuit coram.

CA-

## CAPUT DECIMUM.

### *Quo de Chriſti Apparitione apud Diſcipulos Duos Emmauntem euntes ſimiliter agitur.*

Nunc poſt Mulieres occurrunt iterum *Viri Duo*; de quibus tacuit quidem Paulus, forte quod non eſſent ex Ordine Apoſtolico, hinc ante eos non nominandi, & poſt eos locum non reperientes ob tempus prius rei geſtæ, ſed quorum generalius meminit poſt Mariæ hiſtoriam *Marcus Cap.* XVI. 12. 13. Tranſitus ad Hiſtoriam de Duobus Diſcipulos Emmauntem euntibus.

Μετὰ δὲ ταῦτα δυσὶν ἐξ αὐτῶν περιπατοῦσιν ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, πορευομένοις εἰς ἀγρόν. Κἀκεῖνοι ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς, οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν. Dum hiſtoriam non ſane aliam, quod aliqui ſine ratione voluerunt, & in *Euthymio* taxat *Grotius*, ſed certo & prorſus eandem, latiſſime exſecutus eſt *Lucas Cap.* XXIV. 13 — 35. ita ut 1. Deſignet *Perſonas* Diſcipulorum *verſ.* 13. 18. 2. Earumque tradat *Facta & Fata*, α. *Prima verſ.* 13 — 29. β. *Media* dein *verſ.* 30–32. γ. Et denique *Ultima verſ.* 33–35. 3. Deſignato ſimul *Tempore* rei geſtæ ab initio ipſo *verſ.* 13.

II. *Perſonas* dicit *Marcus*, *Duos ex illis*, & *Lucas* perinde; poſt præmiſſum *ecce*, quod ad perſonas, ſed una cum Factis & Fatis harum ſpectans, nos excitat ad attentionem juſtam rei certæ, magnæ, & notatu digniſſimæ. Sunt autem *illi*, οὗτοι, heic indubie Diſcipuli Chriſti, ſive præcipui illi Undecim, ſive potius & alii ipſis his juncti, ſeu in fide & amore Jeſu ſeu & in præconio ejus apud populum, tanquam qui ad eandem ſocietatem ſpiritualem pertinerent, dicti *verſ.* 9. πάντες οἱ λοιποί. Ad quales heic nomen unius *Cleopæ* nos ducit conſequenter, cum talis nullus inter Duodecim Apoſtolos compareat *Matt.* x. 2–4. *Act.* 1. 13. *&c.* Sic nempe Mulieribus primo præſtitam gratiam ſingularem Conſpectus ſui curavit providentia ſua Dominus, non tranſire immediate ad Apoſtolos, ſed præcedere in ea Diſcipulos alios minus familiares. Sunt autem *Duo* ex his; non unus tantum, cujus teſtimonium magis in dubium vocari potuiſſet; neque plures, qui tam facile in Itionem iſtam ipſis adſcriptam non conveniſſent, Duo hi ex Illis quo ſenſu dicantur,

nec tam libere agere potuiſſent; ſed *Duo*, quorum ſic valeret teſtimonium, ejuſdem animi & inſtituti. Quod ſub arcano Divinæ Providentiæ ductu repetitur optime; ſeu ex fortuito concurſu; ſeu ex arctiori aliquo vinculo familiæ, ætatis, habitationis, aut alio quocunque, quod ad conſilium & opus narratum eos traxit. Quo magis, tum in aliis caſibus nonnullis binarium hominum numerum conſtituerat Jeſus Magiſter eorum, juxta Johannem Baptiſtam, *coll. Matt.* XI. 2. XXI. 1. *&c.* tum in Diſcipulorum Ablegatione binos conjunxerat *Marc.* VI. 7. *Luc.* X. 1. ſic jam ambulare hinc aſſuefactos, & magis ex communi conſilio paratos ad obvia omnia.

Horum Unus appellatur Cleopas, dum alter eſt prorſus incertus.

III. Declaravit dein *Lucas* Unius Nomen *verſ.* 18. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ εἷς, ᾧ ὄνομα κλεόπας, εἶπε πρὸς αὐτόν, *&c.* Ubi locum quidem reperit in illo εἷς communis notio Cardinalis *Unius*, ſeu alterutrius duorum, cum duo ſimul locuti non ſint, nec loqui apte ſatis potuiſſent; ſed & cogitandum prorſus etiam videtur apud illam ſimpliciter abſque ullo additamento poſitam, de notione altera Ordinali non inſolita *Primi*, arguente hanc omni narratione ſequenti in quo ipſe loquela ſua ex communi nomine fervida primum ſe manifeſte probat. Illius autem, ſeu *Unius* ſeu *Primi*, Nomen Proprium & Diſcretivum ab aliis Diſcipulis, per quod notiſſimus erat indubie apud eos, fuiſſe dicitur *Cleopas*, Syriace ܩܠܐܘܦܐ / quod ad Græcam magis quam Hebraicam Originem referri ſolet. Uti ſic cum aliis habet noſter *Paſor*; *Nomen Græcum, compoſitum ex* κλέος *gloria, pro quo Poëtæ* κλεῖω *&c.* & πᾶς *omnis, q. d.* κλέος πᾶν *gloria omnis &c.* Addens deinde, *mentionem fieri* 1 *Macc.* X. §7. *Cleopatræ, quæ fuit filia Ptolomæi, uxor Alexandri, quæ vox eſt compoſita ex* κλέος *gloria, &* πάτρα, *vel Jonicè* πάτρη, *patria, q. d.* κλέος τῆς πάτρης, *gloria patriæ.* Sed non minus recte forte *Matth. Hillerus* habet; Κλεόπας *ab integro* Κλεόπατρος, *i. e. gloria patris.* Quando & idem *Cleopatræ* nomen ducit à *Cleopatro.* In quam rem etiam habet *Grotius*; *Eſt* κλεόπας, *aut potius* κλεοπᾶς, *Nomen idem quod* κλεόπατρος, *per* ἀποκοπήν, *de qua diximus ad hujus Libri initium. Cleopatris nomen Macedonicum in Syria & Judæa frequentari cœpit, poſtquam Macedones Aſiam tenuere. Sic & multas Mulieres Cleopatras,*

*tras vocat hiſtoria eadem nominis origine.* Qui & illic notavit, *Latinum ſcribere Cleophas, quod ad Syriacam pronunciationem accedat*; ex *Hieronymo* addens, quod *P literam Hebræus ſermo non habeat, ſed pro ipſa utatur* ב / *cajus vim Græcum* Φ *ſonat.* Noſter autem per ſpeciem quandam contractionis exiſtimatur vulgo accipere & nomen ἡ Κλωπᾶ, *Clopæ*, *Joh.* XIX. 25. ubi tamen *Vulgatus* etiam legit *Cleopæ*, à quo denominatur illic Maria ſoror Matris Domini, tanquam à Marito vel à Patre ſuo, prout alii obſervant Maritum ejus fuiſſe *Alphæum* ex *Matt.* X. 3. *Act.* I. 13. (quod nomen ab Hebræo אלוף *dux* vel חלוף *mutationem* notante deducere ſolent,) atque alii, Cleopam potius habendum pro altero Mariæ Marito poſt prioris fata, quin & de Nominis utriuſque conjunctione haud difficili etiam cogitatur. Quin etiam pluſquam ſemel aſſerit *Doct. Ligtfootus*, *Alphæum* & חלפי / (uti ille ſcribit,) *Cleopham fuiſſe eundem, è ſoni ſimilitudine*, & ex eo, *quod iiſdem Hebraicis literis ſcribantur*; dum *Syrum* חלפי *indiſcriminatim vel in nomen Hebraicum vel in enunciationem Græcam ſe format Calphi & Cleophi, prout illud Pauli nomen pro diverſa linguarum ratione dupliciter pronunciatum.* Fuit utique Vir hic ſic ſatis propinquus Chriſto & pluribus Apoſtolis ejus ſecundum carnem; nec alienus ab ipſo, ſi habeatur ex *Hegeſippo* & *Euſebio* pro *Joſephi fratre*, quem & *Quatuor Apoſtolorum patrem* appellavit *Doct. Ligtfootus*, ſi idem heic in textu noſtro deſignetur, quod non certum ſed veriſimile judicant, ut non mirum ſit, hunc Chriſti cauſam fervide tuitum eſſe. Interim alio modo in Scripturis non eſt notus, nec traditiones aut fabulas Veterum de eo eſt ut prolixe conferamus; quem & *Alterum Hieroſolymorum Epiſcopum* faciunt quidam poſt Jacobum, aliis apud *Euſebium* hunc Secundum Epiſcopum conſtituentibus *Symeonem* ejus filium. Quod jam ad Cleopæ hujus Socium attinet, ubi ille neque nominatus eſt à *Luca*, neque ullo modo deſcriptus, vere inutiles & temerariæ ſunt omnes antiquiores & recentiores conjecturæ de eo quis fuerit. *Alterum*, *Grotius* inquit, *ipſum Lucam multi putarunt, quos ſatis ipſe refellit, in Euangelii Anteloquio ab oculatis teſtibus ſe diſparans.* (Quod & *Beza* urget cum aliis.) *Nathanaelem Epiphanius putavit, quem alii putant unum eſſe Apoſtolici cœtus qui* πατρωνυμικῶς

κῶς *Bartholomæus vocatur. In his rebus fama antiquiſſima maximæ debet eſſe fidei; ea autem eſt, nomen huic alteri fuiſſe Simoni, nam hoc Hebræum eſt nomen, illud Græcum ex Hebræo expreſſum. Auctor eſt Origenes, qui in Libr. adv. Celſum,* γέγραπται δὲ ἐν τῷ κατὰ λουκᾶν, ὅτι μὴ τὸ ἀνάσασιν λαβὼν τὸ ἄρτον ὁ Ἰησοῦς εὐλόγησε, καὶ κλάσας ἐπεδίδου τῷ σίμωνι καὶ τῷ κλεόπᾳ. *Alibi in iiſdem Libris, ſed in Latinum verſis, Simeon dictus legitur. Qui cum conciliari facile poſſet Ambroſius, ſi libeat Simeonem reſcribere, ubi nunc Amaonem, quod inauditum nomen eſt,* (& ab aliis deducitur à loco *Emmaus*, cujus ille vel civis vel incola fuerit,) *legimus. Sed cogitandum, quando Origenes non famam ſed ipſum Lucam dicti ſui Auctorem laudat, an non eum deceperit id quod infra eſt com.* 34. *Fieri enim poteſt, ut inibi pro* λέγοντας *Codices quidam habuerint* λέγοντες, *quomodo annon legerint Latinus & alii Interpretes, dubitari poteſt. Itaque illud,* ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος καὶ ὤφθη σίμωνι, *videri poteſt ita acceptum ab Origene, quaſi referatur quid hi duo Apoſtoli narraverint, non quid audiverint ab Apoſtolis; cum tamen recte rem inſpicienti merito magis ſit placitura recepta lectio* λέγοντας, *ita ut per Simeonem intelligamus Petrum, cui ſeorſum apparuiſſe Chriſtum etiam Paulus teſtatur.* Ad quas & ſimiles conjecturas alias merito ſcripſit *Beza; Ita neceſſe eſt, ut repugnantia ſcribant, qui curioſas quæſtiones tractant ex conjecturis.* Primum illud de *Luca* haud admodum diſplicere tamen videtur *Er. Schmidio*, quando hoc, poſt ſententiam *Epiphanii c. Saturninanos* de Nathanaele, *veriſimilius cenſeri* ſcribit, *qui ſe ipſum in hac recitatione nominare noluerit, ſicut & Matthæus* IX. 9. *Publicanum à Chriſto vocatum quidem nominat, ſe vero eum ipſum eſſe retinet, & Johannes* XVIII. 15. 16. *ſe ipſum etiam non nominat.* Et quod ad Simonem attinet, hunc fuiſſe equidem concludi non poteſt, ſed potius evertitur ex eo quod Emmauntici Duo forte dixerint ad Diſcipulos congregatos, *Dominus Simoni viſus eſt*, ſiquidem de ſe ipſis hoc modo vix apte loqui potuiſſent. Præterquam, quod ſolum *Simonis* nomen admiſſum tanquam Socii Cleopæ, nec ad Petrum ſpectans apud Veteres de eo heic cogitantes, nos parum inſtruat de ejus perſona; quem cum Cleopha eundem ponit *Pſeudo Dorotheus*, ex *Timone* Septem Diaconorum primorum uno etiam faciens *Simonem*. Nec minus vana ſunt eorum

rum cogitata, qui cum *Harduino* Jesuita vellent, *Cephan* quendam ab Apostolo Petro distinctissimum fuisse Socium Cleopæ, quem Lucas non nominaverit in descriptione Itineris Emmauntici, propterea quod contra Paulum Judaizaret; de quo vide latius dicta à nobis *EXERC. TEXT. XLV. Parte V.*

IV. *Ut ut sit*, inquit *Schmidius*, hoc ex collatione *vers.* 10. 13. 22. 33. *constat*, *fuisse hos Duos*, *non Apostolos*, *sed ex reliquo Discipulorum Jesu numero*, *qui cum Undecim Apostolis eo die Jerosolymis congregati fuerant*, *quos etiam Undecim omnes*, *præter Thomam cum cæteris Emmaunte reversi Jerosolymis invenerunt*. Quod tamen argumentum ego vix plusquam probabile dicere ausim; dum Duo possent forte rediisse dici ad reliquos idem secum collegium constituentes sub illius Collegii nomine. Sed ex Cleopa, non Apostolo, sed inferioris ordinis Discipulo, & qui tamen in hac apparitione præ Socio silente omne punctum tulit, licet solidius concludere quod hic non fuerit Apostolus, vel Zebedæi vel Alphæi filius, cui Apparitio singularis Christi serius contigit secundum dicta superius ad 1 *Cor.* xv. 7. *Cap. VIII.* Dum de alio Jacobo inter Lxx. Discipulos, pro quo multis ad illum locum disputat inter alios *Joh. Harduinus*, nihil nobis magnopere constat certi. Inprimis autem plane concidit, quod Petrus Apostolus fuerit Cleopæ Socius in hac Itione Emmauntica, uti suaviter somniavit *Doct. Ligtfootus*, atque alii id, ubique inculcatum ad Marcum, Lucam, & Paulum, nimis incogitate quasi fructum singularis eruditæ attentionis admiserunt ab aliquo tempore, uti latius ostendimus nos *loc. cit.* post adducta ipsa Autoris verba, quæ idcirco heic non repetimus magis quam disputationem nostram omnem in adversum. Summa nostrorum argumentorum, ibidem simul vindicatorum, est illic; quod nec mentio nec indicium Petri proxime nominati *vers.* 12. ullum apud *Marcum* vel *Lucam* compareat prorius; quod Cleopas, minoris præ Petro conditionis & zeli illic primas omnino teneat; quod Cleopæ narratio suo & socii nomine Petro per omnia nequaquam conveniat, *coll. vers.* 22. *&c.* quod nec conveniat idem cum iis quæ Undecim Apostoli ad Emmaunticos redeuntes dixisse feruntur *vers.* 33. 34. quod nullum quoque vestigium Emmaunticorum Duorum reperiatur in eis quæ de

Neuter vero fuit Apostolus, nedum Petrus alter.

Cepha habet Paulus; & quod poſt & ſecundum varias inaniſſimas conjecturas mire textus *Lucæ* totus torqueatur ad hypotheſin, uti in progreſſu ad partes ſingulas etiam conſtabit. Videbis ibidem inſuper *Objectiones* breviter ſolutas, quas pro *Ligfooti* ſomnio, ut in hiſtoriam ſi pote converteretur, adduxerunt Viri Docti alii. Scilicet, quod *Prima Apparitio Chriſti apud Viros*, proxime ante Apoſtolos, à Paulo de Cepha loquente ſpectetur, quæ ſecundum Marcum & Lucam fuit illa apud Emmaunticos; neque enim prius illud dixit Paulus, ſed tantum illam Cephæ contigiſſe citius quam Duodecim Apoſtolis ſimul; neque poſterius illud tradunt uſquam Euangeliſtæ. Deinde, quod à magnæ *Negligentiæ culpa* nequeant liberari, tum Euangeliſtæ, tum Paulus, niſi alter Emmaunticorum fuerit Cephas; hoc enim modo videamur velle ſapere ſupra Deum ipſum, qui ſapientiſſime voluit, ut ex uno Apoſtolo vel Euangeliſta ſciremus quædam ab alio non memorata ad complementum hiſtoriæ ex omnibus ſimul; dum tamen Petri Viſionem non plane tacuit *Lucas*, eam ex adverſo memorans ex ore Apoſtolici Cœtus.

Eorundem Ambulatio & Itio in agrum ad Vicum diſtantem ab Urbe Stadiis Sexaginta dictum Emmaus, inter colloquia de rebus Jeſu.

V. Duorum horum ex Diſcipulis dictis *Factum Primum* conſtituitur apud *Marcum* generalius per hoc, quod fuerint περιπατοῦντες, & πορευόμενοι εἰς ἀγρόν, atque apud *Lucam* ſpecialius per illud, quod *in vicum à Jeruſalem diſtantem ſtadiis ſexaginta, cui nomen Emmaus, fuerint euntes, atque ipſi* ſimul *de his quæ evenerant omnibus colloquentes ad ſe invicem.* Ubi notat τὸ περιπατεῖν, per *exſpatiationem* redditum à *Schmidio*, ſed per *ambulationem* à *Vulgato & Beza*, nec minus recte forte per *obambulationem*, aut *circumambulationem*, itionem, non tam quamvis promiſcue, aut coactam ex metu, aut quæ negotiorum curandorum ergo fit determinato ad hoc conſilio, quam quæ ad utile corporis exercitium, vel & animi reſtitutionem, vel denique ſimul ad colloquia familiaria liberius habenda inſtituitur, non nimis feſtinans, & quidem Die Feſto, qualis heic ex conſequentibus quoque deprehenditur. Facta eſt autem Ambulatio illa non jam intra Urbem Jeruſalem, aut proximum ejus ambitum, ſed extra portas, *in agrum*, ab Urbe etiam paulo remotiorem, *rus* apud *Bezam*, & ſic *in agro*

quo-

quoque, per quem ibant, ſubſtituente *Syro*, ܟܦܪܐ

& *Vulgato in villam*, qualis tam ruſtica quam urbana ad agrum referri ſolet merito in oppoſitione ad Urbem, uti & per agros *pagi* notantur *Marc.* VI. 36. 56. *Luc.* IX. 12. atque ita in agrum ambulantes *profecti* illi dicuntur. Terminum porro iſtius ambulationis, quorſum illa directa fuit, ſpecialius conſtituit quædam κώμη, deſcripta propius à ſua diſtantia à Jeruſalem, quin & à nomine ſuo proprio ſimul expreſſa apud *Lucam*. Græcum illud nomen κώμης, quod per *caſtellum* reddidit *Vulgatus*, muniri ſolitum, ſed *Beza* cum aliis per *vicum*, ſignificat ædium vel caſarum viciniam, non heic in urbe ſed extra eam, quales & majores *pagorum* nomen alias accipiunt, quin & latius illud *urbium*; unde alias τ πόλεσιν *urbibus* opponitur paſſim, quin & pagis quandoque, *Matt.* IX. 35. X. 11. &c. ſed & urbibus datur, *coll. Joh.* VII. 42. ubi Bethlehem ſub nomine κώμης venit, quæ dicta πόλις *Luc.* II. 4. lecta etiam voce compoſita κωμοπόλεις *Marc.* I. 38. quam per *vicos* quidem & *civitates* reddidit *Vulgatus*, ſed rectius *Beza* per *oppidula* ſeu πολίχνας. Quale & hoc fuiſſe veriſimile eſt. Ut vero ſciremus ambulationis hujus propoſitæ & factæ ſpatium, additur, vicum hunc *à Jeruſalem diſtitiſſe*, ſive abfuiſſe, *Stadiis ſexaginta*. Ad iſta *Grotius* notavit, *totidem Stadia numerare Editionem Joſephi Baſileenſem A.* 1544. *quare quod aliæ Editiones habent* τεσσάκοντα, *vitioſum eſſe non dubitat.* Uti apud *Bezam* reperimus; *Sic apud Syrum Interpretem & in omnibus noſtris Codicibus legitur. Itaque aut hic peccatum eſt in numero, aut apud Joſephum Lib. VII. de B. Jud. Cap.* 27. *non recte ſcribuntur Stadia Triginta.* Dum de Stadiis *Joſephi* duplo longioribus loquitur etiam *Bonfrerius*. Ad rem ipſam ſpectat illud *Schmidii*; *Hoc eſt, unum Miliare Germanicum cum una Tertia. Intelliguntur enim hic* ſτάδια *vel* ſτάδιοι, (*nam & ὁ* ſτάδιος *&* τὸ ſτάδιον *Græcis pariter & Latinis dicitur,*) *Eratoſthenis, quorum* 45. *vel verius* 46⅔ *uni Miliari Germanico reſpondent. Ptolemaica vero ſtadia quorum* 33. *unum Miliare Germanicum efficiunt, tempore hujus rei geſtæ nondum, ſed demum ſub Adriano Imperatore, qui ultra annos* 125. *poſt Chriſtum Natum vixit, introducta fuere.* Atque *Druſius*, poſtquam præmiſiſſet, *quamvis in*

*Latino Exemplari* apud *Joſephum*, *ſit Triginta*, *tamen in Græco legi* ἑξήκοντα, ſubjecit, *eſſe Stadium Octavam partem Milliarii*, *ergo* LX. *Stadia conficere Milliaria Septem & Medietatem Octavi*; quod de *Milliaribus Italicis* intelligendum eſſe monent Viri Docti. Nos miſſa curatiori inquiſitione Stadiorum atque hujus ſpatii, poſt illa quæ ad *Iter Sabbati* olim à nobis fuere dicta *EXERC. TEXT. XLI. Parte IV.* (& cum quibus ægrius concilio quod heic habet *Schmidius*, *tale intervallum Sabbato exſpaciari fuiſſe conceſſum*, & quod præterea latius ſcripſit ad *Act.* I. 12. σαββάτου ὁδὸν *fuiſſe iter*, *ſeu diſtantiam* 2⅓. *Stadiorum*, *ſeu dimidii Miliaris Germanici &c.*) ſcimus, ſolere Stadia cenſeri Centum & Viginti Quinque Paſſuum, unde Octo conſtituant Miliare Italicum, qualia Tria ad Horæ Iter rurſus menſurantur. Atque ſic ſpatium heic deſignatum ad Itionem Horarum Duarum cum Dimidia nos ducet; *Horas præter propter quatuor* ſubſtituente *Nic. Gurtlero* pro arbitrio ſuo. Quod quidem eſt ſatis magnum, attamen non nimium, notante etiam *Grotio*, quo minus itio hæc ſuſcipi potuerit, & ſimul iſta ab his duobus fieri, quæ heic de illis porro narrantur.

Reſtat nomen Vici *Emmaus*, ἐμμαοὺς, حمّاوس / apud *Syrum*, quod plures derivant à חמם / *arcem* ſeu *propugnaculum* notante, alii à חמם עם *populo contempto*; ſed & alii, rectius legi volentes *Emmaum*, cum *Bonfrerio*, à חם מים / ſeu *aquis calidis*, memoratis apud *Joſephum Lib. IV. de B. Jud. Cap.* I. De illo loco ex *Euſebio* habet *Hieronymus de L. Hebr. Emaus de que loco fuit Cleophas*, *cujus Lucas meminit Euangeliſta*, *hæc eſt nunc Nicopolis*, *inſignis civitas Palæſtinæ.* Apud *Nic. Sanſonem in Ind. Geogr.* legimus; *Emaus*, *ſive Emmaus*, *aut Amnaus*, *duo diverſaque ſunt ejuſdem nominis Loca*, *alter prope Jeruſalem in Judæa*, *alter prope Tiberiadem in Galilæa*, *uterque memoratur Joſepho*, *primus & qui prope Jernſalem Ant.* XV. 16. *&c. alter & prope Tiberiadem Ant.* XVIII. 3. *ac* 4. *& de B. Jud. Lib. IV. Cap.* I. *&* 2. *&c. Ibidemque Joſephus aſſerit*, *Emmauntis ſive Ammauntis nomen idem eſſe atque Aquas Calidas. Emmauntis oppidum ſive caſtrum*, *in quo diſcipuli Duo Chriſtum poſt Reſurrectionem in fractione panis agnoverunt &c. cum prima Joſephi convenit. Cæterum eum Locum à Varo exuſtum*, *poſtea*

*Nico-*

*Nicopolim esse dictum, putant Hieronymus, Sozomenus, Nicephorus, aliique.* Et merentur heic omnino quoque legi, quæ *Cl. Relandus* reliquit nuper, tum *Lib. II. Cap.* 6. tum *Lib. III.* ad voces *Ammaus* & *Emmaus*, urgens, Emmaum, sive Emmauntem, cujus Lucas meminit, & alteram Urbem, quæ Nicopolis nomen gessit, *duo loca esse disjunctissima maximeque diversa*, argumentis minime comtemnendis; quin & observans, non tantum duo sed & *Tria Loca nomine Emmauntis nota in Palæstina, Urbem Nicopolin dictam postea, Vicum in Euangelio Lucæ memoratum, & Locum vicinum Tiberiadi, qui à thermis nomen videtur traxisse*, & ad medium illum tradens, *Josephum scribere abesse illum Hierosolymis Stadia* LX *uti & Lucas tradit, Rufino & Zonara* XXX. *legentibus.* Dum *Schmidius*, in adversum rursus, Locum à *Luca* nominatum *oppidum* dicit *vicinum Jerosolymis, distans ad occasum & septentrionem versus Joppen*, cujus & meminerit *Josephus*, quæ *post captam Jerosolymam Nicopolis fuit appellata, Sozom. Lib. XX. Cap.* 21. Sed & *Lud. Cappellus* ab alia Emmaunte nostram distinguit, quam cum *Josephus* in utraque Editione Græca, *Basileensi & Genevensi*, dixerit ab Urbe distare σταδίους ἑξήκοντα, ut in Versione *Ruffini* vitio Interpretis aut Codicis quo usus est *Triginta Stadia* tantum legantur, miratur ille, *Bezam illum Interpretis lapsum non animadvertisse, & Græcum Josephi textum non consuluisse, ita ut censeat, vel Lucam ex Josepho, vel Josephum ex Luca esse emendandum, cum neuter sed solus Josephi Interpres Latinus emendatione opus hic habeat.* Sive autem hæc Emmaus nostra sit eadem cum Nicopoli, sive non, etiam propter distantiam majorem ab Urbe Jerusalem, ad Milliaria Romana XXII. seu CLXXVI Stadia, nostra inde non distitit nisi ad Stadia LX vere vel fere; & undecunque hoc nomen acceperit, vicus ille Emmaus vel *Ammaus* illa fuit dicta, etiam posteriori modo apud *Josephum*, ubi tamen *alium* notari etiam *Joh. Hudsonius* novissime scripsit. Legi heic præterea possunt, quæ habet *Doct. Ligtfootus*, tum *Centur. Chorogr. in Matth. Cap.* XLV. de nomine apud *Talmudicos* scripto אמאוס vel עמאוס/ tum *in Chorogr. Lucæ præm. Cap.* IV. de ejusdem Loci Situ, quem ille ita ordinat *Galilæam versus*, ex sua hypothesi de Petro iter illuc faciente heic, ut tamen *vergeret ab Hierosolymis*

*etiam verſus occidentem*, unde pro Variis Galilææ partibus Orientalibus & Occidentalibus variæ cum eſſent viæ in Galilæam, *hæc per Emmaunta erat una, per Bethoronem alia, per Antipatrida tertia, ſi illa non coincideret etiam cum Emmauntina.* Si roges, cur ad hunc Vicum, magis quam ad alium locum, iverint hi Duo Diſcipuli, quid potes per modum reſponſi exſpectare præter profeſſionem inſcitiæ communis, vel traditiones aut conjecturas incertiſſimas? ſive de Viæ commoditate maxima, ſive de Exitu citiori ex Urbe verſus illam partem, ſive de notis & familiaribus illic habitantibus, aliisve ſimilibus, ſive & de unius aut alterius Diſcipuli ortu ex illo Vico. In quam rem apud *Grotium* lego; *Veroſimile eſt, Emmaunte eos habitaſſe, atque eo regreſſos, poſtquam & Paraſceuen, & Sabbatum, & Diem à Sabbato primum Paſchalibus ſacris & precibus impenderant.* Quod tamen ego ſequi non poſſum, quatenus hæc Itio non deſcribitur ut Reditus ad ſua, ſine animo reverrendi Jeroſolymam, ſed ut Ambulatio liberioris colloquii ergo temporaria. Quemadmodum immediate hinc ſubjicitur, quod ἀυτοὶ, *illi*, duo ex Diſcipulis, non plures, *de his quæ evenerant omnibus*, περὶ πάντων τ συμβεβηκότων τότων, Jeſu Mulieribus, & Diſcipulis, quæ deinde enarrant apud Jeſum ipſum incognitum, ὡμίλων πρὸς ἀλλήλυς; *ad ſe invicem ſint collocuti*, verbo deducto ab ὅμυ & ἴλη, ſic de his cogitata ſua inter ſe communicantes, ad mutuam inſtructionem, ut ſolent affectibus valide impulſi & incerti conſilii homines. Recte ad hæc ſcribente *Beza*; *Confabulabantur, Eraſmus, à quo verbo libens abſtineo, ne fabulas narraſſe iſti videantur, quamvis non ignorem fabulari ſæpe de omni ſermone dici, utpote quod à faudo deducatur. Verbum autem proprie quidem & ἀυτολεξεὶ ſignificat una verſari, ſed hic accipitur pro* συλλαλῆσαι, *quo verbo utitur Nazianzenus.* Obſervari autem heic communiter optime ſolet, laudabilem fuiſſe hunc Duorum Diſcipulorum ſeceſſum ad colloquia pia adeo & neceſſaria inter ſe habenda; quæ hinc merito imitentur Chriſtiani omnes, ferentibus id communibus eorum rebus aliis.

Quæ quantum abſint a Ligtfooti hypotheſi

VI. Quantum in ipſo hiſtoriæ hujus initio hæc abſunt, ab illis quæ à *Ligtfooto* hujusque Sequacibus in interpretatione textus hujus ſuggeruntur & audacter nimis ſubſtituuntur? Scilicet *perrectu-*

de Petro monstratus.

*recturum credit* ille *Petrum cum Cleopha in Galilæam, idque excitatum verbis Christi à fœminis ei nunciatis, dicite Discipulis & Petro, præcedo ego in Galilæam. Cogita tecum, quam pendulus hæreret Petrus atque intra se fluctuans, post triplicatam ejus abnegationem, quamque anhelet ut Dominum si resurrexerit videat iterum, atque ei se humilem supplicemque ad pedes provolvat. Cum ergo hæc audiret à fœminis, audieratque quidem à Christo ipso dum adhuc foret in vivis, quod resurgens eos ille præcederet in Galilæam, cumque reliqui minime adhuc fama de Resurrectione ejus forent moti, nec adhuc è loco isto se moverent, experietur ille iter in Galilæam, & cum eo Alphæus, &c.* Quomodo locutus *ad Marcum*, perinde scripsit *ad Lucam*; *Minime conceperis, mundanum aliquod negotium hos duos avocare potuisse à Festo ante tempus statutum, ut nec a societate condiscipulorum, sed aliquid re mundana majus. Concipe autem tecum, quanta perplexitate ac angore fluctuaret animus Petri ob negatum Magistrum, & quali quasi æstro ille percieretur, cum audiret à Fœminis, quod ab Angelo iis præceptum est ut speciatim Petro dicant quod Dominus ipse resurrexit & præcedit eos in Galilæam, ubi eum videre liceret. Ut extra omne dubium mihi sit, Petrum fuisse alterum de his Emmauntinis, qui associato sibi Alphæo itineris comite, ut primum hæc audiret, à Fœminis pergit versus Galilæam, noto facto absque dubio Condiscipulis profectionis fine, &c.* Quibus ne quidem contenti sequaces, add derunt adhuc, vel potius iterum substituerunt tanquam verisimile, Apostolos cum aliis accepto nuncio Angelico de Christi Resurrectione & Itione in Galilæam ubi videretur, ablegasse unum Apostolum & alium Discipulum, qui per Galilæam ubique inquirerent in Dominum suscitatum, cum serio jussu redeundi & nunciandi ipsis Visionem Jesu simul ac eum reperissent. Ad quæ lecta & collata cum Euangelio obstupescet forte, qui attenderit potissimum, non tam quod *credat* ista Vir Doctus extra Euangelium, sed & *extra omne dubium ipsi* ista sint. Ubi nempe Euangelium Cleopam ut Duorum Præcipuum nominat, illic Interpres Alterum Discipulum facit Consilii & Facti Autorem omnem, qui Cleopam ordinis minoris modo assumit ad se, locuturum tamen solum, quod *grandævior foret, ut quatuor Apostolorum pater.* Ubi Euangelium tradit Obambulationem

horum,

horum, & Itionem in agrum, etiam cum addito ut itionis iſtius termino Vico aliquo certo & Jeroſolymis propinquo, quem in Galilæam duxiſſe breviſſime nequaquam ſimul conſtat, & Colloquio mutuo de Chriſti rebus; illic Interpres ponit Iter celerrime ſuſceptum in Galilæam ſatis remotam, ad Jeſum illic ubique quærendum. Ubi Euangelium exhibet hos Duos ut ſatis incertos & anxios cum exigua ſatis ſpe, de Chriſti ſtatu præſenti; illic Interpres ipſos introducit perſuaſiſſimos de ejus Reſurrectione, & obſequentes ejus juſſui ad obtinendum ejus conſpectum ſolennem ſibi promiſſum. Ubi Euangelium nihil habet vel minimum, quod ad Itionis Communicationem cum Apoſtolis præcedentem nos ducat; illic Interpretes fingunt pro vario arbitrio, vel Itionem Apoſtolis ſignificatam prius, qui ipſos facile abire ſiverint, vel eandem ex Apoſtolorum juſſu factam, qui ipſi ſic nimis tardi fuerint ad officium commune, adeo ut & reditum ad ſe mandarent & eouſque exſpectare vellent ipſi. Præter quæ omnia conſiderari velim, quam habeat ſpeciem veri, quod Petrus cum Cleopa, non modo à Condiſcipulorum Societate, ſed & à Feſto ante tempus ſtatutum, mox abire voluerit, in Galilæam patriam, ex mandato & promiſſo generali, ad omnes Apoſtolos ex æquo ſpectante, nec omnem moram neceſſariam ex civili aut religioſa cauſa excludente, & quidem ad Chriſtum illic vage quærendum, qui utique Montem certum Apparitionis ſuæ condixerat. Quorſum indubie Petrus juxta alios ivit deinde, etiamſi in his obambulantibus duobus ipſe non fuerit. Et quod attinet ad negotium, non mundanum, ſed mundano majus, quod duos hos impulerit ad Itionem ſuam hanc; id ſupponit temere, & meditatum ab iis Seceſſum longiorem à reliquis, & negotium aliquod curandum, ubi nihil præter obambulationem temporariam cum collocutione religioſa nos reperimus in Euangeliis. Nihilominus tamen etiam *Nic. Gurtlerus* ſcripſit; *videri cogitaſſe de itinere in Galilæam faciendo.*

Eorundem Duorum Fatum, quod Ieſus ſe illis manifeſtaverit, retentis ip-

VII. Ad hoc Facientium Duorum *Diſcipulorum Fatum* tranſimus proxime inſecutum, quod generatim conſtituit *Chriſti* iis facta *Manifeſtatio Obſcurior verſ.* 15——29. conſtans α. In hujus *Conjunctione* cum ipſis, *non agnita* ab ipſis *verſ.* 15. 16. β. In hujus *Collocutione* ſeria & utili *verſ.* 17——27. ipſis con-

conceſſa. γ. Et tandem in hujus *Retentione* apud ipſos utiliſſima & gratiſſima *verſ.* 28. 29. Dum de Chriſti Manifeſtatione hac generalius etiam loquitur *Marcus Cap.* XVI. 12. ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *oſtenſus eſt in alia effigie*, minus apte apud *Vulgatum*, المعراب حبصحلا امنإ/ apud *Syrum*, *conſpicuum ſe præbuit alia forma* apud *Bezam*, *apparuit alia forma* apud *Schmidium*, *&c.* Ubi verbum ἐφανερώθη dicit *manifeſtationem* claram & irrefragabilem prorſus, adeoque conſpicuum palam factum Jeſum fuiſſe arguit, etiam per propriam exhibitionem, quæ vis Verbi Paſſivi hic agnoſci poteſt ex re ipſa. Nec per *aliam Formam* ſignificatur, quod plane alia fuerint lineamenta faciei in Chriſto, vel & alia partium ſingularum diſcretivarum conſtitutio, ac ſi aliud plane Corpus nunc aſſumpſiſſet; ſed vel alius Veſtitus & habitus quam quo pro Hortulano illum habuerat Maria, quem undecunque facile acceperit; vel aliud & majus Decus quam ante mortem poſſederat, *coll. Marc.* IX. 2. *&c.* vel alia potiſſimum Apparentia tanquam Viatoris incerti, ſi non *Scholaris* ſive *Docti*, quod ex conſequentibus concludit *Ligtfootus*, in ipſorum *oculis*, quos hinc *retentos* dicit *Lucas*, *ne ipſum agnoſcerent* ex vultu pro Jeſu, qui & deinde *aperti* dicuntur *verſ.* 31. cum illum dignoſcerent. Ita enim plenius habet *Lucas*; καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὁμιλεῖν αὐτὸς καὶ συζητεῖν, καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἐγγίσας συνεπορεύετο αὐτοῖς, οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτόν. In quibus nihil eſt admodum difficile. Quando & *Jeſus ipſe*, ab Angelis diſtinctiſſimus, nec ullus alius ſub ejus ſpecie, fertur, *appropinquaſſe*, ſive prope ad eos *acceſſiſſe*, vel à tergo per greſſum celeriorem, vel etiam ab alia aliqua parte; ita quidem ut appareret id fieri ſtudioſe potius quam fortuito ab ipſo. Nec tantum hoc, ſed etiam poſt appropinquationem illam *cum illis profectus eſſe*, ſeu ambulando *iter feciſſe*, qua illi pergerent via, & in arctiſſimo illorum conſortio ut ſimul colloqui poſſent quoque. Quod *factum eſt*, dum *illi colloquerentur*, uti antea dictum fuerat, de rebus Jeſu, quin etiam *diſquirerent*, per mutuam συζήτησιν, de iiſdem in modo ſuo, & de ſententia vel opinione ſingulorum, in quibus ſic unus ab altero erudiri poterat & volebat. Sed præſens Jeſus non dignoſcebatur à Duobus aliis, quandoquidem *eorum oculi*,

non ſpirituales adeo quam corporales, per quos appropinquantem & una euntem dignoſcere debuiſſent, etiam cum auribus ubi ad eos loquebatur, *fuere retenti*, ſeu cohibiti; non per cæcitatem immiſſam, aut tenebras intervenientes, ſed per oculorum aciem minorem, vel alterationem aëris medii, vel objecti qualemcunque etiam obſcurationem aliam, *coll. Gen.* XIX. 11. 2 *Reg.* VI. 18. *&c.* non, ut nullum plane viderent hominem, ſed eousque & cum illo effectu quin & ſcopo, *ut illum agnoſcerent*, ſeu illum hominem non cernerent nec putarent eſſe Jeſum, *coll. Joh.* XX. 14. *Marc.* VIII. 24. *&c.* Ubi minus probare poſſum, quæ nimis leviter ſcripſit *Clericus*; *Hoc eſt, præ mœſtitia tam parum attendebant, & hominem qui ſeſe comitem ipſis adjunxerat tam negligenter aſpexerant, ut Jeſum non agnoſcerent. Sic Hagara mœſta non videbat, ſeu non animadvertebat vicinum puteum Gen.* XXI. 19. *Similiter cum infra verſ.* 31. *eorundem oculi* διανοιχθῆναι *dicuntur, aliud nihil intelligendum, niſi eos attentius conſpecto Jeſu eum agnoviſſe, quæ eadem loquutio in hiſtoria Hagaræ eodem ſenſu legitur.* Dum melius habet *Schmidius* ipſe, poſt mutati *Externi Habitus* mentionem; *Et acceſſit Divina providentia impedimentum aliquod, ne ipſum agnoſcerent. Fuit enim* τὸ κρατεῖσθαι τὰς ὀφθαλμὰς, πάθος *horum duorum Diſcipulorum, non Chriſti. Idque confirmant ſequentia verba,* ἃ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτὸν, *ſcilicet* ἕνεκα. *Eſt enim, Cauſa finalis, cur retenti fuerint eorum oculi, non autem notatio Modi,* τῷ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτὸν. *Et infra verſ.* 31. *remoto illo impedimento, quodcunque ſane fuerit,* διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν. *Quo iterum notatur* πάθος *diſcipulorum, nihilo mutationis facto in facie Chriſti.* Et latiſſime optimeque *Beza* noſter; *Retinebantur, i. e. impediebantur, ita nimirum ſtatuente Domino. Syrus Interpres Clauſos oculos interpretatur, quod* κατὰ τὶ *intelligendum eſt. Ex hoc autem loco apparet, quam inconſiderato faciant qui corpori Domini glorificato ea tribuunt quæ vero corpori non poſſunt convenire, veluti qui Inviſibile, nulla quantitate, nullo loco circumſcriptum imaginantur. Non multo minus errant, qui Chriſtum exiſtimant à reſurrectione varios vultus induiſſe, quia inquiunt, Corpus erat ſpirituale. Quanto melius Auguſtinus ad Conſentium Corpus Animale definit, quod propter mortis diſſolutionem & corruptionem cæteris animantibus ſimile eſt, ſpirituale*

vero

*vero quod jam cum ſpiritu eſt immortale? Et paulo poſt, ſicut, inquit, animale corpus non eſt anima, ſed corpus, ita ſpirituale corpus non ſpiritum debemus putare, ſed corpus. Quid, quod idem Epiſt. ad Dardanum ne animæ quidem Chriſti tribuit, nedum corpori, ut duobus ſimul locis exſiſtere potuerit? Quod autem ad formæ & characteris mutationem attinet, ſi ita eſt ut vultum & ſtaturam mutarit Dominus, quid neceſſe fuit iſtorum oculos teneri? Quod igitur Theophylactus citat ex Marc.* XVI. 12. *&c. ita explicandum eſt, ut vel μορφὴ pro ipſo habitu & veſtitu corporis accipiatur, apparuit enim illis tanquam & ipſe ad iter accinctus, ſicut Mariæ viſus hortulani ſpecie non ante eſt ab ea agnitus quam nominatim eam compellaret, vel referatur ad eam formam qua ipſis viſus eſt, non qua ipſe eſſet revera. Hactenus enim tenebantur ipſorum oculi, ut non nullam in eo formam viderent, ſed ut veram non perſpicerent, unde agnoſci poſſet; ex quo efficitur, caligantibus eorum oculis diverſæ formæ imaginem fuiſſe objectam, cum revera ſicut idem erat cerpus eadem etiam eſſet ejus forma. At cur nondum vellet ab ipſis agnoſci Chriſtus,* (quod jam ad rem ipſam ſpectat,) *ſi quis roget, crediderim quidem iſtud factum, ut iſti liberius explicarent animi ſui ſenſum, nec ſola nuda Magiſtri auctoritate, ſed argumentis ab ipſo productis niterentur. Quid igitur iis facias qui αὐτὸς ἔφα tam obſtinate de ſuis Magiſtris urgent?* Obſervent interim pii & fideles omnes apud hoc corporale Domini factum, quo pacto idem ſpiritualiter ſæpe cum ipſis agat, ut officio ſuo fungentibus & Divina meditantibus, etiam extra conſortium magnum, ſoleat ipſe gratia ſua ſe ipſis inexſpectato ſiſtere præſentem, nec ſatis à primo initio tamen manifeſtare ſe ad illorum conſcientiam.

Jeſu ad eos Interrogatio, cum eorum Reſponſo & illius repetita Rogatione.

VIII. Ad Aures Diſcipulorum Duorum Dominus ſe ſimul viſus manifeſtat, ſed rurſus ita ut non dignoſcatur adhuc. Ubi *interrogat* primum Jeſus *verſ.* 17. & ad acceptum *reſponſum verſ.* 18. repetit *interrogationem verſ.* 19. atque ad *reſponſum* latius *verſ.* 19——24. *inſtruit* egregie *verſ.* 25–27. Sic enim legimus *verſ.* 17. *Dixit autem Jeſus ad eos*, Duos cum quibus obambulabat jam ut eorum comes; *verba iſta quæ ambulantes* invicem *projicitis*, ſeu profertis & reciprocatis, nec abſque ſingulari zelo, uti notavit *Pricæus*, *ad vos mutuo*, ἀντιβάλλετε πρὸς ἀλλήλους, *quænam* ſunt? ſeu quorſum ſpectant reſpectu argu-

argumenti ſui? tanquam aliquid audiens, ſed non plene ſatis quid illud eſſet tandem. Quin & addit, ἢ ἐσὲ σκύθρωποι; *& eſtis triſtes?* apud *Vulgatum*, dum *Beza*, *vocabulum Græcum paulo expreſſius declaraturus & loqui planius ſtudens*, hinc obſervans *triſtitiam proprie eſſe animi*, hic vero de *Vultus habitu agi*, quin & ſenſum pleniorem facturus, ſubſtituit, & *quid eſtis tetrico vultu?* Quamquam addat, *in uno exemplari ſcribi* ἢ ἔσηταν σκυθρωποὶ, quod *interpretaretur*, *conſtiterunt triſtes*, & quod *ipſi non diſplicet*. Sic eſt, σκυθρωπὸς dicit quidem *triſtem*, ſed qui obſcuro & inamœno vultu, adverſus hilarem aut ſolitum oppoſito, triſtitiam ſuam prodit, σκυθρὸν ἔντα τῷ ὄψει, ſeu συγνὸν τὰς ὄψεις ſecundum *Heſychium*. Atque hinc, cum videret Jeſus eos eſſe tales, non poteſt hoc verbum apte valere pro ſimplici interrogatione, an triſtes vultu eſtis? ſed eſt ſupplenda interrogatio per τί, *quid*, aut *cur*, aut *quomodo* tales eſtis? Niſi poſitive hoc dictum intelligas, quæ ſunt verba iſta quæ profertis cum eo zelo? dum ſimul eſtis tetrico vultu. Ad quam quæſtionem *unus*, vel *primus*, ſed communi Duorum nomine, *reſpondet* mox, non Alter Diſcipulus, ſed *Cleopas*; quod ſane conveniens non fuiſſet, ſi Alter Diſcipulus fuiſſet Petrus, nec fieri hic ſiviſſet per notiſſimum zelum ſuum, quem ubique probavit ſermone ſuo prompto præ & pro aliis omnibus ſociis ſuis Apoſtolis. *Reſpondens vero* iſte *ad illum*, Jeſum rogantem, *dixit*, cum indignatione ſatis acri *verſ.* 18. quam præter rogantis ignorantiam animi proprii triſtitia peperit, σὺ μόνος παροικεῖς ἐν ἱερουσαλὴμ, ἢ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα ἐν αὐτῇ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις; ſive interrogative, ſive & poſitive per ſarcaſmum. Quorum verborum ſenſus generalis & ſcopus ſponte conſtat. Sed quomodo idem ſignificetur, videas minimè convenire Interpretes. Nempe ἐν ἱερουσαλὴμ, *in Jeruſalem*, ubi præpoſitio non adeſt in omnibus Codicibus, nonnullis deſignat quidem *intra* ipſam illam Urbem, ſed ab aliis capitur de illius qualicunque vicinia, quaſi eſſet *prope* illam ſeu in Urbis iſtius Agro. Quorſum tum trahitur, & hujus rogantis Itio extra urbem in Agrum, & Præpoſitio πρὸς in παροικεῖν dicens *apud*, unde πάροικος ſit *accola*, ſimul faciens, ut præſumeretur ipſe non eſſe ex Urbe, ſed ex Agro. Quando ſurget iſte hujus dicti ſenſus, tunc adeo extraneus ab ipſa urbe, ut ignores prorſus

ſolus

ſolus geſta noviſſima in ea? Uti ſic latius ſcripſit poſt alia *Grotius*; *Ev deeſt in pluribus Codicibus &c. Interpretationem aliorum præfero, quæ* παροικεῖν ἱερουσαλὴμ *exponit habitare in Agro Hieroſolymitano. Nam & Romani Juris auctores vocem Græcam* παροίκια *ad eos extendi dicunt qui in oppidi finibus agrum habent. Et ſcriptores Chriſtiani Veteres, etiam Synodi,* παροικίαν *vocant Agrum qui intra fines eſt majorum urbium, unde ita appellatum eſt quicquid unius Epiſcopi curæ ſuberat, quod nunc vocant* διοίκησιν, *cum olim ea vox multo latius pateret. Neque vero ſoli Chriſtiani hoc ſenſu uſurparunt* τὸ παροικεῖν, *ſed & alii, ut Herodes Orator, cum dicit Athenas plura adferre commoda,* ἃ μόνον τοῖς ἐνοικοῦσιν ἀλλὰ καὶ τοῖς παροίκοις; *cui affine eſt, quod apud Thucydidem* παροικεῖν *dicuntur qui in proximo habitant, ut & Scholiaſtes exponit. Sed & apud Joſephum* πάροικοι *vocantur Judæi qui circa Delum habitabant in Edicto Cæſaris Dictatoris, quod legitur Lib. XIV. Orig. 17. Optime autem huic loco convenit hæc ſignificatio; nam Chriſtus ita ſe gerebat, quaſi & ipſe in Agro habitaret paulo ulterius Emmaunte, ac proinde domum ut ipſi contenderet. Mirantur ergo, quod tam prope ab Urbe habitans ea ignoraret, quorum rumorem pro rei magnitudine par erat longe lateque eſſe ſparſum. Atque ita erit Hebraismus in his verbis ſatis frequens, quem Græce ita explices,* σὺ μόνος τῶν παροικούντων οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα. *Niſi quis malit,* καταχρηστικῶς *ſumere* παροικεῖν *pro commorari etiam citra Domicilium, ſicut Judæi Hieroſolymis morabantur* ἐν τῇ ἑορτῇ; *ut dicat Cleopas, mirari ſe aliquem inveniri poſſe eorum qui nunc Hieroſolymis verſentur quem iſta latcant.* Quod poſterius mihi multo aptius videtur, quam prius; cum de Domo & Manſione ſolita Viri Diſcipulis nihil hactenus conſtare poſſet certi, ne quidem ex Itione cum illis Emmauntica, quin & ad omnes etiam in notabili ab Urbe diſtantia rumor rei noviſſime geſtæ nondum potuiſſet facile perveniſſe, dum ex adverſo qui fuerant in urbe, etiam aliunde peregrini, hanc merito videbantur non poſſe ignorare, per quam tota Urbs unde ibant ſeu populi illic convenientis multitudo tantopere fuerat commota. Unde nec ratio eſt, cur in notionem metaphoricam ſ παροικεῖν eamus, ſecundum aliam adhuc interpretationem à *Grotio* etiam præmiſſam, quam *præfracte improbare nollet* ipſe; πάροικος *in his Libris plerum-*

*que ſignificat eum qui extra patriam habitat, unde modo ei adjuncta eſt vox* ξένε, *modo* παρεπιδήμε. *Sic &* παροικίαν *dixit Lucas Act.* XIII. 17. & 1 *Pet.* I. 17. *Scriptor ad Hebræos etiam* παροικεῖν. *Atque ita hoc loco vocem hanc ſunt interpretati, Syrus, Arabs, & Latinus. Quod ſi recipimus, non dubitandum eſt eſſe Latiniſmum, quales ſunt complures apud Lucam. Nam Romani peregrinari eum & in Urbe ſua hoſpitem eſſe dicunt qui quid agatur ignoraret, hoc loquendi genus ſecutus M. Antoninus Imperator Lib.* III. ξένῳ κόσμε ὁ μὴ γνωρίζων τὰ ἐν κόσμῳ ὄντα. *Senſus ergo ſit, tune ſolus omnium hic ut peregrinus vivis, ut ea quæ nota ſunt omnibus ignores?* Quam quidem expoſitionem magnopese improbat *Beza* ſcribens; *Vulgatus & Eraſmus, tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, ut* παροικεῖν *idem declaret atque* τὸ ἐπιδημεῖν, *quo utitur Lucas Act.* II. 10. *Sed mihi non ſatis placet eorum expoſitio, qui addunt particulam adeo, ut ſit hæc ſententia, tune ſolus es adeo peregrinus & hoſpes in Hieruſalem, ut iſta non cognoveris? Nam tranſlatitie dicitur hoſpes eſſe in aliqua civitate qui ignorat quod cæteri illic norint. Sic Cicero pro Mil. an vero Judices vos ſoli ignoratis, vos hoſpites in hac urbe verſamini, veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis ſermone verſantur? Sed hoc dicendi genus neſcio quomodo videtur à communi loquendi uſu remotius quam ut Lucas eo reſpexerit. Deinde iſta interpretandi libertas in his quidem Libris mihi non placet, ne tum quidem cum de ſententia nihil detrahitur.* Poſtquam ipſe vertens, *commoraris Hieroſolymis*, præmiſerat alia iſta; *Differre* παροικεῖν *à* κατοικεῖν, *ſicut apud Latinos commorari & habitare, obſervavimus Matt.* II. 23. *Sed hoc quidem loco nolim eam differentiam ſubtilius obſervare. Si cui tamen hoc placuerit, ita licebit exponere cum Syro Interprete, tu ſolus advena, hoc vid. Feſto, in Hieruſalem veniſti, qui hæc non noveris? Niſi forte malimus* παροικεῖν *interpretari accolere; ita ut exponatur, tune ſolus accolis Hieruſalem, & iſta non noſti? &c. Et iſtos veroſimile eſt ſuſpicatos eſſe, eum quem non agnoſcebant, quique ſtatim à ſolenni die ex urbe profectus eſſet, ex vicino aliquo pago veniſſe, ad quem ſeſe reciperet.* Utique, quæcunque admittatur heic notio latior vel ſtrictior ſ παροικεῖν, *inhabitandi*, vel *commorandi*, ego putem, non hoc negari aut pro abſurdo haberi, ſed poni tanquam certum vel probabile, quod

ipſe

ipſe eſſet in Jeruſalem manens, ſive nunc tempore feſti, ſive & alias ſemper vel ſæpe; atque inde naſci hanc indignationem in ipſum, quod cum oppidani omnes ſcirent illic noviſſime geſta, ipſe vere aut fere *ſolus* inter eos, *in ea*, urbe, *facta*, & quidem *diebus his*, proximis & vix finitis adhuc, ſeu ignoraret vere ſeu ignorare ſe ſimularet forte per interrogationem priorem. Ex quorum ſcientia putabat Cleopas ipſum ſatis poſſe colligere, quænam eſſent eorum verba, juncta cum συνθρωπασμῷ. Sic autem indignius reſponſum nactus Jeſus, nec indignatur tamen ipſe, nec ſcire ſe geſta profitetur, ſed iterum *illis dixit*, rogando ad ipſorum reſponſum, non jam de verbis quæ inter ſe haberent, quæ ſatis ipſi ſignificabant eſſe de Geſtis noviſſimis Jeroſolymitanis, ſed directe de Geſtis illis ipſis, ποῖα, *quæ*, aut *qualia* eſſent illa τὰ γενόμενα. Ut nempe ad rem ipſam cum illis accederet propius, & inſtruendi eos occaſionem aptam haberet. Ita nempe ſolet Dominus, etiam illa quæ ſcit elicere ex ſuorum ore, quaſi neſciret, *coll. Gen.* III. 9. 11. *Job.* XXI. 15–17. &c.

IX. Nunc vero etiam ſic ad loquendum impulſi, viſo & perſpecto candido zelo rogantis Jeſu, abſque ſimulatione proloquuntur cum fiducia ad Virum, etiam minime adhuc cognitum, *illi dicentes* per Cleopæ os, Geſta illa & hinc Verba ſua de illis ſpectare ad *Jeſum Nazarenum*, quem *Laudant vrrſ.* 19. tum *Male Tractatum* tamen *narrant verſ.* 20. *ſuam* de illo addentes *Exſpectationem*, hactenus vanam quidem, *verſ.* 21. & ſimul *novam* ſibi factam *Annunciationem verſ.* 22–24. Generatim nominant τὰ περὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου, *de Jeſu Nazareno* apud *Vulgatum*, rectius forte quam *quæ facta ſunt Jeſu Nazaræo* apud *Bezam*, plura enim ſequuntur cum eis quæ ipſi nunc facta erant. In quibus vix eſt ut hæreamus, quando Nomen *Jeſu* Proprium, ipſi ex Divino mandato datum apud Circumciſionem, ipſique competens in omni ſignificationis plenitudine præ aliis omnibus qui id unquam gerebant, nulla heic declaratione opus habet; & quando illud Cognomen diſtinctivum *Nazarei*, alias & *Nazareni*, ipſi ab educationis loco vili datum, & frequenter ſed non ſemper ad depreciationem tractum, alias expoſuimus *ad Matt.* II. 23. *EXERC. TEXT. XXVI. Parte IV.* Ubi & latius monſtravimus, qua ratio-

Sermo Diſcipulorum inſecutus de Jeſu Nazareno.

ratione idem cognomen de eo prædictum fuiſſet *per Prophetas*, uti illic legitur; ſcilicet per nomen נצר / *Surculi* ipſi datum, juxta illud צמח / *Germinis*, quod illi non ſimpliciter modo ſæpius tribuebatur, ſed & de quo dictum fuerat *Zach.* VI. 12. הנה איש צמח שמו / *ecce Vir, Germen Nomen ejus!* Hic ſublatus erat ex ipſorum oculis, ſed minime ex ore vel ex corde, quod nunquam fieri decet in credentibus, nec ut fiat ex corde vel conſtanter ex ore permittitur à Domino.

Cui magna tribuitur Laus.

X. Laus hujus *Jeſu Nazareni* additur magna *verſ.* 19. ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης, δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, ἐναντίον τοῦ θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ. Cum jam deſiiſſe per mortem videretur, nec certe inter homines amplius converſaretur, merito heic ſermonem de eo inſtituunt in tempore præterito, qualis non eſſet, verum ſeu *fuiſſet* ſimpliciter, ſeu *factus eſſet*, per Spiritus conceſſam gratiam ejusque demonſtrationem & agnitionem in populo. Nomen *Viri*, quod accipit, præter *Naturam Humanam*, & Sexum *Maſculinum*, aptè exprimit ejus *Excellentiam* magnam, *coll. Joh.* I. 30. *Act.* II. 22. XVII. 31. quæ vere in ipſo erat Divina per Unionem Perſonalem, etiamſi hæc clarè non exprimeretur, vel & forte minus plenè agnoſceretur. Ut ſit, quod miremur, nomen illud ἀνδρὸς, *viri*, quod *Vulgatus* expreſſit, ab aliis Interpretibus multis cum *Beza* prætermiſſum eſſe quaſi *pleonaſticum*, ſecundum *ſæpe dicta* ab eo. Nomen alterum *Prophetæ* ſpectat ad Munus ejus; non omne quod geſſerat, ſed unum ex illis, quo functus fuerat apud populum omnem ita palam, ut pro tali haberetur communiter, nec illud negari poſſet plene ab hoſtibus, qui tamen ut Pſeudoprophetam & Deceptorem illum blaſphemabant, *coll. Matt.* XXI. 11. 46. XXVII. 63. *&c.* Id autem non dicit heic Magiſtrum aut Doctorem quemvis ordinarium, ſed Extraordinarium à Deo miſſum & infallibilem, ſive prædiceret futura, ſive alia ſublimia & neceſſaria traderet, *coll. Luc.* VII. 16. 39. *Joh.* III. 2. IV. 19. VI. 14. *&c.* Imo & Prophetæ hujus Qualitas illum multum effert ſupra Prophetas alios, dum conjungitur in ipſo ἔργον, *opus*, & λόγῳ, *verbum*, *in* quo utroque δυνατὸς, *potens* fuerat, tam *coram Deo* quam *populo omni*; uti haud diſſimiliter de Moſe dicitur *Act.* VII. 22. ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις. In *Opere* & *Verbo*, quod utrumque

que ſingulariter poſitum collectivo vel diſtributivo ſenſu capere oportet, de operibus & verbis, vel omni & ſingulo opere & verbo, intellige quidem Facta ejus quævis pertinentia ad ejus mores, ſed præcipue Miracula Inſolita ſpectantia ad ejus Propheticum Munus à quo denominatus fuit, & perinde ejus Dicta, tum omnia alia in communi vita, tum potiſſimum Prophetica apud populum docendum. Quod minus apte expreſſum puto à *Beza*, vertente, *re ipſa & verbis*, idque exponente, *doctrina totaque vita*. Quæ illi *in* his & forte *per* hæc tribuitur, *potentia*, illa ſuperlative magis quam poſitive capienda, dicit tum virtutem ei competentem, tum efficaciam inde fluentem extra eum. Quæque amplius deſcribitur per illa, ἐναντίον, non jam *contra*, aut *pro*, ſed *coram*, ἐνώπιον, לפני / *Deo*, & *populo omni*, ſeu *toto*, intelligendo de hujus multitudine maxima, tum oppidana tum reliqua per terram Iſraëliticam, in oppoſitione quadam ad plurimos hujus Præfectos Eccleſiaſticos & Politicos de quibus agitur deinde *verſ.* 20. Dicit autem iſta phraſis, recte conferenda cum ὢν δὲ θεῷ καὶ ἀνθρώποις *Luc.* II. 52. vel illum tanquam Prophetam talem egiſſe apud Deum, hunc celebrando & apud hunc intercedendo, & apud populum, hunc inſtruendo & juvando; vel potius illum talem ſe probaſſe in munere hoc, & hinc agnitum eſſe, apud utrumque. Confer quæ *Grotius* habet, omnia tamen haud æque apta; *Quia hic præceſſit* δυνατὸς, *puto* ἐναντίον *non id proprie ſignificare quod putat Theophylactus, & quod poſt Salomonem Paulus nos vult facere,* φρονοῦντες καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον κυρίου ἀλλὰ ἐνώπιον ἀνθρώπων 2 *Cor.* VIII. 21. *ſed potius Teſtimonium ei datum à Deo per opera, quomodo & Petrus Jeſum vocat* ἄνδρα ἀπὸ τοῦ θεοῦ δεδειγμένον δυνάμεσι καὶ τέρασι, *& ab hominibus per fidem habitam ejus ſermoni. Loquendi genus inde natum, quod de iis rebus teſtimonium perhibemus quæ nobis in conſpectu ſunt. Affine eſt illud in Geneſi de Nembrodo,* גבור ציד לפני יהוה / *ut intelligamus eum potentiſſimum fuiſſe bellatorem, nam & Plato & Ariſtoteles bellum Venationi comparant, Deo arma ipſius mirum in modum fortunante, haud dubie ad puniendam eorum populorum inſolentiam qui juſtam libertatem ferre non poterant. Quamquam fateor, non improbabilem mihi videri ad eum locum Joſephi interpretationem, qui* לפני יהוה *ibi exponit* ὡς θεὸν

ὕβριν ἢ καταφρόνησιν τ θεῦ, *quia ſcil. fuerit Nembrodus ingenio violento, & ut Achilles apud Horatium, jura negant ſibi nata; quod genus hominum ut ſupra habuimus* θεὸν ὐ φοβῦνται ἢ ἄνθρωπον ὐκ ἐντρέπονται. *Solet autem illud* לפני *pro materiæ diverſitate modo in bonam modo in malam partem accipi, ut videre eſt eodem libro Gen.* VI. 11. *ubi corruptum dicitur humanum genus* לפני האלהים / *i. ad contemptum atque iram numinis. Quæ obiter afferre viſum ad Moſis verba ab Hebræis Magiſtris varie tractata.* Eſt porro tantum hoc Elogium Chriſto datum à Duobus hiſce Diſcipulis, & quidem *teſte Deo ipſo & approbantibus hominibus*, ut haud lubenter cum ipſo aſſeruerim; *Satis arguere Prophetæ nomen, Cleopam vix tenuiſſe prima Chriſtianiſmi rudimenta, niſi Prophetæ nomen lata ſignificatione accipiamus, ſicut uſurpatur Act.* III. 22. Ubi certe non eſt lata ſed ſtrictiſſima & pleniſſima nominis illius ſignificatio, quod Deus ipſe Meſſiæ tribuit.

Qua non obſtante fuerit ignominioſiſſime habitus à Judæis.

XI. Pro Dignitate tanta Perſonæ neutiquam fuit ipſe ab hominibus tractatus; ὅπως τε, *quomodo*, (quod à *Syro & Arabe omiſſum ſine ullo ſenſus diſpendio aut variatione, non denotat modum quo tradiderunt, ſed ipſam tradendi actionem*, notante de *Dieu*, ut idem valeat cum *quod*,) inquiunt Diſcipuli porro *verſ.* 22. παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς ἢ οἱ ἄρχοντες ἡμῶν εἰς κρίμα θανάτυ, ἢ ἐσταύρωσαν αὐτόν. Sic à populo, licet & ſeductus ille tandem peſſimè concurrerit, tranſitur ad *noſtros*, Judæorum quales & hi erant diſcipuli origine & profeſſione ſua hactenus publica, tum *Pontifices*, ſeu *Sacerdotes primarios*, in Ordine Eccleſiaſtico eximios, tum *Principes*, ſeu viros primarios Politica dignitate, qui communiter Chriſtum non receperant ut Prophetam talem, ſed ei præ populo hoſtiliter ſe oppoſuerant ob rationes varias, *coll. Joh.* VII. 48. 49. 52. μή τις ἐκ τ ἀρχόντων ἐπίστευσεν εἰς αὐτὸν, ἢ τ Φαρισαίων; ἀλλ' ὁ ὄχλος ὗτος, ὁ μὴ γινώσκων τ νόμον, ἐπικατάρατοί εἰσι, &c. ἐρεύνησον, ἢ ἰδὲ, ὅτι προφήτης ἐκ τ Γαλιλαίας ὐκ ἐγήγερται. Atqui hi notantur atro illo carbone, quod *illum*, Jeſum Nazoræum tantum Prophetam, *tradiderint*, proditum captum accuſatum condemnatum & afflictum prius à ſe multis modis, in Romanorum poteſtatem, *ad mortis*, ipſius cujus infligendæ poteſtas ipſis non amplius erat relicta *Joh.* XVIII. 31. *judicium*

*judicium*, seu damnationem judicialem, seu supplicium hanc consequens, *atque* sic *illum*, traditum, *crucifixerint*, seu vilissima probrosissima & acerbissima illa morte affecerint per Romanos secundum horum consuetudinem & ipsorum votum, *coll. Act.* 11. 23. XIII. 28. *&c.* Nisi mavelis forte, sed absque ratione gravi, verbum ultimum ἐσταύρωσαν, impersonaliter positum directe ad Romanos referre. Dum *Grotius* hoc scripsit; *De Senatoribus Synedrii agi, qui injustam sententiam à Pilato expressserunt, coll Matt.* XX. 19. & XXVII. 2. & qui dicantur hinc *effeciſſe ut crucifigeretur*. Quin & *Beza* amplius notavit; *Eos qui tradiderunt eum Pilato noluiſſe in eum inquiri, ſed ut convictum damnari, & quidem Capitali Judicio, Præſide frustra repugnante.* En scelus maximum, commissum in eximium Prophetam à Deo ad populum missum ad ejus salutem; post tot alias cædes ab impiis illis antea patratas, *coll. Matt.* XXIII. 31 — 35. *Luc.* XX. 13. 14. 1 *Cor.* 11. 8. *&c.* de quo erant ipsi jure contristati.

Spes Discipulorum præterita de eodem nunc magnopere vacillans.

XII. Habuerant enim hi Duo Discipuli, cum alia populi ipsum sequentis turba, longe aliam de illo Viro Propheta exspectationem, quam exponentes pergunt *vers.* 21. ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ· ἀλλὰ γε σὺν πᾶσι τούτοις τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον ἀφ' οὗ ταῦτα ἐγένετο. Res dè illo tanto Propheta credita hæc erat, *quod ille eſſet*, is qui *Israëlem*, populum ex illo Patriarcha oriundum, non exclusis tamen sic aliis qui se ei jungerent & hinc sub eodem nomine merito venirent, (nisi Israëlis spiritualis significatum heic latere malueris,) *erat*, seu *liberaturus*, seu *redempturus*, non determinato satis sensu suo de liberationis specie & modo, corporali à Romanorum vi, vel spirituali à peccatis & damnatione promerita, sed communiter quæ promissa erat à Prophetis Veteribus, adeoque quod idem est *Messias* diutissime desideratus ab Israëlitis, qui etiam promissus erat tanquam Propheta maximus *Deut.* XVIII. 15. *&c.* licet alii hunc à Messia etiam distinxisse videantur *Joh.* I. 51. 52. VII. 40. 41. IX. 14. *&c.* Ad quæ *Grotius* notavit; Λυτροῦν *hic est liberare, quomodo & λύτρωσιν ſumi diximus ſupra* II. 68. *& ſæpe apud LXX. Nam rationem liberationis in hoc ſitam, ut ſe daret in pretium mundi, non intellectam ab illis hoc tempore, certissimum*

*eſt*; (id tam audacter vix dicere auſim propter clara Chriſti verba *Matt.* xx. 28. *&c.*) *imo potius regnum terrenum cum animorum emendatione conjunctum exſpectabant. Eſt itaque in his verbis deſcriptio Meſſiæ ex recepta eorum temporum ſententia. Ita ſupra* 11. 25. προσδεχόμενοι παράκλησιν τ῀ Ἰσραήλ. Et de hac ſua & ſociorum aliorum cum ipſis facientium, per Pronomen ἡμεῖς *nos* deſignatorum, fide ipſe loquitur per verbum ἐλπίζειν, *ſperare*; quod cum dicat rei futuræ Exſpectationem, ſive magis ſive minus certam, (uti etiam ipſa Fides ſuas in hominibus credentibus habet gradus varios,) heic adhibetur cum reſpectu ad Eventum, per quem ipſe ὁ μέλλων λυτροῦσθαι, ſeu Liberator ille, ſe actu ipſo talem demonſtraret. Hoc autem dicens in præterito, ἠλπίζομεν, *ſperabamus*, nempe dum viveret & verſaretur nobiscum amiciſſime, prædicans etiam utiliſſima verba; non quidem plane excludit omnem præſentem fidem & ſpem de eo, quando amorem ejus facile depoſuiſſent tanquam ab eo decepti prorſus, attamen veriſſime oſtendit, Exſpectationem ejus antea fuiſſe majorem & nunc longe magis dubiam eſſe redditam. Quo ſenſu non prorſus male notavit *Grotius*; *Vox indicans magnum fidei deliquium, nam quid erat cur non etiamnum ſperarent, niſi quod Dei potentia non ſatis ipſis ob animum verſabatur?* Attamen hoc ut putamus male, quod *non etiamnum ſperarent*, aliquo modo, cum dubii eſſent vere de eventu; & quod de *Dei potentia* non decenter cogitaverint, cum magis Exſpectationis ſuæ vanitatem poſſibilem ex eventu præſenti cogitaſſe videantur. Cur autem minus nunc exſpectarent quam antea, præcipue quidem faciebat dira ſors ipſius Traditi & in mortem dati per Crucem ab ipſis populi Præfectis, antea deſcripta, per quam de Ipſo & de Spe ſua actum plane poterat videri; ſed & σὺν πᾶσι τούτοις, *cum omnibus his*, ſeu *ſuper*, ſeu *præter*, *hæc omnia*, jam enarrata ſcilicet de ipſius Morte & Crucifixione (σὺν pro ἐπὶ πᾶσι apud *Grotium*,) *à quo*, vel *ex quo*, *hæc facta erant*, vel *fuerant* ita, *hodie* τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει. Id *Vulgatus* reddidit, *tertia dies eſt*, quod eſt *nodum non expedire, ſed ſecare potius*, notante *Beza*, *quamvis ſic verterit Syrus Interpres, ut qui fortaſſe legerit* τρίτη ἡμέρα ἐστί, præmittens & frequens illud *ecce*. Ipſe vero ad phraſin illam, *tertium hunc diem agit*, ſcripſit; *Videlicet ille quem ſperaba-*

*rabamus fore Iſraëlis Liberatorem. Quamvis enim duriuſcule hoc dicatur de hoc quem ipſi adhuc mortuum eſſe putabant, tamen multo planior eſt hic ſenſus, & mollior ellipſis, quam ſi cum nonnullis ſubaudias* χρόνος, *i. e. tempus. Deinde etiam hac ratione hoc poteſt excuſari, quod ab eo dicatur qui ambigat num reſurrexerit, & in eam quoque ſententiam videatur nonnihil propendere, ut ex ſequentibus apparet.* Prout ipſe heic habet *Eraſmus, ſubaudiri ille, aut tempus.* Dum apud *Schmidium* lego; Ἄγειν ἡμέραν *eodem modo Græcis dicitur, quo Latinis Diem agere, ut* ἄγειν ἡμέραν γενέθλιον. *At hoc loco alius ſenſus eſt &c. Verbum* ἄγει *Beza ad Jeſum referri cenſet, licet duriuſcule ad mortuum, uti eum adhuc hi Diſcipuli putabant. Camerarius ſubintelligt,* ὁ χρόνος, ἐλλειπτικῶς, *quod tamen Bezæ diſplicet, ſed ſine cauſa, quandoquidem in verbis exemptæ ubi vocantur actionis varii Nominativi ſubintelligi ſolent, v. g.* ὁ θεός, ὁ ὄφρανὸς, ὁ ἥλιος, *& ſimiles. Nec male hoc loco* ὁ θεὸς *ſubintelligi poſſet, ſicut ad alia verba exemptæ actionis verſ. 9.* νίφει *ningit,* βρέχει *pluit, ſcil.* ὁ θεὸς. *Sic & Heſiodus* β. ἔργ. 183. *de ſuo Jove fictitio loquitur,* ἐὺτ' ἂν ἐξήκοντα ἐκτελέσῃ ζεὺς ἔτεα. *Quidni & hic Græcæ linguæ conſonum eſſet* τρίτην ταύτην ἡμέραν ὁ θεὸς ἄγει σήμερον? *Poſſet tamen etiam ſubaudiri* ὁ ὄφρανὸς, *vel* ὁ ἥλιος. *Quin & ita verba ordinari poſſent,* ταῦτα, ἀφ' ὅ ἐγένετο, ἄγει, *pro* ἄγεσι, σήμερον τρίτην ταύτην ἡμέραν. Sed præ iſtis omnibus multum placet ſententia *Grotii; Activum imperſonaliter ſumptum, pro paſſivo, ut ſæpe. Senſus enim eſt, agitur jam dies tertia, ut apud Terentium, menſis hic jam agitur ſeptimus. Nec aliter aut legit aut interpretatus eſt tum Syrus tum Arabs. Eorum vero interpretationem probare non poſſum qui* ἄγει *ad Jeſum referunt; nam adhuc loquuntur hi duo, quaſi qui de ejus reſurrectione nihil ſperarent, tantum in ſequentibus verbis aliquid adferunt conjecturæ, ſed cui ſe parum confidere oſtendunt, quo nomine graviter reprehenduntur.* Et ſic *ſatis Græcè dictum* hoc eſſe, laudato *Plutarcho, Luciano,* & *Achille Tatio*, notavit *Pricæus*, qui tamen ſubintelligi vult ὁ χρόνος. Sed quid ſibi volunt hi duo per illam *Tertii Dei* mentionem? Ubi mihi quidem id levius eſt, quod *Doct. Ligtfootus* laudat *Magiſtros*, de *Die Tertio* multa conglomerantes ex Scriptura ex *Gen.* XXII. 4. XLII. 18. *Exod.* XIX. 16. *Joſ.* II. 16. *Ezr.* VIII. 15. *Eſt.* V. 1. *Hoſ.*

vi. 2. *Jac.* 1. 17. addens, *erat & dies iſte, de quo nobis jam ſermo, Dies Tertius Paſchatis*, & tum ſubjiciens; *Si hæc notarentur de Die Tertio tunc temporis in Scholis & Synagogis, quod neſcio quare negetur, eo nutare poſſunt hæc verba Cleophæ, ut loquentis ſecundum vulgarem gentis conceptum. Nam cum planum ſatis fuiſſet dixiſſe,* τρίτην ἡμέραν ἄγει σήμερον, *ille autem addat,* σὺν πᾶσι τούτοις, *& vocem* ταύτην, *videtur vis aliqua eſſe in iſto additamento, atque emphaſis aliqua in iſto vocabulo; ac ſi hoc vellet, Jeſus ille fuit magnus opere & verbo, & talem ſe præbuit, ut de eo conciperemus quod Meſſias eſſet redempturus Iſraëlem. Et præter hæc omnia, quæ ei tali atteſtantur, atteſtatur etiam ipſe hic dies: nam cum de Die Tertio celeberrima ſit apud nos obſervatio, hic eſt Dies Tertius, ex quo ille eſt Cruciſixus. Atque hodie dicunt quædam fœminæ apud nos, quod ab Angelis iis dictum eſt quod reſurrexit.* Neque enim cum ſequentibus, ſed cum antecedentibus hæc manifeſte cohærent, & pertinent ad cauſam vel occaſionem minus ſperandi de Jeſu. Unde prorſus exiſtimo, quod in *Tertio Die* ſpectent hi duo ad promiſſa de eo facta à Jeſu, quæ nondum videbant impleta, dum jam Dies ipſe lucidus poſt obſcurum ad finem vergebat, *coll. verſ.* 28. 29. Quaſi dicerent, non tantum ille occiſus eſt præfectorum noſtrorum malignitate, ſed & Tertius dudum agitur, quin ad finem vergit, Dies, quo & de quo ob ipſius promiſſa adhuc aliquid ſperare licebat & decebat; ut nunc tantum non ſuccumbamus. Dum *merito illis dici potuiſſe*, monuit *Grotius, quod à Spurinna Cæſari, venit dies, non abiit.* En candidam profeſſionem, tum fidei & ſpei, quam habuerant, tum infirmitatis maximæ, cui nunc ſubjiciebantur. Qualem ſi & experiantur alii pii & credentes, nihil ipſis peregrini quidem contingit, ſed quod ſuperare conentur Divina gratia, neque nimium diſſimulent apud Dominum & pios ut ſuperent adjuti ab aliis.

Nova quæ Diſcipulis ſupervenerat Anxietas ex Mulierum relatione.

XIII. Incertæ commotionis vero ſibi novam magnamque rationem addunt hi Duo obveniſſe, per ea quæ *à Mulieribus & Diſcipulis* aliis duobus perceperant *verſ.* 22–24. Ἀλλὰ καὶ γυναῖκές τινες ἐξ ἡμῶν ἐξέστησαν ἡμᾶς, γενόμεναι ὄρθριαι ἐπὶ τὸ μνημεῖον. Καὶ μὴ εὑροῦσαι τὸ σῶμα αὐτοῦ, ἦλθον λέγουσαι, καὶ ὀπτασίαν ἀγγέλων ἑωρακέναι οἳ λέγουσιν αὐτὸν ζῆν. Καὶ ἀπῆλθόν τινες τῶν σὺν

τῶν σὺν ἡμῖν &c. Uti in re gesta ipsa præcesserant *Mulieres quædam*, de quibus actum hinc *Cap VI.* ita & in Narratione. Quæ rectius intelliguntur heic dictæ *ex nobis*, seu ex communione & societate nostra Jesum hunc secuta in oppositione ad quasvis alias notas & ignotas, *coll. vers.* 24. 1 *Joh.* 11. 19. unde *Vulgatus* substituit *ex nostris*, *eleganter* secundum *Bezæ* judicium; quam ut voces illæ *ex nobis* ad sequentia verba ἐξέστησαν ἡμᾶς, trahantur, q. d. *à nobis nos alienarunt*, *id est de statu mentis nos dejecerunt*, quo modo *Budæum male vertisse* notat idem *Beza*, nec non *Pricæus*. Istæ scil. *ad monumentum*, Christi sepulchrale, *fuerant*, illuc profectæ, *matutinæ*, seu mane alto surgentes, adeoque mane, *re temporis ad personam translata*, uti ad illud *Virgilii*, *Æneas se matutinus agebat*, notavit *Servius*; *ante lucem* apud *Vulgatum*, *diluculo* apud *Bezam*, &c. Atque istæ inde reversæ ad nos, seu societatem nostram, *nos* ἐξέστησαν, *terruerunt* apud *Vulgatum*, *perculerunt* apud *Bezam*, *obstupefecerunt*, vel *attonitos reddiderunt*, apud alios. De quo verbo *Pricæus*, ἐκστῆναι *sæpius quidem his in libris* αὐτοπαθῶς *ponitur*, *nec minus tamen imo fortasse magis Græcè hoc loco*, *ut & Act.* VIII. 9. *transitive effertur*, laudato mox *Demosthene*, *Arriano*, *& Athenæo*, & addita levi quadam correctione *Hesychii*. Dum ad rem ipsam habet *Grotius*; ἐκστῆναι *apud Aristotelem in Rhetoricis Cicero vertit ad admirationem traducere*, *sed videtur hic de tali agi admiratione*, *quæ homines judicii ambiguos reddat*, *quomodo* ἐξίστασθαι καὶ διαπορεῖν *conjunxit Lucas Act.* 11. 12. Atque id satis certum est, non levem admirationem heic per illud verbum notari, sed stuporem magnum & incertum inter spem & metum, gaudiumque & mœrorem, quem Mulieres hæ in Discipulorum societate operatæ erant sua relatione. Ab una enim parte *illius*, Christi occisi, *corpus*, quod quærebant in sepulchro, *non invenerunt* illic, ex voto suo, post justam quoque inquisitionem. Quod signum videtur Ablationis furtivæ, per quam nihil amplius de illo licet exspectare nobis, ne hoc quidem ut officio in ejus cadavere honeste curando defungamur nostro. Sed & ipsæ ad nos *venerunt*, simul *dicentes* ad nos, quod *Angelorum*, seu cœlestium & sanctorum nunciorum Dei, *Visionem*, extraordinarium, non mentalem sed corporalem, seu *apparitionem* apud *Bezam*, *coll. Luc.* 1. 22. *Act.*

XXVI.

XXVI. 19. 2 *Cor.* XII. 1. *viderint*, vere procul vana perſuaſione ſua aut deceptione qualicunque humana; & quidem ad aures earum *dicentium* læte, *illum*, quæſitum Jeſum, *vivere*, non modo ſpiritualiter ſed & corporaliter, ſeu vitam recepiſſe per animam corpori reſtitutam modo, quæ ſit cauſa quod in ſepulchro non deprehendatur amplius. Quod indicium videtur ab altera parte Potentiæ ejus Divinæ, & fidei atque ſalutis nobis præſtandæ ab eo; ut nihil non ab ipſo exſpectare queamus, ſi hoc credere liceat tuto. Atque in iſto quidem ſtupore noſtro incerto, *eorum qui nobiscum*, ſeu ad ſocietatem noſtram pertinentium, *ex noſtris* apud *Vulgatum*, & hinc ſimul forte præſentium hoc Die Tertio quem Jeſus deſignaverat, *quidam*, in numero plurali ſed indeterminato, ipſi quoque *ad monumentum*, idem quod adierant Mulieres, *abierunt*, ſponte ſua magis quam aliorum legatione, qui, ſecundum illorum nobis cognitorum fidum teſtimonium, εὗρον οὕτω ὡς καὶ αἱ γυναῖκες εἶπον, αὐτὸν δὲ οὐκ εἶδον, *ita invenerunt ſicut mulieres dixerant*, *ipſum vero non invenerunt*, apud *Vulgatum*, *ita invenerunt prout mulieres dixerant*, *ipſum vero non viderunt*, apud *Bezam*. Ita ſcil. ut Mulieres dixerant, hi quoque invenerunt Sepulchrum vacuum, in quo nullum Chriſti corpus jacebat; ſi non ſimul Viſionem aliquam Angelorum, erudientium de Chriſti Redivivi Statu præſenti. Interim *illum*, quæſitum Jeſum, *non invenerunt*, ſive in ſepulchro mortuum adhuc, ſive etiam redivivum. Unde in nobis incertitudo prior aucta potius, quam imminuta aut ſublata fuit. Quæ narratio ſatis plena, atque in ſumma rei ſatis conveniens eſt illis quæ Euangeliſtæ ipſi de re iſta reliquerunt; attamen in quibuſdam partibus dubii aliquid parere apta eſt. In eo ſcilicet; non quod generalius videantur loqui de τισὶ, *quibuſdam*, ex Diſcipulis, cum ad aptitudinem hujus locutionis ſufficiant Duo præcipui, Petrus & Johannes, ab Euangeliſta hoc nominati, cum tamen & alii accurrere potuerint; ſed quod non niſi *Viſionis Angelicæ* apud Mulieres fiat mentio, quibus tamen & Jeſus ipſe apparuit ad oculos & aures; quodque nec Diſcipuli illi Duo dicantur *Jeſum vidiſſe*, imo contrarium de illis feratur, quod eum *non viderint*, cum tamen Jeſus *Cephæ viſus ſit* ſecundum Paulum, atque Diſcipuli communiter ad Emmaunticos redeun-

deuntes dixerint ex narratione *Lucæ* ipſius ſequente, *Dominus vere reſurrexit & viſus eſt Simoni.* Quod omne dubium paucis tolli poteſt, obſervando; hanc Cleopæ & Socii narrationem videri ſpectare ad Mulierum quæ citius accurrerant Reditum priorem, quando Jeſum hæ necdum viderant, quod ſerius Magdalenæ & pluribus forte contigit; idem dicendum de Diſcipulis, quorum & omnium ſors non fuit plane æqualis cum illa Petri, de quo ipſo quando viderit Dominum, hactenus non niſi per probabilem conjecturam conſtat; tandem hoſce Diſcipulos, Duos, locutos pro ſua notitia, quæ in omnibus haud æque plena eſſe potuit, indubie abfuiſſe ab aliis, cum à Mulieribus ipſis nunciaretur, quod Dominum ipſum vidiſſent Redivivum, unde ſibi minus notam rem tradere non potuerunt, eam tamen ſic non negantes. Iſto autem modo, ut hoc adhuc addam, locuturos fuiſſe hos Duos Diſcipulos de *quibuſdam eorum qui nobiſcum*, & de horum tantum non deficiente adhuc ſpe unde σκυθρωπασμὸς, mihi nequaquam ſit veriſimile; ſi unus eorum fuerit Petrus, qui citiſſime ipſe tanto cum zelo ad Sepulchrum excurrerat, & poſt idem perſpectum cum *admiratione* magna abierat, non abſque *fide* quæ Johanni palam tribuitur *Joh.* xx. 8. *Luc.* xxiv. 12. quin & cui Viſionem ipſius Jeſu Redivivi eſſe à Mulieribus annunciatam modo ſatis plene & plane, ſecundum mandatum illis de *Apoſtolis* & de *Petro* nominatim datum, nulla eſt dubitandi ratio, ex *Marc.* xvi. 7. 10. 11. *Joh.* xx. 18. *&c.*

Sermo Chriſti ad Diſcipulos Redargutorius, de Inſcitia & Tarditate Credendi.

XIV. Qui in Colloquio hoc cum Diſcipulis Duobus præiverat Jeſus, idem illud claudit tandem ſermone vere Doctorali, & ut tali ab ipſis ſpectato; per quem veriſimile equidem fit valde, quod conjecit *Ligtfootus*, Jeſum *non in plebeji alicujus forma, quin potius Scholaris*, conſpicuum ſe præbuiſſe, *cum eos erudiat in via*, æque quam *gratias pro iis agit ad menſam. Dixit* enim *ille ad eos*, ſine ulteriori interrogatione, quæ ſcire & attendere debebant; primum acriter *redarguens verſ.* 25. deinde fideliter *erudiens*, tum *ſuis verbis verſ.* 26. tum & collatis *Propheticis*, quæ decenter ſimul expoſuit. Quem enim antea cum indignatione illi allocuti erant, id non merentem & tamen ferentem manſuetiſſimè, ille viciſſim illos merentes ſed non exſpectantes, redarguit ſevere; ὦ ἀνόητοι καὶ

βραδεῖς τῇ καρδίᾳ τοῦ πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐλάλησαν οἱ προφῆται.
Sic taxantur illi ob duplex vitium, quod convicio duplici designatur. Unum est Insciția, respectu actus simul ac facultatis intelligendi, notata per nomen ἀνοήτων, etiam lectum *Gal.* III. 1. 3. *&c.* quod per *stultos* reddidit *Vulgatus*, & per *amentes* noster *Beza*, *&c.* & revera dicit homines quasi mentis expertes, ut nec intelligant nec intelligere queant quæ scire oportet; qualis conditio indubie habet suos gradus varios in hominibus variis, in his ad literam, in illis ad sensum spectans, neque heic absolute capienda est, sed relate ad argumentum de quo agitur, & comparate cum eo quod ipsos decebat. Alterum est Incredulitas, designata per *cordis*, seu mentis tanquam interioris sic dici communiter solitæ, *tarditatem*, duritiem vel difficultatem vel gravitatem nimiam, *ad credendum*, non jam hominibus, sed Deo, cujus verba sunt omni fide digna, & ad credendum data hominibus simul cum vero eorum Sensu. Quæ Tarditas potest esse juncta cum Insciția, & se prodit quoque in hac fovenda, contra omnes institutiones & monitiones salutares; sed & quæ cum Scientia potest consistere, ubi per illam inflatus homo spernit Divinam sapientiam, nec vult quidquam admittere tanquam verum, quod ipse aut nullatenus aut difficulter capit, aut quod ille etiam ipse quandoque non excogitavit, ne alter præ ipso sapere videatur. Nos credimus, Vitia hæc Duo magna in Discipulis ita fuisse conjuncta, ut tamen in uno præ altero singuli esset culpabiles, nec laudari mererentur ex officio aut voto nisi utrique simul renunciarent. De Tarditate credendi conferre licet *Doct. Pricæum*, & quæ hic ex Græcis & Latinis collegit ad eam. Dum nos pergimus ad voces additas ἐπὶ πᾶσιν οἷς (Attice pro ἃ,) ἐλάλησαν οἱ προφῆται. In quibus *omnia quæ*, non Jesus uti citatur à *Tertulliano Lib. IV. c. Marc. Cap.* 43. sed *Prophetæ*, veteres & agnitæ Divinæ autoritatis apud Judæos, *locuti sunt*, ex Dei jussu, ore quidem sed & calamo, 2 *Petr.* I. 21. *Act.* II. 31. III. 24. XXV. 22. *Jac.* V. 10. *&c.* & spectant potissimum ad Christum, de quo præcipue sunt vaticinati; ita ut *omnia* nos ducant ad dictorum talium multitudinem notabilem & varietatem, atque simul ad eorundem partes, de ejus Passionibus, & Gloria, sic satis distinctas, ut tamen essent conjunctæ

junctæ & junctim credi deberent; ſive heic redarguantur quod non crederent ulla horum, ſive quod non amplecterentur unum cum alio, *coll. verſ.* 26. In quam rem monuit *Grotius* recte; intelligi *non ea tantum quæ gloriam ſed & quæ perpeſſiones Meſſiæ ſpectant*, nec *debere noſtri eſſe arbitrii excerpere ex ſacris Literis quid maxime placeat.* Qui illic ſimul habet aliquid non indignum notatu; *Tertullianus adverſus Marcionem diſputans aliter hunc locum citat, ὁ inſenſati & tardi corde in non credendo omnibus quæ locutus eſt ad vos, Jeſus ſcilicet: ſed ſciendum ita citari ab ipſo hunc locum κ' συγχώρησιν, non ex recepto ſed ex Marcionis Euangelio, quod & Libri concluſio oſtendit, miſereor inquit tui Marcio, fruſtra laboraſti, Chriſtus enim Jeſus in Euangelio tuo meus eſt. Marcionis autem Editionem ita ut diximus hoc loco habuiſſe ex Epiphanio colligitur. Quod eo dico, ne quis ob has aut ſimiles Tertulliani citationes, plures enim occurrunt, receptæ lectioni ſtatus controverſiam moveat.* Quod etiam monuiſſe video *Joan. Millium.* Sed de Præpoſitione ἐπὶ hæc legò apud *Schmidium*; Πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν *non eſt ſimpliciter credere omnibus, ſed præter, ultra, & poſt omnia, illa quæ Prophetæ loquuti ſunt, q. d. præterquam quod prædicta à Prophetis hæc omnia ſcitis, & jam rem evenisſe ex mulieribus audiviſtis, tamen non creditis, quantumvis nec eventus careat prædictione, nec prædictio eventu. Nam Præpoſitio ἐπὶ Caſu Sexto συντεταγμένη hanc ſignificationem aliquando habet.* Sed ſic Incredulitas heic redargueretur magis adverſus Mulieres, quam adverſus Prophetas. Unde longe ſimplicius eſt, ipſum objectum fidei per præpoſitionem illam deſignari, uti & agnovit *Grotius*, ſcribens; *ſi de ipſius fide dubitatis, certe de Prophetarum fide non erat quod dubitaretis, neque tam ſupinos vos eſſe oportuit, ut non attente conſideraretis eorum vaticinia.* Nec quiſquam dubitet de illo uſu præpoſitionis hujus, qui ex varia conſtructione Hebræi תמן fluxit; *Piſcatore* hinc nominante ἑτέρωσιν *Hebraicam, qualis in illo Exod.* XIV. 31. *crediderunt in Domino & in Moſe &c.* Nec male referas hanc Præpoſitionem cum iis quæ ſequuntur, tam ad Inſcitiam præmiſſam, quam ad Incredulitatem additam. Ita etiam ut hæc vitia non ſpectent adeo ad Literam quam ad Senſum verum vaticiniorum Propheticorum. Non tantum vero Nomina il-

la Adjectiva Duo heic uſurpat Jeſus, tum de Duobus his, tum de aliis quos hi ſecum ſociabant, ſed & per ea ipſos compellat, cum Interjectione empatica Ὦ, *O*, ut ea ipſis tanto potentius inſinuaret, & ſimul monſtraret ſuam Admirationem juſtam, & illorum Conditionem deplorabilem, ſi non ad meliora ſe converterent moniti etiamnum. Tantum vero differt, conviciari ex ira vel odio vel vindicta hoſtili, quod tantopere damnans Dominus ipſe neutiquam egit, *coll. Matt.* v. 22. 1 *Pet.* II. 23. III. 9. *&c.* atque conviciari ex affectu ob vitium non toleratum in fratre *Lev.* XIX. 17. 1 *Tim.* v. 20. *Tit.* I. 13. II. 15. *&c.* quod eſt ſæpe neceſſarium ad Domini gloriam & ad hominis convictionem ac converſionem ſalutarem *Pſal.* CXLI. 5. *&c.* hinc & à Domino factum ſeveriſſime adverſus ipſum Petrum *Matt.* XVII. 23. ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, σκάνδαλόν μου εἶ, ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. Et hinc optime *Grotius* heic dixit; *Non ergo Matt.* v. 22. *voces tales prohibentur, ſed vetatur iracundia vocem talem imprudenter ejaculans. Adeo verum eſt animo facta diſcerni. Eſt ubi audientium utilitas aceti aliquid expoſcit. Crudelem Medicum intemperans æger facit.* Et ſunt vere in piis etiam & fidelibus heic illæ inſcitiæ & incredulitatis reliquiæ, quæ & correctionem ſeveriorem poſtulant, *coll. Matt.* XXVI. 40. 41. *&c.*

Sermo ejuſdem Eruditionem, de Paſſionum Meſſiæ Neceſſitate, ut Gloriam obtineret propoſitam.

XV. Ad Redargutorum ita Diſcipulorum Duorum *Eruditionem* ex oppoſito neceſſariam faciunt illa Chriſti ipſius *verſ.* 26. οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ; *nonne hæc oportuit pati Chriſtum & introire in gloriam ſuam?* ubi *Vulgatus* habet, *ita intrare.* In quibus *Chriſtus* non tam dicit determinatam perſonam Jeſu, de qua dixerant hi Diſcipuli *verſ.* 19. 20. *&c.* quam Meſſiam communius, de quo locuti erant Prophetæ, Unctum in Mediatorem unicum ab æterno, & deſignatum in tempore, & ungendum in temporis plenitudine per varios gradus. De quo *duo* per interrogationem iſtam negativam aſſeruntur validiſſime, unum *antecedens* & alterum *conſequens.* In *uno* memorantur *illa*, quæ ad ejus paſſionem ſpectabant mala, & maxime traditio per Pontifices & Præfectos populi ad Mortis damnationem & Crucifixionem *verſ.* 20. & horum *paſſio*, ſive ſubitio dolorifica quidem ſed & lubens ac manſueta, abſque reluctatione aut conviciatione indecenti.

Quam

Quam *oportuiſſe*, ſeu *decuiſſe* etiam, inculcat Jeſus. Non ſic ſpectans ad aliquam Coactionem, quæ nullum in Meſſia locum reperiret tanquam obſequentiſſimo & juſtiſſimo Dei Servo, ſed ad Eventum certum utilem & neceſſarium in bonum populi ſui electi. Fluentem quidem omnino ex Dei æterno & prorſus immutabili Decreto, *coll. Act.* II. 23. IV. 27. 28. I *Pet.* I. 20. *&c.* quin etiam ex ejuſdem Sanctitate & connexa huic Juſtitia Vindicativa, quæ ſalutem peccatorum non admittebat ſine ſui exercitio & demonſtratione adverſus illorum Sponſorem, *coll. Hebr.* IX. 22. *Rom.* III. 25. 26. *&c.* ſed heic deductum præcipue ex Juſtitiæ huic & Decreto convenientibus Vaticiniis, Verbalibus & Realibus, quæ non poterant fallere, ſed & decebat ad Dei gloriam ut implerentur, *coll. Matt.* XXVI. 54. 56. *&c.* & quæ hinc Jeſus conſequenter exponit *verſ.* 27. Erantque hæc Vaticinia tam multa & clara attendentibus, ut hinc rogari poſſent cum neceſſario aſſenſu, *annon* hæc ita ſe haberent? Quo ipſo agnoſcere ſimul debebant ſuam Inſcitiam & Incredulitatem, offenſi in fide ſua & ſpe per Mortem & Crucifixionem ejus de quo aliam plane exſpectationem habuerant. In *altero* Conſequenti prædicato occurrit *ſua*, ſeu *ejus*, Chriſti promiſſi ſed & per connexionem neceſſariam populi ipſius, *gloria*, ipſi conveniens, ipſi deſtinata, ipſique promiſſa ſecundum meritum digniſſimum, per quam ipſe erat futurus Rex glorioſus populi redempti per Orbem totum, & exaltandus in cœlis ad Patris dextram ſupra omne nomen aliud glorioſiſſimum in cœlo & in terra, quod nominaretur in hoc ſeculo & futuro, ut talis etiam noviſſime demonſtrandus ad omnem oculum inimicorum juxta amicos, quando nempe ille aderit ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, ἧ πάντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ, *ſeſſurus in throno gloriæ ſuæ Matt.* XXV. 31. *&c.* Et in hanc gloriam adſcribitur ipſi *Introitus*, ad illius acquiſitionem primam & continuandam quin & promovendam poſſeſſionem actualem, in cœlo pariter & in terra, *coll. Matt.* XXVIII. 18. *&c.* ad quam & τὸ δέξασθαι τὸν οὐρανὸν *Act.* III. 21. refert *Schmidius.* Quæ introitio æque juxta paſſionem Lubens, abſque coactione Meſſiæ, ſed & æque Neceſſaria, vi Divinæ Voluntatis, & Sanctiſſimæ Bonitatis, quin & Prophetiæ infallibilis multiplicis per verba & typos. Unde hue,

vi copulæ καὶ, &, pertinet etiam illud ἔδει, *oportebat*, vel *decebat*; idque interrogative propoſitum, *annon?* quod arguit clariſſima Prophetarum teſtimonia, quæ eludere non liceret. An vero ſola eſt iſta conjunctio *Gloriæ* cum *Paſſionibus*, quæ heic notatur? Id vix putem, ſed potius ſubintelligendum eſſe aliquod amplius ſupplementum, annon oportuit eum *poſt* paſſiones præcedentes, *deinde*, ingredi in gloriam ſuam? vel *per* eas, tanquam viam illuc ducentes, uti etiam alio tamen modo διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ *Act.* XIV. 22. per anguſta ſic ſcandentes ad auguſta; vel denique *propter* eas toleratas, per modum mercedis ipſi propoſitæ juſtiſſimæ, quem & nos in eo imitemur, licet merces nobis per gratiam immeritam ſit tribuenda, *coll. Hebr.* XII. 1. 2. τοιγαροῦν καὶ ἡμεῖς, τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων, ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα· ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν, ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρὸν, αἰσχύνης καταφρονήσας, ἐν δεξιᾷ τε τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ κεκάθικε. Sic vero non tantum à ſcandalo omni per paſſiones illi Duo avocantur, ubi cum tanta gloria in æternum erant commutandæ hæ quantocyus; ſed & ad fidem Reſurrectionis certam impellendi, abſque qua de tanta Meſſiæ gloria nihil fieri poterat, & quæ ejus erat Gradus primus quidem ſed & magnus ac manifeſtus omnino, *coll. Act.* II. 24. 32. 33. III. 26. X. 40. XIII. 36. 37. XVII. 31. *&c.*

Ejuſque rei Aſſertio ex Moſe & Prophetis omnibus, quam Lucas ei tribuit.

XVI. Cum vero Jeſus non eſſet Duobus his Diſcipulis etiamnum notus, mirum non eſt, ipſum id heic agere, quod & alias ei agnito à ſuis familiare ſatis fuit, ut dicta ſua illis Prophetarum Veterum confirmaret, *coll. Joh.* V. 39. *Luc.* XXIV. 46. *&c.* Sic enim pergit modo *Lucas* narrare de Jeſu Diſcipulos ſuos Erudiente, *verſ.* 27. καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν προφητῶν, διηρμήνευεν αὐτοῖς ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ ἑαυτοῦ. Prodit ſcilicet heic *Moſes*, primus & maximus Propheta tantopere à Judæis celebratus, & prodeunt ſimul *Prophetæ*, poſt eum *omnes*, priores & poſteriores, majores & minores, ſed qui nobis *Scripturas* reliquerunt, *omnes* illas in Canonem Judæis datas. Et illi ipſi ita metonymice de ipſorum Scriptis intelliguntur indubie; ut vocula *omnes* non debeat ni-

nimium vexari, ſed ad illorum multitudinem abſque diſcrimine ſpectet, magis quam ad abſolutam univerſitatem abſque ulla vel minimi ſcripti excluſione, quod cæteroquin nimis forte duriter in argumento ſuo ad Meſſiam trahatur, præterquam quod temporis ſpatium omnium plane & ſingulorum tractationem non permiſerit. Ut jam non dicam de facta ſic Scripturarum Veterum Diviſione apta, poſtea quidem *verſ.* 44. in tres partes, *Moſen Prophetas & Pſalmos*, heic autem in Duas, ad quam & alias ducimur *Luc.* XVI. 29. 31. *&c.* forte etiam per illud *Jeſ.* VIII. 20. ad *Legem & ad Teſtimonium*, quod alias illuſtravimns *EXERC. TEXT. XXIII. Parte III.* Prodeunt vero ſimul in *Moſe & Prophetis omnibus*, ſeu *Scripturis* horum *omnibus*, quam maxime τὰ περὶ ἑαυτῦ, *quæ de ſe*, vel *ipſo*, Jeſu loquente ejuſque Paſſionibus & Gloria, ſeu *ſcripta erant*, uti ſupplevit *Beza*, ſeu *prædicebantur*, *præfigurabantur*, ſeu tradebantur in illis comprehenſa, ſeu *erant* ſimpliciter apud *Vulgatum*. Quæ & qualia erant longe plurima, nec facile enumeranda abſque omiſſione multa; cum argumentum Scripturarum principale conſtituerent, *coll. Joh.* V. 39. 46. ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ *&c.* εἰ γὰρ ἐπιστεύετε μωσῆ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί, περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν *&c.* *Act.* X. 43. τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν *&c.* 1 *Pet.* I. 10. 11. περὶ ἧς σωτηρίας ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρεύνησαν προφῆται, οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες, ἐρευνῶντες εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, *&c.* Quid jam agit Chriſtus circa hos ſcriptores, & has Scripturas? *Ab* illis *exorſus*, ἀρξάμενος, *interpretabatur* ad ſe ſpectantia, διερμήνευε. Ubi quomodo dicatur non tantum *à Moſe*, ſed & *à Prophetis*, imo his *omnibus*, eſſe *exorſus*, repetita etiam Præpoſitione, quod vix fieri potuiſſe primo intuitu videatur, nos olim monſtravimus clare ſatis, *EXERC. TEXT. XXXIII. Parte I.* Rejecta iſthac *Jac. Cappelli* opinione, quod ἀρξάμενος referatur ad *primam & ſecundam Canonis Judaici partem*, *ut in tertia*, ſeu כתובים Hagiographis *deſineret*; ſi non lubeat heic laudare potius Grammaticum Canonem & ipſius *Glaſſii*, de *Verbo Incipiendi Actionis verbo connexo ipſam Actionem exprimente*, qui dubium ex præpoſitione

ne repetita natum non tollit heic. Quin & rejectis aliis Conjecturis nonnullis; de ἀπὸ notante heic non *ab*, ſed *de*, de verbis illis *à Moſe & ab omnibus Prophetis* referendis, non ad verbum *exorſus*, ſed ad *de ſe* ſcripta, nec non de initio facto *à Moſe & ab omnibus Prophetis* per horum commendationem & laudes antecedenter dictas. Dum nempe nobis longe magis placuit exorſum dici Jeſum *à Moſe & ab omnibus Prophetis*, quod horum verba ſucceſſive adduxerit primum, deinde & ſucceſſive ad ſingulorum *interpretationem* progreſſus, quo pacto initium ſermonum Chriſti & finem heic ſimul eleganter expreſſum deprehendimus. Nihil enim aliud eſt *interpretatio*, quam declaratio realis eorum quæ de ipſo in Moſe & Prophetis, ſeu Scripturis omnibus, occurrebant, tanquam vere præcipuum eorum argumentum, quæque ad ipſum pertinere tam mala priora quam bona poſteriora oſtendebat. In quam rem conferre decet textus *Neh.* VIII. 9. *legerunt in Libro, in Lege Dei explanate & dando intellectum, & interpretati ſunt in legendo*, *Luc.* IV. 20. 21. *complicatum Librum reddidit Miniſtro, & cæpit dicere ad eos, hodie impleta eſt Scriptura hæc in auribus veſtris*, *Act.* VIII. 35. *& exorſus à Scriptura hac euangelizavit illi Jeſum.* En fundamentum Chriſtianæ fidei primum & antiquiſſimum adhuc ſub Novo Teſt. durans in Scriptis Veteris Teſt. En Explicationem jungendam cum Lectione Scripturarum, ad optatum ex his uſum, non ob harum obſcuritatem nimiam, ſed inſcitiam & tarditatem hominum! En denique fidum etiamnum & magnum Prophetam poſt mortem & vitam receptam, non quidem apud mundum reliquum, ſed apud ſuos quos conſtanti amore amplectitur! Et felices præ aliis hi Duo, qui hac inſtitutione Domini tam cito & late fruuntur!

Jeſu προσποιήσις ulterius eundi, cum prope Emmauntem veniſſet cum Diſcipulis.

XVII. Non ſumit adhuc finem Gratia Jeſu Incogniti, quæ Duobus his ambulantibus contigit, ſed & accedit ejus *Amica* apud ipſos *Retentio* poſt Itionem *verſ.* 28. 29. dum in *Appropinquatione ad vicum* ille apparenter ipſos *relicturus*, ſed *rogatus* ut cum ipſis *diverteret*, hoc omnino *agit*. Scilicet *ad vicum quorſum ibant*, tam pie & feliciter audientes docentem Jeſum, ſeu Emmauntem *coll. verſ.* 13. dum de alio loco temere heic cogitetur, *appropinquarunt*, ſimul cum Jeſu; *læti atque ala-*

*alacres*, inquit *Grotius*, *nam comes jucundus in via pro vehiculo est, & ut mox ipsi fatentur, cæperat in ipsis resuscitari prope exstinctus ignis fidei.* Heic vero cum esset Terminus Itionis Discipulorum, perrecturus ultra non tam præsumebatur, quam videbatur, Jesus ad tempus factus comes, de quo hinc habet textus, ἠ αὐτὸς προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι. Quæ *Vulgatus* vertit, *& ipse se finxit longius ire*, dum *Beza* cum aliis utitur verbo *simulandi*, atque *Syrus* latius habet, *ipse faciebat eos cogitare, quod ad locum longinquum proficisceretur.* Difficultas hinc nascitur Interpretibus haud levis, quo modo hoc Jesu factum sit capiendum, ut ab indecenti simulatione ipse veracissimus liber præstari queat, deinde sapientissime egisse facile inveniendus; sive jam προσποίησις hæc Christi statuatur fuisse verbalis, sive etiam realis per externos gestus aut facta qualiacunque. Dum προσποίησις, de qua voce etiam diximus ad *Joh.* VIII. 7. *EXERC. TEXT. XXXVIII. Parte V.* omnino heic denotare per contextum sequentem de Coactione videtur *simulationem*, sive *fictionem* aliquam, non modo materialem, sed & formalem, seu jam dictionem seu actionem, ex qua ut aliud Discipuli colligerent quam quod revera sibi proposuerat Dominus hic voluerit. Unde vix plene satisfaciunt, qui vel absolute prius volunt hoc fuisse propositum Jesu, ut iter suum ulterius vere promoveret, sed à quo per Discipulos fuerit avocatus, vel illud faciunt potius conditionatum, nisi à Discipulis retineretur. Qualia etiam cogitata non tacuit, nec valde improbavit, tandem *Grotius*; *Illud insuper cogitandum relinquo lectoribus, an, cum* προσποιεῖσθαι *Græcis sit præ se ferre, etiam ubi nulla est species simulationis, dici non possit, Jesum sicut gressum ad iter componebat ita vere etiam secum constituisse ultra progredi, nisi instanter manere rogaretur. Quomodo & centurioni vere dicebat, veniens sanabo eum Matt.* VIII. 7. *nempe si centurio vellet, & voluit præterire Marc.* VI. 48. *nempe nisi rogatus instanter fuisset ut navem ascenderet. Neque enim tali proposito conditionato obstat scientia futuri eventus, cum illa etiam Dei comminatio, Ninive intra diem quadragesimum peribit, nisi pœnitentiam egerit scilicet, veritatem suam habuerit, quantumvis hanc pœnitentiam Deo prænoscente.* Et sunt illa quoque magis probabilia, quam quæ alii addidere nonnunquam de significa-

to heic à *Luca* Consilio Jesu per Eventum confirmato, secundum quod nec voluit ibi illo die aut nocte permanere, nec permansit etiam, aliorsum se post mansionem aliquam conferens scilicet. Secutum enim esse Eventum προσποιήσει huic adversum, aperte docet *Lucas*. An ergo sancti & impeccabilis Domini exemplo licet dicere, vel agere, neque enim multum heic inter illa duo intereſt, ea per quæ à te in errorem inducantur alii? ut hinc Mendacia, non quidem Noxia, sed Jocosa, & magis Utilia aliis, patrocinium accipiant. Non putem equidem; etiam post digressionem longissimam, quam apud *Grotium* reperio, & quæ lectu est prorsus digna, sed heic à nobis describi nequit, ob prolixitatem suam licet eruditam. Sed dissimulare omnino licet animi sui consilia, ea non prodendo sine necessitate; quin & alia agendo, vel dicendo simul, per quæ ab iis detegendis & agnoscendis immaturè alii abducantur, etiam ex nostro consilio, facilè quidem, non tamen necessario, ubi nullum hinc ipsis detrimentum sed multum commodi oritur, etiam ex nostro rursus consilio. Atque ita fere se heic rem habuisse puto, ut primo Jesus neutiquam prodiderit adhuc suum Consilium arcanum de Mansione apud Duos hosce ad eorum uberiorem instructionem & sui clariorem manifestationem; ut deinde idem ita egerit dixeritque apud eos Jesus, ut non quidem plane determinatum eum ad progressum agnoscerent, (quando non adeo ursissent adversum,) sed tamen in hunc propendere eum magis & valide colligerent satis verisimiliter, & colligere sic deberent; & ut tandem hanc eorum collectionem hanc sibi proponeret Dominus, quo sic ad desiderii sui decentis intensionem & explicationem impellerentur ipsi, tanquam medium necessarium gratiæ ulterioris obtinendæ ab ipsis. In quam rem conferri meretur omnis *Dissimulatio* similis Personæ ipsius apud Duos hos Discipulos, tam realis quam verbalis, hactenus facta, quæ alias perinde culpari deberet. Quin etiam *Tentatio Abrahami* à Deo olim facta, ad explorandam ipsius pietatem. Nec non *Tentatio piorum* omnium per mille Mala, quibus amorem suum tegit & aversum se ab iis Deus exhibet, dum est vere propensus in eos, quos sic incitat ad faciem suam cum seriis supplicationibus quærendam. In quibus etiam cogitare licet, de Amoris Paterni

Dissi-

Diſſimulatione utili apud Liberos, quos ſic tamen non fallimus, ſed juvamus multum. Plura mitto.

XVIII. Atque iſte quidem fuit hujus Diſſimulationis Dominicæ *Fructus*, quod Duo hi Diſcipuli *illum*, Jeſum ita agentem dicentemve qui partibus ſuis tantopere favere fuerat deprehenſus jam, παρεβιάσαντο, impulerint non tantum ſuadendo, ſed & vi majore, ſeu *adegerint*, ſecundum *Bezam*, ſeu *coegerint* ſecundum *Vulgatum*, ad Manſionem ſecum, ſed per perſuaſionem amicam & rogationem conſtantem, neutiquam autem per apprehenſionem ejus vel veſtimentorum detractionem, *coll. Act.* XVI. 15. & *Luc.* XIV. 23. ubi eſt ἀναγκάζειν. Uti hinc additur, hoc factum eſſe ab illis, *dicentibus*, indubie plus quam ſemel, uno poſt alterum, *nobiscum*, per te inſtructis & animum recipientibus, hinc tibi gratis, & te amantibus, *mane*, adhuc in hoc loco, utique per hanc noctem, in noſtrum uſum & gaudium; *quoniam ad veſperam* eſt, πρὸς ἑσπέραν ἐστὶ, ſeu *adveſperaſcit*, apud *Vulgatum* & *Bezam*, (phraſin illam cum ſequente altera ex Græcis & Latinis multum commendante & illuſtrante *Pricæo*,) καὶ κέκλικεν ἡ ἡμέρα, & *dies*, lucida nempe poſt noctem, ſive *inclinavit* ſecundum *Bezam*, ad finem nempe vergens, quo ipſo aut non aut non ſatis amœne & tuto multum jam progredi poteris. Ad quæ non male notavit *Grotius*; *Non his idem dixit, ſed vocem ambiguam* ἑσπέρας, *(nam ad exemplum Hebræi* ערב *de pomeridiano omni tempore uſurpatur,) explicavit addito interpretamento. Sic & ſupra* IX. 12. *quod Matthæi Interpres*, (ex mala hypotheſi pro Matthæo) ὀψίαν dixerat, *interpretatus eſt*, ἡ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν. *Bene vertit Syrus, dies ad tenebras vergit. Similis eſt apud Virgilium illa invitatio paſtoralis, hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte. Cauſam addidit; Et jam ſumma procul villarum culmina fumant, Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.* Addens etiam optime; *Potuit autem hoc dictum eſſe* αὐξητικῶς, *ad commendandam magis invitationem, quamvis non tam prope immineret ſolis occaſus, quo facilius mutato conſilio mox Hieroſolyma ſe recipere, & Apoſtolos necdum in ſoporem datos invenire potuerunt.* Et hoc pacto Diſcipulis ſuis officium ſuum facientibus ceſſit Jeſus: καὶ εἰσῆλθε τοῦ μεῖναι σὺν αὐτοῖς, *& intravit cum illis*, minus plene apud *Vulgatum*, ſed plenius apud *Bezam*

A quibus ſe perſuaderi paſſus eſt tamen, ut cum iis maneret.

*zam, ingreſſus eſt igitur ut maneret cum eis.* Nempe ex rogatione Diſcipulorum Jeſus, *introiit*, in vicum & domum illic ac conclave certum, *ut maneret*, non quidem per noctem totam, quamquam illi hoc præſumerent, ſed per ulterius ſpatium notabile, *cum eis*, ſeu in eorum conſortio; eo quidem fine ſed & fructu, ut ſe eis declararet quis eſſet; & ipſorum fides ac lætitia ſic foret plenior quam adhuc erat, docentibus id ſequentibus narrationis partibus, quod ipſi hactenus non poterant exſpectare. Ita & agere ſolet Dominus cum piis, ut adimpleat eorum vota ardentia, & exorari ſe patiatur; certiſſime ubi hæc in Manſionem ſecum, etiam Veſpertinam & Nocturnam, tendunt. Et augetur verè lumen fidelium, quod ipſis à Domino contingit.

Jeſu cum Diſcipulis Accumbentis, panemque fractum diſtribuentis, Manifeſtatio plena.

XIX. *Fata & Facta* Duorum horum Diſcipulorum nunc ſequuntur *Media*, in quibus Jeſus hactenus ignotus *ſe ipſum notum illis* reddidit *verſ.* 30–32. Ubi præcedit *Tempus & Modus Detectionis*, ſequitur celer ipſius *Abitus*, & concluditur res per illorum *Sermonem mutuum* proxime inſecutum. Ad *primum* ſpectant illa *verſ.* 30. 31. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ κατακλιθῆναι αὐτὸν μετ' αὐτῶν, λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε, καὶ κλάσας ἐπεδίδου αὐτοῖς· αὐτῶν δὲ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν. Scilicet *ille*, Jeſus invitatus blande, qui intraverat ad manendum cum eis, etiam *cum eis* amplius illic *recubuit*, vel *diſcubuit*, vel *accubuit*, familiariter ad menſam eandem, ut ſolent poſt iter abſolutum hoſpites, victum ſumpturus; & hoc facto, quod nec detrectavit ille ad convictionem diſcipulorum ſine ulla ſui jam immortalis neceſſitate propria, ipſe *panem*, ſolitum & utilem ſed & communiſſimum cibum, non quemvis alium ſub iſto nomine alias etiam ſynecdochice venientem, *ſumpſit*, ſua manu, illique *benedixit*, ſecundum uſum decentem cum precatione ſimul & laude Creatoris eum dantis; dein *& fregit*, in partes ſingulis dandas, quas & fractas *illis dedit* edendas, ipſe etiam ut non dicitur ſed videtur minime abſtinens heic & nunc magis quam alias, *coll. verſ.* 41–43. ſeu *porrigebat* apud *Vulgatum*. In qua actione habitam ab ipſo *Cœnam Sacramentalem*, licet Poculi diſtributi expreſſa perinde non fiat mentio, qualem ultima nocte habuerat cum Diſcipulis, atque tunc inſtituerat habendam dein ſemper in Eccleſia ſua, opi-

opinantur equidem multi in primis *Pontificii*; ut ex Panis ſollius mentione, ſynecdochica licet, temere colligant ſuam *Communionem Laicorum ſub Una Specie.* Ubi nec ulla Poculi Conſecrati mentio fit, quod in Sacramenti uſu adeſſe tamen deberet licet non datum Laicis; nec Verbum adeſt illud Sacramentale, *hoc eſt Corpus meum*; nec ullum certum ejus Indicium aliud. Dum ludicra prorſus ſunt argumenta; nec tamen omnes contra eam ſententiam rationes æque validæ deprehenduntur. Qualibus pugnat v. g. *Doct. Ligtfootus*, ſcribens ſatis inepte ut puto; *Mirum eſt, quemvis intelligere poſſe Fractionem hanc Panis de Euchariſtia, cum Chriſtus ſtatuerat apud ſe diſparere in ipſa Panis Diſtributione, & ſic Cœnam interrumpere. Et quisnam probaverit quemquam ex iis guſtaſſe quicquam? Nam finita eſt Cœna, non jam inchoata.* Unde enim enaſcatur tale ſomnium? Chriſtum in ipſa panis diſtributione diſparuiſſe, & hoc ei fuiſſe conſilium, & diſtributionem factam eſſe abſque inſecuto Eſu, qualia in textu minime occurrunt. Si quis omnino igitur velit, Cœnam hanc fuiſſe Sacramentalem, unde & citius agnoverint Diſcipuli Dominum ipſum præſentem, id neque nobis oberit quidquam, neque *Pontificios* juvabit multum. Interim ſimplicior longe & communior eſt ſententia, etiam quorundam *Pontificiorum*, fuiſſe hanc Cœnam Communem, qualem iter facientes inter ſe habere ſolent loco manſionis temporariæ, potiſſimum nocturnæ; in qua Chriſtus iſta peregerit quæ ſolent Patresfamilias, vel Doctores apud diſcipulos, vel alias Digniores, vere aut exiſtimatione aliorum, ſic honorantium illos, *coll. Matt.* XIV. 19. *&c.* Dum apud *Pricæum* heic legimus; *Atqui non apud Hebræos tantum, vid. Gen.* XLIII. 34. *ſed & alias gentes Convivatoris id munus erat, neutiquam Convivæ. Xenophon &c. Ita apud Homerum Achilles convivis ſuis Ulyſſi & Ajaci partes diſtribuit; & apud Apulejum paterfamilias epulonibus ſuis caſeum aliasque prandii partes diſtribuens inducitur. Et hoc moris fuit, niſi quando convivator de jure ſuo convivæ in honorem cedere vellet. Vid. Hieronymum in Vita Pauli Eremitæ. Dicimus ergo, cum ſciviſſet motus in eorum cordibus exortos à ſermonibus ſuis in via habitis, voluiſſe Chriſtum eodem ritu, quo ſæpius cum iis comedens ante paſſionem uſus fuerat, nunc autem quaſi præter morem eo defungi videbatur, dare anſam iis*

*adhuc aliquid propius de ſe conjiciendi.* Atque apud *Grotium*; *Præter morem convivarum, erat enim id munus Convivatoris. Quare hoc facto ſe Dominum ac Patremfamilias profitetur; quod primum ſuſpicionem illis injecit eſſe hunc Jeſum præceptorem ſuum, qui inter Diſcipulos ſolebat Patrumfamilias ritibus defungi.* Interea autem, dum hoc fieret à Chriſto, imo & ex Modo quo hoc fiebat, non mutato equidem Chriſto id agente, iſtud *contigit*, ut *eorum*, duorum Diſcipulorum cum quibus Chriſtus accumbebat, & quibus Panem benedictum ac fractum dabat, *oculi*, antea retenti ne ipſum agnoſcerent *verſ.* 16. διηνοίχθησαν, *aperti ſint*, *coll. Gen.* XXI. 19. *&c.* ablato impedimento priori qualicunque, *& illum*, Jeſum Dominum ſuum loquentem & ita facientem, ἐπέγνωσαν, *agnoverunt*, quod ipſe eſſet; *Ad nutum Chriſti*, inquit *Pricæus*, *ablata eſt iis ſive oculorum ſive mentium caligo. Apud Homerum Iliad.* ε. *Pallas ad Diomedem, &c. Gen.* III. 7. Διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ ἀμφοτέρων δύο, καὶ ἔγνωσαν, *&c.* Uti *Grotius* habet; *Sublatis impedimentis propius eum intueri ac cognoſcere cæperunt. Ita Gen.* XXI. 19. *&c. Ex vultu propius conſiderato.* Addens tum tamen; *Non diſplicet myſtica Veterum interpretatio, Chriſtum vere non cognoſci, niſi ab iis qui in Unitate ſunt Corporis illius quod per Panis Fractionem figuratur, &c.* Similiter & nos dicamus, eſt Dominus qui oculos noſtræ mentis aperire debet, ut eum agnoſcamus; quin etiam hoc futurum exſpectemus ad gratiam ejus adauctam, in ipſo quoque Sacramenti uſu.

Ejuſdem Ablatio ab oculis Diſcipulorum ſubita & inexſpectata.

XX. Sed breve & evanidum valde fuit hoc Diſcipulorum Duorum gaudium; καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. Quod reddidit *Vulgatus*, *& ipſe evanuit ex oculis*; admonente *Eraſmo*, *evaneſcendi vocabulum non ſatis convenire, quum hic non de Spectro ſed de Vero Corpore fiat mentio. Quod autem*, inquit *Beza*, *idem interpretatur, ſubduxit ſeſe ab oculis eorum, non ſatis videtur repentinam illam corporis ſubductionem declarare.* (Hoc ſe non ita reperire monet *de Dieu.*) Itaque vertit ille *ſed ipſe ablatus eſt ex eorum conſpectu*; addens, ἐμφατικώτερον *dixiſſe Lucam* ἀπ' αὐτῶν, *quam ſi dixiſſet* αὐτοῖς, *nempe ne quis exiſtimet, præſentem quidem Chriſtum cum ipſis manſiſſe, ſed corpore quod cerni non poſſet, &c. Noſtri vero*, ſic pergit, *Ubiquitarii certe ne apud ſe quidem ſunt, quum ex hoc loco Corpus Chriſti*

exem-

*exemta circumscriptione, vel omnibus vel pluribus simul locis essentialiter adesse somniant.* Non fuit utique rursus heic facta mutatio ulla in Corpore Christi ipso, per quam ille factus sit in se ἄφαντος, seu *invisibilis* omni oculo corporeo vel humano, sed Visus ejus apud hos Duos Discipulos cessavit, qui illum præsentem non amplius apud se contemplati sunt; forte & verisimiliter quidem per aliquam momentaneam oculorum retentionem, dum abiret subito, sed certo mox per ipsius Discessum ab eis, sive legamus *non visus fuit* amplius, sive *invisibilis factus est, ab eis.* In quam rem similes locutiones ex *Theocrito & Plutarcho* contulit *Ven. Cloppenburgius*, & varia collegit *Pricæus*, concludens; *Non ineptum quod de hoc Christi facto nonnulli ex Basilio attulerunt*, τὸ ὅπως μὴ περιεργάζεσθαι. Dum apud *Grotium* latius lego; *Hoc quomodo factum sit, non nuper demum cæpit disputari, sed olim de istis salva pace quærebatur. Syrus & Arabs existimare videntur factum hoc subita loci mutatione. At Epiphanius oculis potius obductam putat caliginem, ut ab Elisæo olim, & ab Angelis in excidio Sodomorum. Diversa ab his videtur fuisse sententia Origenis, qui in accurata adv. Celsum disputatione Christi corpus* XL. *illis diebus ait fuisse* ὁρατὸν ὅτ' ἠβούλετο καὶ οἷς ἐβούλετο. *Censet enim id ipsum sacratissimum corpus fuisse eo tempore* ἐν μεθορίῳ *inter eam ut ipse appellat* παχύτητα *quam habent corpora caduca, & inter naturas liberas ab hac concretione mortali. De Angelis autem quid sentiat, explicavit initio Comm. ad Lucam, nimirum eos quoque conspicuos aut inconspicuos fieri solo voluntatis suæ arbitrio. Videtur Latinus Interpres in hanc sententiam fuisse pronior. Ego nihil hic dicendum invenio, quod melius sit illo Basilii dicto,* τὸ ὅπως μὴ περιεργάζεσθαι. *Ex tribus illis modis sicut duos priores vides esse* καταληπτοτέρους, *ita tertium esse* ἀδύνατον *affirmare non ausim. Nam dum fæx ista nos detinet, nihil ferme quod aut ad Angelorum, aut etiam ad ejus Corporis quod non immerito* πνευματικὸν *Paulus vocat, qualitatem pertineat, extra ea quæ revelata sunt, nisi tenuibus admodum conjecturis assequi possumus; quod fibulam imponere debet nostræ curiositati. Illud mihi liquet, non satis apte ad definiendum hujus rei modum adferri illud* ἀπ' αὐτῶν, *quasi* φορὰν *utique designet; cum multo sit probabilius, genus esse loquendi ex Hebraismo desumptum, quale supra* XVIII. 34. κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, & XIX. 42. ἐκρύβη ἀπὸ

ὀφθαλ-

ὀφθαλμῶν σου, *ubi & plura loca annotavimus eandem locutionem continentia.* In quibus prima & media multum placent præ ultimis, quæ ad sensum absurdissimum & à natura ipsa rei alienissimum nos ducunt, & nimiam spiritus & corporis confusionem plane inducunt. De ultimo illo etiam contra *Bezam* prolixe disputat *Schmidius*; *Beza, ablatus est extra conspectum ipsorum. Quod quomodo intelligat, in Notis exponit, nempe de Reali Ablatione Corporis Christi, idque ex natura præpositionis* ἀπὸ, *quam Localem Remotionem notare contendit, ne vid. concedat Omnipræsentiam Humanitatis Christi in Unione cum* Λόγῳ. *Verum etsi Præpositio* ἀπὸ *remotionem Localem significat, non tamen semper, neque hoc loco, quandoquidem significationes etiam alias habet satis multas. Ex iis etiam hæc est, quod sæpe ex proprietate* φράσεως *usurpetur, sine omni notatione* περιστάσεως, *etiam de re præsentissima, coll. Matt.* XI. 25. *Luc.* X. 21. XVIII. 34. XIX. 42. *Joh.* XII. 36. *ubi quidem simul localis remotio notatur, non propter* ἀπὸ, *sed propter* ἀπελθὼν, *Apoc.* VI. 16. *Act.* VIII. 22. *&c. Cujus generis omnino etiam hoc est,* ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν. *Ubi Præpositionem* ἀπὸ *ob proprietatem* φράσεως *adhibuit Euangelista, non ob notationem* περιστάσεως. *Male ergo concludit Beza à non distributo ad distributum procedens.* Sufficit utique nobis in disputatione cum *Ubiquitariis*, quod Invisibilem Præsentiam Corporalem Christi ex hoc loco præter rem illi concludere conentur, & quod ille vertit, *ipse non amplius visus est coram eis*, laudans etiam *Camerarium*, reddentem, *ereptus est conspectui ipsorum, &c.* Cujus rei, subito admodum factæ, Modus quando heic amplius non est additus, non debet etiam à quoquam seu poni seu conjici talis, qui naturæ rei ipsius est adversissimus, nec cum ea conciliandus apte ratione ulla probabili. Non erat autem vel necessum, vel utile Discipulis etiam, ut post Resurrectionis suæ veritatem diutius cum iis maneret, ne ipsi nimium assuescerent corporali conversationi, & à nuncio ad Apostolos deferendo sic etiam avocarentur; & hinc Jesus ἐγένετο ἄφαντος ἀπ' αὐτῶν. Quando etiam Gratia contingit heic piis maxima, ejusdem gradus durationem perpetuam sibi non debent hi polliceri, quæ citissime & justissime à Domino abrumpi potest.

Discipulorum ad ista

XXI. Qui sic tollitur à Duorum Discipulorum oculis, non tamen

tamen aufertur ex eorum corde, vel etiam ore. Siquidem docet *Lucas* porro, eos mox *ad ſe mutuo*, πρὸς ἀλλήλους, *dixiſſe* verſ. 32. οὐχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν, ὡς ἐλάλει ἡμῖν ἐν τῇ ὁδῷ, ὡς διήνοιγεν ἡμῖν τὰς γραφάς. Recordantur optime, & in memoriam ſibi revocant magis ſermone mutuo, quod Jeſus, tunc adhuc incognitus licet, ſermone ſuo indicium ſui haud obſcurum prorſus dediſſet, *cum ipſis*, non jam accumbens ad menſam, ſed *in via* dum irent ſimul, *locutus fuiſſet*, & cum *Scripturas*, de Meſſiæ Paſſionibus & Gloria agentes, *ipſis* non modo exhibuiſſet, ſed & *aperuiſſet* quoque, reſpectu ſenſus veri additi, & mentis ipſorum illuſtratæ ſimul. Sed & addunt, quam ſingulariter ipſi jam tum affectos ſe ſenſerint iſta locutione ejus; *annon noſtrum cor in nobis erat ardens?* & quidem ὡς, non jam quomodo, ſed quando, & cum id fiebat ab ipſo? Vix magnam enim heic conſiderationem meretur lectio altera à *Beza* notata, κεκαλυμμένη ἦν, pro καιομένη; quaſi ſtuporem ſuum ſic profiterentur cum dolore, quod tunc & inde Chriſtum non agnoviſſent. Quamquam *Nob. Heinſius* illam lectionem *Optimis Codicibus* tribuat; quem & pronum in eum ſenſum redarguit *Ligfootus* Non tam verò Corporis ſic, facile tamen connexam, quam Animi, Commotionem magnam intra ſe obſervatam declarant ipſi, quale eſt ab Igne fervido, *coll. Pſal.* XXXIX. 4. *Jer.* XX. 9. XXIII. 29. *&c.* Præter quem ſenſum generaliorem heic merito cogitabimus; non de ardore vel uſtione aliqua indecenti, ſeu libidinis impuræ, ſeu iræ interdictæ, ſeu contentionis iniquæ, ſeu alia qualicunque ſimili, ſed de accenſo lumine Sapientiæ inſolitæ, de excitato calore Amoris in Deum, Meſſiam, & Bonum omne magno, *coll. Cant.* VIII. 6. 7. de adaucto Deſiderio Gratiæ ejus valido quin & auditus ulterioris, deque orto hinc Gaudio ſolido ad exultationem in Domino, ut alia plura mittam; quæ ſcilicet ſunt Effecta Optima prædicati Verbi Divini, ubi Spiritus Dei cooperatur, & quæ inde fluxerant magis, ubi Verbum illud ex ipſius Domini ore prodibat, *coll. Matt.* VII. 28. 29. *&c. Hoc aiunt*, inquit *Grotius*, *niſi mens fuiſſet levis, potueramus eum antequam nobiscum accumberet agnoſcere ex docendi modo, nam præter argumentorum pondera, & comitatem in docendo ſummam, accedebat Divina efficacia animos incendens, qua-*

ſermo mutuus.

*lem ſentire quondam ſolebamus ipſo docente.* Et laudare hac occaſione oportet pios, qui de auditis antea à ſe verbis Domini, eorumque fructu & ſenſu, cogitant & loquuntur ad ſui & aliorum excitationem in fide & opere omni bono.

Eorundem inſecutus ad Apoſtolos Reditus.

XXII. Nunc non ſuperſunt niſi Duorum horum Diſcipulorum *Facta & Fata Poſtrema*, quæ à *Factis* eorum incipiunt, & poſt *Fata* interpoſita, in *Factis* terminantur. *Factum* eſt initiale iſtud *verſ.* 33. καὶ ἀναστάντες αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ὑπέστρεψαν εἰς Ἰερουσαλὴμ, καὶ εὗρον συνηθροισμένους τοὺς ἕνδεκα, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς. Pro quo *Marcus* habet, κἀκεῖνοι ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς. Cum non amplius in conclavi, nec vico Emmaus, appareret aut eſſet Jeſus, vel in nota vel in ignota aliqua forma, ipſi hi Duo merito *ſurrexerunt* de ſuo accubitu ad menſam, ac inde *abierunt*, ſeu ad iſtum caſum qui obvenerat, ſeu & ex priori forte conſilio aliquo. Quod factum *illa hora*, eadem veſpertina nec multum in noctem adhuc promota, qua ablatus fuit Jeſus ab oculis eorum, abſque notabili mora aliqua; *eo ipſo momento* dixit, cum *Beza*, etiam *Schmidius*. Tantopere ardebat jam quoque illorum cor, in nuncium lætum ad ſocios deferendum. Hinc *in Jeruſalem revertuntur*, unde exiverant, & ubi reliquerant alios; quod & facere tanto citius potuerunt, quanto erat ipſorum lætitia jam major, & zelus intenſior, ad curſum pellens præ itione tardiori aut ſolita. Et ſic tendunt in Jeruſalem ad *Undecim & qui cum illis*, hos *congregatos* ſimul *invenientes*, ſine magna inquiſitione potius quam poſt eam. Ita etiam deprehendimus *verſ.* 9. τοὺς ἕνδεκα καὶ πάντας τοὺς λοιπούς, non alios utique quam Apoſtolos, & his junctos ſpirituali ſocietate in Chriſto Diſcipulos alios. Ad quæ *Beza*; *Sic vocari cæperat ille Cœtus à proditione Judæ ad electum Matthiam Act.* 1. 26. (ut plurimum non tamen ſemper, *coll. Joh.* xx. 24. 1 *Cor.* xv. 5.) *etiamſi numerus illorum non eſſet ſemper completus. Tunc enim abfuiſſe Thomam apparet ex Joh.* xx. 24. *quum dicatur Chriſtus huic cœtui ſuperveniſſe in medio Duorum iſtorum Diſcipulorum ſermone verſ.* 36. *nec veriſimile ſit, quod conjicit Auguſtinus Lib. de Conſ. Euang.* III. *Cap.* 25. *Thomam videlicet, antequam Duo iſti Diſcipuli ſermonem ſuum abſolviſſent, & abſente adhuc Chriſto ſeſe præ impatientia & incredulitate ex aliorum Cœtu ſubduxiſſe.* Quæ communior etiam

eſt

eſt Interpretum obſervatio; quando hodiernus uſus perinde obtinet in denominando collegio toto à numero ſuo pleno, etiamſi nonnulli ab eo abſint. Quod jam hos *Congregatos* invenerint, indubie ad mutuam inſtructionem, excitationem, & conſolationem, ſi non ad Exſpectationem forte Jeſu ipſius apud ſe, licet minus forte certam aut communem; id ſimul arguit, vel non fuiſſe adhuc veſperam promotam in multam noctem, vel zelum ipſorum fuiſſe cooperante Divina providentia & gratia ſpeciali tantum, ut per noctem ipſam divelli ſe non paterentur, hanc potius tranſigentes vigilia pia & exercitiis huc ſpectantibus. Et de hoc Duorum Abitu ad ſuos dum nihil mandatum legitur à Jeſu; aut idem præſumi poteſt tamen datum eſſe, aut Mulierum juſſarum exemplum conjici ipſos impuliſſe, pie & laudabiliter prorſus.

XXIII. Antequam vero ipſi nuncium ſuum proferant, ad Undecim illos cum ſuis, obvenit iis Duobus rei ipſius præcipuæ, jam illis aliunde cognitæ, annunciatio, quando audiunt illos *dicentes*, ſeu inter ſe ſeu ad accedentes potius, *quoniam ſuſcitatus eſt Dominus vere & viſus eſt Simoni vers.* 34. Non eſſe heic legendum λέγοντες in Nominativo, ac ſi hæc eſſent redeuntium Emmaunticorum verba, ſed λέγοντας, ut ad Apoſtolos tanquam loquentes hoc dictum pertineat, loquitur res ipſa. Neque enim Duo illi de aliis quidquam narrant diverſum ab eo quod ipſis contigerat & ante ambulationem notum fuerat, & quidem primo loco; neque de ſe duobus ſub uno nomine *Simonis* loqui poterant commode, vel in rem communem. Ergo *dixerunt* Apoſtoli cum ſuis, non per modum conjecturæ alicujus, aut traditionis incertæ, ſed rei certæ & ſibi jam exploratæ, id quod credebatur his Duobus lætiſſimum quidem fore ut audirent, ſed quod ſimul putabatur ipſis partim adhuc eſſe magis dubium, de ipſius Chriſti Reſurrectione, partim & merito ignotum, de Simonis Viſu. Hæc enim dixerunt; ὅτι, *quod*, vel *quoniam*, aſſeverative, *Dominus*, noſter communis, de quo ſcelerate trucidato & furtim etiam ſublato ut videbatur ex ſepulchro doluimus cum magna ratione, *ſuſcitatus eſt*, ex morte & ſepulchro, adeoque revixit ſecundum promiſſa ſua repetita, & quidem ὄντως, *vere*, ſeu ἀληθῶς, non mendaciter, nec imaginariè aut apparenter tantum

Qui de Reſurrectione Chriſti tanquam certa plane ad eos loquuntur.

tum seu φαινομένως & φανταςικῶς. Nam & idem, juxta Mariam Magdalenam cum suis, *Simoni*, seu Petro celebri inter nos Apostolo, cui nominatim Jesus suam Resurrectionem annunciari voluerat quoque, & qui ad sepulchrum cum Johanne accurrerat præ aliis, *visus est*; ut per hujus testimonium omni fide dignissimum de rei illius ipsius veritate neutiquam amplius dubitare liceat aut deceat. A quibus mire & misere recedunt glossæ illæ conjecturales *Ligtfooti*; Apostolos reliquos, *Petrum jam tam cito tamque inexspectato redeuntem videntes, certe*, dixisse, *resurrexit Dominus, & apparuit Petro, is aliter non tam subito rediisset*, quin & *conjectasse*, hinc, *inter se, certe apparuit ei Dominus, aut nos hic eum non haberemus jam reversum.* Inprimis, cum ipse id etiam addiderit, hos *ne illis quidem adhuc credidisse*, in rei ipsius principalis veritate, *cum rem totam, is* (qui nempe ponitur temere esse Petrus,) *Cleopasque pandunt.* Nempe credunt ex conjectura id cum magna lætitia ante narrationem, quod non credunt ex narratione ipsa cum circumstantiis omnibus subsecuta proxime! si huic Viro sit assentiendum. Ita contra hunc Virum Cel. disputare malo, quam nimis urgere Duorum Adventum ad *Undecim*, inter quos Petrus debeat numerari; per illa quæ antea dicta sunt de Collegii Nomine Numerico recte huic dato, non obstante unius aut alterius absentia. Quamquam neque nobis ullo modo verisimile fiat, quod à communi congregatione vespertina Undecim Apostolorum & reliquorum Discipulorum prima aut inter primas post Christi passionem, Apostolus iste præcipuus abfuerit, æque quam Thomas de quo hoc legimus expresse, sed verius id concedi queat debeatque de Discipulis aliis inferioris ordinis quibusdam, qualis certe erat Cleopas.

Uti & ipsi narrant sua Fata & conversationem cum Jesu Redivivo.

XXIV. *Et illi*, Duo reversi Emmaunte, ἐξηγοῦντο τὰ ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ ὡς ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου *vers.* 35. hoc est eorum *Factum.* Addente *Marco vers.* 13. οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίςευσαν, tanquam exiguum ejus Fructum. Præmittunt narrantes Duo τὰ ἐν τῇ ὁδῷ, *quæ in via*, dum obambularent, erant gesta & dicta ab ipso ignoto cum singulari in se Effectu quem sibi in mentem revocaverant post discessum ipsius. Sed & subjiciunt; *quod*, & *quomodo*, *ipsis innotuisset*, quod esset Jesus ipse, ἐγνώσθη, seu *agnitus fuerat* apud *Bezam*, seu *eum cogno-*

*gnoverunt* apud *Vulgatum*, *in Panis fractione*, & diſtributione connexa, de qua à Luca actum fuit *verſ.* 30. Ad quæ *Beza*; *Id eſt, quum panem frangeret, qui mos erat hujus gentis, atque etiamnum hodie Judæis ſervatur convivii initio adhibita precatione.* Mox addens; *Eraſmus, ex Fractione Panis, quaſi ex hoc facto Chriſtus ab illis agnitus dicatur, quum Tempus potius declaretur quo Chriſtum agnoverunt, ſicut etiam diſertè exprimit Syrus Interpres.* Quod qui tenent cum *Eraſmo*, hi loquuntur de *ſpeciali ritu, ſeu frangendi panis, ſeu benedicendi & precandi, cui familiariter diſcipuli erant aſſueti*, quem tamen non memoravit *Lucas*, ſed ex inſtitutione ipſa Cœnæ Sacramentalis forte repetendum habeamus ſecundum eos qui hanc heic habitam vellent. Non male equidem ſcripſit ad rem hanc *Schmidius*; *Ego vero neque Veteris aut Bezæ Verſionem, in fractione, neque Eraſmi, ex fractione, reprehendo. Ut enim Beza ſuum ἐν in ſignificatione Temporis facile tueri poteſt, ita & Eraſmus ſuum ἐκ in ſignificatione Medii vel Signi, v. g. Joh.* XIII. 35. ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες *&c. Ubi certe non Tempus ſed Signum notatur. Sic* 1 *Cor.* I. 21. 1 *Joh.* II. 3. 5. III. 16. 19. 24. IV. 2. 13. V. 2. *In quorum locorum nullo Tempus, in omnibus autem Signum notatur. Et hoc ſane loco utramque ſignificationem conjungendam cenſeo. Nam & ex Fractione Panis Chriſto uſitata tanquam Signo, & eo ipſo Tempore quo fregit panem, Chriſtum agnoverunt. Imo neceſſario cohærere hic videntur. Lutherus artificioſe utrumque ſenſum expreſſit, &c.* Id omnino agnoſcendum putamus, quod unus ſenſus alterum minime quidem excludat, ſed quod ille *Temporis* ſit certior, quam alter Signi, etiam ex *verſ.* 30. ubi in narratione rei ipſius geſtæ legitur, non ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, *in fractione panis*, ſed ἐν τῷ κατακλιθῆναι αὐτὸν μετ' αὐτῶν, cum tamen accubitus ille non fuerit Signum Jeſu agniti per illum. Quod autem *Marcus* dixit, quod Apoſtoli *neque illis*, Duobus narrantibns rem geſtam cum omni modo ad Viſum & Auditum eorum, in via & ad menſam, *crediderint*; id vix abſolute & univerſaliter intelligendum putem, ſed potius, vel particulariter de nonnullis horum dum alii credebant *coll. verſ.* 34. vel comparate de illo Fidei gradu qui decebat modo. Quo tardiores certe illi Duo fuerant ad credendum, eo majorem ipſi fidem merebantur, poſt verbalia & realia documenta be-

ne ab ipſis percepta, quæ annunciabant multitudini Apoſtolorum & Diſcipulorum, etiam jam certæ de Jeſu Apparitione apud Petrum. Nequc enim & hoc male notavit *Grotius*, quod ſic loquentes illi *de Menſa*, *tarditatem ſuam accuſent*.

Tempus Rei hujus Geſtæ tandem additur.

XXV. Tam memorabilis hiſtoria etiam additum habet ab initio *Tempus*, quo res illa contigit. Quod exprimitur apud *Marcum* per μετὰ ταῦτα *poſt hæc*, quæ de Maria Magdalena narraverat ipſe, & ante Apparitionem apud Undecim, quam ſubjecit proxime; incerta ſic Diei ejus Hora. *Lucas* vero dixit, ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ, *in illo Die*, quo monumentum vacuum repertum fuit à Mulieribus & Petro, adeoque Primo Septimanæ, quo reſurrexerat Dominus; quod perinde Horam nullam deſignat. Interim verò, cum circa Adventum Duorum Emmauntinum dixerint illi, neque negaverit illud Jeſus, *adveſperaſcere & diem inclinaſſe*, paulo magis jam quam minus, *verſ.* 29. hinc apparet, collata viæ diſtantia à Jeruſalem in Emmaus, quæ erat quaſi Duarum Horarum cum Dimidia, fuiſſe omnino Tempus Diei Pomeridianum, quo Iter illud fuit ſuſceptum, & res omnis conſequenter geſta, non autem Ante-Meridianum vel Meridiem ipſum, minus commodum Itioni, & quo forſan illi adhuc manſerint Jeroſolymis, Jeſum Redivivum, ſi talis eſſet vere, illic exſpectantes. Adeo voluit Jeſus pleno adhuc Die ſe non manifeſtare in ipſa Jeruſalem, ſed potius extra eam, ne palam in oculos omnium incurreret, ſed nec exeuntium fidem ad veſperam morari.

Et quam certa ſit Chriſti Reſurrectio ex hac Apparitione arguitur.

XXVI. Nos, poſt Iter hoc cum Diſcipulis peractum, vela modo contrahimus. Et notamus, certam heic nobis fieri Domini Reſurrectionem per Teſtimonium, non Unius, ſed *Duorum*, Virorum, qui omni fide ſimul digni; de iis quæ ipſi *viderunt* diſtinctè, hinc & *audiverunt* clariſſime & latiſſime, cum demonſtratione neceſſaria ex Scripturis Moſaicis & Propheticis omnibus, quæ Divinitatis ſuæ & Autoritatis infallibilis habebant ab ævo & habent etiamnum apud Judæos incredulos & à Chriſto ac Chriſtianiſmo averſiſſimos teſtimonium. Imo de iis, quæ ipſos perduxerant tandem ad Agnitionsm Perſonæ Jeſu, ab initio & in progreſſu ipſis ignotæ, tam certam, ut ſe ipſos deinde de ſua ignorantia accuſare etiam deberent. Et qui teſtimonium hoc conſequenter dederunt apud Diſcipulo-

rum

rum multitudinem, aliunde jam & certam factam per Simonis Visum de Domini Resurrectione. Quæ heic eo modo notasse sufficerit. Dum non est, quod roges, cur non Matthæus & Johannes, nec etiam Paulus, hujus historiæ mentionem ullam fecerint. Siquidem omni jure sufficit Christianis *Marci & Lucæ* narratio θεόπνευς &, & sufficere ad fidem omnium debet Scriptor Duplex, æque quam Testis rei gestæ, Deo sapientissime distribuente Historiam Euangelicam universam inter plures Scriptores, singulos æque infallibiles. Et quod ad Paulum attinet, voluisse ille deprehenditur in Christi ipsius Apparitionibus illas solas memorare, quæ Apostolis ipsis contigerant; licet in una harum alii Fratres inter illos Quingentos adfuissent certissime.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *Quo Apostolis communiter concessa Christi Redivivi Visio Prima enarratur.*

Visio Christi Redivivi Apostolica, quam cum Paulo tradiderunt Marcus, Johannes, & Lucas.

Uti antea à Mulieribus ad Viros, ita nunc à Discipulis Ordinis Inferioris progredimur ad Apostolos, qui inter alios Discipulos tantopere excellebant, & spectati fuere, tam apud Dominum ipsum, quam apud credentes Christianos; visuri, quid his quoque contigerit à Redivivo Domino suo & nostro. Ubi brevissime dixit Paulus 1 *Cor.* XV. 5. ἔιτα τοῖς δώδεκα, nempe ὤφθη; forte cum respectu ad Triplicem simul Apparitionem successivam. Nec admodum late *Marcus Cap.* XVI. 14. ὕστερον δὲ, ἀνακειμένοις αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα ἐφανερώθη, καὶ ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ σκληροκαρδίαν, ὅτι τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν ἐγηγερμένον οὐκ ἐπίστευσαν. Dum haud paulò latior heic est *Johannes*, enarrans tum *Jesu Apparitionem* apud eos *Cap.* XX. 19. 20. tum conjunctum ejus *Sermonem vers.* 21—23. ὄψης οὖν ὀψίας, τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι, διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς &c. Sed omnium latissime rem gestam exposuit *Lucas Cap.* XXIV. *vers.* 36—49. qui perinde præmittit iis concessam *Apparitionem Jesu*, cum proxima Sequela *vers.* 36. 37. ταῦτα δὲ

αὐτῶν

αὐτῶν λαλούντων αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν, &c. atque dein ipsius *Sermonem* ad eos longiorem, cum connexis, tradidit *vers.* 38——49. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, τί τεταραγμένοι ἐστὲ, &c. Atque hujus quidem filum nos ita sequemur, ut ex aliis Euangelistis intertexamus necessaria quæ illi nos docent; in fine acturi de Tempore.

Duodecim quo sensu heic nominaverit Paulus

II. Neminem heic jam offendet, quod Paulus meminerit τῶν δώδεκα, seu *Duodecim* illorum. Sic enim ille, æquè quam *Johannes Cap.* xx. 24. numerum exprimit Apostolorum plenum ante Judæ apostasiam, qualis ille à Domino fuerat constitutus, secundum numerum Patriarcharum, Tribuum Israëlis, Lapidum pectoralium, Signorum Cœlestium, Fontium in Elim, Præfectorum Israëliticorum, Exploratorum Terræ Cananææ, &c. *coll. Matt.* x. 1. 2. &c. & dein rursus per Matthiæ electionem completus *Act.* i. 26. vi. 2. &c. Quem tamen huic *congregationi interfuisse & Jesum vidisse, inde judicat probabile* etiam *Nicol. Gurtlerus, quia post Ascensionem Christi in cœlum cum Apostolis egit antequam eorum esset collega Act.* i. 23. 26. quod tamen dè Matthia non magis quam aliis plusquam centum illic dicitur. Neque enim ad totidem Personas spectasse censeri potest Paulus, etiam per Thomæ absentiam à prima Congregatione hac; dum forte ob aliorum absentiam ab altera & tertia apud eos Apparitione ille censeri potest postea locutus esse de τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν, *Apostolis omnibus, vers.* 7. cum nemo amplius ex iis tum absens esset nempe ab illis dictis seu Undecim seu Duodecim. Atque, uti *Johannes* pro Duodecim habet in hac historia simpliciter *Discipulos vers.* 19. & *Marcus* nominavit *illos Undecim vers.* 14. atque *Lucas* solum Pronomen αὐτὰς, *eos, vers.* 36. sed quod nos reducit ad τὸς ἕνδεκα καὶ τὰς σὺν αὐτοῖς, qui nominati fuerant *vers.* 33. Et ex his licet forte & alii abesse potuerint unus aut alter, id tamen nobis minime constat de quoqnam alio præter Thomam *Joh.* xx. 24. neque hinc leviter cogitandum est, quando non est in Thomæ laudem narratum illud de ipso, atque ille hinc etiam in Incredulitatem majorem prolapsus ex ordinatione Dei sapientissima & sanctissima.

Status eorum congregatorum

III. Horum ergo Apostolorum & Discipulorum, cum apparet eis primum Jesus redivivus, *Status* præmittitur, *Manifesta-*

*feſtatio Jeſu* apud eos ſubjicitur, hujusque *Effectus proximus* in eis annectitur. Ad *Statum* Diſcipulorum pertinet, quod ipſi eſſent συνηγμένοι, *congregati*, ſimul fraterne & religioſe ad mutuum in Domino ſolamen & auxilium, ſecundum phraſin *Johannis*, συνηθροισμένους dicente *Luca verſ.* 33. & quidem τ θυρῶν κεκλεισμένων, quod ita deinde ſe quoque habuit *verſ.* 26. ὅπου ἦσαν, (λέγ τ φόβον τ Ἰουδαίων, ſic enim voces conſtruere decet, neque poſtremas ad Congregationem Diſcipulorum ipſam proxime memoratam referre adeo, minime quidem ac ſi unitis viribus vim vi opponere ſibi propoſuiſſent,) ſeu loci domus aut conclavis, non omnis communiter per urbem, ſed illius ubi congregati hi, *foribus occluſis*, non leviter equidem ſed valide ſatis adverſus tentandam forte tam vim ſubitaneam quam exploratione arcanam, pro conditione loci & perſonarum illic congregatarum; fiebat enim illa occluſio, non tam ex intuitu veſpertini ſeu nocturni temporis ſolito, quam *ex Judæorum*, Jeſu & Diſcipulis ejus hoſtilium, *metu*, inſolito qui & ad nocturnam congregationem præ diurna Apoſtolos nunc æque quam dein Chriſtianos ducere potuit. Non enim poſſumus cum iis facere, qui deſignationem Veſpertini Temporis in foribus clauſis ex communi tum more heic unice vel præcipue reperire vellent; & hoc nocturno tempore habitam congregationem ex metu per diem impediente eam deducere perinde. Uti ſic apud *Grotium* etiam lego; *Deſignatio eſt ejus quod clam fit* 2 *Reg.* IV. 4. *Eſa.* XXVI. 20. *Matt.* VI. 6. *Act.* XII. 12. 13. 14. Διὰ τ φόβον &c. *Referendum hoc ad utrumque membrum præcedens. Cauſa enim redditur, cur Cœtus habuerint nocturnos, & cur clauſis januis, nimirum ne ſi cœtus de die & palam haberent, Judæorum odia & pœnas publicas aut ſeditionem in ſe commoverent. Noctu habitos ſæpe præ metu Chriſtianorum Cœtus, ex Plinio & Tertulliano liquet. Etiam januis clauſis convenire ſolitos ob cauſam ſimilem apparet Act.* XII. 13. Dum ex adverſo *Schmidius* ſcripſit; *Notatur quidem Tempus Veſpertinum, nondum tamen Nocturnum, ut propterea opus fuiſſet claudere fores, quod nocte ineunte fieri ſolet, ſed allegat Spiritus S. aliam cauſam forium clauſarum,* λέγ τ φόβον τ Ἰουδαίων. *Horum enim injuriam metuentes clauſerant;* ἡ ὀψία *enim* φυλακὴ *cum occaſu ſolis incipit. Neque etiam ſequitur, dicitur* θυρῶν *in plurali, ergo etiam*

foribus clauſis ob metum Judæorum.

*aliarum domorum fores tum fuerunt clauſæ. Nam ut apud Latinos fores, ita etiam apud Græcos αἱ θύρραι, non raro in plurali de unius domus foribus accipitur, Odyſſ. η. &c. Et habebant Diſcipuli ſuam cauſam, de qua dictum, quam alii Judæi vicini non habebant. Et notatur hic in ſpecie Domus ea in qua Diſcipuli erant συνηγμένοι. Et τὸ δὲ τ φόβον non pertinet ad συνηγμένοι, ideo enim duo illi Emauntici viatores potius abeſſe voluerant, ſed ad κεκλεισμένων. Et illa, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι, determinatio ſunt Domus illius, cujus fores erant clauſæ.* Utique ad Temporis deſignationem iſtam ſuffeciſſet illud ab initio clare ſatis poſitum, ὄψὲ σαββάτων, quod ipſe *Grotius* expoſuit, *jam multa nocte.* Scilicet metus humanus nos non debet avocare ab exercitiis pietatis, nec à communicatione omni fraterna; ſed ille tamen hoc operatur recte, ut prudenter & circumſpecte in iſtis agamus, tam temporis quam modi ratione, noſtræ ſecuritati conſulentes ſimul. Aliud adhuc Participium ἀνακειμένοις αὐτοῖς, ad ſtatum Diſcipulorum notandum habet *Marcus*, quod per *recumbentibus illis* reddidit *Vulgatus*, ſed *una ſedentibus ipſis* noſter *Beza*, & *diſcumbentibus* ipſis *Schmidius.* Quem accubitum haud pauci quidem ad menſam referunt, non inchoatam ſed fere finitam, uti ipſe *Grotius* heic habet, *in fine Cœnæ; neque enim repugnat intervalli & temporis ratio, ut ad Lucam pateſcit, videntur autem Apoſtoli ad convivia ſua uſi eodem illo cœnaculo quo Chriſtus poſtremo uſus fuerat.* Sed opponit ſe cum aliis prolixe *Beza*; *Hic non agi de Accubitu, quaſi ipſis cœnantibus intervenerit Dominus, probabilius eſt ex temporis circumſtantia quam explicat Lucas. Nam duo illi quibus in via apparuit Dominus, quum jam appeteret veſpera, domum ingreſſi ſunt, ubi tempus aliquod incipiendæ Cœnæ datum eſt. Inde agnito Domino ſtatim reverſi ſunt Hieroſolymam, ut iſta Diſcipulis nunciarent. Jam vero cum Emmaus unde regreſſi ſunt ſexaginta ſtadiis ab urbe diſtaret, ut diſerte dicit Lucas, certe ut maxime etiam properarint, nonniſi valde profunda jam nocte potuerunt ad Diſcipulos pervenire, in quod tempus haud ſatis ſcio an Diſcipuli Cœnam rejecerint; ut & maxime ſit probabile Chriſtum ipſis lugentibus & precantibus potius quam cœnantibus interveniſſe.* Ego autem non putem per illa menſæ Accubitum poſſe heic everti; quando poſt itionem variis ex cauſis

po-

potuit Emmaunte Cœna accelerari, & in illius diei confusione communi Apostolorum Cœna eorum Jerosolymitana ita differri, ut plane finita nondum esset, cum reverterentur Duo Emmauntici, quorum festinatio in reditu etiam constet ex Cœna adhuc durante, nec erat in Accubitu necessario ad edendum aliquid culpabile quod Christi ad illos accessum arceret. Interim dubito, an illud verbum ἀνακεῖσθαι, quod communissimè ad Accubitum Mensæ applicatur, *coll. Marc.* XIV. 18. *Luc.* VII. 37. *&c.* etiam ubi mensæ sive esus nulla additur expressa mentio, per se & necessario prorsus illuc ducat; an vero etiam intelligi queat de *Conjessu*, seu Mansione amica & tranquilla congregatorum. Quorsum nos ducere mallet *Beza*; *Una sedentibus*, *i. e. cum una domi essent &c. Itaque existimo*, ἀνακειμένοις *optime hoc loco explicari posse* συνηθροισμένοις, *vel* συνηγμένοις, *quibus verbis utuntur Lucas & Joannes eandem historiam narrantes. Ponitur enim* ἀνὰ *pro* σὺν *interdum*, *sicut in isto Homeri Versiculo Iliad.* α. Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ, *ut* τὸ ἀνακεῖσθαι *idem valeat quod* συγκεῖσθαι, *quod etiam declarat simul & una esse*, *ut in illo Sophoclis*, βαλεῖτε χ' ἡμᾶς τρεῖς ἐμοῖ συγκειμένους. Sed absque necessitate magna, uti liquere attendentibus potest. Dum quod deinde de Esu Christi sequitur *vers.* 41–43. in utramque partem urgeri posse videtur.

IV. In illo Statu Discipulorum Jesus ipsis, uti antea duobus ambulantibus *vers.* 12. ἐφανερώθη, seu *apparuit*, secundum *Vulgatum*, seu *conspicuum sese præbuit*, ἐφανέρωσε ἑαυτὸν, apud *Bezam*, ita quidem ut palam agnosceretur ab eis, secundum *Marcum vers.* 14. ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, καὶ λέγει αὐτοῖς, εἰρήνη ὑμῖν, apud *Johannem vers.* 19. ἀυτὸς ὁ Ἰησοῦς ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ λέγει αὐτοῖς, εἰρήνη ὑμῖν, apud *Lucam vers.* 36. Quod *Jesus venerit*, solus habet *Johannes*, sic ostendere meritò visus, illum non illic visibilem nunc factum ubi antea invisibiliter secundum Humanitatem quoque adfuisset, sed ex alio priori loco præsentiæ suæ se illuc transtuliisse. Sed quod *in eorum medio*, seu apud eos communiter, & forte ipsum cum desiderio undique ambeuntes, vel aliter cingentes, *steterit*, subito & inexspectato iis præsentem se sistendo ad conspectum, quin & in erecto corporis situ præ sessione, ut vivere & vigere se ostenderet etiam sic, id habet cum *Johanne* etiam *Lucas*. Ad quæ

Quando Jesus subito se stitit in illorum medio dixitque, pax vobis.

rectè *Grotius* ſcripſit; *Subito inter ipſos adſtitit, ita ut qua veniſſet non appareret, &c.* Apud quem quæ deinde ſequuntur, *factum hoc Septimo Die poſt Paſcha, quali die olim Mare ceſſerat Iſraëlis populo, qui figura Chriſti*, illa quomodo intelligi queant, ut cum Euangelio conſiſtant, ego nullatenus capio. Quomodo autem hoc fieri potuerit, ubi *fores* erant *clauſæ*, id inquiri debere videtur. *Qui vero hinc colligunt*, inquit *Beza*, *Corpus Chriſti poſt Reſurrectionem fuiſſe ἀπειρίγραπτον, & huc tandem dilabuntur, ut corpus Chriſti velint eſſe Ubique inviſibili modo, non video qua tandem rationis ſpecie ſic didicerint argumentari. Nam contra ex eo quod dicitur eſſe ingreſſus, liquet eum antea ab eo loco in quem ingreſſus dicitur abfuiſſe, & poſtquam ingreſſus eſſet ab eo loco in quo antea erat receſſiſſe.* Ipſe præmittens, quæ decenter uti poſſunt intelligi debent; *Vel igitur ſponte patuerunt Chriſto fores domus illius ubi congregati erant, vel ipſi etiam parietes ei fuerunt pervii, quum iſta non fuerint ei factu difficiliora quam ſuper aquas ambulare*, nempe non per lapidum penetrationem, ſed ceſſionem in ejus uſum. Dum apud *Schmidium* lego, nec admodum male; *Sicut ſupra ſubitam Angelorum Apparitionem verſ.* 15. *expreſſit verbo ἐπέστησαν, ita hic ſubitam Apparitionem Jeſu verbo ἔστη Euangeliſta notat, quod nimirum non gradatim, aut neſcio quibus modis quos aliqui ſomniare videntur acceſſerit, ſed mox ex improviſo inter ipſos ſtare animadverſus fuerit, adeo ut ſe ſpiritum videre putarint. Nec obſtat, quod Joh.* XX. 19. *dicitur* ἦλθεν, *unde aliqui gradatim factum acceſſum probare conantur, quandoquidem & ſubitanea & quæ momento fiunt* (attamen non omnem ſucceſſionem prorſus excludunt tamen,) ἰλθεῖν *dicuntur Luc.* XXI. 35. 1 *Theſſ.* V. 2. 2 *Petr.* III. 15. *Apoc.* III. 3. XVI. 15. *Pertinet autem tota hujus membri hiſtoria ad Diem Reſurrectionis, ut Joh.* XX. 19. *patet. Neque cogitandum eſt, Diſcipulos illos Duos, quibus in via & Emaunte geſta narrantibus hæc facta ſunt, aliquot dies in redita ſexaginta illis ſtadiis tribuiſſe, ut Theophylactum cenſuiſſe quidam affirmare dicuntur.* Scilicet, non dicitur heic διὰ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *per fores clauſas*, quæ tales manſiſſent in ipſo aditu, quod naturæ veri humani corporis, licet glorificati, adverſaretur plane, veniſſe aut ſe ſtitiſſe heic Chriſtum, ſed dum & non obſtante hoc quod bene occluſæ à Diſcipulis fuiſſent, quas

ille

ille virtute ſua Divina facile ad introitum ſuum aperuit, etiam celerrime & præter auditum ullum à Diſcipulis ſtrepitum vel minimum; ſi non cum admiſſis Emmaunticis Duobus ipſe non obſervatus forte tum intraverit, quod mihi vix æque placet ac prius illud. Et hactenus non reluctor, quo minus heic agnoſcatur cum *Auguſtino*, *Cyrillo Alex.* & *Autore Quæſt.* CXVII. *ad Orthod.* ſpecies aliqua Miraculi, quod etiam maximum à Chriſto διαθρώπῳ merito exſpectes, ſine ulla ſic facta dimenſionum Penetratione. Quin & conferri huc patimur hiſtorias Apoſtolorum emiſſorum ex concluſis carceribus *Act.* v. 19 — 23. XII. 6. 7. 10. XVI. 26. *&c.* quos tamen corpora obvia penetraſſe nemo facile ſomniaverit. Nec impedimus, quò minus heic cogitetur cum aliquibus de januarum rarefactione, vel coarctatione verſus unum aut alterum latus, ut tranſitus pateret ad tempus; dum nobis magis arridet hoc, quod peſſulis, ſeris, aut catenis ablatis, januæ ſic ceſſerint ſine audito ſtrepitu intranti Domino. Qui ſe apud Diſcipulos ſiſtens viſibiliter, ita ut dignoſceretur optime, mox etiam ſe audiri fecit voce nota & ſimul blanda, *illis dicens*, *vobis pax*, erit, vel potius ſit, optativè & ſi placet imperative; addente *Syro* & *Vulgato*, *ego ſum*, *nolite timere*, & additamenti hujus patrocinium qualecunque ſuſcipiente etiam *Grotio*. Quæ ſolita fuit quam maxime ab ævo ſalutationis forma apud Hebræos, & eſt uſque in hodiernum tempus, *coll. Gen.* XLIII. 21. *Jud.* VI. 23. XIX. 20. I *Sam.* XXV. 6. *Pſal.* CXXII. 7. 8. *Luc.* X. 5. *&c.* dicens omnis generis Pacem & Proſperitatem, heic autem præcipue ſpiritualem, quam Chriſtus ita operatur ut etiam eam apprecetur ſuis, atque ita apprecatur ut etiam certo præſtet, *coll. Joh.* XIV. 22. *Eph.* II. 14. *&c.* Nec differt eadem formula magnopere ab altera illa χάιρετε, *gaudete*, qua Chriſtus ad Mulieres uſus eſſe fertur *Matt.* XXVIII. 9. vel & à Punica apud Latinos *avete*. Eſt vero illa Pax, & iſta ejus Dominica Apprecatio, certiſſimè Piorum & Credentium Diſcipulorum peculiare bonum; quod in præſenti ſtatu admodum erigere debebat Diſcipulos afflictos, & hos juvare in agnoſcendo Domino, quem coram ſimul videbant, uti ſemper maximi uſus eſt apud pios omnes.

V. Interim illi ad Viſionem & Auditum hunc Jeſu perculſi Diſcipulorum ad hanc

Conturbatio qui putabant se ſpiritum videre,

ſi fuere haud leviter *verſ.* 37. πτοηθέντες δὲ ἡ ἔμφοβοι γενόμενοι ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν. Primum participium πτοηθέντες, etiam lectum *Luc.* XXI. 9. uti πτοήσις exſtat I *Pet.* III. 6. *conturbati* apud *Vulgatum*, *conſternati* apud *Bezam*, illuſtraturus *Schmidius* dixit, πτοέομαι, *quod & πτοιέομαι nonnunquam, eſt voluptate attonitus ſum, deinde in genere, quocunque modo percellor, attonitus fio, hæreo obſtupefactus, intentus & cum deſiderio magno aſpicio, ut & hoc loco &c.* Quamquam vero hic Diſcipulorum ſtupor aliquid lætitiæ admiſerit, *coll. Matt.* XXVIII. 8. *&c.* prævaluit tamen ab initio Metus, à quo dicuntur ἔμφοβοι γενόμενοι, *conterriti*, vel *expavefacti*, valde, hinc erectione opus habentes, ad tam ſubitum & inexſpectatum prorſus eventum; atque ſic ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν, *ſpiritum ſe videre exiſtimabant*, vel *putabant.* Ubi miror excurſum longiſſimum *Schmidii*, de vario uſu nominis *ſpiritus.* Ad iſta vero notavit *Beza*; *Hieronymum in Eſa.* XVIII. *dicere Euangelium Nazaræorum pro ſpiritu habere incorporeum Dæmonium, quod nullo modo recipiendum eſt, quum Dæmonii nomen ſolis impuris ſpiritibus in his libris tribuatur.* Ex adverſo *Grotius* habet; *Eſt id eo minus repudiandum, quod Ignatius, qui Apoſtolos ipſos hæc referentes audire potuit, Chriſti hanc perſuaſionem refellentis verba hunc in modum recitat,* ἡ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς, λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον *&c. Qui locus eo minus ſuſpectus eſſe nobis debet, quod ita ut nunc legitur jam olim laudatus ſit ab Euſebio, ſicut & locus proxime præcedens ab Hieronymo. Quæ ni fallor ad loci hujus interpretationem non parum pertinent &c.* Ego autem haud multum video adjumenti ex ſubſtituto nomine uno pro altero, quando nec Spiritus aut Angeli nomen ad bonos, nec Dæmonii illud ad malos per ſe eſt reſtrictum, qualem tamen & hoic ſpectari noluit *Grotius*; *nam*, inquit, *id genus ſpiritus ſolebant apparere in ſpecie hominum mortuorum, quo modo Hebræorum plerique hiſtoriam de Samuele à Pythoniſſa evocato interpretantur.* Neque intereſt multum, an per *ſpiritum*, ſine indicio boni vel mali heic memoratum, intelligas Spectrum quodcunque ſeu *Phantaſma Matt.* XIV. 26. ſenſibus ſe exhibens vere quidem ſed ſine ſubſtantia corporea; an vero *Angelum*, qui in phantaſmate ad conſpectum ſe ſiſteret, *coll. Act.* XXIII. 9.

9. *Joh.* XII. 29. *Act.* XII. 15. *&c.* Certe, quodcunque Discipuli heic *existimaverint*, vel *putaverint*, fuit opinio illorum vana, falsa, & simul terrifica, quæ ipsis minime conveniebat post acceptum dudum nuncium Dominicæ Resurrectionis. Dum alienum est, eos cogitasse de Spiritu ullo humano hominis mortui vel vivi, aut etiam Christi ipsius in assumpta specie corporis ejus, quando tanta heic terroris causa vix adfuisset. Sed & lætantur heic nonnunquam mortales de iis quæ terrere deberent, & terrentur ab iis quæ ad gaudium excitandum valent. Vide & heic, si placet quæ de Distinctione Judæorum inter *Angelos & Spiritus & Dæmonia* habet *Ligtfootus*; aliud non concipiens *jam conceptum fuisse à Discipulis, quam quod revera non esset Christus in propria persona ut resuscitatus à mortuis, sed Spectrum tantum, eo adhuc defuncto, in ejus forma*; dum *Act.* XXIII. 9. Pharisæos intellexisse vult, *apparitionem alicujus Prophetæ, vel alius Sancti defuncti* potius, quam *aliquam animam cui nunquam creatum est corpus*, propter gentis sententiam communiorem de *Apparitionibus Defunctorum.*

VI. Excutere porro hunc terrorem inanem cum opinione falsa voluit mox Dominus ipse, per *Sermonem suum* prolixum, & fere *Trimembrem*, Redargutorium ab initio, Confirmatorium principaliter, & Instructivum per modum Conclusionis. *Redargutorium* reperimus *vers.* 38. *Et dixit eis*, Jesus Discipulis attonitis, τί τεταραγμένοι ἐστε; καὶ διά τι διαλογισμοὶ ἀναβαίνουσιν ἐν τῷ καρδίαις ὑμῶν; *quid perturbati*, seu *commoti estis? & quare in vestris cordibus ratiocinationes ascendunt?* Sic ponitur res ipsa in Discipulis, & simul eadem magnopere improbatur à Domino rogante eos hunc in modum. Res hæc est, quod ipsi *essent perturbati*, seu valde commoti mente & corpore, ut solent homines ad rem novam & magnam sibi non exploratam satis respectu rei aut modi, qualis erat Visus & Auditus Jesu Redivivi, quem Spiritum esse putabant *vers.* 37. Deinde, quod *in corda*, vel & *cordibus*, seu mentibus, *eorum*, hinc *ratiocinationes*, seu *disceptationes* variæ, *ascenderent*, seu enascerentur, imo simul foverentur, & sic augerentur, de eo quem viderent & audirent apud se, & de modo, & de fine omni. *Varias* nominat *Beza, & perplexas cogitationes, quales solent in mentem venire, cum aliquod novum & per se probabile* (legendum forte, *im-*

Sermo Christi ad Discipulos Redargutorius.

*improbabile) occurrit.* Dum *Schmidius* dicit *ratiocinationes dubias & in diverſas partes.* Eſtque phraſis eadem quæ legitur *Luc.* III. 15. Διαλογιζομένων πάντων ἐν τῇ καρδίαις αὐτῶν περὶ τοῦ Ἰωάννου, μήποτε αὐτὸς εἴη ὁ Χριστός. Et de qua *Grotius*; *Loquutio in libris Prophetarum frequens, quam & Paulus ſequitur* I *Cor.* II. 9. *Sic Latinis ſubire aliquid animum dicitur. Cogitationes autem intelligit in partem ſequiorem proniores, ſic Dan.* II. 28. Dum *Pricæus* etiam adduxit illud *Act.* VII. 23. ἀνέβη ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῆ &c. quæ *locutio ſit ſæpe apud Prophetas, nec ita Hebræos tantum & Helleniſtas, ſed & interdum Romanos loqui,* ſecundum illud *Virgilii, quæ nunc animo ſententia ſurgit? ubi Servius, tranſlatio corporis ad animum.* Hoc autem, quod heic præcipuum eſt, notari omnino magis debet, Διαλογισμὸς nos vi & uſu frequenti vocis fere ducere ad ratiocinationes illaudabiles, *coll. Matt.* XVI. 7. 8. τί διαλογίζεσθε ἐν ἑαυτοῖς, ὀλιγόπιστοι; *Marc.* II. 6. ἦσαν δέ τινες τῶν γραμματέων ἐκεῖ καθήμενοι, καὶ διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, τί οὗτος οὕτως λαλεῖ βλασφημίας; &c. uti & Chriſtus nominavit διαλογισμὸς πονηρὸς *Matt.* XV. 19. &c. & Paulus dixit *Rom.* I. 21. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, I *Cor.* III. 20. κύριος γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν σοφῶν, &c. Utique heic Ratiocinationes iſtæ palam damnantur, una cum Perturbatione juncta, à Domino, quando ille rogat tam emphatice, τί, *quid* hoc eſt? aut ſibi vult? καὶ διατί, & *quare* id fit, & ita ſe habet? Ad quam phraſin poſteriorem *Schmidius* vult, *notari differentiam inter has interrogationes,* Διὰ τί, εἰς τί, & ἵνα τί; *de qua quidem ad Matt.* IX. 4. *etiam aliquid dictum eſt. Nam* διατί *quærit de cauſa antecedente, & in reſponſione ſubjicitur* διὰ *vel* ὅτι, *tametſi hæ particulæ non raro omittantur, quum non ſemper Conjunctione aut Præpoſitione ſermo opus habeat, coll. Matt.* XIII. 10. II. XVII. 19. 20. *Luc.* XIX. 31. &c. εἰς τί *vero &* ἵνα τί, *quærunt de Cauſa finali & ſequente, ut Act.* VII. 26. *Matt.* IX. 4. XXVI. 8. &c. Quod etiamſi ut plurimum obtineat, ego tamen dubito an perpetuum ſit, ob magnam Cauſæ Impulſivæ & Finalis convenientiam. Enimverò non ſunt iſta Chriſti redarguentis verba per ſe tam ſevera, ut non per pronunciationem blandiorem poſſent videri ſuo modo conſolatoria. Sed ad eorundem pronunciationem oppoſitam nos manifeſte duxit in his *Marcus*

*verſ.*

*verſ.* 14. καὶ ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν, καὶ σκληροκαρδίαν, ὅτι τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν ἐγηγερμένον οὐκ ἐπίστευσαν, quæ non aliorſum quam ad hanc Interrogationem ſpectant; cui aliæ voces tamen etiam junctæ eſſe potuerunt, à *Luca* non narratæ, dum nec ipſam illam interrogationem tradidit *Johannes*. Fuit igitur hæc Perturbatio cum Ratiocinationibus, à Jeſu culpata, juncta omnino cum *Incredulitate*, multa adhuc reliqua, imo cum *Cordis*, cedere vel flecti plene neſcii, aut ſaltem ad hoc tardioris, *Duritie*, non tamen illa totali quæ in perditis hominibus obtinet per commune vel ſpeciale Dei judicium; ubi poſt Vaticinia Prophetarum & Chriſti ipſius monita repetita, teſtibus αὐτόπταις ejus Redivivi cœlitus ad hoc miſſis fidem non habuerant hactenus, imo ne nunc quidem oculis & auribus ſuis propriis credere videbantur per iſtam Perturbationem & Ratiocinationes ſuas. De Reſponſo aliquo Diſcipulorum cum nihil habeant Euangeliſtæ, neque illud datum ſit neceſſario vel probabiliter, merito *Beza* ſcripſit; *Hic obſervat Eraſmus ex Hieronymi Dial. II. adv. Pelagianos, in quibuſdam Marci exemplaribus, & maxime in Græcis Codicibus, hæc ſcripta fuiſſe. Et illi ſatisfaciebant dicentes, Seculum iſtud Iniquitatis & Incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam. Sed quam parum hæc verba conveniant Apoſtolorum perſonæ, & quam impudenter Marco tribuantur, non eſt opinor cur pluribus oſtendere conemur.* Juſte reprehenſos Diſcipulos obmutuiſſe vix dubitamus, dum ad attentionem ulteriorum verborum ſuorum ſic eos impulit Dominus; qui eſt decens fructus redargutionum, ubi pii ſe eis dignos oſtendunt, minime prætermittendarum apud hos ipſos.

VII. Altera Dominici Sermonis ad Diſcipulos ſuos Pars Principalis, qua Fidem ſuæ Reſurrectionis in illis *Confirmat*, apud *Lucam* longe eſt prolixior, & nos ducit, partim ad mandatum ſui *Viſum & Tactum verſ.* 39. 40. partim ad poſtulatum *Eſum verſ.* 41–43. partim ad *Scripturas* Veteres *verſ.* 44–47. De quibus nihil occurrit apud *Marcum*, & parum valde apud *Johannem*, prorſus tacentem de Redargutione facta. Sic enim poſtremus hic ſcripſit; καὶ τοῦτο εἰπὼν, ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας, καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ, *& cum hoc dixiſſet*, non quod ſequi-

Viſus & Tactus ſui à Chriſto mandatus, per quem liqueret eum non eſſe ſpiritum.

tur de manibus & latere, ſed potius quod præceſſit de ipſius Salutatione, non negatis interim pluribus verbis quæ non recitat, *iis*, diſcipulis congregatis, *manus, & latus ſuum oſtendit*, non negans idem de pedibus, neque etiam excitationem connexam ad videndum & tangendum, uti *de latere* heic nihil habet *Lucas*. Ita nempe rem eſſe geſtam, plenius ex *Luca* diſcimus. Cum faciem Domini notam quidem ſed glorioſiorem jam intuerentur Diſcipuli, in qua ſigna nulla eſſent convictiva ab hoſtibus impreſſa, aut talia quæ verbis expreſſis ſic determinari poſſent ad Diſcipulorum captum, ad alia Membra Videnda & Tangenda provocat eos, per quæ convinci debeant de Se Redivivo præſente; Ἴδετε τὰς χεῖράς μου, καὶ τοὺς πόδας μου, ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι, ψηλαφήσατε με, καὶ ἴδετε, ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα, καὶ τοῦτο εἰπὼν ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας. Nempe *manus ſuas*, ante pedes poſitas quod promptius protenderentur ad viſum aliorum, ſed & *pedes ſuos*, vult *videri*, indubie non propter ſe ſed propter clavorum ſigna in crucifixione illis impreſſa, *coll. Joh.* XX. 25. 27. Quæ membra ergo vere habuit; eademque ſpecie & numero in Reſurrectione receperat, ſervatis non obſtante immortali gloria corporis illis Vulnerum ſignis, ad convictionem Diſcipulorum, eousque ſi non forte ulterius ad ipſum Reditum Judicialem, de quo heic non eſt ut diſputemus ex *Zach.* XII. 10. & *Apoc.* I. 7. Idem *de Latere* confoſſo in Cruce cogita ex *Johanne*. Iſta autem membra juſſi *videre*, ſimul mandantur hinc perſpicere, *quod ego*, inquit Jeſus, *ſim ipſe*, ille Dominus veſtet Crucifixus, non alius quiſquam. Ne mera ſpecies mei externa heic præſumatur etiam à Vobis, ψηλαφήσατέ με, *palpate me*, apud *Vulgatum*, ſeu *contrectate me*, apud *Bezam*, quod *non plus efficit* ſecundum *Pricæum*, manibus veſtris ad iſta membra mea viſa juxta reliquum Corpus meum etiam admotis ſine metu omni, & diligentiſſimo ſic examine inſtituto, ad fraudis & phantaſiæ omnis vanæ excluſionem irrefragabilem. Atque ſic *videte*, mente ad teſtimonium ſenſus utriusque attendente decenter, prout & ad alios præter Viſum ſenſus τὸ *videre* refertur ſæpius, *Job.* II. 23. *Act.* IV. 13. *&c.* monente etiam *Grotio*, quod ego nempe ſim ipſe, ille veſter Magiſter & Dominus. Addita hac adhuc ratione

tione, quæ ad Identitatem Specificam magis quam Numericam ſpectat, & ſimul ad Contrectationem præ Viſu; *quoniam ſpiritus*, ſive Phantaſticus ſimpliciter in aëre apparens, ſive etiam Angelicus ſub phantaſmate aſſumpto latens, *carnem & oſſa*, ſeu partes illas humani corporis molliores & duriores, & quæ ad has ſpectant in hoc corpore plures, *non habet*, ex communi conſenſu, *ſicuti me habere* omnino bene *conſpicitis*, per oculorum & accedens illique conveniens manuum veſtrarum teſtimonium. Unde exulare à vobis debent deliria talia de Spiritu à vobis viſo qualicunque, pro me ipſo. Prolixior in iſtis illuſtrandis eſt *Pricæus*; *Quaſi diceret, ubi rerum teſtimonia adſunt, quid verbis opus? Ulyſſes*, apud *Ovidium &c. Apud Achillem Tatium Lib. VIII. ille* Ζῶσαν βλέπεις &c. ὃ γὰρ δὴ τοῦτο τὸ κόρης ἐστὶν εἴδωλον, &c. Ψηλαφήσατέ με, *corpus, non ſpectrum, me eſſe hoc modo deprehendetis, tangere enim ac tangi niſi corpus nulla poteſt res. Quintilianus X. Declam. Non inani perſuaſione, nec cogitationibus lugentis ficta umbra veniebat, ſed filius erat, qualis aliquando & juvenis & pulcer habitu, nec aſpici tantum viderique contentus amplexus dabat.. Lucianus 2. Hiſt. Ver. de Animabus in Fortun. Inſul. civitate oberrantibus*, εἰ μὴ ἅψαιτό τις, οὐκ ἂν ἐλέγχειν μὴ εἶναι σῶμα τὸ ὁρώμενον. *Chryſoſtomus ad Joh. XI. 20. juſſit Lazarum ſolvi, ut tangentes noſcerent vere eum reſurrexiſſe. Euthymius ad Matth. 28, tenuerunt pedes ejus, non prohibuit ut per tactum certiores efficerentur quod phantaſma non eſſet. Umbra Palinuri ad Æneam Æneid. VI. da dextram miſero, ubi Servius, præſta auxilium, umbra enim nunquam tenetur, &c.* Nec non *Grotius*; *Homerus de Mortuorum Animis locutus*, ὃ γὰρ ἔτι σάρκας τε νεῦρά τ' ὀστέα ἔνες ἔχουσιν. *Maximus Tyrius*, ὃ γὰρ σάρκες αἱ δαιμόνων Φύσεις, &c. *Solent quidem Dæmones apparere in ſpecie hominum, ſed ea ſpecies ſoliditatem non habet, & ſi quis cum fiducia propius intueatur, facile reperiet ſpeciem à re diſcrepare. Sed terror plerumque impedit, ne res accurate dijudicetur. Quod ſi quis tactum adhibeat, multo magis apparebit diverſitas. Species enim ex aëre ut plurimum conformata tactum non patitur. Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno. Unde* Φαντάσματα *& nomen id genus imaginibus datum eſt. Apollonius apud Philoſtratum*, λαβέ μοι, ἔφη, κἂν μὴ διαφύγω σε, εἴδωλον εἰμί σοι ἐκ Φερεφάττης ἥκον, οἷα

φαίνεσιν οἱ χθόνιοι θεοὶ, εἰ δὲ ὑπομένειαμι ἁπτόμενος, πεῖθε καὶ δάμιν ζῆν τέ με καὶ μὴ ἀποβεβληκέναι τὸ σῶμα. *Tertullianus, Epiphanius, atque alii contra Marcionem diſputantes, probant Chriſti corpus non fuiſſe phantaſma, quia tangi potuerit.* Interim *objicientem aliquem* introducit idem *Grotius, Angelos interdum apparuiſſe piis hominibus, tactos quoque, & cibum ſumpſiſſe, neque tamen tot indiciis potuiſſe cognoſci.* Ad quæ ille; *Facilis eſt reſponſio, viſos eos, ut Tertullianus loquitur, in carne vera & ſolida, etſi non nata; qui & alibi dicit, facile habuit veram dediſſe ſubſtantiam carnis, vel qua proprius auctor & artifex ejus. Diabolus autem, ut cum eodem Tertulliano pergamus loqui, phantaſma infert, cujus non valet veritatem. Solvit autem Chriſtus id quod Apoſtolis occurrebat περὶ φαντάσματος, de Angelo non ſolvit, quia id non putabant, neque vero id opus. Nam certum erat Angelos non mentiri. At is qui apparebat Jeſum ſe eſſe profitebatur. Aut ergo Dæmon erat, quod non eſſe adhibito ſenſuum judicio probatur, aut ipſe Jeſus.* Sed dubito magnopere, an iſta reſponſio ſtare queat tanquam ſatis ſolida, quæ conſiſtit fere in ea hypotheſi, quod ſolidi corporis ſpeciem contrectabilem exhibere queant Angeli Boni equidem, ſed minime ſimiliter Mali, de quibus heic unice cogitaverint Diſcipuli, in quorum uſum præſentem unice & hæc Chriſti demonſtratio fuerit directa. Atqui hoc ego non ita determinare auſim, quouſque Angelorum Bonorum præ Malis potentia ejusque exercitium per Dei cooperationem extendatur. Dum hoc nobis ſufficere reſponſi loco videtur, quod non modo viſibile Phantaſma merum careat ſolida Carnis & Oſſium ſubſtantia, qualis contrectatione deprehenditur; ſed & Spiritus, ſive Mali ſive Boni, Natura ab ipſis conſtituendis excludat Carnem & Oſſa tractabilia. Dum horum Aſſumptio temporaria, ad ſe in his manifeſtandum hominibus, non debet unquam temere præſumi, neque heic erat per circumſtantias omnes certiſſime præſumenda. Atque iſta quidem *dicens* Chriſtus, ſive *hoc dicto*, τοῦτο εἰπὼν, *manus & pedes*, ſuos characteribus ſuis facile dignoſcendos, *illis*, Diſcipulis ſuis, *oſtendit* ipſo actu, ita videndos bene & tractandos diſtincte offerens, ut nec ipſi id recuſaſſe unum magis quam alterum, ſed ex adverſo feciſſe prompte ſint cenſendi merito. Ita ut huc

appli-

applicare liceat quoque illud 1 *Joh.* 1. 1. ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς.

VIII. Quidni vero heic liceat breviori digreſſione uti de *Spirituum Natura*; quam minime eſſe Corpoream, ſed prorſus *Incorpoream*, ex hoc loco etiam communiter aſſeri ſolet. Quo magis obſervamus, receptam hodie ſententiam iſtam à nonnullis magnopere impugnari, & Veterum opinionem renovari de Corpore in Spiritibus promiſcue agnoſcendo, etiam à quibuſdam qui alias pro Cogitatione Naturam Spirituum conſtituente pugnant, tam in Angelis quam in Hominibus. Sententiam noſtram de re ipſa diximus in *Comp. Theol.* tam de *Angelis*, Bonis pariter & Malis, à quibus ſit *removendum Corpus omne, tum in quo eorum Eſſentia conſiſtat, tum cum ſit completa, quod ad Eſſentiam illorum per unionem cum ſpiritu perinde ut in homine concurrat Cap. IX.* quam de *Animabus* noſtris humanis *Cap. XIII.* quæ etiam nequaquam ſint *Corporeæ*, ſed non magis, imo minus adhuc, *Meræ Cogitationes* dicendæ; propter ſequelas peſſimas, quas hinc fluere unusquiſque attendens facile & ſponte percipiet, ut non ſit opus illas prolixius heic monſtrare. Quod jam ad Argumentum ex his Chriſti verbis pro Spirituum Natura Incorporea attinet, illud nos omnino putamus poſſe & debere valere; quatenus *ſpiritus* nomen, tam per ſe quam per Hebræorum uſum & ſententiam, etiam in ipſo Phantaſmate quod contrectari nequit plane, nos ducit ad Subſtantiam Spiritualem, ſeu Humanam, ſeu Angelicam maxime, de qua in ſe hinc univerſaliter loquitur Dominus & abſque ulla limitatione; & quatenus in *Carnis & Oſſium* negatione ita directè ſpectatur ad illud quod Chriſtus ſe habere Corpus palam demonſtrabat, ut eo ipſo etiam excludat omne Corpus aliud, etiam ſubtiliſſimum, tanquam ejuſdem communis Naturæ oppoſitæ Spiritui, dum & Humanum Corpus præ aliis omnibus heic cæteroquin exigi videbatur, tum ob ſpeciem illam aſſumptam & repræſentatam ab illis apparentibus, tum ob operationes Humanis maxime ſimiles illis tributas. Per quas obſervationes concidere nos putamus; quæ de Phantaſmate heic per Spiritum deſignato, uti & de omni Corpore per Carnem & Oſſa nega-

Qua occaſione de Incorporea Spirituum Natura verbo dicitur.

ta non excluso, alii objecerunt ad hoc argumentum.

Esus ab ipso postulatus & sumptus in sinem eundem.

IX. Ad *Secundum* Membrum *Confirmationis* Apostolorum de Resurrectionis Christi veritate spectant ista *Lucæ vers.* 41–43. Ἔτι δὲ ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς χαρᾶς, καὶ θαυμαζόντων, εἶπεν αὐτοῖς, ἔχετέ τι βρώσιμον ἐνθάδε; οἱ δὲ ἐπέδωκαν αὐτῷ ἰχθύος ὀπτοῦ μέρος, καὶ ἀπὸ μελισσίου κηρίου, καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν. *Occasio* præcedit ejus quod Jesus dixit, & ipse ad factum Apostolorum fecit; quod *Dictum & Factum* tum subjicitur. *Occasio* est ista, quod *illi*, Discipuli Jesum videntes & contrectantes secundum Domini permissionem & jussum, essent ἀπιστοῦντες ἔτι, *non credentes*, tam plene & valide uti decebat, quidam si non omnes, *adhuc*, post auditum visum & tactum illum qui ipsos utique convicisse debuisset prorsus, quo etiam sensu de ἀπιστίᾳ *incredulitate* legimus *Matt.* XVII. 20. *Marc.* IX. 24. *&c.* non quidem nunc ex metu adeo quam *ab*, & *ex*, *gaudio*, valido quod intra pectus suum concipiebant. In quam rem recte scripsit *Grotius*; *Majus erat gaudium quam quod capere posset animus. Seneca Thyeste, Proprium hoc miseros sequitur vitium, Nunquam rebus credere lætis. Redeat felix fortuna licet, Tamen afflictos gaudere piget.* Sic *apud Æschylum Agamemnone Clytemnestra, cum Troja capta ipsi nunciareur, ait*, πῶς φῆς; πέφευγε τοῦπος ἐξ ἀπιστίας. Et plura etiam contulit ad defendendam hanc Historiæ Euangelicæ partem *Pricæus*; *Seneca Tragicus, misera mens incredula est, apud Terentium ille, quo plus cupio, minus credo. Hieronymus in Epist. de Avia Demetriadis, obstupuit &c. alienum habitum in nepte conspiciens, mater gaudio stabat attonita, utraque verum non credere quod verum esse cupiebat. Vid. Gen.* XLV. 26. *Apud Aristænetum* II. 14. *illa*, ὑπὲρ τοῦ σφόδρα ἐπιθυμεῖν ἐλάμβανε μέ τις ἀπιστία. *Catullus*,

*Quam te libenter quamque lætus inviso!*
*Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos*
*Liquisse campos, & videre te in tuto.*

*Apud Terentium Heautont.* III. 1. *senex ille ubinam est? ubi Eugraphius, parum credit gaudio quod sibi salus filii nunciatur. Alter apud eundem v.* 4. *Hecyræ, sic te dixisse opinor invenisse &c. Ubi Donatus, miro affectu inducitur vix adduci ad credendum quod gaudet. Valerius Max. inopinato percussi gaudio*

non

*non audiſſe ſe quæ andierant credentes &c. Ovidius, tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides.* Fuit interim iſta Incredulitas heic in Diſcipulis omnino conjuncta eum *Admiratione* haud exigua, ejus quod ad illorum ſenſus complures apparebat; attentione ſic adaucta nec Fide prorſus excluſa. Atque hinc *illis dicit* rurſus interrogando, an *aliquid βρώσιμον, quod manducetur* apud *Vulgatum, eſculentum* apud *Bezam &c.* vel *edulium, habetis heic* apud vos, non quod ipſi ſumatis adeo, quam quod mihi ſumendum detis? & quod ita ſubſtantiæ reſpectu ſit aptum ut ſumam, ut & ſimul ad eſum ſit modo paratum ſcilicet, & ut per ſumptionem meam quoque nihil vobis detrahatis magnopere? Ad quam Interrogationem, ſive verbis reſponderint ſimul, ſive non, Diſcipuli lubentiſſime & paratiſſime *illi ἐπέδωκαν ἰχθύος ὀπτοῦ μέρος, καὶ ἀπὸ μελισσίου κηρίου, piſcis aſſi*, potius quam alio modo cocti, ſive ſole ſive igne alio, nec minoris ſed majoris, *partem*, aliquam ſufficientem, & ſimul non *favum mellis* uti reddidit *Vulgatus*, ſed aliquid *de*, vel *ex*, *favo apiario*, vel *melleo*, quod foret loco condimenti cum piſce ſumendi, *dederunt*, ſeu *porrexerunt*, ſeu *obtulerunt*, ad ipſius rogationem; quod & *ipſe accipiens*, ſeu *acceptum, edit*, non clam aut deinde, ſed *coram eis*, videntibus & nunc prompte, ſive illud omne ſive partem tantum oblatorum ſic conſumpſerit. Quod poſterius ſupponitur in Additamento illo *Vulgati, ſumens reliquias dedit illis.* Ad quod *Grotius* ſcripſit; *Conſulendi & hic Veteres, nam præter Latinum Arabs quoque addit, καὶ λαβὼν τὰ περισσεύματα ἔδωκεν αὐτοῖς. Neque ut ſupervacuum videri poteſt, cum ad certiorem rei fidem pertineat, quod communem cum eo cibum Apoſtoli ſumpſerint. Nam Petrus hoc ipſum urget Act.* x. 41. *&c.* Et pro quo, licet non ita expreſſe addito, præſumptio eſt facilis ex liberaliori datione Diſcipulorum & temperantia Domini noſtri; dum in adverſum cogitari poteſt, non negato tamen omni Diſcipulorum Eſu proprio, de *parte piſcis* tantum data, juxta non favum mellis, ſed aliquid *ex* vel *de* illo. Apud Victum illum non eſt ut cogitemus de ratione myſtica vel alia *Piſcis* cum *Melle* dati, quam quod hic præ alio cibo ad manus eſſet, & forte Diſcipulis ob vitæ inſtitutum familiarior, *coll. Joh.* xxi. 9. 10. quin & præ aliis multis tenuior; utique

non

non de Piſcibus ſumendis præ Carne Animalium terreſtrium & cœleſtium, ſive ſemper, ſive in Jejunio, ad eſum noſtrum, qualem victus boni diſcretionem tanquam hypocriticam ſcimus à Paulo eſſe damnatam 1 *Tim.* IV. 2–4. quem textum alias illuſtravimus *EXERC. TEXT. XLIX. Parte IV.* Dum dubitari minime debet interim, quin Panem ad victum alium addi ſolitum etiam addiderint Diſcipuli ad Domini ſui uſum; uti & ejus alias fit mentio juxta Piſces *Matt.* VII. 9. 10. XIV. 17. XV. 36. *Joh.* XXI. 13. *&c.* Ex iſtis vero pro Accubitu Diſcipulorum ad menſam adhuc durante urgeri hoc poſſet, quod iſta Rogationis & Eſus Dominici proxima fuerit & veriſimillima occaſio, per quam etiam piſcem aſſum habuerint ipſi paratum in Domini uſum; ſed contra Accubitum eundem ex adverſo, quod tum vix fuiſſet Chriſti rogatione opus, quodque aliquid de Diſcipulorum Eſu cum Domino heic tum foret indicium. Quæ nec hinc nec inde ſunt demonſtrativa. Nemo autem facile Chriſtianus hoc Chriſti factum trahat ad aliquam ejus adhuc in Corpore Immortali durantem Indigentiam Cibi, aut famis moleſtiam quali ille in deſerto olim ſubjectus fuerat. Sed liquet ſatis ex ipſa connexione, ita egiſſe unice Chriſtum, ut de Veritate Reſurrectionis ſuæ Diſcipulos ſic etiam redderet certiores, *coll. Act.* X. 41. *&c.* κατ' ἐικονομίαν, dixit *Schmidius.* Dum *Pricæus* ſcripſit; *Non ergo ſpiritus, ut Angeli qui videntur quidem manducare Tob.* XII. 19. *ſed vere corpus.* Neque neceſſum eſt, ut exponamus nos, quid de cibo illo ſumpto porro in immortali corpore Chriſti factum ſit, aut quali modo ſe res alias habuerit, ubi Angeli in virorum forma apparentes etiam cibum ſumpſeruut, *coll. Gen.* XVIII. 8. *&c.* Dum Cibi hanc ſumptionem Dominicam contulit dudum *Auguſtinus Epiſt.* XLIX. cum *abſorptione aquæ*, quam non terræ ſitientis inſtar facit Terra ex indigentia, ſed *Solis radius* ex potentia.

Vaticinia ab ipſo laudata, non alio ſed hoc Eodem Tempore

X. *Tertia* & præcipua omnique exceptione vere major *Confirmatio* Diſcipulorum in fide Reſurrectionis Dominicæ petitur ex *Vaticiniis* Antiquis, longè ante rem geſtam à Deo datis populo ſuo; quæ à Domino prius narratur, ut jam olim quoque facta ſcil. *verſ.* 44. ſed deinde clarius efficacius & latius heic repetitur *verſ.* 45. 46. Vellet autem *Grotius*, hæc

cum

cum ſequentibus omnibus non tam ſpectare ad hoc idem Apparitionis Primæ apud Apoſtolos tempus, quam ad omnem Converſationem Domini cum Diſcipulis uſque ad Aſcenſionem, & continere adeo ſummam verborum illorum contractam. *Sequitur*, inquit, *ſumma ſermonum, quos per* XL. *dies Jeſus cum Apoſtolis ſuis habuit, quos quia ejuſdem erant argumenti tum Marcus tum Lucas neque hic tantum ſed in Actis* καθόμαδα *recitat. Vid. Act.* 1. 3. Nec aliter *Schmidius* cum aliis habet; *Secunda pars hujus Capitis, Hiſtoriam continens interjecti temporis inter Reſurrectionem & Aſcenſionem uſque ad finem verſ.* 49. *Etſi autem hæc quaſi veſpera diei Reſurrectionis acta hic ſcribuntur, tamen eadem toto reliquo tempore uſque ad Aſcenſionem Chriſtum cum Diſcipulis egiſſe Act.* 1. 1. 2. 3. *diſerte ab Euangeliſta aſſeritur, q. d.* εἶπε δὲ αὐτοῖς, *non tantum ſcil. hac veſpera, ſed per reliquos dies* XL. *uſque ad tempus Aſcenſionis.* Enimvero, uti neutiquam negamus, ad res eaſdem tanto magis explicandas & inculcandas Dominum ſæpius ſimilia prorſus vel quadantenus ad Apoſtolos dixiſſe, quod merito colligas, tam ex *Act.* 1. 4. quam ex ipſis Apparitionibus ſingularibus inter ſe collatis; ita nullam ego deprehendo rationem ſolidam, cur non illa quæ heic nobis occurrunt, tanquam per ſermonis continuationem dicta, addito etiam τότε *tunc verſ.* 45. admittamus tanquam modo cum reliquis præmiſſis à Domino prolata. Dum initiale illud, εἶπε δὲ αὐτοῖς, *dixit autem illis*, diſtinctionem quidem facit aliquam horum quæ ſequuntur à præcedentibus dictis, ſimul & ab actu edendi proxime nominato, ſed nequaquam monſtrat, ad tempus plane aliud vel & tempora alia ſpectare eadem.

XI. Ergo εἶπε δὲ αὐτοῖς, pro quo rurſus legitur *verſ.* 46. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, hoc vult, quod Jeſus per Eſum non abruperit plane ſuos Sermones præſentes, ſed *illis*, Apoſtolis congregatis, *dixerit*, porro & alia plura ſeu inter edendum ſeu eſu abſoluto. Et hæc verba ſunt ab initio *Narrativa* illa; οὗτοι οἱ λόγοι οὓς ἐλάλησα πρὸς ὑμᾶς ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν, ὅτι δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ μωσέως, καὶ προφήταις, καὶ ψαλμοῖς, περὶ ἐμοῦ. Res eſt, *quod in Lege Moſis, & Prophetis, & Pſalmis, ſcripta de ſe omnia impleri oporteret*; & ad Rei hujus traditionem facit, quod Chriſtus *hæc* dicat eſſe *verba, quæ*

Ubi ſermonis Chriſti pars Narrativa, de eo quod antea ipſos docuerit ex Lege Prophetis & Pſalmis.

*ad eos dixerat*, jam olim, *cum adhuc esset cum eis*. Pro eo, quod antea per διχοτομίαν de *Scripturis* Veteribus *omnibus* locutus erat *Lucas*, de *Mose & Prophetis omnibus vers.* 27. Psalmos sub his tunc comprehendens manifeste; nunc habemus heic earundem Scripturarum τριχοτομίαν, non minus aptam, quin & familiarem apud Hebræos, quæ & ex Systematibus Theologicis constat apud omnes. Latissime de ea heic egit *Ligtfootus*; in quibus cum sint quædam minus alias trita & obvia, lubet illa hac occasione non prætermittere intacta. *Nota*, inquit, *satis est partitio Veteris Test. in* אורייתא נביאים וכתובים / *Legem Prophetas & Hagiographa, abbreviate* אנך. I. *Libri Legis satis noti, eorumque Ordo. Nobis vulgo Pentateuchus, at nonnullis Rabbinorum Heptateuchus*, (Libro Numerorum Uno diviso in Tres *ad Cap.* x. 35. 36. ob *Nun* r bis illic inversum,) *& nonnullis Christianorum Octateuchus*; uti *Eulogio* apud *Photium Cod.* xxxvi. & ccxxx. *&c.* II. *Erat etiam Octoteuchus Prophetarum, Josue, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Ezechielis, Esaiæ, & Duodecim. Nam & Libri isti Historici sub notione Prophetarum lecti sunt in Synagogis, æque ac ipsi Prophetæ qui nominantur. Et præfixum iis vides in Bibliis Hebræis titulum* הנביאים הראשונים / *Prophetæ Priores, æque ac istis* נביאים אחרונים / *Prophetæ Posteriores.* Qua occasione addit etiam; *Rationem ordinandi sic Tres Majores Prophetas, ut Hieremias primum locum obtineat, & Esaias Ultimum, reddere Magistros in Bava Bathra, cum Liber Regum terminetur in Excidio, & Jeremias totus agat de Excidio, cum initium Ezechielis sit de Excidio, & finiatur in Consolatione, & cum Esaias sit totus in Consolatione, conjunxerunt Excidium cum Excidio, & Consolationem cum Consolatione.* Atque ex eo fonte solvendum putat dubium, quod vulgo oritur & multum exercet Interpretes, de *Jeremiæ* nomine posito pro *Zachariæ* illo *Matt.* xxvii. 9. Quam tamen solutionem minime esse solidam, varie ostendimus nos olim, sed breviter, *Exerc. Miscell. Disp. VII.* III. *Tertia pars Bibliorum inscribitur* כתובים / *Hagiographa. Atque hic etiam invenitur Octoteuchus à nonnemine*, laudato *Gregentii Tephrensis Dial.* in quo *Herbanus Judæus* fertur *Legi & Prophetarum Libris* addidisse *Octateuchum* καὶ περίλοιπα; quæ putat *Ligtfootus* constitisse ex Octo primum & dein Quatuor reliquis

quis Hagiographis, deinde monens illos *Scripturarum* nomine venire, ad *reſervandam eis ſuam dignitatem*, licet in Synagogis non legerentur, & quas ob rationes in illis præpoſuerint *Ruth* etiam ante *Pſalmos & Jobum &c.* IV. *In Verbis certe quæ tractamus quis aliud ſuſpicetur, quam quod Salvator alludit ad vulgarem illam & notiſſimam Bibliorum diviſionem, & quamvis Pſalmos tantum nominet, totum iſtud Volumen ſub eo titulo tamen includit. Nam dicas neceſſum eſt, aut eum omnes Libros iſtius tertiæ diviſionis, exceptis Pſalmis, excluſiſſe, quod non probabile, aut omnes eos ſub nomine Prophetarum incluſiſſe, quod præter morem, ſi ſub titulo Pſalmorum omnes non comprehenderit. Quod non excluſerit, ipſa dictabit ratio, nam in plurimis iſtius partitionis libris de ipſo ſcriptum eſt æque ac in Pſalmis, & quod non incluſerit intra titulum Prophetarum, dictabit etiam ratio, quia tunc loqueretur præter & contra vulgarem ſententiam & receptionem gentis. Minime ergo dubitamus, Apoſtolos illum intellexiſſe ut loquentem cum vulgo, & per Pſalmos intellexiſſe omnes Libros iſtius Voluminis, illos præcipue in quibus erat aliquid de ſe ſcriptum. Nam detur, Libellum Ruth quoad tempus hiſtoriæ & quoad tempus conſcriptionis primum locum ſibi vendicare potuiſſe, & de iſta Prioritate paſſim agunt Gemariſtæ, inter omnes tamen qui aliquid de Chriſto loquuntur primum locum merito obtinet Liber Pſalmorum, ut hoc nominato reliqui etiam ſubintelligantur.* Poſt quæ omnia rurſus vanam hypotheſin ſuam inculcat; *Sic Matthæum Cap.* XXVII. 9. *ſub nomine Hieremiæ comprehendere totum Volumen Prophetarum, quod Hieremias fuerit Primus in iſto Volumine.* Nos, miſſa eorum omnium inquiſitione latiori, in *Moſis Lege* reperimus heic omnino ipſum illum magnum & celebrem Doctorem & Ducem Judæorum, tanquam veriſſimum Scriptorem, ψεύσευσον tamen vere, illorum Librorum qui ſub ipſius nomine à Judæis ad Chriſtianos pervenerunt, quod & contra *Spinoziſticas* ſuggeſtiones *Aben Ezræ* docet *Ligtfootus.* Et ſimiliter illorum Librorum, non tantum partem Præceptivam, quæ ſtrictiori & proprio ſenſu nomen *Legis* meretur, ſed denominatione à potiori inſtituto facta ſynecdochice ſecundum Judæorum morem laudabilem, non minus Hiſtoricam, & Propheticam intermixtam; quæ omnis quoque ad noſtram inſtitutionem & directionem inſtar Legis compoſita eſt. Re-

perimus ſimiliter in nomine *Prophetarum*, ipſorum poſt Moſen à Spiritu Prophetico impulſorum ſcripta, non iis ſuppoſita ſerius, ſed ab iis vere exarata & relicta poſteris; & ſimul illorum partes, tam Hiſtoricas & Doctrinales, quam Prædictivas, quocunque etiam vixerint tempore, antiquiori vel ſeriori. Et quod ad *Pſalmos* attinet, de quorum *Libro* etiam agitur *Luc.* xx. 42. *Act.* 1. 20. poſſent hi forte quidem non inepte heic cenſeri additi nominatim tanquam excellentes in Scriptis Propheticis, ſi διχοτομία Scripturarum veterum foret unice neceſſaria, quo pacto fere poſt *Diſcipulos* memoratur *Petrus*, qui tamen fuit verè de illorum numero *Marc.* xvi. 7. *&c.* Attamen non minus placet, ut à *Prophetis* reliquis diſtinguantur *Pſalmi*; non quaſi illorum origo à Prophetico Spiritu ſic negetur aut in dubium vocetur, ſed quod ſub alia forma Muſica ad Cantum vocalem aut inſtrumentalem ſint ſcripti hi; ſcribente amplius *Druſio*, quod nec *David* nec poſt eum *Daniel munus Propheticum obierit, ut Eſaias & reliqui qui Prophetæ vocantur tam priores quam poſteriores*, quod commoda aliqua explicatione apud nos eget. Sive *Pſalmi* tum comprehendant ſub ſe Hagiographa reliqua tanquam eximii inter eos prorſus, etiam in Chriſti ſcopum, quod & vult *Grotius*; ſive hanc eorum partem ſolam fere deſignent, tanquam in qua Vaticinia numero & verborum pondere plura de ſe reperiret Dominus. Utique in illis omnibus Scripturæ partibus, non tamen ſingulis partium illarum duarum vel trium membris, erant *ſcripta* plurima περὶ ἐμοῦ, *de me*, ut Mediatore ſeu Dei Filio incarnando humiliando & exaltando; quod ad τὰ γεγραμμένα ſeu *ſcripta* longe potius per quandam tranſpoſitionem putamus referendum, quam ad ψαλμοὺς *Pſalmos*, cum qua voce tamen immediate jungitur, ac ſi heic haberemus *Pſalmos de ipſo*, agentes in oppoſitione ad alios non ita ſcriptos; licet non ſit de hac quoque re dubitandum, & quod Pſalmi quidam non omnes ſint Prophetici de Chriſto, & quod illos præ aliis ſpectaverit Chriſtus. Atque illa de ſe in iis ſcripta, non quædam, ſed *omnia*, & ſingula uſque ad apicem minimum, tam triſtiora quam lætiora, & tam lætiora quam triſtiora, dixit Jeſus, *impleri*, per eventum ſubſecuturum, *oportere*, ſeu implenda ſic eſſe certo, non per coactionem

nem quidem aliquam, ſed tamen neceſſario, ob factam illam prædictionem, ſecundum Dei conſilium, & convenienter etiam ſimul Divinis Perfectionibus, noſtrumque miſerorum ſaluti, *coll. verſ.* 26. *&c.* Et hoc quidem narrans Diſcipulis modo in memoriam revocat Dominus, dicens; *Hæc*, ipſiſſima illa cum & præ aliis multis, *ſunt verba*, *quæ ad vos*, Diſcipulos meos, *cum vobiscum adhuc eſſem*, tanquam homo mortalis converſans ante mortem, *locutus ſum*, clare ſatis & ſæpe, etiamſi ad illa non ſatis tum attenderetis neque uti decebat caperetis vel credideretis illa. Ad illam phraſin ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν, quam *Schmidius* illuſtrat ſimilitudine *alicujus poſt peregrinationem reverſi, & dicentis, quando etiam tum heic eſſem*, conferens etiam loca 2 *Theſſ.* II. 5. *&c.* notavit *Beza* noſter; *Atqui tum adhuc erat cum eis, ſed brevi prorſus diſceſſurus alio, nempe in cœlum, & vitam aliam cœleſtem nimirum & æternam victurus Deo, ut loquitur Paulus Rom.* VI. 9. Quo pacto nodum ille adſtringere videtur, magis quam ſolvere; qui tamen facillime ſolvitur, quoniam indubie heic Chriſtus ſpectat, non ad temporariam vel momentaneam aliquam apparitionem, ſed ad converſationem & manſionem cum iis ſtabilem & ſolitam ante mortem per ſimilem vitæ terreſtis conditionem cum Diſcipulis. *Quotidiano ſcil. Convictu, nam tum tantum* κατ' οἰκονομίαν *illis aderat*; inquit *Grotius*. Videtur autem idem *Grotius* illud, οὗτοι οἱ λόγοι, *hæc ſunt verba*, non tam retuliſſe ad illa quæ ſequuntur, quam ad illa quæ ipſi loquenti Jeſu jam evenerant, ac ſi nunc demum diceret decuiſſe in iſtis vaticinia de ſe impleri, & hæc per modum rationis per ὅτι *quoniam* eſſent adjecta, iſtâ ſua paraphraſi; *Quod prædicenti mihi ſæpe non credidiſtis, aut quod prædictum non intellexiſtis, nunc re ipſa experimini*, laudatis ſimul textibus *Matt.* XVI. 21. XVII. 23. XX. 19. *Marc.* IX. 31. X. 34. *Luc.* IX. 44. XXIV. 7. *&c.* in quibus non niſi unus eſt *Luc.* XVIII. 32. 33. ubi anteceſſit illud *verſ.* 31. ἡ τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν; dum in aliis ipſe Chriſtus ſimpliciter vaticinatur quæ ſibi eventura erant.

XII. Sed quod narrat ſic olim ſe egiſſe generalius, id nunc etiamnum ubi antea fructum exoptatum in iis per inſcitiam & tarditatem non habuerat, perſequitur ſpecialius & diſtinctius *verſ.* 45. 46. 47. Audiamus heic *Lucæ* verba de Domino, & mox

Et præſens apertio eorum mentis, ut intelligerent Scripturas.

*Domini* ipſius quæ ille huic tribuit. Dicit enim *Lucas verſ.* 45. τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸ νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς. Notabilis heic quoad phraſin, magis quam rem ipſam, eſt diſſenſus de primorum verborum ſenſu. Nonnulli enim heic in nomine τὸ νοῦν, intelligunt *mentem*, ſive *ſenſum*, dictorum de Jeſu in Scripturis, *coll. Rom.* XI. 34. 1 *Cor.* II. 16. *&c.* in quam rem *Schmidius* legit, αὐτοῖς τὸ νοῦν, περὶ αὐτῶν, (neſcio an per errorem, cum illud in Variis Lectionibus notatum non animadvertam,) vertitque, *illis ſenſum Scripturarum*, uti & *Vulgatus* habet, *illis ſenſum*, quorſum conferri poteſt *verſ.* 32. ὡς διήνοιγεν ἡμῖν τὰς γραφάς. Sed alii communius cum *Beza* reperiunt heic αὐτῶν, non Legis Prophetarum & Pſalmorum, ſcriptorumque in eis, ſed Diſcipulorum audientium, τὸ νοῦν, *mentem*, ſeu animam, ſeu cor; quæ cum & præ Scripturis adapertione opus habet, per ſuam excæcationem & duritiem *coll. verſ.* 25. quamque & Jeſus præſtat ſuis extus per Verbum & intus per Spiritum, *coll. Act.* XVI. 14. *Eph.* I. 18. 2 *Cor.* IV. 4. 6. *&c.* Et hoc præſenti textui forte magis convenit, ut adeo *eorum*, ſeu Diſcipulorum, *mentem*, dicatur Jeſus *adaperuiſſe*, prædicatione & ſimul virtute Spiritus ſui illuminante & perſuadente, ita ut *Scripturas*, iſtas, non jam quoad verba ſcirent, & ubi reperirentur, ſed & decenter ſecundum eorum ſcopum, *intelligerent*, nunc longe magis quam antea, utique illud ſibi pro fine proponens. In quam rem laudabiliter ſcripſit *Grotius*; *Eventus optimus vaticiniorum interpres. Sed ne ſic quidem ſatis intelligi poteſt quid cui rei conveniat, niſi mens dono quodam ſingulari, quod* ἑρμηνείας *aut* ἐπιλύσεως *dici notavimus alibi, illuſtretur ab Inſpiratore Prophetarum. Juſtinus Coll. cum Tryphone*; δύεσθε ἂν ἡμᾶς ποτὲ, ὦ ἄνδρες, γνωσθῆναι ἐκ τῶν γραφῶν ταῦτα εἰ μὴ θελήματι τοῦ θελήσαντος αὐτὰ ἐλάβομεν χάριν τοῦ νοῆσαι; *Et alibi eodem Libro*; οὐδὲ γὰρ δύναμις ἐμοὶ τοιαύτη τίς ἐστιν, ἀλλὰ χάρις παρὰ θεοῦ μόνη εἰς τὸ συνιέναι τὰς γραφὰς αὐτοῦ ἐδόθη μοι. *In Clementis Conſtitutionibus legitur de Deo*, τῷ δυναμένῳ ἀνοῖξαι τὰ ὦτα τῶν καρδιῶν ἡμῶν εἰς τὸ καταδέχεσθαι τὰ διανοημένα τοῦ θεοῦ λόγια. *Origenes* IV. περὶ ἀρχῶν *de Scriptis ſacris loquens*; Διὰ τὴν εἰς ὑπερβολὴν χαλεπωτάτην ἕρμησιν τῶν πραγμάτων τοῖς ἀνθρώποις οὐ πάνυ σαφηνίζεται ὁ περὶ τούτων ἑκάστου λόγος, ἢ τί δεῖ λέγειν περὶ τῶν προφητειῶν. ἃς πάντες ἴσμεν ἀινιγμά-

νιγμά-

νιγμάτων καὶ σκοτεινῶν πεπληρῶσθαι λόγων; κἂν ἐπὶ τὰ ἐναγγέλια δὲ φθάσωμεν, κἀκείνων ὁ ἀκριβὴς νοῦς, ἅτε νοῦς ὢν τοῦ Χριστοῦ, δεῖται χαρίσματος τοῦ δοθέντος τῷ εἰρηκότι, ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν. *Quod deinde exemplis illuſtrat. Idem in Epiſt. ad Gregorium;* προσέχων τῇ θείᾳ ἀναγνώσει ὀρθῶς ζήτει καὶ χρῆ πίστεως τοῦ εἰς θεὸν ἀκλινῶς τὸ κεκρυμμένον τοῖς πολλοῖς νῦν τῶν θείων γραμμάτων, μὴ ἀρκοῦ δὲ τοῦ προύειν καὶ ζητεῖν, ἀναγκαιοτάτη γὰρ καὶ ἡ περὶ τοῦ νοεῖν τὰ θεῖα ἐυχή. *Et hæc quidem illi de dono γνώσεως. Nam de dono πρὸς πίστιν quid ſentiant, alibi expoſuimus. Utrumque donum ſimilibus verbis deſcribitur. Nam & his qui primum in Chriſtum credunt dicitur* διανοίγεσθαι ἡ καρδία *Act.* XVI. 14. *quod Juſtinus dixit,* φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας. Interim primo & directe heic magis ad Adapertionem Mentis externam ſpectari arguit hoc, quod *Lucas* ſubjicit, Chriſtum illud egiſſe, *dicendo eis*, ſeu ad eos loquendo, ea quæ ſequuntur nempe verba.

XIII. In his ſcil. Chriſtus ita egit palam, uti illum deprehendimus antea *verſ.* 27. apud Emmaunticos Duos, ἀρξάμενος ἀπὸ μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν προφητῶν διερμήνευεν. Incepit nempe à Scripturis, una poſt aliam, vix tamen omnibus & ſingulis quæ reperirentur, quod non erat unius temporis ob multitudinem; & hoc reſpectu dixit *verſ.* 46. 47. ὅτι οὕτω γέγραπται, ſive aſſertive, *ita ſcriptum eſt*, in hoc Moſis Prophetæ & Pſalmi loco, quod ſcire poteſtis & debetis, ſive ratiocinative, *quoniam ita ſcriptum eſt.* Ad quæ recte *Schmidius* notavit; *Quum Chriſtus Epiſcopus animarum* 1 *Pet.* II. 25. *ſemper ad Scripturam adduxerit Diſcipulos, ut & ſupra verſ.* 26. 27. 44. *patet, mirum qua autoritate* Ψευδεπίσκοποι *Romani &* αὐτοδιάδοχοι *Chriſti, ſepoſita imo interdicta Scriptura, Traditiones non ſcriptas ſed fictas & cujusvis arbitrio auctas vel mutatas Eccleſiæ obtrudere audeant*; addamus nos & propria ipſorum Dictamina, dum Jeſus ipſe Infallibilis ille & Divinus Doctor Scripturas pro ſe laudat, quod & Apoſtoli egerunt. Progreſſus vero Jeſus ad textuum adductorum Explicationem, *&* *ita*, dixit, ἔδει, *oportebat*, neceſſario & decenter ſecundum illas Scripturas, *Chriſtum*, illic depictum, *pati* non tantum, *& reſurgere ex mortuis*, hinc antecedenter omnino mori, *die tertio* quidem, in perſona ſua; ſed *& reſipiſcentiam*, à vanis opinionibus omnibus & operationibus malis, per dolorem de

Quarum argumentum multiplex enarrat & implendum fuiſſe vel eſſe monet.

iis ſerium cum averſione animi & converſione actuali ab *iis* junctam, *atque peccatorum*, omnium abſque diſcrimine & exceptione ulla in reſipiſcentibus, *remiſſionem*, ut nunquam in pœnam imputentur ſed ab hac liberentur omni plane, *prædicari* palam, κηρυχθῆναι, per illius inculcationem fervidam & hujus promiſſionem certam; *in illius nomine*, quod aut ad reſipiſcentiam cum remiſſione per ipſum agnitum & fidem in ipſum pertinet, *coll. Joh* xx. 31. *Act.* x. 43. 1 *Cor.* vi. 11. *&c.* aut ad prædicationem ipſius juſſu Divino ad ipſius gloriam & obſequium, qualis eſt Legatorum, *coll. Matt.* xxviii. 19. 2 *Cor.* v. 20. *&c.* quorſum vocum ordinatio, juxta argumentum *verſ.* 48. maxime ducere videtur, ſine negata ſic tamen re ipſa quæ per conſtructionem alteram expreſſius tantum deſignatur; & quidem, non inter Judæos ſolos amplius, ſed *in Gentes omnes* quoque, olim & hactenus impuras prorſus, abſque diſcrimine magis quam exceptione, per Dei liberrmimam ſapientiſſimam & ſanctiſſimam ſemper voluntatem; tandem ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, *à Jeruſalem*, ejuſque civibus & incolis tamen, *initio facto* iſtius prædicationis utilis & gratiſſimæ, propter promiſſiones huic factas, cui deinde ſe jungeret partim, & partim ſuccederet reliquus Orbis totus. Ubi in verbis vix eſt ulla difficultas, niſi quod de Conſtructione Participii ἀρχόμενον ſit aliquis diſſenſus. *Quod autem Eraſmus exiſtimat*, inquit *Beza*, *illud ad Chriſtum poſſe referri*, *non ob eam tantum cauſam repudiandum eſt quam ipſe commemorat*, *i. e. quia Chriſtus non cæpit ab Hieruſalem ſed Apoſtoli*, *verum etiam quia* κηρυχθῆναι *dixit*, *non* κηρύσσειν, *& res ipſa clamat Chriſtum hic agere de Apoſtolorum munere.* Dum *Vulgatus* habet, *incipientibus ab Hieroſolyma*; quando ſubintelligi monuit *Beza* cum aliis, *vobis.* Ipſe *Beza* reddidit, *incipiendo*; atque *Schmidius*, *initio facto*, *initium faciendo*, *ita ut initium fiat*, notans eſſe *Participium Imperſonale*, ut ἐξὸν, ἐκὸν, δόξαν, *&c.* Mihi vero maxime heic placet annotatio noſtri *de Dieu*; *Inſolens viſa eſt Viris Doctis conſtructio. Germanam Lectionem eſſe* ἀρξαμένων *arbitratur Eraſmus. Sed quia conſtanter repugnant Exemplaria, Cl. Camerarius vult* ἀρξάμενον *accipi abſolute*, *nimirum* τὸ κηρυχθῆναι *vel* τὸ κήρυγμα. *Si abſolute*, *ponitur pro* ἀρξαμένῳ, ℈ κηρυχθῆναι, *vel* ℈ κηρύγματι ℈. *Quod mihi quidem non videtur*,

*ſed*

*ſed accuſativum eſſe arbitror, qui regitur ad* ἰδεῖ κηρυχθῆναι. *Quod liquebit, ſi quod idem eſt* κηρυχθῆναι *mutetur in* γενέσθ κήρυξιν, *tum enim recte dicetur,* ἰδεῖ γενέσθ κήρυξιν μετανοίας &c. ἀρξαμένην ἀπὸ ἱερυσαλὴμ &c. *ſic* ἰδεῖ κηρυχθῆναι, &c. ἀρξάμενον &c. Quoad rem ipſam, iſtud evidenter conſtat, Chriſtum poſt adductas Scripturas ad id aptas, quas tamen nullas nominavit *Lucas* ſed à nobis facile dignoſcendas reliquit, oſtendiſſe ex iis omnia iſta capita ad eorum intelligentiam; quod Chriſtus, ſive Meſſias, non foret Rex mundanus, ſed ignominioſiſſimam etiam mortem pati deberet, unde ab hac ſcandalum nullum erat accipiendum; quod Chriſtus, non alter, ſed idem deberet deinde, nec longe poſt mortem illatam ſed intra triduum, ex mortuorum ſtatu glorioſe reſurgere ad vitam immortalem, quod hinc credi debebat; & quod per Euangelium de eo, in ipſius nomine annunciandum, primo quidem in Jeruſalem & apud Judæos, ſed & dein per Gentes omnes terræ totius, prædicandum eſſet Officium Reſipiſcentiæ & Fidei in eum, cum Beneficio Remiſſionis peccatorum lætæ, atque adeo hanc ſecuturæ Salutis æternæ, ad erigendum & firmandum per orbem ejus ſpirituale Regnum, quod hinc certo exſpectandum. Quæ cuncta haud difficulter etiamnum nos ex Vaticiniis veteribus aſſerimus. Uti & ipſe egit *Grotius*, in fine etiam conferens illud *Suetonii*, de *vulgata eo tempore fama, ex Judæa proditurum qui orbi imperaret*; quod ad Veſpaſianum peſſima adulatione tractum ſcimus à *Joſepho*. Et quis dubitet, quin iſta demonſtratio ex Scripturis Divinis claris, & certo implendis, omnem deberet merito tollere incredulitatem ulteriorem?

Mandatum & Promiſſum Chriſti cum Voto Pacis repetito.

XIV. Unde huc optime videmur nobis referre eum Fructum, quem poſt Oſtenſionem Manuum & Lateris, aliis prætermiſſis, addidit *Johannes Cap.* xx. 20. ἐχάρησαν οὖν οἱ μαθηταὶ ἰδόντες τ κύριον. Nempe Diſcipuli illi congregati, *Dominum videntes*, ipſi coram apud ſe deſideratum Redivivum, eumque ipſum eſſe convicti per argumenta tam palpabilia clara & irrefragilia, ita crediderunt in eum, ut hinc, excuſſo mœrore priori *gauderent*, gaudio ineffabili & glorioſo, quod per fidem etiam non videntibus tribuitur 1 *Pet.* 1. 8. Unde ad aliam tertiam, eamque Ultimam Sermonis Partem, *Inſtructivam*, mox tranſit Dominus à ſuis agnitus; quibus ille de Re-

ſurrectione ſua confirmatis, *Mandat*, quod agendum habebant, *verſ.* 48. & *Promittit*, quod exſpectandum erat, *verſ.* 49. Ubi tamen hoc ante novam hanc Sermonis partem, per modum Præloquii novi & Salutationis in Receſſu, addidit *Johannes Cap.* XX. 21. *Jeſus ergo illis dixit rurſum*, uti ab initio in Acceſſu egerat incognitus *verſ.* 19. de quo diximus §. *IV.* εἰρήνη ὑμῖν, *pax vobis*, ſeu erit, ſeu ſit! Quod nos ducere poteſt ad Voti hujus ſoliti integritatem, etiam durantem, juxta rem ipſam; ut ſimul non male referri queat forte ad mandandi Muneris impletionem actualem, in qua *Pax* illa omnis eos comitaretur dicam an ſequeretur conſtanter. Nec aliter fere Chriſtus reſpectu fidelium communiter agit per repetitas benedictiones quasvis, *coll. Joh.* XIV. 27. *&c.*

Ad Mandatum ſpectant illa Chriſti, eritis mihi Teſtes.

XV. Pro *Mandati* Dominici verbis habemus illa *Lucæ verſ.* 48. ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες τούτων, ſubſtituente *Johanne verſ.* 21. καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. Priora illa plurimi equidem vertunt in Indicativo præſenti, cum *Vulgato* & *Beza*, *vos autem Teſtes eſtis horum.* Quaſi ſic Chriſtus reſpiceret ſeu unice ſeu maxime ad ipſorum *Scientiam* certam, & ſenſu æque omni quam mentis attentione exploratiſſimam, de ipſius Reſurrectione vera & glorioſa. Quamquam nec deſint, qui ulterius progreſſi ad *Officium* ipſorum futurum juxta eam Scientiam putant præſens heic poni pro verè certo & cito Futuro, ἐστὲ pro ἔσεσθε. Quorſum tendit *Grotii* commentarius; *Vitæ nempe meæ, Mortis, & Reſurrectionis, quibus fundamentis totum illius annunciationis fundamentum ſuperſtruitur. Sed Reſurrectionis præcipue, ut nos docet Apoſtolorum Coryphæus Act.* I. 21. 22. *Nam ſi Jeſus reſurrexit, certe reſurrexit virtute divina. At quorſum Deus id feciſſe potuit, niſi ut palam oſtenderet verum eſſe quod ab ipſo erat annunciatum, ſectatoribus nempe ipſius, quantumvis antea damnabilis vitæ, patere Dei pacem ac proinde vitam æternam? Reſurrectio autem probari non potuit, niſi quomodo facta probantur, teſtimonio ſcil.* ἀνοπτῶν, *hominum probiorum nulla ex teſtimonio commoda ſperantium. Ponitur autem hic* ἐστὲ *præſens pro futuro* ἔσεσθε, *ut videre eſt Act.* I. 8. *Sic in ſequenti commate* ἀποστέλλω *eſt poſitum pro* ἀποστελῶ. Enimvero, ſi poſitum hic eſſet Futurum, uti *Act.* I. 8. ἔσεσθέ μοι μάρτυρες, id non minus Mandandi quam Prædicendi

vim

vim admittere posset. Ego autem, & respondenti huic apud *Johannem* phrasi, æque quam rei ipsius naturæ, convenientiorem forte puto significationem *Imperativi* in verbo ἐστὲ, ut dicat non *estis*, nec *eritis* per modum vaticinii, sed *este horum Testes*, quando alias communiter adhibetur γίνεσθε, præ quo illud ἐστὲ forte rei constantiam dicit. *Quod si quis*, inquit *Schmidius*, *Imperative accipere velit*, non *admodum errabit*. Dum ipse observat, *posse utrumque sensum*, Indicativum & Imperativum, *conjungi*; quod mihi quidem minus placet, ob certam formam Verbo utique tribuendam quod simul Indicativum & Imperativum esse nequit equidem. Non est tamen necessarius ille Verbi sensus Imperativus, quando Dominus in Indicativo Præsenti dicens, *vos estis*, sic spectare potest ad Missionem eorum seu Constitutionem, tum Præteritam, tum vel maxime Præsentem, quam deinde erant exsecuturi, secundum illud Johannis, *& ego mitto vos*. Ergo in *his*, τούτοις, spectatur heic manifeste, ad illa quidem quæ nunc gesta verissimè erant in Jesum & à Jesu, dum moreretur & resurgeret in suorum salutem; sed & simul ad eorum Prædictionem Propheticam, tam de iis quæ ad Mortem spectabant à nemine negatam aut negandam, sed cum omni ratione sua vera & salutari, quam de insecuta ejus glorioſa Resurrectione, & Bonis omnibus inde per fidem & resipiscentiam exspectandis ab omnibus absque discrimine gentibus, contra multorum negationem incredulam, quæ proxime erat memorata. Et horum *Testes* quando per ὑμεῖς compellati jubentur *esse* Apostoli, supponitur quidem *Scientia* eorum certa, absque qua Testimonium esset vanum & forte falsum, secundum illud Pauli 1 *Cor.* xv. 14. 15. 17. εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴ δὲ καὶ ἡ πίστις ὑμῶν, εὑρισκόμεθα δὲ καὶ ψευδομάρτυρες τοῦ Θεοῦ ὅτι ἐμαρτυρήσαμεν κατὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι ἤγειρε τὸν Χριστὸν, &c. εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, ματαία ἡ πίστις ὑμῶν, ἔτι ἐστὲ ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν &c. sed magis respicitur ad *Professionem* & *Prædicationem* ejus quod sciebant cum fundamento, in quo natura testimonii præcipue consistit, & absque quo sic dato nemo etiam maxime conscius dicetur testis, *coll. Joh.* 1. 7. 8. 15. *&c.* Est autem validior illa phrasis, *este testes horum*, quam hæc testamini; quatenus hoc ad actum modo aliquem

per ſe ſpectat, qui etiam ſingularis præter officium aliquod ſtabile eſſe poteſt, ſed illud magis ad munus nos ducit, conſtanti actu & opere exſequendum. Quin etiam heic agnoſci velim in Teſtium nomine vim vocis Græcæ μάρτυρες, *martyres*, quæ ad ſubeundas Afflictiones acerbas, cum Morte ipſa, pro teſtimonii dati confirmatione, ſimul nos ducere apta eſt; adeò ut & velit hoc loco Jeſus, Apoſtolos & Doctores alios, quin & Fideles promiſcue in profeſſione ſua ad eorum exemplum, non debere à teſtimonio dicendo aut continuando ad negationem aut revocationem abduci, per paſſiones, opprobria, & mortem ipſam alias probroſiſſimam, ſed ſanguine ſuo fuſo in morte teſtimonium ſuum obſignare, *coll. Matt.* x. 26. *&c.* Quod uti Dominus exegit à Diſcipulis ſuis ad proprium exemplum ſuum 1 *Tim.* vi. 13. *Apoc.* i. 5. *&c.* ita & hi fideliter exſecuti ſunt, ante & juxta tot Martyres qui ipſos maxime ex Doctoribus ſecuti ſunt.

Juxta illa apud Johannem, ſicut me ablegavit Pater, ita & ego mitto vos.

XVI. Et his Domini apud *Lucam* verbis reſpondere videntur omninò illa quæ *Johannes* habet; *ſicut me ablegavit Pater, & ego mitto vos.* Antecedens membrum ſimilitudinis dicam an exemplum præmiſſum ſpectat ad *me*, Chriſtum ipſum loquentem. Quem *Pater*, ejus ſecundum Deitatem unicus, cum ſecundum Humanitatem habeat nullum, ſeu ipſa Deitatis Perſona Prima, quæ illum vere & proprie ab æterno per Ejuſdem Eſſentiæ Communicationem, ſed non naturali & corporeo modo ullo in tempore, genuit, affectumque Paternum in ipſum & ipſius membra per & propter illum quoque demonſtravit, fertur *ablegaſſe*, à ſe in mundum quidem per Incarnationem, ſed & incarnatum porro ad populum ſuum, ut Prophetam magnum, ac Potentem dictis & factis, qui nempe conſilium abditum de ſuorum Salute vera & æterna per ſe in Gemino Statu procuranda & per reſipiſcentiam ac fidem in ſe obtinenda certo, non tantum explicaret clariſſime, & urgeret fervidiſſime, ſed & doctrinam eandem ſuam confirmaret, non tantum per intaminatam Vitæ Sanctitatem, & Opera quæcunque ſtupenda in orbe, ſed & Malorum maximorum & Mortis diræ tolerantiam conſtantiſſimam, *coll. Joh.* iii. 34. v. 36. 38. *&c.* Quod erat caput Chriſtianæ fidei plane neceſſarium, ad venerationem & obſequium ejus fiduciale,

*coll.*

*coll. Joh.* VI. 29. XVII. 3. *&c.* & ſatis perſpectum modo ejus Diſcipulis, *coll. Joh.* XVII. 25. *&c.* Alterum membrum conſequens per modum Apodoſios eſt; *Vos*, meos Diſcipulos, qui me Doctorem & Ducem præ aliis eſtis ſecuti dudum, & mihi conſtanter adhæſiſtis, *Ego*, pro poteſtate mihi à Patre facta tanquam ἀρχιποιμένι vere Divino, hinc mihi cum Patre communi prorſus, *mitto*, non jam per Nativitatem communem hominum generi univerſo & Providentiam ſpecialem, ſed per Ordinationem ad Munus Propheticum meo nomine gerendum apud populum meum, cui meam doctrinam, adeoque mortem & vitam glorioſam, annunciabitis potenter, cum ſignis neceſſariis mea virtute patrandis, imo & cum exitu ex mundo non plane diſſimili ei quem ego jam habui, *coll. Joh.* XV. 19–21. *&c.* Connectit porrò ſic loquens Dominus ſuam Ablegationem iſtam Paſſivam, & Activam Diſcipulorum, inter ſe per præmiſſum καθὼς, *ſicut*, & ſubjectum κἀγὼ & in κἀγὼ, abſque addito οὕτως, *ſic*, vel *ita*, quod neque heic habet *Vulgatus*, attamen intruſit *Beza*, præter neceſſitatem. Dum illo quidem potuiſſet uti Dominus, propter magnam utriuſque Miſſionis illius Similitudinem, ſed & non uſus fuit ille forte, ne totalem aut nimiam heic ſimilitudinem quisquam cogitaret, per quam diſcrimen juſtum inter Dominum & Miniſtros tolleretur vel ſublatum putaretur. Qualis inculcatur & agnoſcitur meritò emphaſis, v. g. *Joh.* V. 23. 26. *&c.* ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα *&c.* ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, *&c.* Dum omnino mihi diſplicent, quæ heic leguntur nimis ſuperbæ *Papiſtarum* gloſſæ, de *pari poteſtate & autoritate* cum Chriſto, qualem illi ipſo actu prorſus tribuunt ſuo Pontifici, licet ex hypotheſi de illa heic intelligenda Apoſtolis ea communiter conceſſa etiam ad alios Doctores referri deberet. Nec placere poſſunt valde, quæ apud ipſum heic lego *Cameronem*; *Hæc Apoſtolorum à Chriſto Miſſionis formula ſatis evidenter comprobat Apoſtolici Muneris Dignitatem, in Apoſtolorum authoritate & poteſtate, quæ fuit ſumma & incomparabilis, quomodo Pater me miſit, ſic & ego vos mitto, h. e. quomodo me ſolum & unum Pater in terris audiri voluit, eandem ego vobis facio poteſtatem. Eodem illa pertinent Luc.* XXII. 29. *quomodo Pater diſ-*

*posuit mihi regnum, ita & vobis ego dispono.* Quo loco neque illud ὅτως est in textu, sed & simpliciter legitur, κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατὴρ βασιλείαν. Sed quid sibi hoc vult, quod de Missione Discipulorum heic in præsenti tempore loquitur Dominus, *& ego mitto vos*, de sua locutus in præterito, *sicut me ablegavit Pater*? ubi tamen in ipsa solenni oratione sua ante mortem Christus dixerat in præterito *Joh.* XVII. 18. καθὼς ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν κόσμον, κἀγὼ ἀπέστειλα αὐτοὺς, εἰς τὸν κόσμον. Sed non est illa difficultas magna. Neque enim hoc necessum est ut ad eam tollendam cum *Grotio* dicamus; *ἀπέστειλα hic est, constitui mittere, quo sensu vocem dandi usurpari aliquoties monuimus.* Quando ille optime subjecit secundum ea quæ modo diximus; *Illud καθὼς aliquam, non omnimodam congruentiam significat, in ipso scilicet dogmate quod erat prædicandum, non in auctoritate.* Sed agnoscere decet Missionem Discipulorum jam ante dudum à Christo factam *Matt.* x. 16. *&c.* absque qua nec illi Doctorum munere functi essent rite; sed quam antea acceperant Missionem, hæc continuabatur modo, & renovabatur ad instantem Christi discessum, imo & augebatur multum, tam respectu Doctrinæ tradendæ cum ejus sigillo altero, quam Orbis erudiendi totius præter Judaicum. Quod si in hac Missione Discipulorum etiam præter Constitutionem & Mandatum Dominicum velis designari ejus Exsecutionem ipsam Actualem, hoc ipso Missionis momento; jam quidem sed alias minimè necessaria est annnotatio illa *Grotii*; *Mittam brevi, Præsens prò Futuro proximo.* Interim quid heic clarius est, quam verba hæc apud *Johannem* Domino tributa verum continere commentarium eorum, quæ apud *Lucam* deprehendimus, ὑμεῖς δὲ ἐστε μάρτυρες τούτων, *vos autem estis*, vel *este*, *Testes horum.*

Ad Promissum illa Lucæ, ecce ego mitto promissum Patris mei in vos &c.

XVII. Et cum illis Mandati verbis junxit Dominus liberale satis Promissum, secundum *Lucam vers.* 49. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός μου ἐφ' ὑμᾶς, ὑμεῖς δὲ καθίσατε ἐν τῇ πόλει Ἱερουσαλὴμ, ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους. Cum quibus conferenda deinde quæ *Johannes* habet huc spectantia, *vers.* 22. 23. Videmus heic, post καὶ & nectens arctissime promissum cum mandato, & *ecce* excitativum ad attentionem rei magnæ & certæ pariter, *mei*, seu Dominici, *Patris*, Pri-

mæ

mæ Deitatis Perſonæ, *Promiſſionem*, quæ mox exponitur per *potentiam*, ſeu *virtutem*, *ex altitudine*, ſeu *alto*; ita quidem, ut ipſe Jeſus dicat, *ego in*, vel *ſuper vos*, illam *mitto*, & *vos* illa eſtis *induendi*, *quouſque* in illius exſpectatione *in Jeruſalem* vos *ſedeatis*. Ubi de *Promiſſione* loquens, non intelligit actum promittendi, ſed rem Promiſſam per illum; non omnem quidem, ſed nec minorem aliquam, verum præſtantiſſimam, & vobis utiliſſimam, imo neceſſariam ad muneris veſtri exſecutionem felicem, eamque ſatis notam tam ex Prophetis veteribus quam ex dictis meis prioribus. Et hanc appellat promiſſionem *Patris ſui*, quam ipſe hic tanquam Pater Chriſti & Suorum promiſerat & daturus erat, tum Diſcipulis fidelibus ad ſuam & aliorum ſalutem magnam per Chriſtum, tum & Chriſto ipſi ut ſuis eam præſtaret. Quæ promiſſio Patris mox etiam exponitur per *potentiam*, ſeu *virtutem*, non aliquam terreſtrem, nedum infernalem, ſed cœleſtem, *ex altitudine*, cœlorum ſuprema, hinc & indubie maximam, מרום. Niſi magis placeat, ut illud *ex altitudine* directe ad verbum *induendi* referatur; quod in eandem rei ſummam redibit, quando ex alto non erat danda potentia, quæ non & ipſa eſſet ex alto. Ducimur utique per hanc phraſin apertiſſime; ſeu ad ipſum Spiritum Sanctum, qui à Theologis dici ſolet *Virtus Dei Perſonalis*, uti Filius Sapientia Dei Perſonrlis perinde, *coll. Luc.* I. 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπιλεύσεται ἐπί σε ϗ δύναμις ὑψίστυ ἐπισκιάσει σοι, *&c.* ſeu non minus recte forte ad Potentiam ſeu Virtutem, quam ille Spiritus operatur, & qua ille ſe prodit in Diſcipulis fidelibus, per illorum dicta & facta ſtupenda ſupra omnem mundi captum, *coll.* 1 *Cor.* II. 4. *&c.* quo magis reperinus *Act.* I. 8. δύναμιν ἐπελθόντος ἁγίυ πνεύματος, atque *Act.* X. 38. *quomodo unxerit illum Deus* πνεύματι ἁγίῳ ϗ δυνάμει, *&c.* Et quemadmodum hæc *Virtus* eſt utroque ſenſu vere *ex alto*, quam promittit ſuis & præſtat Deus; ita *Spiritus*, cum virtute ſua eſt indubiè maximum *Promiſſum Patris*, etiam veniens ſub nomine τὴν ἐπαγγελίας τ̃ πατρὸς, ἣν ἠκούσατέ μυ *Act.* I. 4. quod & olim factum per Prophetas *Pſal.* LXVIII. 19. *Jeſ.* XII. 3. XXXV. 6. 7. XLIV. 3. *Ezech.* XXXVI. 26. 27. *Joel.* II. 28. 29. *&c.* & ſæpius à Chriſto inculcatum *Joh.* XIV. 16. 26. XV. 26. XVI. 7. *&c.* Hanc vero promiſſionem, inquit

Chri-

Chriſtus, *in*, & *ſuper*, *Vos*, meos Diſcipulos, cœlitus & maxima copia, *ego*, ipſe exaltatus ad dextram Patris, eamque à Patre nactus, ἀποστέλλω, *mitto*, h. e. *mittam*, uti cum *Vulgato* dixit *Beza*, certo non tantum, ſed & citiſſime intra dies non ita multos, Filio operante à Patre, & Patre per Filium, etiam ut Mediatorem miſſum antea, ſecundum loca ex Johanne modo addúcta, ἐγὼ ἐρωτήσω τ πατέρα, κ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν &c. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μ &c. ὁ παράκλητ, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τ πατρὸς, τὸ πνεῦμα τ ἀληθείας, &c. ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητ οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς, ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς, &c. Et ex hac Miſſione, conjuncta cum Spiritus illius Teſtimonio de me jam tum ablato à vobis, fiet ut ipſi virtute illa *induamini*, ſeu ut illa veniat ſuper vos, ad tegendum & commendandum extus, & occupandum intus, & ſe exerendum in omnibus, etiam ſatis conſtanter. Ad quæ non male *Grotius*; ἐνδύειν *hic reſpondet Hebræo* לבש *quod* LXX. *Jud.* VI. 34. *vertunt* ἐνδυναμοῦν. *Sed & indui ſtupore, pudore, diris, dicunt Hebræi; ut appareat dici apud illos omne id indui, quod non accedit & recedit, ſed penitus adhæret Joh.* XIV. 16. *Atqui hac proprietate donum hoc diſtinguitur à ſpiritu* τ ἐπισκοπῆς τ ἀνθρώπων. Dum alia phraſi eadem Spiritus donatio larga exprimitur *Act.* I. 5. ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ ο μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας. *Eousque* autem in certa hujus promiſſi exſpectatione decebat illos *in Urbe Jeruſalem* καθίσαι, *ſedere*, apud *Vulgatum*, ſeu *reſidere*, apud *Bezam*, h. e. illic non tantum manere, ſed & abſque teſtimonio palam dando tranquille illic conſidere cum certa fiducia Spiritus illius impetrandi, ἀπὸ ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ περιμένειν τ ἐπαγγελίαν τ πατρὸς, legimus *Act.* I. 4. Quæ tamen *Seſſio* Jeroſolymitana neutiquam eo uſque eſt extendenda, ut non licuerit vel etiam prorſus decuerit ad aliquod tempus medium Galilæam repetere, atque illic etiam Chriſti Apparitione frui, tum apud Mare Tiberiados *Joh.* XXI. 1. tum in Monte quem Jeſus illis illic conſtituerat *Matt.* XXVIII. 16. cum juſſu repetito illuc eundi & ſequendi ipſum præeuntem *verſ.* 7. 10. de cujus Apparitionis & Itionis Tempore Chriſtus illos facile etiam monuit. Sed hæc Seſſio Jeroſolymitana referenda eſt

ad

ad Tempus quo Dominus ab ipſis prope Jeruſalem per Aſcenſionem erat plane auferendus; per iſtam Hiſtoriæ Euangelicæ connexionem neceſſariam. Ut vana hinc ſit conjectura *Grotii* alia; *Quare hanc partem ſermonis à Chriſto habitam arbitror, poſtquam è Galilæa Apoſtoli redierant.* Sed melior Annotatio *Bezæ*, poſtquam *reſidete* ex Hebræo שב exposuiſſet per *moramini*, *quiete expectate*; *Opponitur autem hoc Chriſti interdictum demigrationi, de qua facile alioqui cogitaſſent Apoſtoli in tanto periculo. Quod igitur poſtea quatuor ex Apoſtolis & tres ex aliis Diſcipulis profecti ſunt ad Lacum Tiberiadis Joh.* XXI. 2. (de monte Galilææ tacet de quo etiam apud *Matthæum* nihil notavit) *fuit levis tantum excurſio, ſuas ut probabile eſt familias inviſentium, illis ſtatim in urbem reverſis, unde ipſos demum quadrageſimo à ſua reſurrectione die Act.* I. 3. *ad Bethaniam eduxit, inde ſupra cœlos aſcenſurus, ut mox narratur, & quod altero poſtea Libro idem Lucas expoſuit.* Ita nempe ad munus recte exequendum Gratia Spiritus neceſſaria accedere debet, & accedit in exſpectantibus eum cum fiducia ex ipſius monitione.

XVIII. Non tacuit de Promiſſione hac magna Patris *Johannes*, ſed & cum eadem *Signum* externum junxit *verſ.* 22. atque dein & aliud *Promiſſum* addidit *verſ.* 23. Sic enim ille *verſ.* 22. καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐνεφύσησε, καὶ λέγει αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον, *& hoc dicto*, quod proxime præceſſit de ſua & Apoſtolorum Miſſione *verſ.* 21. *illis* congregatis Diſcipulis, *inflavit, & dicit*, ſimul dum inflaret, *accipite Spiritum Sanctum.* Quæ verba *Johannis* cum olim illuſtraverimus latius *EXERC. TEXT. XXXVIII. Parte VI.* nunc ea verbo tantum tangere ſuffecerit. Verbis ſcil. ſuis præmiſſis junxit Dominus *Signum* Externum, quod ſi non videri, utique audiri, & ſentiri poſſet; nempe *inflatum*, non manu, vel inſtrumento in manum ſumpto, ſed ore, ſive admoto ad hoc inſtrumentum, ſive potius absque eo, ſine determinatione vehementiæ majoris vel minoris; & quidem *in* eos, Apoſtolos, non intus ſed extus, non in os aut nares aut aures, ſed in corpus communiter, ſive ſingulorum ſucceſſive, ſive omnium ſimul uno flatu protenſo vel producto. *Et dicit*, ſimul verbis ad Signi hujus declarationem additis, *Spiritum Sanctum*, in donis & operationibus ejus ordi-

Et apud Johannem Spiritus cum Inſufflatione additus.

nariis & extraordinariis, modo etiam & menſura inſigniori quam hactenus, *accipite*, vos omnes & ſinguli modo à me inflati, absque ulla expreſſa mentione *poteſtatis*, *privilegii*, *& authoritatis eundem aliis largiendi*, quam heic inculcat *Ligtfootus*, ac ſi diceretur, *accipite ut detis*. Qui ergo Spiritus cogitari debet ſymbolicè vel emblematice in illo inflatu eſſe repræſentatus, reſpectu; tum Perſonæ ſuæ Æternæ; tum & Oeconomici Operis ipſius, in Impulſu potentiſſimo Apoſtolorum, & in Pervaſione Orbis irreſiſtibili, cum ſono Euangelii, vivificantis, refocillantis, refrigerantis, exſiccantis, repurgantis, & propellentis ad omne bonum. Et qui Spiritus veniret ita ſuper ipſos magis quam antea; ut ad eum ſe componere deberent per gratiam ejus præſentem, & eundem conceſſum agnoſcerent, nec non ex ipſius impulſu loquerentur & agerent omnia. Quod autem ſic in præſenti tempore ſimul cum Inflatu dixit Dominus, id capiunt multi, ac ſi nunc hoc ipſo momento temporis præſtitum eſſet, vel eſſe deberet; cum tamen nihil aliud heic externe fuerit animadverſum de Spiritu illo, nec aliquid factum aut dictum proxime à Diſcipulis, quod Spiritum ſingulari nunc modo acceptum argueret. Unde Interpretes hi confugerunt heic; ad Fidei Apoſtolicæ conſervationem & confirmationem majorem, in illis conjunctam cum mutua adhæſione, abitu in montem Galilææ, manſione deinde in Jeruſalem, exſpectatione Spiritus promiſſi, & compoſitione ſui ad futuram Euangelii prædicationem per orbem omnem; ὁ δὲ ἦν ἐμφυσᾶσθαι λέγοντα τὸ λαβεῖν, ἐδ' ἂν ἔφη, λάβετε, μὴ δίδας, ſecundum *Cyrillum Alexandr.* Nos vero longe potius facimus cum aliis, qui verba illa, *accipite Spiritum Sanctum*, malunt rei promiſſæ reſpectu referre ad tempus futurum poſt Jeſu Aſcenſionem, ſeu ad Diem Pentecoſtes proximæ. Ubi in textu nulla eſt Temporis Præſentis determinatio in accipiendo Spiritu Sancto, adhibito Verbo Aoriſto λάβετε, pro quo & ponitur Futurum λήψεσθε *Act.* 1. 8. quod quandò certum & proxime inſtans eſt ſæpe per Præſens exprimitur; ubi rem futuram non minus quam præſentem per Signum Præſens exhibere integrum erat Chriſto; ubi in Antecedentibus & Conſequentibus *verſ.* 21. 23. plane ad Futurum tempus ſpectatur, in quo Spiritu illo opus haberent; ubi denique

niquè totiens Spiritus Acceptio promittitur tanquam poſt Chriſti Aſcenſionem demum futura, & manifeſtiſſime quidem in loco illo parallelo *Lucæ* XXIV. 49. *ecce ego mitto in vos promiſſum Patris mei, vos autem ſedete in urbe Jeruſalem, donec induamini virtute ex alto*, nempe in Die Pentecoſtali demum, dum Euangeliorum verba ad rem eandem ſpectantia inter ſe conferre omnino decet ad felicem interpretationem. In quam ſententiam æque quam priorem Autores nos olim adduximus *loc. cit.* una cum horum Diſcrimine inter ſe. Dum nobiscum videtur etiam facere *Cl. Coccejus*, reperiens in hac Apoſtolorum Inſufflatione *Figuram & Pignus Promiſſionis, ſe ipſis daturum Spiritum ſuum.* Addidimus vero nos aliud ſpeciale magis, quod etiamnum prorſus placet, illic propoſitum per modum *Conjecturæ quæ aliquam conſiderationem piam videretur mereri.* Scilicet illud, quod Chriſtus, ita inflans & loquens ad Diſcipulos, hoc ſignificare voluerit, *in eos ſe inflaturum aliquando, cum Spiritum S. acciperent ſibi promiſſum, ſeu cum Inflatu ſuo cœleſti jungendum eſſe deinde Spiritum, & cum Spiritu Inflatum illum, ut hic tanquam Signum ſimul cum re ſignata afforet.* In quam rem quoque contulimus *Ignis Linguas* Pentecoſtales apud Spiritus Dationem, cum Ignis Baptiſmo prædicto, *coll. Luc.* III. 16. *Act.* I. 5. ad quem & forte ſpectet illud *Marc.* IX. 49. πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται. Unde tum porro lumen accedit textui *Act.* II. 2. ἐγένετο ἄφνω ἐκ τ οὐρανὸ ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τ οἶκον ὗ ἦσαν καθήμενοι &c. In quo ſub nomine πνοῆς communiter quidem intelligunt *Ventum*, ſed qui ſub nomine illo Græco nuſquam venit in Novo Teſt. perinde ut ἀνέμος, & πνεύσης, & ſemel forte πνεύματος, dum πνοὴν de hominis *anhelitu* uſurpavit Paulus *Act.* XVII. 25. Alii vero pauciores πνοὴν heic reſpicere malunt ad *Flatum* Oris humani, qualis ex tuba aut buccina provenit, & qualis in Legislatione Sinaitica adfuerit, & qualis in Legislatione Nova merito quoque obtinuerit, forte & cum voce aliqua articulata, *coll. verſ.* 6. Attamen hoc omnium nobis quidem videtur eſſe aptiſſimum, ut in πνοῇ quaſi hominis *flatu* ſonum emittentis reſpiciamus ad ἐμφύσησιν, qualis heic antea erat à Domino facta apud promiſſum accipiendi Spiritus Sancti, ſed nunc longe validiorem, quæ ex cœlo quorſum aſcenderat

Chriſtus ſic repente irruit cum ſono magno in locum Diſcipulorum congregatorum, ut hunc præ aliis omnibus prorſus impleret, adeoque Diſcipuli monerentur & convincerentur, per hunc Inflatum æque quam per Igneas Linguas ſuper ſe ſparſas, de Spiritu jam accipiendo vel accepto, ſecundum Domini optima & ſignificantiſſima promiſſa. Vide de his latius olim à nobis dicta, quorum ſummam brevem heic modo dedimus.

Quin & poteſtas Remittendi & Retinendi peccata hominibus.

XIX. Poſt firmatam ſic etiam per Signum notabile Promiſſionem Domini magnam, aliam adjecit adhuc *Johannes verſ.* 23. quæ apud *Lucam* non eſt expreſſa, ſed & illic ex Teſtimonio dando, tanquam fideli futuro, deduci poteſt; Ἂν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς, ἂν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται, *quorum* apud *Vulgatum*, *ſi quorum* apud *Bezam*, *remiſeritis peccata*, *remittuntur eis*, & *quorum* apud *Vulgatum*, *ſi quorum* apud *Bezam*, *retinueritis*, *retenta ſunt*; dum non poteſt eſſe dubium, quin per Ellipticum dicendi genus *peccatorum* nomen ſemel poſitum pluries ſubintelligi debeat. Nempe habent homines promiſcuè, adeoque & illi ad quos mittebantur Diſcipuli de Jeſu teſtaturi, *peccata* ſua, varia & plurima, in Deum Proximum & Se ipſos, graviora & leviora, quæ ſi omnia à Deo Legislatore & Judice liberaliter *remittantur*, ſine pœna ipſis illata vel inferenda propterea ab ipſo, certa eſt eorundem ſalus, utique peccatoribus multis futura cum remiſſione per Chriſti paſſionem & obedientiam plenam & Dei in eo bonitatem; quæ vero ſi à Deo perinde *retineantur*, tanquam debita ſolvenda ab ipſis, ſecundum liberrimum & ſanctiſſimum ejus conſilium, quod in multis obtinet ad Divinæ Juſtitiæ demonſtrationem, actum eſt de ipſorum ſalute omni vera. Sed eſt alia indubie notio *Remiſſionis*, & *Retentionis*, ubi hæc Diſcipulis à Domino miſſis tribuuntur, qui nec Judices nec Legislatores ſunt, ſed Judicis & Legislatoris Miniſtri. Heic itaque intelligi debet Remiſſio & Retentio illa, de Annunciatione & Obſignatione Remiſſionis & Retentionis Divinæ; quæ fit, tum per Verbum Euangelii, ſolantis Credentes & terrentis Incredulos, tum per Sacramentorum Uſum conceſſum illis & negatum his, omnibus & ſingulis. Nec alius conſequenter eſt hujus loci ſenſus; quam qua-

qualium & quorum peccata Remitterent Diſcipuli per Euangelii promiſſa annunciata & inculcata credentibus & reſipiſcentibus, ſub iſta conditione, nec non per admiſſionem ad Sacramenta Divinæ gratiæ, quot & quanta etiam illa forent, eorum quoque peccata illa Remittenda vere eſſe & certo, imo jam remiſſa ſuo modo, à Deo ipſo, firmaturo ſic Diſcipulorum ſuorum verbum & factum; & quam ab altera parte, qualibus & quibus annunciarent peccatorum Retentionem ad vindictam certam & gravem, per Euangelii & Legis minas, ac Sacramentorum negationem, ad Incredulam Impietatem, his etiam peccata illa Retinenda fore à Deo, ad ſolutionem uſque quadrantis ultimi, facturo etiam ſic ne vanum eſſet aut cenſeri poſſet Diſcipulorum ſuorum miniſterium in illis. Neque enim heic cogitare oportet de Fidelum quorumvis, adverſus ſe invicem peccantium, Remiſſione mandata vel Retentione damnata, *coll. Matt.* VI. 12. 14. 15. *&c.* à qua pendere prorſus Remiſſionem vel Retentionem Divinam in aliis hominibus nemo facilè ſomniabit; dum nobis ipſis futura à Deo Remiſſio exigit vere Remiſſionem aliis faciendam, & nobis futuræ à Deo Retentionis timorem incutit merito Retentio noſtra peccatorum ab aliis contra nos, ſecundum illa *Matt.* VI. 14. 15. ἐὰν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ἀφήσει καὶ ὑμῖν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐπουράνιος· ἐὰν δὲ μὴ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν. Sicuti & idem longiori parabola inculcavit Dominus, concludens *Matt.* XVIII. *verſ.* 34. 35. οὕτω καὶ ὁ πατήρ μου ὁ ἐπουράνιος ποιήσει ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀφῆτε ἕκαστος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν τὰ παραπτώματα αὐτῶν. Optime vero heic *Grotius* ſcripſit; *Aliter ἀφίεσθαι dicitur de Apoſtolis, aliter de Deo, nam alterum eſt in conditione, alterum in promiſſione. Remiſerunt Apoſtoli peccata, quoties aut profitentes fidem per Baptiſma receperunt in Eccleſiam, ut Act.* II. 38. 41. *aut quoties lapſos poſt ſeriæ pœnitentiæ teſtimonium receperunt in ſuam communionem* 2 *Cor.* II. 10. *Utrumque in interpretatione hujus loci rectè conjunxit Cyprianus Epiſt.* LXXIII. *&c. Etiam apud Deum tales recipientur in gratiam, judicio ſcil. rectè peracto, &c. Aut Baptiſmum non impartiendo, quippe incredulis, aut à communione arcendo, ut contumaces. Tertullianus; ſummum futuri*

*futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & conventus & omnis ſancti commercii relegetur &c. Etiam Deus tales à ſuo favore alienos habebit, &c.* Quamquam immiſcuerit ipſe quædam Apoſtolis propria, quæ huc parum ſpectare exiſtimamus; ab una parte, *hujus Remiſſionis viſibile ſignum erat ſanatio morborum qui ob peccatum inflicti erant*; & ab altera, *ejus rei ſignum erunt immiſſa cæcitas Act.* XIII. 11. *Diaboli in ipſos viſibile dominium* 1 Cor. v. 5. 1 Tim. 1. 20. *& mala alia.* Quibus poſterioribus conſonant iſta *Cel. Ligfooti* ad iſtud, ἂν τινων κρατῆτε κεκράτηνται; *Præter negativum quod in his verbis includitur, i. e. ſi non remiſeritis, non remittentur, poſitivum etiam aliquid ſuperadditur. Conceditur nempe iis.* I. *Poteſtas feriendi rebelles morte aut plaga aliqua corporali.* II. *Poteſtas tradendi Satanæ. Unde enim Petro authoritas feriendi tam ferali fulmine Ananiam & Sapphiram? Unde Paulo excæcandi Elymam, & tradendi Satanæ Hymenæum & Alexandrum, ſi non ex hoc diplomate? Chriſtus ipſe tale quid nunquam exercuit. Morte aut plaga corporali ne unum quidem afflixit unquam, ſed mortuos aliquos reſuſcitavit, & afflictos corpore ſanavit infinitos. A Satana quamplurimos eripuit, ne unum unquam ei tradidit. Ut hæc ergo præſtarentur ab Apoſtolis, neceſſe erat ut ſingulari aliqua authoritate ab eo roborarentur, quam ſi non in hiſce verbis, ubinam tandem invenies? Cum dotat ergo eos tali authoritate & poteſtate, qualem ipſe nunquam exercuerat, non mirum ſi ſingularem & inuſitatiorem donandi eam modum adhibeat, in eos ſcil. inſufflando &c.* Dum idem ad *Remiſſionem* priorem diſputaverat, tum poteſtatem hanc differre ab illa *ligandi & ſolvendi*, tum intelligendam eſſe de *prædicatione pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum apud omnes gentes incipiendo ab Hieroſolymis Luc.* XXIV. 46. ſubjiciens; *Nonne oriri ex iis Apoſtolis potuit hic ſcrupulus, itane? Remiſſio peccatorum Hieroſolymitanis, qui manus ſuas commaculârunt ſanguine ipſius Meſſiæ? Imo, inquit ille, ſi quorum peccata vos remiſeritis, remittuntur, coll. Luc.* XXIII. 34. *Et quonam tandem fundamento, qua fiducia potuerunt Apoſtoli Remiſſionem peccatorum iis prædicare, qui Dominum ſuum, Dominum vitæ, tam nefarie & crudeliter trucidaverant, ſi non authoritate aliqua à Domino ſuo peculiariter de ea re iis commiſſa?* In quibus ego vere nihil ſolidi reperio.

Uti-

Utique qualis intelligitur heic Remiſſio, talis & intelligi debet Retentio peccatorum, ſi partes oppoſitæ ſint cohæſuræ. Nec poteſt major cogitari Scripturæ extenuatio, quam ut Remiſſio peccatorum trahatur ad Morborum immiſſorum Sanationem, quæ tamen ex illa nonnunquam fluxit ſive naturaliter ſive ſupernaturaliter, ita volente Deo; & quam ut ad judicia corporalia extra ordinem immiſſa, quæ pauca in Scripturis leguntur, referatur Retentio peccatorum, licet & illa inde ſequi poſſint. Dum nec huc ſpectare *Traditionem Satanæ* alias late monſtravimus *EXERC. TEXT. XLIV. Parte V.* atque de Poteſtate *Ligandi* & *Solvendi*, quam ille vult diſtinctam ab hac *Remittendi & Retinendi*, perinde egimus *EXERC. TEXT. XXXI. Parte V.* Ex quibus judicari poterit, an præ *Ligfooto* rectius judicaverit *Hammondus*, heic contra *Seldenum* & alios defenſus etiam à *Clerico*, acriter diſputans; *Poteſtatem ligandi ac ſolvendi apud Matthæum, primum promiſſam Cap.* XVI. *deinde accuratius deſcriptam Cap.* XVIII. *poteſtate Clavium admittendique in Eccleſiam & ex ea ejiciendi, adeoque poteſtatem Excommunicationis, primo Apoſtolis traditam, deinde cum ſucceſſoribus eorum Eccleſiæ Rectoribus communicatam, id ipſum eſſe quod nunc Chriſtus Apoſtolis concedit, liquere poteſt vocibus ἀφιέναι & κρατεῖν quæ apud Matthæum,* (vitioſe pro *Johannem*) *occurrunt. Si quid enim eſt inter ea diſcriminis, hoc unum eſt, quod δέειν ligare ſignificat, κρατεῖν vero ligatum tenere æque ac ligare, qua notione κρατεῖν melius hic convenit quam ſimplici notione ligandi, quia ordo eſt hic inverſus, & κρατεῖν retinere ponitur poſt ἀφιέναι remittere &c. Hoc levi diſcrimine agnito, in reliquis eæ voces ſunt prorſus ſynonymæ, nam ἀφιέναι & λύειν, ubi de Remiſſione peccatorum dicuntur, ſignificant tantum eorum condonationem &c.* Quid vero & illud eſt, quod *Ligfootus*, poteſtatem remittendi peccata, generatim propoſitam absque ulla Judæorum ſpeciali mentione, & quidem cum reſpectu ad *gentes omnes*, poſt initia Jeroſolymitana ſecundum *Lucam*, unice vult referre ad Jeroſolymitanos qui ſanguine Meſſiæ manus ſuas maculaverant, quaſi ad his prædicandum Euangelium gratiæ & ſalutis peculiariter per hæc Johannis verba inſtrui debuiſſent? Miſſis itaque his & ſimilibus aliis, agnoſcamus, non heic factam Apoſtolis novam plane vel promiſ-

fio-

ſionem, vel poteſtatem, ſed renovatam & declaratam & confirmatam, per quam ipſi ſic, certi modo redditi de Spiritus ſuperventu ſuper ſe, certi eſſe debebant porro & alios certos redderent, quod ipſe Dominus, à quò miſſi & in cujus nomine loquerentur, ſecundum illorum Miniſterium veraciſſimum & fideliſſimum eſſet acturus ipſe, in remittendis hinc & in retinendis inde peccatis quorumcunque hominum, tum credentium & reſipiſcentium, tum incredulorum & impœnitentium, ſecundum illud Chriſti ipſius, *Joh.* III. 16. ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν ἔχει ζωὴν αἰώνιον, ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὄψεται ζωὴν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν. Et quod perinde legitur, tanquam ſerius dictum *Marc.* XVI. 16. ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπιστήσας καταχριθήσεται. In quo ita implenda erant Vaticinia Vetera, *coll. Luc.* XXIV. 47. ut & ipſi ad Teſtimonium Jeſu dandum poſt Spiritus Miſſionem magis incitarentur, & ad Fidem in Reſuſcitatum Dominum promptius alios permoverent per orbem omnem homines.

De qua peſſime detorta contra Papiſtas diſputatur.

XX. Non poſſum heic plane intactos prætermittere *Pontificios*, tantoperę hoc loco abutentes ad ſuum *Pœnitentiæ Sacramentalis Tribunal* erigendum dicam an firmandum. Uti ſic habet ipſum *Concilium Tridentinum Seſſ. XIV. Can.* 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, non eſſe intelligenda de Poteſtate Remittendi & Retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Euangelium, anathema ſit.* Sicuti & in eodem amplius legitur; *Dominus tunc præcipue Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, cum à mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens, accipite Spiritum S. quorum remiſeritis &c. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Quin & pergit *Cap.* 5. *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram Peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure*

*Divi-*

*Divino neceſſariam exiſtere, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tanquam Præſides & Judices, ad quæ omnia mortalia crimina deferantur in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo pro poteſtate clavium remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Conſtat enim Sacerdotes Judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat & non potius in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.* Interim ipſe *Card. Cajetanus*, apud adductas & leviſſime ſolutas *Objectiones, nihil his dici de Confeſſione Sacramentali Peccatorum, nihil haberi de Confeſſione Auriculari, non præcipi hic ut quæramus Remiſſionem peccatorum à Miniſtris, &c.* cum ſcripſerit ineptiſſime, *fateor Inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ hic haberi, non Præceptum;* notavit *Corn. à Lapide* cum aliis, eſſe hunc *Errorem*, qui *poſt Concilium Tridentinum* demum factus *ſit Hæreſis.* Et ſi lubet audire hujus *Jeſuitæ* argumenta contra *Calvinum*, de prædicatione Euangelii dictum hoc Chriſti exponentem; attendite quæſo, ut rideatis. *Nemo non videt, hanc expoſitionem eſſe contortam, violentam, ineptam, & ridiculam. Nam ſic non Apoſtoli, ſed ipſi credentes quaſi judices credendo per fidem ſuam ſibi ipſis remitterent peccata, quod eſt abſurdum, nemo enim ſe ipſo ſuperior aut ſibi ipſi judex eſt ut ſibi peccata remittat. Secundo hæc duo, ſcil. prædicare Euangelium & remittere peccata ſunt plane diverſa & diſparata &c. remittere enim peccata eſt actus judicialis. Tertio Euangelium omnibus eſt prædicandum, hæcque Calvini abſolutio omnibus etiam impiis dari poteſt. Chriſtus autem non omnibus vult peccata remitti, ſed aliquorum peccata jubet retineri, &c. Quarto, quia Chriſtus jam ante poteſtatem prædicandi clare dederat Apoſtolis, eosque ad prædicandum miſerat Luc.* XI. *imo eis mandatum dederat prædicandi ubique Matt. ult. & Marc. ult. Quorſum igitur hic illud verbis tam obſcuris & inintelligibilibus repeteret?* Ad quæ nos hoc jure prænotamus, quod de Prædicatione Euangelii nos loquentes hoc loco, minime excludamus verorum & à Domino inſtitutorum Sacra-

mentorum ſeu Baptiſmi & Cœnæ Adminiſtrationem connexam, cum horum Admiſſione & aliorum Excluſione neceſſaria. Sed & porro notamus; *primo*, per Fidem neceſſariam in Credentibus remiſſionem nacturis ad Prædicationem aliorum hos minime ipſos converti in Prædicantes Dei ipſius nomine, etiamſi horum felix ſucceſſus quoad Remiſſionem à credentium opere pendeat; *ſecundo*, Prædicationem & Remiſſionem differre in phraſi, ſed non admodum in re, & Remiſſionem hanc Miniſtrorum non licere abſolute vocare Actum Judicialem ipſorum; *tertio*, per Euangelium cum connexis neutiquam abſolvi poſſe aut debere omnes, ſed ſolos credentes, cum aliorum declarata damnatione; *quarto* tandem, prædicationem quidem antea fuiſſe demandatam Apoſtolis, ſed nondum adhuc *ubique*, quod tanquam ſerius factum exhibent etiam *Matthæus & Marcus*, nec obſtare quidquam quo minus idem Mandatum prædicandi ſit renovatum, etiam per alias phraſes, non quidem obſcuriores, ſed efficaciores forte. Sed nunc oſtendant nobis *Papiſtæ*; ubi heic compareant vel Nomina vel Sacramenti veri Requiſita, inprimis Signum Subſtantiale & Viſibile, quale nullum ſane deprehenditur in Pontificiæ Pœnitentiæ actibus tribus recenſeri ſolitis; ubi heic in peccatorum Remiſſione vel Retentione ulla ſit reſtrictio ad Peccata, ſive omnia ſive mortalia, Fidelium, & quidem poſt Baptiſmum commiſſorum; ubi heic Peccatorum horum ſingulorum Confeſſio Auricularis vel exigatur vel doceatur; ubi heic Pœnarum fiat mentio, quibus pro peccatis ſuis declaratis ſatisfacere Deo debeant abſolvendi vel abſoluti; ubi denique, ut alia nunc mittam, poteſtas Diſcipulis detur heic peccata judicialiter & autoritative remittendi, vel retinendi, in Sacramento ſpeciali, quæ ſemper manebit utique Miniſterialis & Declarativa, nec firmanda Divino judicio, niſi rite ſit facta & conditiones neceſſario in abſolvendis adſint coram Deo ipſo, ſecundum illud Pauli *Act.* XIII. 38. 39. γνωστὸν οὖν ἔστω ὑμῖν ἄνδρες ἀδελφοὶ, ὅτι διὰ τούτου ὑμῖν ἄφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται, καὶ ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν νόμῳ μωσέως δικαιωθῆναι ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται. Nec eſt cur non pro nobis, utique magna ex parte, laudemus verba *Bern. Lamy*; *Quorum remiſeritis peccata, inquit Chriſtus, id eſt, judicaveri-*

*tis*

*tis esse remittenda, verbisque ipsis remiseritis, postquam cognoveritis eos pœnitentia duci, peccata remittentur eis, etiam apud Deum tales recipientur in gratiam, judicio scil. recte peracto, & quorum retinueritis, testando scil. quod retineantur, quos scilicet repuleritis à remissione quia non ea dignos, retenta sunt, Meo Patrisque judicio maneant peccatis suis obnoxii,* Quando tamen vult videri simul, *Heterodoxos, qui Ecclesiam Catholicam accusant, sibi jus Divinum arrogare,* verbis *Ambrosii* confutare, tanquam *mandatis resistentes,* quibus ipsi *obtemperent* scilicet!

Apparitionis hujus Christi Tempus annectitur.

XXI. Ad rem nostram redeuntes, considerare adhuc debemus hujus Dominicæ *Apparitionis Tempus*; quod *Marcus* designavit per ὕστερον, *Johannes* per ἄσης ἐψίας, τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μίᾳ τ σαββάτων, & *Lucas* per ταῦτα αὐτῶν λαλούντων. Ex quarum phrasium diversarum collatione clarissimum est, illud *Marci* ὕστερον, quod per *novissime* reddidit *Vulgatus*, atque *Beza* per *postremo*, intelligendum neutiquam esse absolute, quasi *Comparativum* esset positum *pro Superlativo*, dum utique Johannes aliam secundam *post Octiduum* Apparitionem Christi apud Apostolos habet *vers.* 26. imo & tertiam *Cap.* XXI. 1. 14. sed restricte ad illum Primum Diem, & comparate cum aliis Apparitionibus à *Marco* memoratis de Maria Magdalena de qua dixerat πρῶτον *vers.* 9. & dè Discipulis Emmaunticis, apud quos addiderat, μ τούτοις *vers.* 14 In quam rem noster *de Dieu* annotavit; *Erasmum* vertisse *postea*, ὕστερον *enim non semper postremo*, sed & sæpe *deinde, postea, significare, ut Matt.* XXI. 32. *Joh.* XIII. 36. *Hebr.* XII. 11. *Matt.* IV. 2. *& alibi.* Nec aliter *Grotius*; Ὕστερον *non est postremo, sed deinde, Thucydides* μικρὸν ὕστερον *dicit, Plutarchus* ὀλίγον ὕστερον, *cum quid volunt paulo post factum significare. Ego totus assentior referentibus hæc Marci verba ad eandem historiam quæ est apud Lucam* XXIV. 36. *Quare* ὕστερον *hic parvi temporis intervallum significat, ut Matt.* IV. 2. *aut idem est quod* αὖθις, *ut interdum sumi solet.* Dum minus necessaria & apta esse puto, quæ heic annotavit prolixius *Beza*; *Erasmus postea*, μετέπειτα. *Ita enim alium nodum solvit quem nectit Augustinus Lib. III. de Cons. Euang. Cap.* 25. *Nam existimat hæc evenisse antequam appareret Christus ad Mare Tiberiadis, sicut refert Joannes, & ideo quærit qua ratione hæc Apparitio dici possit postrema. Respondeo,*

*Marcum ſummo judicio, ut brevitati ſtuderet, declarationem reſurrectionis Domini in tres veluti partes diſtribuiſſe. Primum enim narrat quomodo Mulieribus apparuerit, quod quidem non ſemel factum fuiſſe ex aliis Euangeliſtis intelligitur. Marcus vero hæc omnia in unum velut corpus conjungit. Deinde exponit, quomodo eodem die fuerit duobus illis conſpectus, qui rus ibant. In poſtrema demum parte commemorat, quomodo Diſcipulis apparuerit, incipiens à prima illa apparitione quæ facta eſt eo ipſo die quo reſurrexit, quam aliæ poſtea multæ conſecutæ ſunt. Sed eas omnes rurſus in unam velut hiſtoriam contrahit. Ideoque poſtremam hanc Apparitionem vocat, quæ ab ipſo Die Reſurrectionis ad Aſcenſionem ipſam porrigitur, ut liquet ex verſiculo* 19. *Eandem prorſus rationem ſequitur Lucas poſtremo Capite, in quo ita connectit primam illam Apparitionem cum Poſtrema, ut niſi quis hoc quod dixi conſideret, ſit exiſtimaturus Dominum eo ipſo Die quo primum apparuit Diſcipulis, id eſt, quo reſurrexerat, in cœlum aſſcendiſſe, cum dies quadraginta interceſſerint, ut ipſemet refert Act.* 1. 3. Utique hoc mihi parum fit veriſimile, quod ὕστερον heic non tam ſpectet ad Tempus rei geſtæ, quæ immediate ſubjicitur, quam ad Ordinem & Seriem narrationis geſtorum variorum poſt alia præmiſſa, tam Die eodem primo Reſurrectionis quam aliis variis temporibus & vicibus; dum longe ſimplicius videtur & aptius, ut apud illud *verſ.* 15. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, *& dixit illis*, ſubintelligamus, etiam alio tempore, nec non apud iſtud *Lucæ verſ.* 50. ἐξήγαγε δὲ αὐτοὺς, *eduxit autem eos*, deinde alio tempore eis præſens. Apud *Johannem* res clara eſt, quod *illo Die primo illo Sabbatorum*, quo reſurrexerat & Mariæ apparuerat Jeſus, (non adeo *ſeptimo die poſt Paſcha* demum uti ſic ſcribentem *Grotium ad verſ.* 19. fateor me non intelligere,) contigerit hæc illius apud Diſcipulos Apparitio, quam & altera *poſt Dies octo* ſecuta eſt *verſ.* 26. & quidem ὄψιας, *cum ſero* apud *Vulgatum*, vel *veſpera*, *eſſet* apud *Bezam*. Dum magis adhuc Tempus determinavit *Lucas*, ταῦτα αὐτῶν λαλούντων, *illis hæc*, non *locutis*, quod iterum majorem haberet latitudinem, ſed *loquentibus*, quod ad præſentiſſimam reverſorum Emmaunticorum locutionem ad Diſcipulos nos ducit, adeoque omnino ad ſeram plane veſperam Primi illius Diei cum noctis proxime jam permutati,

mutati, ut ad Secundum etiam referri posset quadantenus, secundum computationem Judaicam ab occasu solis. Et merito *Clar. Vossius* tribuit *spissum errorem* eis, qui censent ex illo ὕστερον apud *Marcum*, hanc fuisse *apparitionem novissimam, contigisseque ipso Ascensionis Die.*

XXII. Conclusio nostra rursus est, de Dominicæ Resurrectionis Certitudine immota, tanquam quæ constitit non modo Discipulis inferioris ordinis, sed & *Apostolis* ipsis congregatis simul cum aliis, per *Apparitionem* hanc illustrem, ad oculos & aures & manus eorum, quidni dicam & ad gustum? eamque Die Eodem, satis mirabilem, ubi fores erant clausæ; & diuturnam; in qua eos ad & per *Scripturas Propheticas* duxit ipse, ab ipso in rem illam laudatas & expositas decenter; & Mandatum dedit de se Testandi, cum Promisso maximo Spiritus à se mittendi, qui & eis in Pentecoste contigit, atque Confirmandi prorsus ea quæ ipsi de Remissione & Retentione Peccatorum suo erant nomine prædicaturi, per quæ ipsi dubitationes superarunt priores. Quæ brevis est dictorum summa, nullam in se rationem ἀπιστίας complexa.

Conclusio pro Resurrectionis Christi Veritate certa ex ea.

## CAPUT DUODECIMUM.

### *Quo Altera post Octo Dies apud Apostolos Apparitio Christi Redivivi explicatur.*

Cum Die Primo Illo Resurrectionis Dominicæ, quo certissime Ter apparuit Jesus, tum Mulieribus, tum Duobus, & Pluribus etiam simul repertis Discipulis, non cessavit hæc Domini gratia, sed & Repetita illa fuit solenniter apud Apostolos, secundum solius quidem *Johannis*, sed expressissimam hujus narrationem, quæ est *Cap.* XX. *vers.* 24——29. Ubi notari debent I. *Apparitionis* ejus *Occasio*, data à *Thoma*. α. Primum *Absente vers.* 24. & hinc *Incredulo* consequenter prorsus *vers.* 25. β. Dein *Præsente vers.* 26. II. Ejusdem *Modus*, quo α. *Se stitit* Apostolis *vers.* 26. β. Et cum *Thoma egit* speciatim, tum per *Sermonem ad eum vers.* 27. tum per *Responsum*

Textus Johannis Analysis, quo Altera Christi apud Apostolos Apparitio memoratur.

ab eo acceptum *verſ.* 28. tum per *Concluſionem ad illud, verſ.* 29. III. Et denique *Tempus*, quo hæc contigit.

Ejus Occaſio data à Thoma.

II. *Occaſionem* nempe hujus Alterius Apparitionis Chriſti, apud Diſcipulos ſuos congregatos, dedit *Thomas*, qui antea priori vice *abfuerat verſ.* 24. & hinc *credere* reliquis *non* voluit vel potuit *verſ.* 25. ſed deinde apud Diſcipulos fuit *præſens verſ.* 26. Nomen Viri erat *Thomas*, qui præterea deſcribitur ut *Unus ex Duodecim*, & ut *Didymus* etiam *dictus*. Exponit prius illud *Hieronymus de Nom. Hebr.* bifariam, *Abyſſus, vel Geminus*, & inverſo ordine *Geminus vel Abyſſus*. Apud *Hillerum* lego; Θωμᾶς *i. e. Geminus, Græcis idem quod* Θωμάσιος, *Admirandus, caſu factum quod eodem quoque ſono refertur Chaldaicum nomen Thomas.* Quod poſterius ſpectare videtur ad Θαυμάσιος, & forte ad תמה/ Hebræo-Chald. Syriacum, *mirari* vel *obſtupeſcere*; dum notio *Abyſſi* eſt ex תהם. Sed longe communior eſt origo nominis à תאם *gemello*, quam & veriorem eſſe concludas ex ejus heic & alias *Joh.* XI. 16. XXI. 2. addita explicatione per Δίδυμος Græcorum, quod utique apud hos *gemellum* ſeu *geminum* deſignat. Vix enim credi poteſt, alterum hoc nomen, quo ille *dictus* perinde fertur & dicitur à Johanne pluſquam ſemel, illi datum fuiſſe per meram alluſionem nominis cognati alterius apud Hebræos cujus illa foret notio. Unde vero & quo ſenſu ille *Gemellus* ſit appellatus, minus conſtat, quod ſimpliciſſime deducas forte à Conditione Nativitatis ipſius. Dum pro alluſionibus magis valere poſſunt, quæ de illo tanquam una vel alia vel varia ratione *Duplici*, vel etiam *Dubio*, cogitentur etiam cum reſpectu ad præſentem ejus Incredulitatem. Nec indignum hoc eſt, quod cum aliis multis heic notavit *Doct. Ligtfootus*; *Lexicographum hic non agit Euangeliſta, ac ſi Nominis Hebræi ſignificationem Græce reddere vellet, ſed docet eum, qui inter Hebræos vocatus eſt Thomas, inter Græcos vocatum fuiſſe Didymum, quod ejuſdem ſignificationis. Non erat alius inter Duodecim Apoſtolos de quo ſic dicitur. Simon quidem vocatus eſt Petrus, quæ revera erant Duo Nomina, ſic & Nathanael dictus Bartholomæus*; (eſt hæc conjectura quam dedit ad *Matt.* x. 3. Nathanaelem volens dictum *Nomine Proprio*, & Bartholomæum *paterno* q. בר תלמי *filium Tulmai*;) *aſt Thomas & Didymus non erant Nomi-*

*mina Duo, ſed Nomen Unum prolatum duabus linguis.* (Quo pacto idem Simon dictus Cephas & Petrus *Joh.* 1. 43.) *Forſan natus eſt Thomas in loco aliquo ubi habitabant & Judæi & Græci, qualis erat regio Decapolitana, atque inde à Judæis Hebræo ſuo nomine appellatus, à Græcis Græco.* Fuit autem ille non ex Diſcipulis latius dictis, ſed *ex Duodecim illis* Apoſtolis primi ordinis, *Unus*, non tamen primus, ſed inter medios nominatus *Matt.* x. 3. *&c.* De eo non eſt ut adducamus ſeu traditiones incertas ſeu fabulas Veterum, ſed tangimus potius ea quæ *Johannes* ipſe reliquit ſpecialia *Cap.* xi. 16. & *Cap.* xiv. 5. Priori loco fertur ille *dixiſſe condiſcipulis,* ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ, *eamus & nos ut moriamur cum eo,* ſive Lazaro mortuo, ſive Domino ad Lazarum vocato. Quod verbum à quibuſdam trahitur ad magnam ejus laudem. Uti ſic *Magdeburgenſes Centuriatores* ſcribunt; *Magno eum amore erga Chriſtum & præclara fide arſiſſe, vel hæc ejus vox teſtatur, quod Chriſto ſignificante ſe in Judæam iturum ad Lazarum defunctum, Thomas cohortatus ſuos Condiſcipulos inquit &c. Videbantur enim alii ab ea profectione abhorrere ipſumque Dominum cohortari, ne ſe in periculum conjiceret eo quod Judæi inſidias ei ſtruerent.* Alii tamen opprobrium ejus haud parvum in illis verbis reperiunt, quibus & *Grotius* ſe junxit, ſcribens; *Thomam ideo nominaverat Johannes, quod infra oſtenſurus eſſet ejus in credendo tarditatem, cujus jam nunc indicium dedit: perinde enim eſt quaſi dicat, eamus ſane ut Lazarum jam mortuum ſequamur, quid enim aliud ſperemus? Meminerat periculi, in quo nuper fuerat Dominus Hieroſolymis, unde Bethania modicum diſtabat, quod hac ipſa de cauſa mox exprimitur.* Tradit & utramque illam ſententiam *Eraſm. Schmidius*; *Verba hæc Thomæ diverſimode accipiuntur à diverſis. Alii ex* πληροφορίᾳ *fortitudinis dicta accipiunt, ut ſit ſenſus, quum ſuſcipere iter periculoſum velit Jeſus, non eſt æquum à nobis eum deſeri. Itaque proficiſcamur & nos una cum ipſo, atque adeo mortem appetamus. Quæ eſt oratio viri fortis & ſinceri amici. Alii, inter quos eſt Theophylactus, negant hoc confidentiæ eſſe dictum, & ait triſtitia potius ac metu expreſſum eſſe, ut quaſi* ἀπιστεύοντες *& hoc dixiſſe videatur, deſipiamus igitur nos, & periculum mortis ſubeamus cum eo, qui adeo parvi facit ſuam vitam. Atque ita putat eum va-*

*luiſſe*

*luiſſe cæteros quoque à ſocietate itineris illius deterrere. Sicut hæc exponit Camerarius. Ex quibus duabus ſententiis*, ſubjicit ipſe, *neutra quidem in Articulum aliquem Fidei impingit, ſed tamen prior videtur mihi quidem, ſalvis aliorum judiciis, præferenda, quum probabile ſit Petrum hujus exhortationis Thomanæ memorem poſtea Joh.* XIII. 37. *ita præſumpſiſſe*, ἡ ψυχήν μου ὑπὲρ σοῦ θήσω. Ego tamen ex adverſo vix dubitem, quin poſterior ſententia ſit longe verior; tum ex præcedenti verbo Diſcipulorum ad illud Jeſu de redeundo in Judæam *verſ.* 7. 8. ἔπειτα μετὰ τοῦτο λέγει τοῖς μαθηταῖς, ἄγωμεν εἰς τὴν Ἰουδαίαν πάλιν, λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταί, ῥαββί, νῦν ἐζήτουν σε λιθάσαι οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ πάλιν ὑπάγεις ἐκεῖ, tum ex collato promiſſo Chriſti *verſ.* 11. Λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κεκοίμηται, ἀλλὰ πορεύομαι ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν. Per hoc enim poſtremum cum ſic ſatis juſſus eſſet cogitata de periculo mortis Chriſti & ſuæ accelerandæ deponere Thomas, & credere ac ſperare felicem itionis ſucceſſum, ipſe per modum ſarcaſticæ indignationis dixit ex adverſo, *eamus & nos*, quando ita vult Jeſus, nec patitur ſe avocari à propoſito ſuo, *ut cum illo moriamur*, præter quod nihil ipſi vel nobis ab hoc itinere exſpectandum eſt. Dum alia plane eſt Connexio dicti Petrini *Joh.* XIII. 37. quod haberi debere pro fructu horum verborum Thomæ dicitur ſine ulla veri ſpecie. Alter textus *Joh.* XIV. 5. exhibet nobis Thomam eundem, Domino ad Diſcipulos dicenti, *& quo abeam noſtis & viam noſtis*, reſpondentem, *Domine, non ſcimus, quo abeas, & quomodo poſſumus ſcire viam?* quæ non video quomodo in laudem ejus trahi poſſent, vel in ſe, vel in oppoſitione illa adverſus Domini ipſius verba. Unde ſunt illa *Grotii*; *Thomas cæteris tardior ad res fidei, Thomas ſive ingenii tarditate ſive mœſtitia impeditus non intellexerat quid Jeſus ſignificaret, ac proinde de ſe conjecturam faciens nec cæteros intellexiſſe exiſtimabat.* Hic nempe eſt ille *Thomas*, qui poſt data etiam antea iſta imbecillitatis ſuæ humanæ indicia nunc non tantum eodem morbo cum aliis Apoſtolis laborat, ſed & præ reliquis hujus magnitudinem oſtendiſſe deprehenditur palam.

Qui antea non erat cum Diſcipulis, adveniente ad illos Jeſu.

III. Primum, quod de eo heic narratur, eſt ejus *Abſentia* à reliquis congregatis Condiſcipulis ſuis; namque οὐκ ἦν μετ' αὐτῶν ὅτε ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς, *non erat cum eis quando venit Jeſus verſ.*

24. Quod nos reducit ad illuſtrem Apparitionem Jeſu priorem apud Diſcipulos Veſpera Primi Diei Septimanæ, quam modo expoſuimus *Cap. XI.* ſive illud, *quando venit Jeſus*, paulo ſtrictius lubeat accipere de eo Momento, quo venit primum, ſive de Veſpera illa tota qua venit. Utique cum ad ſuos veniret, & conſequenter eis adeſſet Jeſus, hic Thomas *cum eis*, in illorum cœtu adeoque loco illo eodem, *non erat*; ſive ante adventum inde digreſſus, quod putarunt aliqui propter *Undecim* à Luca nominatos *verſ.* 33. ſive nec antea illis tum præſens, qui à numero reliquorum Collegarum poſt Judam integro vocentur *Undecim*. Quænam, rogant Interpretes, Cauſa iſtius Abſentiæ? Non ſane inſtitutum protinus relinquendi Apoſtolos; cujus nullum eſt indicium prorſus, hinc nec fingendæ in ipſius opprobrium nimium, quaſi imitatoris Judæ. Et potuit heic locum habere; vel Negotium aliquod Domeſticum quod curaret, de quo cum aliis loquitur *Grotius* tanquam *occupatione credibili*; vel aliquod proprii Corporis, aut Animi etiam, impedimentum. Sed fecit dudum Incredulitas ejus magna deinde narrata, ut ad Infirmitatem ejus hanc etiam Abſentiam retulerint facile quidam. Inter quos *Cel. Ligtfootus*; *Fugerant omnes Diſcipuli, & diſperſi ſunt, cum prehenderetur Chriſtus Marc.* XIV. 50. *excepto Petro & Johanne. Hinc verſ.* 2. *hujus Capitis dicitur, quod Magdalena venit ad Petrum & alium illum Diſcipulum quem amabat Jeſus; nam novit ea ubi hos inveniret, non ubi reliquos. Diſſipati ut videtur egerunt Sabbatum; aſt audito tandem Dominum reſurrexiſſe, incipiunt ſe ipſos iterum conſociare. Aſt adhuc non ad eos ſe receperat Thomas, atque abfuiſſet Petrus etiam, niſi viſo Domino rediiſſet Emmaunte.* Quæ non ſunt niſi conjecturæ audaciores, huic Viro ſatis familiares. Qualis etiam eſt illa aliorum, magis tamen forte veriſimilis; *Mulieribus rem nunciantibus aliqua audiviſſe Thomam, ſed præ Incredulitate receſſiſſe, deliramenta eſſe putantem &c.* Interim acquieſcere nos in hoc caſu poſſumus apud *Negligentiæ*, ſeu gravioris ſeu levioris, culpam aliquam, cujus ſe reum fecerit Thomas. Cui & propterea non contigit ſimul cum aliis Diſcipulis videre Dominum Redivivum, ad fidei & gaudii ſui plenitudinem eandem. Quia autem in illa Apparitione priori Chriſtus cum Inflatu creditur à mul-

tis Spiritum Discipulis dedisse, hinc rogat *Ligtfootus*; *Num isto Dono & Privilegio privatus sit Thomas per absentiam?* Et respondet; *Minime arbitror, nam Privilegium illud erat commune privilegium Apostolatus, & peculiare Apostolis, & quamvis propter absentiam poterat eo caruisse, propter Apostolatum non potuit. Paulus longissime absens cum hæc fierent, & ab Apostolatu & à Professione Euangelica, cum tamen factus est Apostolus, idem sortitur privilegium.* Quæ responsio quoad rem principalem est optima; dum tamen hoc simul agnoscendum foret, in Accepto Spiritu Sancto, si ille ipso absente datus hic fuisset, illum posteriorem utique fuisse, cum non daretur hoc tempore absenti & non inflato à Domino. Piam heic etiam judicamus observationem practicam, de non negligendis facile Conventibus Fraternis Christianorum, apud quos Christus præsentiam suam singularem promisit *Matt.* XVIII. 20. *&c.*

Ex hinc quam maxime Incredulus præ iis quorum testimonium non admittebat.

IV. Officium autem suum cum in Socium Absentem non negligerent consequenter *Discipuli alii*, qui præsentes fuerant, sed prima occasione quæsita ad hoc *illi dicerent*, gratiam sibi factam narrantes ad Dei gloriam & illorum ædificationem fraternam, *coll. Psal.* LXVI. 16. *&c.*, ipsi nos & omnes simul, *Dominum*, ex morte redivivum, *vidimus*, adeo oculis nostris, dum & audivimus & palpavimus quoque, ut de ipsius Resurrectione amplius nobis, imo ne tibi quidem, dubitare liceat, tradita simul tota rei gestæ historia, notante etiam *Grotio*; ille tamen, uti fuerat antea, ita & nunc mansit non dubius, sed incredulus valde. Atque hinc *illis*, narrantibus læte, pro responso, *dixit*; *Si non videro in manibus ejus typum clavorum, & digitum meum in typum clavorum conjecero, & manum meam in latus ejus conjecero, neutiquam credam, ἐ μὴ πιςεύσω.* Scilicet Visum & Tactum Redivivi Jesu voluit curatissimum, pro quali illum Condiscipulorum hactenus non habebat, potius putans illos nimis leviter hac in re agentes vel specie externa vel imaginatione sua deceptos fuisse. Et ad illum spectabat admodum *Clavorum*, per quos Cruci affixus fuerat sive tres sive quatuor, in totidem manibus & pedibus perforatis singulos, *typus*, seu *vestigium*, uti habet *Beza*, seu *figura*, uti est apud *Vulgatum*, aliis & ab ævo legentibus *fixuram*, ex monitione *Bezæ* ad hoc laudantis *Trapezuntium in Cyrillo*, atque loco altero apud eundem

dem *locus*, quaſi pro τόπον legiſſet forte τόπον, *in ejus manibus* & ſimul ejus *Latus*, quatenus hoc lancea perforatum erat in Cruce ad mortis certitudinem ſine crurifragio *Joh.* XIX. 33–35. Quamobrem voluit non tantum *videre* illum typum, ſed & ſentire eundem, *digito* quidem *injecto* in typum minorum vulnerum, ſed *manu* conjecta in vulnus majus lateris. Quod non tantum optavit, ex narratione Apoſtolica de eo quod ipſis jam contigerat, ſed adeo contumaciter voluit, ut dicat, *ſe* cæteroquin *creditarum minime*, tam illorum Narrationem, quam Rem ipſam narratam, adeoque Domini ipſius Reſurrectionem, de qua heic potiſſimum agitur. Quæ fuit vere Incredulitas, non tantum negativa, ſed & poſitiva; & ſi ita dicere liceat inſana prorſus, non minus adverſus Deum veraciſſimum, & Dominum infallibilem, quam adverſus ejus Miniſtros Angelos & Homines, quorum pietatem ſic ſatis exploratam habebat. Non orta utique ex triſtitia propria, quod ipſe non adfuiſſet; ſed ex rei narratæ difficultate magna, tantum non imperceptibili, hinc non ſperata, & ex minori æſtimatione ſociorum, & ex ſuperba de ſe perſuaſione, quaſi cui licet abſenti Chriſtus etiam tum apparuiſſet. Et quam erat illa inexcuſabilis, tam vana illa conditio propoſita, ubi Signa illa Vulnerum ne quidem erant neceſſaria in eodem Corpore, incorruptibilitate glorioſa donato, ſed retenta tantum ad convictionem majorem Diſcipulorum. En quouſque prolabi queant Diſcipuli Domini; & quorſum ducat Natura hominis Corrupta, ut veriſſima & certiſſima, quæ ipſi ſenſu vel & mente ſua non percipiunt ſatis, non admittant, ſed repudient proterve & contumaciter, contra omnes ſæpe monitiones & convictiones, humanas & Divinas.

V. Nondum tamen à Jeſu & Fide in eum plane excidit Thomas, unde nec ſe Diſcipulorum Societati plane ſubduxit, ſed cum deinde *ejus*, Jeſu Redivivi, *Diſcipuli*, reliqui inprimis Duodecim ſive Undecim noti & ſpectabiles præ aliis, *eſſent intus*, *iterum*, uti vice priori *verſ.* 19. fuit *& Thomas cum iis*, ſeu inter eos præſens. Ubi illud ἔσω, *intus*, nos ducit, non tantum ad intra urbem, ſed & domum, & conclave; ubi ſimul erant abditi, *foribus* etiam *clauſis*, uti antea ad communem ſecuritatem. Sicuti notavit heic *Schmidius*; "Ἔσω & ἔσω

Attamen illis ſe deinde iterum junxit.

*Adverbia Loci ſunt, ſignificantia modo in loco, ut hoc ipſo loco, in conclavi nempe domus illius, ubi fuerant etiam ante octiduum, coll. Act. v. 23. 1 Cor. v. 12. &c. modo in locum, intro, coll. Matt. XXVI. 58. &c. Cauſa clauſarum januarum* ἀπὸ κοινοῦ *huc referenda eſt ex verſ. 19. &c.* Ad qualem repetitam congregationem Diſcipulos duxit mutuus Amor, juxta illum Chriſti Redivivi, & Dei illum excitantis, pellens ad mutuam excitationem ſpiritualem & fidei conſervationem. Dum de Thoma præſumi non male poterit, quod ad congregationem cum aliis repetitam hi ipſum ita ſine animi abalienatione impulerint, ut ipſe etiam ſe huc motus manu Divina compoſuerit, forte incredulitate paulatim cedente exſpectans, ut altera vice Jeſus ſe apud eos ſiſteret benevole, atque ipſe quamquam ſerius eandem cum reliquis gratiam à Domino obtineret. Quo modo certe ad Officium noſtrum præſtandum redire decet quantocyus, quando illud negleximus antea; inprimis vero ad Cœtus ſacros veniendum eſt iis, qui fidei & gratiæ Divinæ augmentum deſiderant ſeriò.

Quando Jeſus ſe præſentem ſtitit, cum ſalutatione ſolita.

VI. Et quid jam fecit Jeſus? Idem quod antea. *Jeſus* enim *venit*, etiam nunc uti antea, *& in medio conſtitit, & dixit, pax vobis! verſ.* 26. Quæ cum ipſiſſima ſint verba antea lecta *verſ.* 19. heic nulla illuſtratione nova opus habent, poſt eam quam dedimus *Cap. XI. §. IV.* Exemplum hoc eſt illuſtre *συγκαταβάσεως*, uti vocavit *Grotius*; in qua certe ſummam ſuam gratiam oſtendit Thomæ incredulo, & omnibus reſipiſcentibus atque Eccleſiæ ſe decenter jungentibus ſpem ejuſdem obtinendæ facit certiſſimam. Et lubuit Domino ita apparere Diſcipulis ſimul congregatis potius quam ſingulis atque Thomæ, ut id non contingeret ipſi ſolitario ſed apud alios, qui de eadem cum eo gratia iterum participarent, teſtesque eſſent gratiæ ipſi ſingulariter factæ, ut non dicam de ſpeciali Redargutione quæ apud omnes fieri debebat adverſus quos etiam deliquerat. Erat certe converſatio Chriſti non jam cum Diſcipulis continua uti ante, ſed per intervalla arbitraria convenienter ipſius incorruptibili gloriæ & illorum infirmitati reliquæ.

Mandatum Chriſti ad Thomam de

VII. Incipit ad hæc Jeſus ſpecialem *cum Thoma*, apud ſocios præſente nunc, *Tractationem verſ.* 27. εἶτα λέγει τῷ Θωμᾷ, Φέρε

φέρε σου τὸν δάκτυλόν σου ὧδε &c. καὶ μὴ γίνου ἄπιστος ἀλλὰ πιστός, *deinde*, vel *poſtea*, non alio plane ſed hoc ipſo tempore poſt apparentis Jeſu ſalutationem communem, *Thomæ*, illi adeo incredulo Diſcipulo, *dicit*, ipſe Jeſus, quid fieri ab ipſo deberet modo antecedenter, & mox conſequenter. Antecedens eſt iſtud, ut *ſuum digitum*, unum vel plures, quibus tangere palpare & apprehendere nos ſolemus objecta quæ id patiuntur, *huc*, ad Jeſum manus extendentem, *ferret*, ſeu deferret, perferret, admoveret, vel *inferret*, ſecundum *Vulgatum & Bezam*, atque ſimul *ejus manus*, cum ſignis clavorum reliquis, ita palparet, ut & *videret*, ſeu animadverteret communiter, ſeu oculis ſuis ex propinquo contemplaretur. Perinde, ut *ſuam manum* integram ſimiliter *ferret*, huc ad ipſum, ubi jam pro Græco eodem φέρε eſt *adfer* apud *Vulgatum*, & *profer* apud *Bezam*, atque *in ejus latus*, unum potius quam utrumque lancea militari confoſſum in cruce cujus veſtigium ſic deprehendere liceret, ipſe *conjiceret*, per verbum βάλε, quod antea bis adbitum fuit *verſ.* 25. Apud quas voces non eſt ut multum hæreamus, & monſtremus etiam, quo pacto paſſim apud quosvis ſcriptores verba humanorum ſenſuum ſingularium permutentur inter ſe, & ad ſignificandas Mentis operationes transferantur, vel & *videre* ad tactum applicetur, quod heic fieri nulla neceſſitas eſt ut dicamus. Enimvero liquet, in his Domini verbis ita ſpectari ad priora Thomæ *verſ.* 25. quibus ille ſuam illic declaravit incredulitatem, ut ſic oſtendat Dominus ſe eadem Thomæ verba probe habere cognita, & mirari magis cum diſplicentia quam probare. Ita autem loquitur ipſe; non jam per *Conceſſionem* meram, ſignificans id ipſum poſſe nunc agere ſi velit, ſed & per *Juſſionem*, notans nunc oblatam occaſionem ab ipſo eſſe amplectendam, ad excutiendam hoc modo Incredulitatem ſcilicet. Quæ admiranda prorſus eſt Domini συγκατάβασις; qualem ille etiam oſtendit in ſuos communiter haud exiguam, quando per Sacramenta inſtituta in Eccleſiæ ſuæ uſum Euangelii ſui verbum confirmat & obſignat illis. Quamquam vero fieri forte potuiſſet, ut pudefactus Thomas per hoc tam liberale Domini ſui verbum absque illo contactu nunc credidiſſet prompte, in Dictis Domini acquieſcendo; nulla tamen eſt ratio quæ nos huc cogat ut ita

ſe probé contrectando, & ſic dignoſcendo.

contigiſſe ſtatuamus. Quin longe facilius eſt, ut ex Dominico mandato, collato cum præcedenti Thomæ Incredulitate profeſſa, colligamus, eum ita egiſſe uti illi heic conceſſum & mandatum fuit. Sicuti & *Grotius* ſcripſit; *Omnino quod jubet Chriſtus feciſſe Thomam puto & tum exclamaſſe. Et huc referam illud* 1 *Joh.* 1. 1. ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν. *Tertullianus adv. Praxeam, Ipſe & auditus & viſus, ne phantaſma crederetur, etiam contrectatus.* Enimvero cum ſigna Vulnerum huc uſque Chriſtus ſua quinque potius quam ſex retinuerit Chriſtus, ad Diſcipulorum modo convictionem, magis quam ad ſuam gloriam; neſcio quo pacto hinc cum aliis *Voſſius* elicere tentet, *Martyribus partes quidem reſectas redditum iri, ne quid ſit monſtroſi, attamen conſpicuas fore cicatrices ac indicia quædam Martyrii quo fuere affecti.*

Ne eſſet Incredulus, ſed credens.

VIII. Conſequens Mandati pars eſt magis Principalis illa, μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός, *& noli eſſe incredulus, ſed fidelis*, apud *Vulgatum*, *& ne eſto incredulus, ſed credens*, apud *Bezam*, *&c.* In his verbis non eſt dubium quin id contineatur, ne rejicias, vel dubites, ſed credas, ipſo actu, uti & hoc exigit Euangelium paſſim. Sed plus ſic dicitur præter Actum tranſeuntem, nempe Habitus ipſe ita agendi conſtans, unde homines denominari communiter ſolent, tanquam *Credentes & Increduli*, *coll.* 2 *Cor.* VI. 14. 15. *&c.* æque quam ſapientes, ſancti, juſti, boni, liberales, &c. Et quando jam *eſſe* jubentur tales, ſpectatur præcipue ad Conditionis iſtius Veritatem, Domino exploratiſſimam, attamen & ſimul ad ejus Demonſtrationem neceſſariam per dicta & facta convenientia. Imo quando imperatur hoc homini, non habet hoc jam rationem Voti quod Deus impleat, ſed Officii debiti, tum in ſe, tum in mediis illuc ducentibus, quod homo præſtet, quamquam per Dei gratiam ſingulariter operantem; non male hinc etiam notante *Grotio*, *incredulitatem aliquid* (imo plurimum,) *habere de voluntario.* Et quod ad geminum membrum hujus mandati inter ſe oppoſitum attinet, ad illud cum *Camerario* poteſt dici; *Idem repetitum* ἀντιθετικῶς, *ut ſit oratio plenior atque evidentior, & diſertior, & attentiores faciens audientes. Quæ forma huic Euangeliſtæ eſt uſitata. Talia paſſim in Veterum Autorum ſcriptis reperiuntur. Ut in Epiſt.* VII. *Platonis*, ἀπειθῶν-

τες

τες δὲ καὶ μὴ πειθόμενοι τῶν ὑπ' ἐμοῦ διαλέξεσι, &c. Alias etiam est heic agnoscenda emphasis, ut adversus Incredulitatem positivam, qualem ostenderat dictis suis Thomas non minus quam negativam, opponatur Fides positiva, cum damnatione sic facta ipsius Incredulitatis negativæ; neque enim sufficit, se non opponere Euangelio, sed & illud necessario amplectendum est ad salutem, *coll. Joh.* III. 18. &c. Vel aliter rursus omnis minima etiam excluditur sic Incredulitas, ut Fides sit integra prorsus, cui prior cedat. Et quando connectitur hoc Mandatum tandem per Copulam *Et* καὶ præcedenti Visui & Tactui, jam ad horum Finem simul & Effectum decentem ducimur; ita ut ad expellendam Incredulitatem & Fidem promovendam quam maxime ordinentur & tendere debeant istæ sensationes.

IX. Sed quodnam est heic intelligendum Infidelitatis & Fidei *Objectum*, & *Fundamentum* quoque? Id loquitur satis manifeste res ipsa cum omni contextu. Nempe *Objectum* directè constituit ipsius *Jesu*, crucifixi mortui & sepulti, non tam Apparitio qualiscunque, quam *Resurrectio*, cujus veritatem sibi hactenus minus persuadere potuerat Thomas, cum respectu ad hanc dicens, οὐ μὴ πιστεύσω, *neutiquam credam.* Cum qua tamen Resurrectione plura alia cohærent, de ipsius Persona Divina, & Natura Humana, & Munere Mediatorio, & Satisfactione plena, & Fidelium Salvatione consummata &c. quæ in Resurrectionis ejus Fide negata vel habita ita involvuntur, ut sub illa nonnunquam comprehendantur omnia, *coll. Rom.* x. 9. 10. &c. & ut rejectio vel fides explicita unius ad rejectionem vel fidem alterius implicite vel consequenter facile ducat hominem. Unde constat, non quidem absoluta Incredulitas Thomæ jam præsens, sed illius periculum in quo per non admissam Domini Resurrectionem versabatur. Et quod ad *Fundamentum* rejiciendæ vel credendæ Resurrectionis porro attinet, id heic non debet constitui Humanum, quando Incredulitas & Fides foret Humana, sed omninò Divinum, & quidem Multiplex. Scilicet Testimonium Dei per Angelos ex cœlo cum majestatis signis visis & auditis missos, per Mulieres ab iis in illa sua conditione jussas, per Petrum Apostolum Domini fidelem, per Discipulos Duos Emmaunti-

Quod heic ad Resurrectionem Christi omnino est referendum.

cos

cos lumine magno colluſtratos, per Apoſtolos alios pleniſſime à Domino convictos, per Prophetarum cum Moſe vaticinia exhibita & expoſita, denique per ipſius Chriſti, tum Prædictiones anteriores, quæ non debuerant excidiſſe nec poterant plane oblivioni eſſe traditæ, tum Facta & Dicta omnia, æque nunc apud Thomam ipſum quam ante apud alios familiares, ad ipſius Viſum, Auditum, & Tactum ipſum, quem ſenſum antea deſideraverat ad fidem habendam, & qui certiſſime ſolidæ ſcientiæ cujuscunque, tam ſupernaturalis quam naturalis, eſt adjumentum maximum & certiſſimum, etiam ſupra inſanientem ſæpe ſuperbiſſime & nimium Rationem humanam, *coll.* 1 *Joh.* 1. 1. *&c.* quæ utique captivanda eſt ſub Obſequium Fidei.

Digreſſio in ſenſus alios ἀπίστε & πίστε.

X. Liceat autem nobis, poſt illa dicta ſufficienter ad ſenſum dicti hujus Dominici, quod Redargutorium quidem ſed magis Commonitorium eſt, digredi paucis, ad alios quoque ſenſus, qui cogitari poſſunt ad illud dictum ſatis utiles ad inſtructionem communem in omni vita noſtra Chriſtiana. Habent utique ἄπιστ& & πιστὸς aliam quoque ſignificationem *infidi*, ſeu *perfidi*, & *fidi*, *coll. Luc.* XII. 46. *Matt.* XXIV. 45. *&c.* ſeu fidem datam fallentis & ſervantis; notante hinc cum aliis *Grotio*, *hanc vocem* πιστὸς *Græcis fidelem aut conſtantem ſignificare, at noſtris etiam eum qui credit*, ὁ πιστεύοντα. Jam vero certum eſt, Chriſtianis hoc præ aliis incumbere, ut Fidem ſuam alacriter præſtent, datam quoque Hominibus aliis, magis vel minus ſolenniter, in rebus bonis & licitis omnibus; ſed maxime omnium datam Deo, & Chriſto Domino, *coll. Apoc.* 21. 10. *&c.* Habent deinde ἄπιστ& & πιστὸς notionem paſſivam magis quam activam *incredibilis & credibilis*, ſeu fide aliorum indigni & digni, *coll. Act.* XXVI. 8. τί ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν εἰ ὁ θεὸς νεκροὺς ἐγείρει; 1 *Tim.* 1. 15. πιστὸς ὁ λόγ& καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξι&, ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι; *Apoc.* III. 14. τάδε λέγει ὁ ἀμήν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς καὶ ἀληθινὸς *&c.* Jam vero non minus certum eſt, hoc decere etiam Chriſtianos, ut à Mendacio omni reali & verbali quam maxime alieni Veritati ſtudeant, tum apud homines, minime fallendos, *coll. Eph.* IV. 25. *&c.* tum rurſus præcipue apud Deum & Dominum, qui falli nequit, nec falli vult profeſſione

oris

oris aut ſpecie ulla boni mere externa ſine graviſſima vindicta ab ipſo exſpectanda, *coll. Matt.* VII. 21. XXIII. 25. 27. *&c.* Habent denique illa ἄπιστος & πιστὸς, tanquam per ſe ad Deum ut objectum ſuum non reſtricta prorſus, ſenſu Fidei negatæ & habitæ, ſuam quoque relationem ad Homines alios; quando diſtinctio facienda eſt, tum inter Homines hos & illos, tum inter illorum Dicta & Facta hæc & illa, etiam in negotio religionis. Utique præ Fide licet heic Incredulitas, ubi homines nobis ſunt minus cogniti reſpectu ſcientiæ ſuæ aut veracitatis, quando credulitas temeraria nos ſæpe nimium deciperet; imo decet eadem, ſi noverimus, eos eſſe vel inſcios, vel mendaces, vel hoſtiles, vel aliter male affectos apud ſe aut adverſus nos. Imo præ Fide laudanda eſt Incredulitas, ubi loquuntur homines ad nos de rebus ſibi minime perſpectis, vel malis, etiam Dicta evertentes per Facta ſua; inprimis, ubi loco ſolidæ ſapientiæ Divinæ inculcant humanas Fabulas, & tanquam Divina quæ Dei teſtimonio carent imo per hoc palam evertuntur, ſecundum id quod fit in Communione *Pontificia*, in qua nos tanquam Increduli perperam taxamur, dum Fidem Deo habemus & verbo ejus certam & immotam. Sed nec oportet nimium Incredulòs eſſe nos adverſus Hominum aliorum, quorumvis, vel bonorum, Dicta & Facta quælibet, etiam valide firmata, contra Charitatis naturam, quæ πάντα πιστεύει, & πάντα ἐλπίζει 1 *Cor.* XIII. 7. dum Incredulitas iſta haud infrequenter oritur ex conſcientia propriæ noſtræ falſitatis, ſecundum quam alios æſtimare ſolent multi. Et hoc ipſum omnino etiam applica ad Externam Fidei Chriſtianæ Profeſſionem, vel Pietatem, quam ſine gravi ratione non oportet habere ſuſpectam, tanquam magis vel minus hypocriticam, ſed potius hoc Divinæ omniſcientiæ relinquere inquirendum & dijudicandum, dum quod verum & bonum eſt in proximo nobis placere & à nobis laudari debet ad Dei gloriam. Sed non licet in hunc ſpatioſum valde campum ulterius heic excurrere.

XI. Ad *Thomam* revertimur, qui &, tam benevole admiſſus & tam ſerio monitus, *reſpondit* prompte, *atque illi*, Jeſu apparenti cum ſignis certis mandanti & monenti, *dixit*, ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου, *Dominus meus*, & *Deus meus*, apud

Reſponſum Thomæ ad Chriſtum. Domine mi! & Deus mi!

*Vulgatum* (quem hoc nomine laudat *Clericus*, ſubintelligens σὺ εἶ,) ſeu *Domine mi*, & *Deus mi*, apud *Bezam* rectius, qui *exclamationem eſſe* dicit, *rectis vocativi vice poſitis ut ſupra* XIX. 3. dum latius ſcripſit *Grotius*; *Nominativum pro Vocativo, quod frequens Atticis, ſed & Helleniſtis, ut in hac ipſa voce apparet Pſal.* XXXV. 23. *Marc.* XV. 34 *& in alia ſenſus ejuſdem Pſal.* XXII. 1. & XXXV. 25. Nomina adhibet Duo, cum Articulo, & repetito ad ſingula illa Pronomine ſingulari μου, quæ per καὶ connectuntur, & cum ea animi ac affectuum plenitudine exprimuntur quæ verba plura proferre impediret, & qualis aliqua etiam obtinuit in illis, *Maria*, & *Rabbuni*, quæ habuimus *verſ.* 16. Nomen prius κύριε, *Domini*, erat illud quo Diſcipuli cum aliis ſoliti erant dudum compellare Jeſum *Joh.* VI. 34. 68. XI. 3. XIII. 6. XIV. 5. 8. 22. *&c.* Quod quidem cenſeri vix poteſt heic reſpondere nomini Jehovah, pro quo alias à LXX communiſſime poni ſolet, dum neque hoc Pronomina ad ſe recipit aut Conſtructum ſtatum; attamen non debet capi ſenſu leviori, ſed omnino excellentiori, quo certe Jeſu illud competit, qui eſt *Dominus gloriæ* 1 *Cor.* II. 8. & *Dominorum Apoc.* XVII. 14. *&c.* tanquam Domino, tum communi omnium creaturarum, tum ſpeciali Eccleſiæ ſuæ, ipſi datæ à Patre, ab ipſo emptæ ſanguine ſuo, ab ipſo collectæ per Verbum & Spiritum, imo ipſum amplectentis & agnoſcentis obſequioſiſſime, quam hinc gubernat & defendit pariter potentiſſime. Et quod ipſum quando heic adhibetur apud Jeſum, clariſſimum vel hinc eſt, fieri in hac reſponſione alloquium prorſus ad Jeſum eundem, non autem alium aliquem inferiorem vel ſuperiorem ullum, quod & merito contra *Neſtorianos* urſit *Beza*. Alterum, quod accedit, Nomen *Dei*, per ſe & primum non Dignitatis alicujus ſed Naturæ & Perſonæ ſupremæ, conſtat uſurpari ſic, ſeu Eſſentialiter, ſeu Perſonaliter, tum de Patre & Spiritu, tum & de Filio, etiam Incarnato, nec ſine epithetis magnis, *coll. Act.* XX. 28. *Rom.* IX. 5. *Tit.* II. 13. 1 *Joh.* V. 20. *&c.* Id vero nomen cum etiam Jeſu ſit tributum à *Johanne Cap.* I. 1. non debet cum loci hujus inclusione intelligi id quod ſcripſit *Grotius ad h. l. Hic primum ea vox in narratione Euangelica reperitur ab Apoſtolis Jeſu tributa, poſtquam ſcilicet ſua reſurrectione probaverat*

ſe

*ſe eſſe à quo vita & quidem æterna exſpectari deberet. Vid. ſupra* XI. 25. *Manſit deinde ille mos in Eccleſia, ut apparet non tantum in ſcriptis Apoſtolicis, ut Rom.* IX. 5. *& Veterum Chriſtianorum, ut videre eſt apud Juſtinum Martyrem contra Tryphonem, ſed & in Plinii ad Trajanum Epiſtola, ubi ait Chriſtianos Chriſto ut Deo carmina cecinisse.* Quæ certe ita etiam ſonant, ut indigniora de Jeſu cogitata inſinuare aliis queant recta; quaſi illud Dei nomen dè Jeſu ex hoc Thomæ dicto, & uſu quodam antiquo Chriſtianorum, fluxiſſet magis quam ex rei veritate & ex ipſo Prophetico verbo teſtimonium Deitatis ejus multiplex dante. Idem illud *Dei* nomen, æque quam illud Domini, heic habet ante ſe Articulum ὁ, ſeu deſignativum ſeu commendativum ſæpe, adeoque ſi ita placet facere poteſt ad Deitatis illius ſupremæ veritatem quoque magis firmandam. Neque fingere heic oportet vel licet alium qui *Deus* dicatur, diſtinctum ab eo qui dictus eſt *Dominus*, propterea quod *ET* heic ſit interpoſitum; dum & hoc nomen pertinet ad Reſponſum Thomæ datum ipſi Chriſto, atque mille exemplis conſtat Ejuſdem Perſonæ Nomina plura per Conjunctionem illam copulari, non minus quam Perſonas diſtinctas, uti ſic *Deus & Pater* totiens legitur *Jac.* 1. 27. 1 *Pet.* 1. 3. *&c.* Et laudamus porrò illam obſervationem *Grotii*, quod per iſtud nomen Dei conjunctum cum illo Domini reſpiciatur ad demonſtratam jam & agnitam hinc atque agnoſcendam ejus Domini Deitatem veram, ſecundum illud Pauli *Rom.* 1. 4. ὃ ὁρισθέντος υἱὸ θεῦ ἐν δυνάμει κ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναςάσεως νεκρῶν, de quo egimus antea *Cap. I.* Sed annon iſta tam magnifica appellatio, poſterior æque quam prior, amittit de ſua vi ſignificandi multum per illud Pronomen repetitum? quod nos reſtringere videtur ad perſonam Thomæ, vel & forte ducere ad opinionem ejus nimiam & vanam de Jeſu, uti ſic ſervi partim ſuos habent Dominos, & quidem Gentes Idololatricæ ſuos Deos imo & Hoc Seculum Diabolum pro Deo Suo 2 *Cor.* IV. 4. refertur enim illic ὃ αἰῶνος τέτυ multo rectius ad præmiſſum nomen ὃ θεῦ quam ad ſequentia poſt verbum ἐτύφλωσε demum τὰ νοήματα τ ἀπίςων. Sed ineptæ ſunt iſtæ deviationes à recta viâ; ubi ſibi attributus Dominus à Thoma non hoc ipſo aliis negatur idem ſimilibus ſecum,

ſicuti ſervus quiſque Dominum ſuum appellans eo ipſo Dominium ejus in plures ſervos extenſum minime negat; atque ubi Thomas, ex hoc verbo laudatus à fide ſua vera & decenti *verſ.* 29. non debet conferri cum infidelium decepta multitudine, uti nec Deus Abrahami verus cum Diis Gentium falſis. Quid verò dicunt iſta Pronomina *μου*, *mei*, ſeu *mi?* Indubie Applicationem Specialem Thomæ ad Se, ſine aliorum ſimilium ſecum excluſione ulla; uti eodem modo Paulus dixit *Gal.* II. 20. *quod nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me & tradidit ſe pro me*, & antiquiſſimo tempore *Jobus Cap.* XIX. 25. *quoniam ſcio, Redemptor meus vivit, &c.* Neque eſt, cur vim iſtius Applicationis ſpecialis heic ullo modo reſtringamus; ſeu ad Thomæ Votum & Deſiderium, tendens ad illius Domini & Dei communionem; ſeu ad Dominicam & Divinam Deſiderii ejus Impletionem per ſua facta etiam grata; cum & ad ſenſus plenitudinem accedat merito Impleti Deſiderii Senſus in Thoma cum Acquieſcentia lætiſſima, qualem fere ſignificat Sponſa *Cant.* II. 16. *&c.*

Vis ejus magna & varia oſtenditur.

XII. Quid & quantum eſt jam illud, quod apud hoc abruptum Alloquium Jeſu, & ex eo, ſubintelligere licet vel decet? *Dominus*, es tu vere, & apud me ille idem cum quo converſati ſumus, quem amiſſum doluimus, quem redivivum crediderunt & nunciarunt alii, dum ego miſer illud per incredulitatem non agnovi. *Deus*, es tu non minus certo & apud animum meum, qui talis fuiſti per Patris Generationem ab æterno, quem ut talem commendarunt Prophetæ, & qui in ipſa aſſumpta ſervi forma talem te dictis & factis tuis probaſti equidem, ſed nunc prodis palam ut talis per devictam ipſam mortem & vitam glorioſe reaſſumptam. Dominus, es tu, *meus*, & ſimul Deus *meus*; quem ut talem eligo & omni niſu amplector, te in vita & morte tua frui deſiderans unice, nec te dimiſſurus unquam; qui te talem demonſtras apud me, per ſingulariſſimam quam mihi præſtas gratiam, tam graviter per incredulitatem turpiſſimam adverſus te peccanti quoque, & in quo hinc tanquam meo gaudere & gloriari licet licebitque æternum. *Dominus* porro *meus & Deus meus* tu ſis, & talem te præſtes mihi conſtanter, ſine fine & intermiſſione, imo per ſucceſſivos gradus magis magisque omni modo. *Dominus* etiam

*meus*

*meus & Deus meus* tu eris ſic, & à me agnoſceris hinc immutabiliter, tibi adhæſuro nec divelli ſe à te paſſuro impoſterum. *Domine mi! & Deus mi!* cum iſta Agnitione, cum iſta Cupidine, cum iſta Celebratione, cum iſta Voluptate, cum iſta Petitione, cum iſta Pollicitatione, me ad pedes tuos projicio ſupplex & admirabundus! tu admitte, amplectere, erige, fulci, trahe, duc, perduc, & aſſume tandem in gloriæ tuæ ſocietatem redivivum ex mortuis!

Torſones Socinianæ Georg. Enjedini adducuntur & explodua-tur.

XIII. An cogitari potuiſſet, fore unquam Chriſtiani nominis homines, qui longe minora alia omnia non tantum de Domino ipſo, ſed & de his Diſcipuli ejus verbis per agnitam hinc ejus fidem ab eo approbatis *verſ.* 29. cogitaſſent? niſi Incredulitatem ſuam impiam hi palam profeſſi fuiſſent & aliis inculcare dudum ſtuduiſſent. Ubi nunc quidem mittimus Antiquos, qualis *Theod. Mopſveſtanus*, hoc nomine damnatus in *Synodo Conſtant. V. Act. III. Can. II.* & in *Edicto Juſtiniani de Prof. Fid.* quod Exclamationem heic reperiret meram, *ó Deum immortalem! quid video? quid tango?* Et ex Hæreticis Recentioribus unum nominamus, *Georgium Enjedinum*, *Superintendentum Tranſylvanum*, qui duplici modo laborat in corrumpendo miſere hujus textus ſenſu. *Etiamſi*, inquit, *concedamus, hæc verba in Chriſtum fuiſſe directa, nihil ex iis contra noſtram ſententiam concludi poterit. Nam nos libenter damus, & Dominum noſtrum eſſe Jeſum & Deum. Sed cum teſte Paulo* 1 *Cor.* VIII. *multi ſint Domini & Dei tam in cœlo quam in terra, non ſtatim qui his nominibus inſigniuntur, eſſe æternos & omnipotentes Deos concedimus.* Apage os blaſphemum! quo audes Chriſtum ut Dominum & Deum conferre cum Idolis Gentium, quæ nil præter Nomen cum vana hominum impiorum perſuaſione habentia, *nihil in mundo* dicuntur à Paulo; dum Chriſtus, ut *Dominus* noſter *Unus*, & ut *Deus Magnus*, *Verus*, *Supremus*, *Vivus*, *Omnipotens*, & *Independens*, nobis commendatur ubique, nullo hinc locum habente heic apud Jeſum ſenſu qualicunque leviori nominum Domini & Dei. Sed aliud audi latius ab impuro Hæreſiarcha, quod in ſtuporem redigat pectus omne Chriſtianum. *Omnibus hominibus natura quaſi inſitum eſt, ut cum aliquid præter opinionem repente aut admiratione dignum conſpiciunt, exclament & Dei nomen*

*proferant, aliquando quidem indefinito, aliquando in ſpecie nomen Dei exprimendo. Ac Græci quidem dicere ſolent* μεγάλοι θεοὶ, *ut apud Heliodorum Lib. VIII. cum Chariclea vi gemmæ Pantarbes in incendio illæſa permanſiſſet,* ὡς ἡ μὲν πόλιν ὑπὸ χαρᾶς ἅμα καὶ ἐκπλήξεως, μεγά τε καὶ σύμφορον ἐκβοῆσαι, καὶ μεγάλας τὰς θεὰς ἐπικαλεῖσθαι *&c. In ſpecie autem ut plurimum Herculem nominabant. Similiter Latini aliquando in genere, ut apud Catullum,*

*Admirans ait hæc manusque tollens,*
*Dii Magni! ſalaputium diſertum.*

*Aliquando in ſpecie nominabant Jovem, ut apud eundem Poëtam,*

*Doctis, Jupiter! & laborioſis.*

*Hodie vulgus Chriſtianorum in talibus ſubitis exclamationibus uſurpat nomen Jeſu & Mariæ. Alii id quod olim dicebant prophani, Dii Boni, ut eſt apud Terentium in Andria, Chriſtiano more proferentes dicere ſolent, Deus bone. Jam vero Thomæ Apoſtolo rem inuſitatam præter omnem opinionem, & admiratione digniſſimam, fuiſſe objectam, cum Chriſtum ex improviſo redivivum videret, negare nemo poteſt. Itaque terrore & ſtupore plenus & extra ſe quaſi raptus exclamat more hominibus conſueto, Dominus meus & Deus meus! Quibus quidem verbis non Chriſtum compellat, neque eum Dominum & Deum ſuum vocat, ſed rem inuſitatam & admirationem ſuam ſummam ſignificat. Sicut cum repente aliquid ſive horrendum ſive admirabile nonnullis occurrit, exclamant, Jeſus Maria! non certe rem quam admirantur & ſpectant vocant Jeſum & Mariam, ſed hos quaſi ἀλεξίκακα numina compellant & invocant.* Pro qua peſſima gloſſa contra verum ſenſum adhuc diſputare pergit; *Si quis urgeat verba illa, dixit ei, ſignificare, hæc à Thoma omnino ad Chriſtum eſſe directa, is ſciat, hanc loquendi formulam idem ſignificare in ſacris, atque dixit poſt verba ejus, vel auditis verbis ejus, quod apparet ex Luc. XIV. 16. at ipſe dixit ei, cum tamen Chriſtus parabolam ſequentem non tantum ad loquentem ſed ad omnes præſentes direxerit. Vide etiam & conſidera Joh. XIV. 22. 23. &c. Hanc interpretationem eſſe veram, vel inde apparet, quod in Chriſto tunc nihil tale à Thoma viſum eſt ex quo Chriſtum eſſe Deum colligere poſſet. Nam reſurrectio non ei qui reſurrexit ſed reſuſcitanti opinionem Divinitatis conciliare ſolet. Imo certum*

*apud*

*apud omnes eſt, Deum non mori, ac propterea neque reſurrectione opus habere. Qui vero reſurgit, eum & mortuum fuiſſe, ac proinde pro Deo haberi nec poſſe nec debere. Quomodo igitur Thomas ex Reſurrectione Divinitatem, cum contrarium potius inde conſequatur, colligere potuiſſet? Videbat vulnera, carnem, oſſa, &c. quæ non Deum ſed hominem illum eſſe probabant.* Utique non eſt hic tantum apud Johannem, *dixit ei*, ſed *& reſpondit & dixit ei*; quod ſermonem omnino arguit directum ad Chriſtum, non tam apparentem quam dicentem, *ne ſis incredulus, ſed credens*, adeoque exigentem ab ipſo fidem. Et frigidum nimis eſt exemplum adductum ex *Luca* de Parabola, quæ licet faceret in aliorum quoque audientium uſum, tamen directe ad unum accumbentem proferri optime potuit. Eodemque modo apud *Johannem* verba generalia communioris uſus, *ſi quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum &c.* omnino pro reſponſo direxit Dominus ad Judam ipſum rogantem. Adeo ut nullum ſui effugii adduxerit homo ille exemplum. Quod ſi tamen daretur, id ordinariam vim ſignificandi nec ubique nec hoc in loco excluderet ab illis, *& reſpondit Thomas & dixit illi.* In Chriſto autem nihil tale viſum eſſe à Thoma, ex quo ejus Deitas colligi poſſet, dicitur ex voluntaria cæcitate; ſiquidem ut de Suſcitatione ejus paſſiva jam non dicam, ex qua alii multi conſtitiſſe ejus Deitatem non ſine omni ratione urgent, erat heic Reſurrectio Activa agnoſcenda ex collatione Eventus cum verbis Domini ante Mortem, qua ſuam illam potentiam propriam declaraverat dudum. *Deum nec mori nec reſurgere*, dicitur, aut captioſe cum relatione ad Divinam naturam, aut falſiſſime, ſi de Perſona Divina cum reſpectu ad aſſumptam ab ipſo Humanitatem ſit intelligendum, ſecundum noſtrum ex doctrina ſcripturæ uſum. Signa vero & partes Humanæ Naturæ cum videret Thomas, non poterant hæc ipſi eſſe pro argumento denegandæ ei Deitatis, quæ ex facto Perſonæ conſtabat. Vah vero tandem inſanam ſapientiæ oſtentationem illam! ubi ex Græcis & Latinis profert, quin & ex uſu Papiſtarum, Exclamationes obſtupefactorum ſubitas, quali & heic Thomas terrore & ſtupore plenus & extra ſe quaſi raptus ſit uſus, non ad Jeſum præſentem, ſed ad Deum in cœlis. Quod ſi dixiſ-

ſet

ſet, ad hunc exclamaſſe Apoſtolum pie & religioſe ex agnitione grata Gratiæ Divinæ ſibi præſtitæ, quem ſic cum gratiatum actione celebraret, inſtar Pauli 1 *Tim.* 1. 17. τῷ δὲ βασιλεῖ τ αἰώνων, ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σόφῳ θεῷ τιμὴ ϗ δόξα εἰς τὰς αἰῶνας τ αἰώνων, ἀμήν, &c. habuiſſet id forte aliquam ſpeciem majorem, & qualicunque modo conciliari potuiſſet cum verbo Chriſti ſubjecto, πεπίςευκας, *credidiſti, Thoma.* Sed hæc nimia fuiſſet laus Apoſtoli, qui, quamquam à Domino ob hoc verbum laudatus, debuit tamen cum verbo ſuo in ſocietatem hominum vanorum damnabilem tranſcribi potius, quorum nec exemplum ex Scripturis dare potuit ullum, quam ut ex eo diſcere daretur Chriſti gloriam, quæ illi certiſſime competit, tam per Scripturas omnes, & per facta præſentia, quam per antecedentem & ſequentem contextum cum phraſibus adhibitis ſignificantiſſimis. Et hanc ergo nos agnoſcamus, cum deteſtatione corruptelarum tam profanarum Scripturæ Euangelicæ.

Laus Dominica ad Thomæ Reſponſum conſecuta.

XIV. Et in hanc viam optimam nos duxit *Jeſus*, cum *illi*, Thomæ fidem & pietatem ſuam profeſſo tam laudabiliter, *dicit*, λέγει, mox ſine mora ulla, *verſ.* 29. ὅτι ἑώρακάς με θωμᾶ, πεπίςευκας, μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες ϗ πιςεύσαντες. Quorum priora tangunt Thomam, poſteriora alios multos, ſed tamen ad Thomæ inſtructionem & uſum quoque ſpectantia. Nomen Viri compellati, *Thoma*, expreſſit Jeſus, indubie cum affectu conveniente, ut hunc ſibi probe cognitum magis oſtenderet, huic ſe copioſius cognoſcendum daret, quin & verba ſua tanto potentius inſinuaret. Laudem porro fidei ipſi tribuit per verbum præteritum πεπίςευκας, quod proprie eſt *credidiſti*, olim ſcil. quidem mecum verſatus, ſed & nunc noviſſime ſecundum monitionem illam meam, μὴ γίνε ἄπις & ἀλλὰ πιςός, docentibus id verbis quibus me compellaſti, *Domine mi! & Deus mi!* locutus ſic vere, quia credidiſti. Nec multum intereſt, ſi malueris id reddere in præſenti cum *Grotio*, *frequens enim eſſe in verbis Affectuum ut Præterita pro Præſentibus ponantur*, ipſe monuit; quando nec fidei Actus heic deſignatur tranſitorius cum verbis prolatis, ſed continuatus & durans, poſt excitationem ejus momento priori tantum factam. Et quid, & quo modo, credidit, vel credit Thomas, ſe-

ſecundum veraciſſimi Domini verbum? Credidit, perſuaſione firma, ipſum apparentem eſſe Dominum & Deum, vere ex mortuis redivivum ſua poteſtate; quod de ipſo non potuerat admittere cum alii id narrarent. Et credidit ſimul cum fiducia certa, hunc eſſe Dominum ſuum & Deum ſuum, cui ille ita ſe daret ſalvandum, ut ſimul ſalutem cum omni gratia ſalutari ab ipſo ſibi pollicoretur; quæ eſt fidei integræ complementum ſolidum in electis. Sed accedit aliqua laudis magnæ reſtrictio in iſtis, credidiſti, *quia me vidiſti.* Ubi *Jeſu Viſus* ſine dubio dicit, non olim inter homines verſantis, vel etiam nuper crucifixi, ſed modo Redivivi conſpectum corporalem, qui ipſi nunc poſt alios Apoſtolos attamen cum his contigerat, per ejus ſingularem & immeritam prorſus gratiam; non excluſo ſic Auditu, & Tactu conjuncto, ſed potius per eventuum connexionem incluſo. Sicuti & *Grotius* ſcripſit, quamquam paulo aliter; *Verbo Videndi hic etiam Tactus comprehenditur. Sic & Auditus Exod.* xx. 18. *Jer.* ii. 31. *Marc.* xv. 4. *& in Græco Ezech.* iii. 13. *alibi Odoratus Gen.* xxvii. 27. Interim verbum ἰδεῖν *Viſum* heic etiam dicit, non qualemcunque levem aut longinquum, ſed clarum & certum prorſus ex propinquo, qui adeo certus eſſet & minime falleret. Et hic Viſus Medium fuerat ſimul & Argumentum Fidei in Thoma, cujus ut Divinæ Fundamentum eſt Divina Revelatio. Neque in eo ſane male ſed laudabiliter agebat Thomas; tum quod in præſentem & ſeſe manifeſtantem Jeſum oculos ſuos attente conjeciſſet, cum reliquis ſenſibus, ad hoc enim ille apparebat; tum quod per Viſum ad Fidem adduceretur, aliter enim agendo inſanam incredulitatis contumaciam palam prodidiſſet ipſe. Verum hoc erat culpabile, quod non niſi ad Viſum ipſum proprium credidiſſet, eousque fidem differens per incredulitatem, non obſtantibus Divinis promiſſis prioribus poſt illa Prophetarum, imo Domini ipſius verbis antea prolatis, quin tandem Annunciationibus aliorum qui Dominum viderant, etiam in ipſius nomine factis. Quemadmodum ſi nos hodie credere renuamus, quouſque oculi noſtri idem & eodem modo cum Apoſtolis non vident quod illi ſe vidiſſe tradunt. Nec diſſimili morbo laborare cenſendi & dicendi ſunt; tum qui

ſn rebus Divinis & per ſe inviſibilibus pendent unice ab externis ſenſibus, hinc Deum ipſum ex intimo pectore expellere etiam impie ſtudentes nimis frequenter; tum qui Propheticum & Apoſtolicum Spiritum clam vel palam rident, & pro lubitu dictamina ejus rejiciunt vel torquent & corrigunt; tum qui etiam in rebus Divinis, quæ humanis ſunt longe ſublimiores & quoad modum ſuum omnem difficiliores intellectu, nimis clare & diſtincte animo ſuo intueri volunt, prius quam fidei aſſenſum præbeant. Dum cæteroquin minime heic pendere decet ab ore hominum ullorum fallibilium, ſed inquirere in ipſum Dei Verbum, illiusque ſenſum verum, cum omni induſtria, & modeſtia, & Divini auxilii imploratione ſeria, ad noſtri & aliorum eruditionem ſalutarem.

Cum Beatitate eorum qui non vidit ut & crediderint, rite expoſita & male detorta.

XV. Memorabile ad hæc eſt verbum ultimum, quod Dominus addidit; *Beati qui non viderint, & crediderint.* Ubi οἱ μὴ ἰδόντες ſunt per rerum connexionem certiſſime, qui eodem cum Thoma modo oculis ſuis corporeis aliisque ſenſibus non perceperint Jeſum Redivivum poſt Mortem ignominioſam, καὶ πιστεύσαντες, minime repetendo heic Adverbio negandi μὴ *non*, qui eodem cum Thoma modo tamen *crediderint* in eum, tum abſolute tum cum ſpeciali ad ſe relatione Quales ſi nominavero Patres fideles, qui ante tempora Chriſti ſeu nati ſeu mortui etiam vixerant, non ſane aberravero à generali ſcopo Domini, de Fide habenda absque Viſu corporeo perſonæ & rei præſentis. Sed quales tamen heic magis deſignari à Domino certum eſſe videtur, eos qui nunc & imposterum per ſecula omnia Novi Teſt. viverent, quibus ille in terris hærens adhuc, & mox in cœlum transferendus, ſe conſpiciendum non daret, & qui ſine tali ejus conſpectu ad prædicatum Euangelii Verbum, cum Sacramentorum uſu accedente, per Spiritus vim vorticordiam, eum per fidem reciperent, longe maximo numero, tam ex aliis Gentibus quam ex Iſraëliticis tribubus. Atque hos *beatos* dicens Dominus, iis adjudicat, non modo ſpiritualem Gratiam in his terris, ſed & Gloriam in cœlo ſecuturam, per illam Fidem in Chriſtum corporaliter non viſum. Sive jam per hunc loquendi modum eos omnes ſimpliciter cum Thoma credente poſt viſum

ſum volucrit *conjungere* Dominus, quaſi dixiſſet, hi etiam, quanto fuerint numero, tecum Beati erunt per me redivivum adeo ut ad Beatitatem iſte tibi conceſſus Vitus minime ſit neceſſarius; ſive etiam adverſus Thomam *opponere*, per Comparationis ſpeciem aliquam, non ſic Beatitatem veram Thomæ denegaturus, quæ à Fide vera eſt inſeparabilis, ſed ejus Beatitatem inchoatam in his terris depreſſurus infra aliorum illorum decus & laudem, quaſi dixiſſet, hi præ te erunt nacti, non per omnia alia, ſed in eo, majorem Gratiæ ſpiritualis gradum, à quo præ te laudari à Deo & hominibus mereantur, *coll.* 1 *Petr.* 1. 8. *Act.* xx. 35. *&c.* Secundum quem ſenſum poſteriorem ſcripſit *Grotius*; Μακάριοι, *i. præferendi ſunt. Sic Luc.* x. 27. 28. *Poſitivus pro Comparativo, ut* 1 *Cor.* vii. 8. *Nam hoc vere eſt de Dei potentia & bonitate recte ſentientium, fidem adhibere probabilibus teſtimoniis de ea re quæ ad ſanctiſſimum dogma confirmandum pertinet. Eſt autem & hic Aoriſtus pro Præſenti, Præſens autem pro quovis Tempore. Nam de crediturís Apoſtolorum teſtimonio, & quidem longe poſitis à Judæa hominibus, præcipue agitur. Similis emphaſis apud Petrum* 1. *Epiſt.* 1. 8. Dum in rem eandem optime contulit *Ligtfootus* ex *Tanch.* illud *Simeonis Ben Lachis*; *Dilectus eſt Proſelytus coram Sancto Ben. magis quam iſta turba quæ ſtetit ante montem Sinai. Nam illi, niſi vidiſſent tonitrua, & flammas, & fulgura, & montes trementes, & vocem tubarum, non excepiſſent Legem. At Proſelytus non vidit quicquam horum, & tamen venit, & devovet ſe ipſum Sancto Ben. & ſuſcipit in ſe regnum cœlorum.* Utique ſic poſitive vel comparative de ſe loquens Dominus, & ſalutem per ſe annuncians tam multis crediturís, veritatem Reſurrectionis ſuæ certiſſimam Thomæ quam maxime etiam inculcat. Et eſt fœdiſſimus dicti hujus abuſus, tum apud *Pontificios*, tum etiam *Lutheranos*, in negotio Euchariſtico, & credito illic vel & ubique Chriſti Corpore inviſibiliter præſente, ſive per Tranſubſtantiationem ſive per Conſubſtantiationem, quando urgent credendam illam Præſentiam, licet non videatur à quoquam nec videri queat oculo corporeo. Ad quæ *Beza* dudum dixit; *Imo vero credendum eſt Chriſtum reſurrexiſſe, etiamſi illud non videamus ut Apoſtoli viderunt, quia teſtati ſunt Apoſtoli ſe eum vidiſſe. At eidem non ſunt teſtati,*

*corpus Chriſti nunc in terris eſſe uſquam, nedum ubique, ſed in cœlos aſcendiſſe & inde ultimo demum die venturum. Idem eſt Tranſubſtantiatoribus reſpondendum.* Et nos plenius dicimus, tantum abeſſe, ut quæcunque tradideridt homines ex ſuis hypotheſibus meris, licet adverſiſſima Scripturis, Rationi ſanæ, & ſenſui omni externo, uti eſt illud dogma Præſentiæ Chriſti Corporalis Inviſibilis in Sacramento, nos ad beatitatem credere teneamur ſimpliciter; ut ad Scripturas ſolas tanquam fidei noſtræ fundamentum conſtanter ablegemur, ſimul commendato tamen adjumento, tum Rationis, tum Senſuum noſtrorum, in iis quæ non percipimus, vel ex adverſo percipimus per hos, ſecundum illud *Matt.* XXVIII. 6. 7. *non eſt heic, videte locum ubi Dominus jacuit, ecce præit vobis in Galilæam, illic illum videbitis, &c. coll. Luc.* XXIV. 39. 40. *Joh.* XX. 26. 27. Et licet Senſuum noſtrorum teſtimonium minime valeat aut exigi debeat in rebus ſpiritualibus, quæ per eos nequeunt percipi, (quod tamen neque heic à Domino ſpectatur directe,) ad eas credendas; valet id tamen hactenus in rebus corporalibus, quæ ſub ſenſus noſtros omnino cadunt per ſe & præſentiam ſuam apud nos, ut nihil his plane repugnans de illis ſit agnoſcendum & amplectendum per fidem, ſive ut negem quod videtur vere, ſive ut teneam quod cum videri poſſet & deberet omni ſe viſui ſubducit, niſi omnia lubeat talia facere prorſus incerta & pro ingenii vani ductu perverſo inſanire, quod Chriſtiana fides nec poſtulat nec admittit.

Tempus hujus Apparitionis Chriſti notatur.

XV. De Apparitionis hujus *Tempore* non habemus multa dicenda porro *ad verſ.* 26. ubi legitur illud primum, μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ, *poſt Dies octo*, & deinde alterum illud, τ θυρῶν κεκλεισμένων, *foribus cluſis*, quod ad tempus ſpectare minus certum eſt. Scilicet *Dies* ſic ſatis quidem certus eſt, *Octavus* à Die Reſurrectionis ſimul computato quo apparuerat *verſ.* 19. ex Hebræorum aliorumque communi uſu, *coll. Marc.* VIII. 31. *Joh.* XI. 39. *&c.* adeoque non alius quis ſeptimanæ ſed & Primus iterum poſt ſeptimanam unam plene elapſam. Nec male adeo heic ſcripſit *Hammondus*; *h. e. poſt hebdomadem, primo ut videtur Die, qui elapſam hebdomadem ſequutus eſt, ut antea verſ.* 19. *Judæi enim exprimunt hebdomadem octiduo. Ita Joſephus Ant. Lib. VII. Cap.* 4. *poſtquam dixit,* ἐπὶ ἡμέ-

ἡμέρας ὀκτὼ, *id ſignificat ſtatim hiſce verbis,* ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον, *à Sabbatho ad Sabbathum. Ideo cum Lucas dicat Cap.* IX. 28. ὡσεὶ ἡμέρας ὀκτὼ, *Matthæus Cap.* XVIII. 1. *habet,* μεθ' ἡμέρας ἓξ, *quia nimirum erat ille Septimus Dies, qui incluſus numero dierum una cum primo dicitur octavus, excluſo vero utroque, & ſpatii medii ratione tantum habita, ſextus vocatur. Ita etiam diſtinguimus Febres, dum Quartanam & Tertianam vocamus, quæ Tertio & Secundo die redeunt, quia numeramus binos dies quibus redeunt paroxyſmi, una cum intervallo quod inter eos intercedit.* Unde autem hoc eſt, quod illo Die Primo Septimanæ iterum convenerint Apoſtoli, præ aliis Septimanæ, imo & Thomas convenerit cum reliquis qui antea abfuerat? An dicemus, illos hoc Die non magis conveniſſe quam aliis, ſed tempus hoc conventus notatum modo fuiſſe ab Euangeliſta ex occaſione tum factæ Apparitionis Dominicæ? Vix putem, neque auſim id aſſerere extra Euangelium. Dum mihi quidem minus veriſimile videtur, illos Diſcipulos tam diu à ſe invicem abfuiſſe omnes in prima illa lætitiæ eorum ſeptimana Feſtali & Paſchali; nec ab altera parte ipſorum res domeſticæ Diurnos Conventus continuos admiſerunt facile. An exiſtimabimus potius, ad Feſti Paſchalis ſeu Azymorum terminum pertinuiſſe hunc Diem alterum Primum Septimanæ? Sed de Octavo Die heic nihil legimus, uti in Feſto Scenopegiæ *Lev.* XXIII. 36. *Num.* XXIX. 35. & erat hic Dies à Paſchate Judaico utique non Octavus, ſed Nonus. An Chriſtum conjiciemus expreſſe præcepiſſe, ut Primo Septimanæ Die, vel ſemper impoſterum, vel poſt Octiduum primum, convenirent ſimul, tum ab ipſo rurſus ſalutandi coram? Sed non foret hæc hactenus niſi mera conjectura, de qua nihil legimus in Euangelio, & contra quam æque quam pro qua diſputari poſſet. Potius ergo dixerim ego, eos Spiritus impulſu ſingulari altero hoc Primo Septimanæ Die, poſt ipſum Primum Reſurrectionis præterlapſum, congregatos fuiſſe ſolennius quam alio quocunque Die Septimanæ elapſæ; ad memoriam Reſurrectionis & Apparitionis iſtius primæ apud ſe ſimul celebrandam, non ſine omni ſpe, fore ut & ſic congregatis ſe denuo in illorum uſum ſiſteret Dominus, & ad hoc pertractum eo modo etiam fuiſſe Thomam, forte non ſine

aliorum Discipulorum persuasione minus vel magis valida. In quam rem optime etiam scripsit ipse *Grotius*; *Videntur Discipuli semel Resurrectionis Die Domini experti præsentiam, eundem Diem in posterum solennibus conventibus dicasse Act.* XX. 7. 1 *Cor.* XVI. 2. *hinc dicta* ἡμέρᾳ κυριακή *Apoc.* I. 10. Sed quænam fuit *Diei* istius *Pars*, qua seu congregati sunt, seu congregatis ipsis Jesus se stitit? Ad cujus quæstionis determinationem aliquid facere posset forte phrasis illa, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *foribus clausis*, si illa ad Temporis designationem foret adhibita; quamquam ne sic decerni posset firmiter, an ad noctis, qua fores claudi solent, initium, quo jam, an progressum, quo etiam, an exitum, quo adhuc clausæ illæ sunt, spectaret hæc narratio, dum priori loco *vers.* 19. simul omnino fit mentio ἀψίας οὔσης τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων. Sed illic jam observatum est, illud τῶν θυρῶν κεκλεισμένων *foribus clausis*, non spectare ad tempus, sed ad Discipulorum metum à Judæis, διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, atque ad Apparitionis Christi admirandum, qui non obstante illa forium occlusione sese ita subito stitit Discipulis ac si fores apertæ fuissent, non tamen ipsas illas fores penetrans dum manerent clausæ, sed illas apte ad sui corporis transitum celerem movens sine strepitu audito. Atque eodem modo heic rem contigisse, non potest vel debet dubitari. Interim dum nulla heic jam Vesperæ fit mentio, potuerunt & ex metu de Die lucido Discipuli occludere fores; nec minus verisimile dici potest, quod alto Mane, quo Christus resurrexerat, & quo Cœtus suos antelucanos deinde Christiani soliti erant habere, heic etiam apud Discipulos suos apparuerit Dominus, quam quod idem egerit Vespera demum insecuta, ut Octiduum sic tam ab Apparitione quam à Resurrectione dici posset. Cujus quæstionis determinatio non est à Spiritu visa ejus ponderis, ut necessaria foret nobis, quibus hoc sufficiebat scire, quod & Die Primo Septimanæ post octiduum secundo suis Apostolis congregatis apparuerit Dominus, ad singularem Thomæ correctionem.

Resurrectionis Dominicæ Certitudo.

XVII. Concludamus iterum hoc Caput, observando, quantopere & hæc Apparitio Domini Secunda apud Apostolos suos, Thoma præsente, faciat ad Resurrectionis ejus fidem

dem Christianam. Si quidem, post non longam sed notabilem tamen plurium dierum moram intervenientem, Jesus Redivivus se convictis & credentibus antea Discipulis pluribus & simul congregatis stitit rursus, atque ipsi incredulo Thomæ, videndum, audiendum, & contrectandum dedit, ut ille non amplius fidem suam cohibere potuerit sed & crediderit, & fidem suam proclamaverit palam, eo nomine à Domino ipso laudatus, sed haud supra alios etiam in non visum similiter credituros. Unde contra Judæos hodieque Incredulos, incredulitatem Thomæ adversus nos & Dominum nostrum laudantes, hoc argumentum retorqueri summo jure solet; si ille ipse quoque Discipulus, qui ab initio & aliquamdiu fuit tam Incredulus, tandem à Domino iterum viso, audito, & contrectato, adeo fuit convictus, ut fidem suam palam proclamaverit, excussa incredulitate priori, non est quod nos de ejus veritate dubitemus etiamnum. Quali etiam modo Fides & Prædicatio Pauli merito urgetur, ex *Gal.* 1. 23. ὅτι ὁ διώκων ἡμᾶς ποτὲ νῦν εὐαγγελίζεται τὴν πίστιν ἣν ποτὲ ἐπόρθει, & *Act.* XXVI. 9. ἐγὼ μὲν ἐν ἐδοξα ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου δεῖν πολλὰ ἐναντία πρᾶξαι, ὃ καὶ ἐποίησα ἐν Ἱερουσολύμοις &c.

tudo ex hac Apparitione firmatur.

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

### *Quo Apparitio Christi Redivivi apud Discipulos Tertia ad Mare Tiberiados exponitur.*

Quam Apparitionem juxta priorem comprehendit adhuc sub istis quæ factæ sunt *Duodecim illis*, non semel sc. sed sæpius, Paulus 1 *Cor.* XV. 5. sed nullus reliquorum Evangelistarum enarravit, hanc *Johannes* rursum solus nobis reliquit pleniſſime; ita ut dicat non tantum ab initio *Cap.* XXI. 1. μετὰ ταῦτα ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν πάλιν ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς ἐπὶ τῆ θαλάσσης τῆς τιβεριάδος, sed & deinde *vers.* 14. τοῦτο ἤδη τρίτον ἐφανερώθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν, ad Visionis hujus Descriptionem, & Commendationem generalem. Quod totum Caput etiam *Doct. Vossius* putat à Joanne non esse editum, vel etiam scriptum, sed à Johanne quodam

Viso Christi à Johanne solo memorata; ejusque Analysis textualis.

Pres-

Presbytero cum Ecclesia Ephesina post ejus mortem ex ipsius traditione potius conscriptum, sed minus solide ex *Joh.* xx. 30. 31. & xxi. 24. collatis eam in rem similibus aliorum clausulis adjectis ad Mosen & Josuam. Tradit vero ille hanc historiam simul satis plene, ἐφανέρωσε δὲ ὅτως ἑαυτόν. I. Respectu *Personarum*, quibus contigit, cum illarum *Mansione* & *Instituto* præsenti, & quidem *Infeliciori vers.* 2. 3. II. Ejus quod ipsis *obvenit* 1. Tum *pluribus communiter*, nempe α. *Jesu Visus* & *Auditus*, sed adhuc *Ignoti vers* 4. 5. 6. β. Ejus visi & auditi *Cognitio & Agnitio inchoata vers.* 7. 8. 9. γ. Ejus denique *amplior Manifestatio* per Dicta & Facta *vers.* 10 — 13. 2. Tum *Petro singulariter*, quem α. Adhibito *Examine* serio, *in Munere* confirmat graviter Dominus apparens *vers.* 15. 16. 17. β. Monet *de Malis*, ipsum hinc *secuturis vers.* 18. 19. γ. Se *sequi* adhuc *jubet vers.* 19. δ. Tandem *redarguit* cum *Monitione* repetita importunius agentem, per *verbum*, quod *male intellectum* fuisse à Discipulis simul monet Euangelista *vers.* 20 — 23.

Personæ quibus eadem contigit, cum illarum Mansione & Instituto præsenti.

II. Quos heic Dominus sui Redivivi Apparitione dignatus est, illi ab initio dicuntur, tum *Discipuli vers.* 1. tum & *Discipuli ejus vers.* 2. quod & repetitur *vers.* 14. alias subintellecto Pronomine illo ex contextu & prædicatis. Commune illud Nomen eorum, qui Christum ut Doctorem suum sequebantur, quam maxime nos heic etiam ducit ad horum præcipuos, sive Apostolos, sive & Cooperarios eorum, *coll. Joh.* xx. 10. 18. 19. *&c.* Discipuli autem heic præsentes distinctius enumerantur, quin & nominantur plusquam unus, *vers.* 2. *Erant simul Simon Petrus, & Thomas dictus Didymus, & Nathanael de Cana Galilææ, & Zebedæi filii, & alii ex Discipulis ejus Duo.* Noti sunt Duo primi satis ex iis quæ jam antea de utroque illo habuimus in hac Resurrectionis Christi historia, *coll. Joh.* xx. 2. 6. 24. *&c.* quæ loca vide. Tertius accipit nomen *Nathanaelis*, & describitur à Loco Ortus vel Mansionis suæ, tum *Galilæa*, regione remotiori terræ Israëliticæ ad septentrionem, tum *Cana*, regionis illius Urbe, quales & alibi plures nominis ejusdem esse potuerunt. Uti vero Urbs, sic dicta tanquam *nidus*, vel *possessio*, vel *arando*, *&c.* est nota ex Euangelio, *coll. Joh.* 11. 1. 11. iv. 46. ita & *Nathanael*, sonans

hans ex origine *Deo*, vel *à Deo*, *Datum*, occurrit ſæpius *Joh.* 1. 46—50. Nec quicquam nobis conſtat de eo, quod vana traditio ipſum quandoque facit Sponſum in nuptiis narratis *Joh.* 11. 1. uti neque de eo, quod etiam recentius inculcavit, ſed poſt alios dudum, ſecundum *Bellarmini* ipſius obſervationem, *Ligtfootus*, eundem eſſe *Nathanaelem*, qui ab aliis Euangeliſtis Nathanaelem nullum habentibus dicitur *Bartholomæus*. Utique inter Apoſtolos Duodecim fuit *Bartholomæus*, *Matt.* x. 3. *&c.* ſed nullus inter eos comparet *Nathanael*; de quo hoc ex Johanne ſcimus, illum inventum à Philippo, & monitum de invento Meſſia, ab initio ſe difficiliorem præbuiſſe, ſed dein à Chriſto convictum & magnopere laudatum, tanquam *vere Iſraëlitam in quo dolus non eſſet*, etiam gloriam hanc Chriſto tribuiſſe, *Rabbi tu es Filius Dei*, *tu es Rex Iſraëlis*. Qui, licet non fuerit ipſe Apoſtolus, nominari tamen cum Apoſtolis heic potuit, tanquam illis præſens; imo & ante alios quoſdam Apoſtolos, ob rationem unam vel alteram, quæ nec certo ſciri nec etiam ſolidè conjici poteſt à nobis. Poſt hos tres nominantur οἱ τοῦ Ζεβεδαίου, *Zebedæi*, nempe Filii qui duo inter Apoſtolos magnopere excelluerunt *Matt.* xxvi. 37. *&c.* ſub nominibus *Jacobi & Johannis*, *Matt.* iv. 21. x. 2. *&c.* Tandem ad hos quinque adjunguntur etiamnum *Duo Alii ex ejus Diſcipulis*, nullo deſignati nomine, quos hinc etiam nec ſcimus nec conjicimus fuiſſe Apoſtolos, ſed potius ex LXX Diſcipulis ab ipſo juxta illos miſſis; *ex numero LXX minus nobiles*, inquit *Grotius*, *itidem Galilæi ut videtur*. Dum leviſſime ſcribit *Ligtfootus*, ut ſolet ſæpius; *Numerantur Septem Diſcipuli*, *ſed nominantur tantum quinque*. *Non nominatos conceperim ego eſſe Philippum & Andream*, *& quatuor abſentes fuiſſe filios Alphæi*, *Matthæum*, *Judam*, *Simonem*, *Jacobum*. *Confer nominatos Cap. I. & non immerito ſuſpiceris*, *Anonymum illum verſ.* 37. 40. *fuiſſe Thomam*. Hi utique Septem, numero ſufficientiſſimo, inter quos & præcipui Apoſtoli, quod nacti ſint præ aliis abſentibus hanc Apparitionem Domini, factum eſt ex eo, quod ἦσαν ὁμοῦ, *ſimul eſſent*, in eadem regione, urbe, domo, & conclavi forte, ſive illic manerent ad tempus aliquod longius ex priſtina habitatione aut alia ratione vel occaſione, ſive

illic fuerint modo congregati ad fidei ſuæ exercitium, aut ad ſeculare aliquod negotium; ad quæ omnia ſignificanda communior hæc phraſis ſatis apta in ſe videtur. Et eſt certum per contextum, eos ita fuiſſe ſimul in Galilæa haud procul à *Mari*, ſeu *Lacu*, *Tiberiados*, quod ita ab Urbe propinqua dictum alias quoque dicitur *Galilææ* à regione adjacente *Matt.* IV. 18. XV. 29. *Marc.* VII. 31. *Joh.* VI. 1. 23. vel *Lacus Genneſaret Luc.* V. 1. quod deducunt ex antiquo כנרת ים *mari Cinnereth Num.* XXXIV. 11. Quorſum iverunt ex Judæa hi Diſcipuli, ob ortum ſuum ex illo tractu non modo, aut ad negotia alia illic curanda domeſtica, ſed & ſecundum Chriſti Redivivi mandatum cum promiſſa manifeſtatione ſui illuſtriori. Hoc vero, inquis, ſi ſunt ſecuti, quid hæſerunt prope Mare Tiberiados, nec potius directe iverunt ad Montem conſtitutum? Ego autem rogabo viciſſim, unde conſtet, in hoc Galilææ tractu non fuiſſe illum Montem quem Jeſus deſignaverat ipſis? vel ſi fuerit in alia parte, à Domino non fuiſſe etiam definitum magis vel minus ſtricte cum loco Tempus iſtius Manifeſtationis promiſſæ, intra quod non erat ut ad montem illum confluerent omnes ſimul, ſed aliis locis tuto vel commode magis potuerint hærere? Fecit interim iſta manſio vicina Mari huic, ut ad piſcandum hi ſe converterent, quod promiſcue licuiſſe in hoc Mari Nephtalitico notavit *Ligtfootus*, ſecundum antiquum Diſcipulorum plurimorum vitæ inſtitutum *Matt.* IV. 18. 19. Quod ipſos heic reſumpſiſſe prorſus, neutiquam dixerim, cum ad Teſtimonium Jeſu jam eſſent conſtituti à Domino Redivivo. Sed ad quod pro hoc præſenti actu tracti fuiſſe, non voluptatis adeò aut neceſſitatis quam uſus ſui, corporalis verius quam ſpiritualis, intuitu videntur; ſub ductu ſpeciali Divinæ Providentiæ. Impulſor fuit *Simon Petrus* ipſe, ſpectatus & fervidus paſſim præ aliis, qui *illis*, reliquis ſecum manentibus Diſcipulis, *dixit*, *abeo*, hinc modo, *piſcatum*, in vicino Mari mihi vobiſcum ſatis explorato; quo ipſo ſignificat ita conſilium ſuum proprium, ut haud obſcure reliquorum ſententiam ſe velle audire, vel & ad ſocietatem operis ipſos invitare videatur, quod ſolus utique præſtare non poterat ipſe. Hinc & hi ſubſcribentes *illi dicunt* paratiſſimè, *tecum & nos venimus*, ſive ibimus abſque mora ad piſcandum; notante &

*Beza*

*Beza* heic ἔρχεσθαι *poni pro εἶναι*, etiam apud *Homerum*. Dictum factum. Illi, sic inter se consentientes, simul *exiverunt*, ex mansionis suæ loco priori; & ad Mare venientes, *in navigium*, retibus aliisque necessariis instructum, quod illic seu habebant relictum aut commodatum reperiebant facile in eam rem, *ascenderunt*, tanquam eminens præ terra & aqua, dum de ipsius Maris Ascensione heic minus recte cogitetur; & quidem εὐθὺς, *recta*, vel *statim*, eadem illa hora, quod apud *Vulgatum* tamen non reperio. In quo facto narrato includitur heic opus consecutum, ad quod prius illud tendebat, nempe Exitus cum navigio & retibus de littore vel portu, & Retium Ejectio ad piscandum. Sed quod vesperi cœptum fieri, illis adeo male successit, ut frustra laborarent, nec voto suo fruerentur ullatenus, *in nocte illa*, tota usque ad tempus matutinum, *coll. vers.* 4. non jam parum, sed *nihil*, piscium plane, *prehendentes*, sive capientes suis retibus ejectis ad desideratum suum usum. Quod licet & alias fieri potuerit, heic tamen exspectationi Discipulorum piscatoriam artem probe collentium, quoad loca etiam & tempora oportuniora, non putem esse tribuendum alicui culpæ Discipulorum, sive corporali sive spirituali; sed omnino duxisse, tum ad singularem ipsorum attentionem, tum ad Gratiæ Dominicæ insecutæ demonstrationem & agnitionem majorem. Non prorsus male ad ista omnia scripsit *Grotius; Dum exspectabatur Spiritus, nihil erat quod agerent Apostoli. Et apud Judæos inhonestum non erat. Victus quoque, ut credibile est, non aliunde suppetebat, hactenus ex comitatu Christi alimoniam habentibus &c. Tempus piscatui opportunum.* Ἔπλαζον θεόν, *divina providentia, ut eo constaret frustra esse humanum laborem sine Divina gratia Psal.* CXXVII. Dum à *Ligtfooto* conglomerantur rursus conjecturæ leves; *Amandaverat Discipulos Christus in Montem in Galilæa, ubi iis adhuc non apparuerat, ut planum ex vers.* 14. *Unde mirandum, quod abesse audent ab isto Monte, & quod Quatuor abesse audent à reliquo cœtu. Norunt absque dubio Montem, & si non norunt etiam tempus quo exspectanda Apparitio Christi, cur non in Monte semper commorantes, præstolantur ejus adventum? Videtur, quod non exspectarent eum appariturum, nisi Die Dominica quæ adhuc non advenerat ex quo venerant illi in Galilæam.*

*Et forsan Filii Alphæi ad suos se contulerant in Nazarethum in reditu suo ab Hierosolymis, statuentes secum ad montem istum adesse Die Dominica. Habitarunt hi Septem propius à Monte, qui erat prope Capernaumum & circa Mare Galileæ; Nathaniele solum excepto, qui remotius aliquantum in Cana versus extrema Maris Borealia. Ille ad sua adhuc non perrexerat, sed hic exspectans tempus constitutum commoratur. Petrus & Andreas habitabant in Capernaum, atque illic ut probabile Jacobus & Joannes, Philippus in Bethsaida, & Thomas, ut per nomen suum Græcum Didymus conjectare licet, inter Syro-Græcos in Gadara aut Hippo, aut loco aliquo in regione ista Decapolitana, non longe admodum à Genesaretha.*

Modus Apparitioni, secundum quem alto mane in littore stetit, & de ipsorum piscatione egit cum Discipulis.

III. Istis autem in hoc statu constitutis Discipulis, cum non reperirent quod vellent, aliud longe majus contigit bonum, per quod & prior infelicitas feliciter reparabatur. Siquidem *Jesus* illis *apparuit*, quamquam *Ignotus*, tum ad *Visum* tum & ad *Auditum*. Dicitur enim *Jesus vers.* 4. εἰς τὸ αἰγιαλὸν (de cujus vocis origine ab ἄιγες ἁλὸς differit *Schmidius*,) *ad littus*, vel *in littore*, maris illius, non procul ab ipsis navigantibus & piscantibus, non in Mari quod terruisset eos, *coll. Matt.* XIV. 25. 26. *stetisse*, vel *constitisse*, erectus, & repente; quem videbant quidem Discipuli & audiebant mox etiam auditi ab eo *vers.* 5. 6. sed *non noverant esse Jesum*, non tantum per distantiam, aut per minus adhuc plenum diei lumen, sed & per retentos uno vel alio modo oculos ad tempus. Quod ipsum contigit, πρωΐας ἤδη γενομένης, *mane jam facto*, adeoque sole orituro, orto, vel oriente, quo fere tempore ipse antea etiam resurrexerat tanquam Sol verus, lumen magnum orbi adducturus, ὥρας *vel* φυλακῆς heic subintelligente *Schmidio*. Ubi pro allegoria magis humana, quam significatione Divina, habeo glossam, quam & ipse dedit *Grotius*; *Significat se per resurrectionem jam esse in vado, ipsos in salo versari.* Addens conjecturam de Discipulis; *Crediderunt emptorem esse piscium.* Cum tamen non minus cogitare potuerint de piscatore, vel viatore, vel religiosiori homine, qui solitudinem matutinam quæreret. Qui sic videtur à Discipulis Jesus, idem & mox auditur ipsos alloquens *vers.* 5. παιδία, *pueri*, vel *servuli* operarii, vel *filii*, nomine majorennibus cum affectu singulari

gulari tributo, corporali tamen magis quam ſpirituali heic ſenſu *Diſcipulorum*, quo Jeſus ſe ſignificaverit, *coll.* 1 *Joh.* 11. 18. *&c.* μήτι προσφάγιον ἔχετε; *an non habetis aliquod* προσφάγιον. Illam vocem reddidit *Vulgatus* per *pulmentarium.* De quo ſic *Beza*; *Vulg. & Caſtellio etiam nuper convertit, pulmentarium. Inepte profecto, nam cur à piſcatoribus pultem petat? Deinde quam bene hoc convenit de eo quod ſequitur, mittire rete in dextram partem navigii & invenietis?* Magis forte ad rem facit illud *Ligtfooti*; מזון לסעודה / *quod frequentiſſimum apud Rabbinos, poteſt non incongrue ſic reddi* προσφάγιον, *i. e. cibus pro una Repaſtione, quaſi diceret Chriſtus, pueri num cibum habetis ſufficientem in jentaculum aut prandium?* Sed vix poteſt attendentibus eſſe dubium, tum per ipſius vocis originem, tum per contextum heic totum, quin optime *Camerarius* dixerit; προσφάγιον, εἰς τὸ φαγεῖν ἐπιτήδειον, *ad cibum opportunum*, ſimpliciter, vel &, *quo cum pane veſcerentur.* In quod poſterius tendit *Grotius*; ὄψον, ἰχθύδιον, *id quod cum pane editur, præcipue piſces.* Et latius *Beza*, notans *Syrum* legiſſe πρὸς τὸ φαγεῖν, ſed ipſe per *obſonium* vertens; *Eſt ergo* προσφάγιον *idem quod* ὄψον, *&* προσόψημα, *de quo ſic Athenæus Lib.* VII. *init. &c. Hæc ille, ex quibus optime intelligitur quid ſit hoc loco* προσφάγιον, *quod Latini etiam obſonium vocant, peculiariter Piſcibus accommodato nomine, ut ex Terentio Eraſmus annotavit ſupra* VI. 9. Uti & hoc addidit *Ligtfootus*; *Vel ſi* προσφάγιον *denotet Cibum quo cum Pane veſcerentur, ut Camerarius, tum ſonant verba Chriſti, en panem hic apud me paratum, num vos aliquid captaſtis, quo veſcamur cum pane? ita ut* מזון *cibus diſtinguatur à* לחם / *pane.* Facta autem eſt iſta Interrogatio à Chriſto rei omnis ſatis conſcio, ut occaſionem loquendi & agendi utilia apud eos haberet, & ipſi inopiam ſuam declararent, blande quidem, attamen vix eo modo & fine, ut *Diſcipuli eum ex familiari & molli hac compellatione noſcerent*, quem *ex intuitu non noverant*, quod obſervavit *Ligtfootus.* Rogati porro Diſcipuli, *illi reſponderunt*, breviſſime quidem ſed ſine ulla moroſitate tamen, *non*, habemus ſcil. aliquod προσφάγιον de quo rogas, quocunque etiam animo & ſcopo in noſtrum vel aliorum uſum. Ad quæ Jeſus ſermonem reſumens *illis dixit*, per modum non mandati adeo quam conſilii uti-

lis futuri; *Rete*, veſtrum fruſtra hactenus jactum & nunc retractum, *projicite*, adhuc ſemel ſollta cum induſtria & prudentia, *in navigii dextras partes*, quo nunc eſtis loco, (cæteroquin enim navigii ipſius dextræ partes non erant præſtantiores vel melioris ominis præ ſiniſtris in reti jaciendo, per quas & antea rete facile conjecerant,) *& invenietis*, in illo Maris loco ſic ſatis omnino piſcium, quod & capietis. Quali modo loqui potuiſſent alii homines, ex indiciis incertioribus, aut conjecturis ſæpe vanis; ſed locutus indubie fuit Chriſtus pro ſua omniſcientia cum certitudine ſatis infallibili. Dum hoc forte non male conjecit *Grotius*; quod Dominus voluerit rete projici *propius littus*, *ubi minor erat ſpes capiendi*, *q. d. quo minime reris gurgite piſcis erit*. Atque, uti minime ſpernunt Diſcipuli iſtud hominis ignoti conſilium, ſed rete illuc *projecerunt*, non obſtante fatigatione inutili hactenus; ita optime jam labor illis ſucceſſit, qui *præ piſcium* reti captorum *multitudine*, *illud*, rete impletum, *trahere*, pro lubitu & in uſum ſuum celerem, *non amplius potuerunt*. Nec mirum equidem, dum legitur *verſ.* 11. numerus *piſcium*, non parvorum qui forte fuerunt longe adhuc plures, ſed *magnorum*, ſatis inter genera varia & in ſuo etiam genere, *centum quinquaginta trium*, qui τοσοῦτοι, *tot*, & forte *tanti*, quod eſſe conjungendum urget *Schmidius*, ad *rete ſcindendum*, vel *findendum*, videbatur eſſe compoſitus omnino, & quem ex *reti pleno in terram attracto* paulatim ipſi exemerunt. Qui eventus feliciſſimus multum habet ſimilitudinis cum altero qui legitur *Luc.* v. 4. *&c.* de Simone juſſo à Domino rete projicere in profundum, & hinc reſpondente, ἐπιστάτα, δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες οὐδὲν ἐλάβομεν, ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὸ δίκτυον, quo facto *concluſerunt piſcium multitudinem magnam*, ad retium diſruptionem, & gemini navigii impletionem, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά. Et quem ſi juxta hunc velis in ſe continuiſſe typicam aliquam ſeu ſignificationem ſeu adumbrationem ſucceſſus optimi Piſcationis ſpiritualis in Gentibus præ Judæis, non refragabor equidem; notante heic ipſo *Grotio*, *ſic apud Gentes prope Barbaras feliciorem quam apud Judæos capturam*, *Præſagium maximæ capturæ hominum per Apoſtolos faciendæ*. Dum mihi, ſi non ludicra plane, utique incertiſſima videntur, quæ

ad

ad Dextras partes navis, & de Piſcibus Magnis, & de Numero horum tam curate Determinato, nonnunquam allegoricè cogitantur, imo & phyſiologice de Totidem Speciebus Piſcium, præcipuis certe, ex *Hieronymo in Ezech.* XLVII. ex quibus ſingulis unus heic ſit captus, qualia apud *Papiſtas* paſſim legas. Et præ qualibus placent omnino Moralia, de Jeſu per gratiam ſuam Manifeſtatione inſperata ſæpe, & quidem poſt Tenebras majores, paulatim ſe magis declarante, iis qui defectum ſuum non diſſitentur ſed profitentur coram ipſo, & conſilia ejus tanquam juſſa ſequuntur prompte, nec labori neceſſario parcunt, etiam corporali quando is neceſſarius eſt, propter mediorum cum fine ſæpientiſſimam conjunctionem.

Diſcipulorum ad Chriſtum Acceſſus ad Johannis monitionem, præcipue autem Petri, cum reperta Præparatione ad Victum.

IV. Si incognitus manſiſſet Jeſus, vix multum uſus inde ad Apoſtolos perveniſſet; unde potius magis manifeſtari incipit *verſ.* 7–9. ad *Johannis* Monitionem *accedentibus* ad illum *Diſcipulis verſ.* 7. 8. & *Curam* ejus ſingularem tunc *animadvertentibus verſ.* 9. Nempe *Diſcipulus ille quem Jeſus diligebat*, quæ ſolita eſt ipſius Johannis circumſcriptio, *coll. verſ.* 20. *Joh.* XIII. 23. & XX. 2. qui ad Factum hoc ſingulare æque quam ad Viſum & Auditum acriter attendiſſe præ aliis videtur, *dicit Petro*, præ aliis, per modum ſive veritatis certiſſimæ ſive ſuſpicionis & conjecturæ probabilis, *Dominus eſt*, noſter redivivus, heic denuo apparens ad noſtrum gaudium; *ipſo Miraculo admonitus*, ſecundum *Grotii* phraſin. Quod cum *Simon Petrus*, utroque hoc ſuo nomine iterum appellatus modo, *audiret*, ſeu *audiiſſet* ex Johanne, ſive certo ſive conjecturaliter dictum, quod nempe viſus & auditus ille eſſet ὁ κύριος, *Dominus* redivivus; pro zelo ſuo maximo de eo perſuaſus mox, ἀ ἐπενδύτην διεζώσατο, ἦν γὰρ γυμνὸς, καὶ ἔβαλεν ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν. Quod heic dicitur de *Nuditate* præcedenti, id abſolutius intelligi poteſt cum noſtro *de Dieu*; *Fuit Petrus, dum piſcationi in calido iſto climate incumberet prorſus nudus, tectis ſolummodo, quod & inter Barbaros Indos ſolent qui nudi incedunt, pudendis.* Quando dubitari nequit, quin piſcatus ſit factus in aqua maris minus profunda, quam vadare daretur; cæteroquin enim nulla nuditatis talis fuiſſet neceſſitas vel ratio, de ipſa etiam nocte. Sed & ab altera parte intelligere heic licet *Nuditatem* comparatam, ſive reſpectu

ſpectu partium Corporis, ſuperiorum vel inferiorum, ſive Veſtium plurium, quibus illæ alias tegerentur. In quam rem lego apud *Grotium*; *Sic Hebræi vocant eum qui ſuperiori veſte exutus eſt, qui non habet niſi* τ ὑποδύτην כתנת / *ut* 1 *Sam.* XIX. 24. 2 *Sam.* VI. 20. *Eſa.* XX. 3. *Act.* XIX. 16. *Germanos Mela-plerumque nudos egiſſe dicit; interpretatur id Tacitus, rejecta veſte ſuperiore. Sic apud Jobum* XXII. 6. & XXIV. 7. *veſtis dicitur nudis detrahi. Chryſoſtomus ad Baptiz.* γυμνὸς μὲν τὸ χιτωνίσκε μόνον. *Sic apud Xiphilinum Pſeudantonio, cum* γυμνὸς *poſitum eſſet, ſequitur* σινδόνα λαβεῖν. Et hoc ſufficiebat ad piſcationem, ſi in profundiori loco fieret, ubi per natationem parum promoveri poterat eadem. Utique qua ratione fuerit Petrus *Nudus*, huc uſque, ille de Domino præſente audiens, ſumit τ ἐπενδύτην, & hunc διεζώσατο. De illo nomine, quod per *tunicam* reddit *Vulgatus* & per *amiculum* noſter *Beza*, ſcripſit hic; ἐπενδύτην *quidem conſtat à ſuperinduendo ſic vocari, Vulgatus tamen tunicam vertit, quod Eraſmo non diſplicet, quia, inquit, quum alioqui tunica ſit veſtis interior, veriſimile eſt piſcatoribus fuiſſe tunicam ſummam veſtem. Caſtellio vertit Induſium, non incommodè, nam neque pallio neque tunicæ ullus hic locus eſt, quum hæc minime ſint natanti idonea. Sed ex Pollucis Lib. VII. Cap.* 12. *conſtat hoc nomine intelligi* χιτωνίσκον, *i. e. amiculum ex lino, quod videlicet natanti minime obſiſteret, &* λίνεον πέπλον *vertit Nonnus.* Atque ita plures heic reperiunt Veſtem Infimam, quæ ſimiliter *Induſium* dici ſolet, & voce ex Arabica deſumpta *camiſia*, notante noſtro *de Dieu*; quam *neque natanti aptam* fuiſſe, *tum ob laxitatem, tum quia talaris erat*, addidit hic, neque *cum compoſitione vocis* ἐπενδύτης *convenire, quam à ſuperinduendo dictam fuiſſe conſtat.*

Quamquam agnoſcat, *Syrum* heic etiam habere ܟܘܣܬܐ / *quod idem cum Hebræo* כתנת / *& infimam plerumque veſtem ſignificat, quæ cuti proxima, quàmvis etiam pro* מעיל *pallio ſumi videatur* 2 *Sam.* XIII. 12. uti notavit *R. David in Libro Radicum.* Obſervavit ille ad hæc; *Eraſmum*, qui *tunicam* vertit, hanc exponere de *pallio ſive penula aut toga, nam tunicam veſtem eſſe interiorem, Ependuten dictam quod ſuperne induatur; & veri-*

*ſimile*

*simile esse piscatoribus tunicam fuisse summam vestem; esse & in ea sententia Virum Doct. Nic. Fullerum, intelligi hac voce superiorem vestem quæ stola alias dicitur Misc. Lib. II. Cap.* II. Neque ea sententia ipsi placet, cui *hic nec pallio nec stolæ locus ullus videtur, quippe quæ natanti omnino sint molesta & incommoda &c.* Et subjicit tandem latius; *Mihi nec suprema vestis fuisse videtur, nec infima, sed inter indusium & stolam media. Hic enim erat vestium ordo. Primum indusium, tum subucula cum subligaculis seu femoralibus, tertio stola, quarto pallium &c. Quum audivisset Dominum esse qui in littore staret, neglecto indusio quod natatui obesse poterat induit subligaculum, quod natantem impedire non poterat, atque ita prosiliit in mare. Nec impedit, quod tum subligaculum illud fuerit* ἐχέσαρκον, *retinet tamen nomen* ἐπενδύτȣ, *quia, quum in vestimentorum ordine sit secundum, usus ejus est ut indusio superinduatur illudque constringat. Sed cur dicitur* διεζώσατο; *an non stolæ hoc erat, cui zona superimponi solebat, ad quam oræ talaris vestis succingebantur? Nequaquam. Sed quia subligacula orientalium infernè angusta, superne laxa, crumenæ instar contrahuntur, & rursus laxantur,* διαζώννυσθαι *dicuntur, quando ad lumbos contracta eos cingunt & constringunt; unde & subligacula* διαζώματα *vocantur. Nec aliud, puto, voluit Glossarium Græco-Latinum, quum* ἐπιδύτης *reddit instata, superaria, & Latino-Græcum, superaria* ἐπενδύτης. *Superaria, quia supra indusium, supra primam vestem induitur. Eratque ex levi semper tenuique materia, gossypina plerumque & interdum linea.* Legi etiam merentur, quæ heic ad vocem illam habet *Drusius* ex Hebræis de אפונדתא / formata ut putatur ex voce nostra, tanquam *genere indumenti, quod est indusium parvum aut interula parva, & sunt in ea multa loca consuta, in quibus reponunt rem quamque obviam sibi.* Et quæ scripsit *Grotius*; Τὸν ἐπενδύτην. *Sic vertunt LXX duobus locis* מעיל / *quod est vestis genus honoratius,* ἐπένδυμα *Aquilæ & Symmacho, Hieronymo Epist.* CXXX. *superior tunica, Theodoreto in Exod. Quæst.* LXVI. χιτὼν ὁ ἔξωθεν. *In Martyrol. ad* XII. *Kal. Nov. de Hilarione, pelliceum habens ependyten, quod ex Hieronymo desumptum Vit. ejusd. Hilarionis. Vertunt* ἱμάτιον, στολὴν ποδήρη. *Suidas* τὸ ἱμάτιον ἐπάνω. *Utuntur & Hebræi posteriores* אפנדתא. Quin etiam *Camerarii* glossas similes. Ego

vix dubito, quin ἐπενδύτης ex origine ſua dicat, non *indumentum* ſimpliciter, aut *indumentum ſupernum*, ſed *ſuperindumentum*, ſuper veſtes alias adhiberi ſolitum; idque heic non gravius, aut pretioſius, ſed levius & vilius, quod nec in aquis vadandis vel natandis nimium adferret impedimenti, nec multum ſic detrimenti pateretur, attamen præ nuditate priori cum honeſtate civili in littore conveniret; ſicuti & *Grotius* ſcripſit, *ita Petrum ſe induiſſe, quo honeſtior apud Chriſtum appareret, nihil veritus ſi eam*, veſtem, *per aquas gradiendo nonnihil humectaret*. Hoc ergo *ſuperindumentum*, præ veſtitu alio, vel extra navigium in ejus aſcenſu vel & intra illud in diſceſſu relicto, ſumpſit Petrus; idque cum laxius eſſet, neceſſario *accinxit*, ad corpus arctius conſtrictum zona conveniente. Atque ſic *in Mare*, exſiliendo celeriter, *ſe conjecit*, ad vadandum vel natandum quoque verſus littus & ad Jeſum illic conſiſtentem, quod ab Euangeliſta non expreſſum *Syrus* adjecit. Pro eo, quod olim ad Jeſu ſuper Mari ambulantis juſſum ipſe ex navigio egreſſus *ſuper mare* quoque *ambulaverat ut veniret ad Jeſum*, per incredulitatem ſupervenientem tum demergendus, niſi Jeſus ſubveniſſet *Matt.* XIV. 29. 30. Interim dum zelo fervido impatientior, ſic præiret Petrus hoc nomine à Domino non culpatus, *Diſcipuli alii*, antea nominati, etiam *venerunt* ad littus idem cum Petro *verſ.* 8. dum *à terra non longe aberant*, cæteroquin cum Chriſto non collocuti, ſed *velut cubitis ducentis*, ſeu pedibus trecentis, tantum; ſed hi τῷ πλοιαρίῳ *navigio* ſuo vecti, illudque ſecum reducentes, hinc paulò tardius; etiam cum *rete piſcium*, h. e. non piſcatorium modo, ſed & piſcibus captis plenum, nec adeo inutiliter ingrateve relinquendum, *traherent*, poſt ſe ſatis difficulter & moleſtè, ſive alligatum navigio, ſive manibus ſuis, dum piſces inde eximere in mari ipſo minus erat commodum & plus moræ exigebat. Simul ac autem eo modo ad *terram* venerunt, & *in* eam è navigio *egreſſi* fuerunt, obſervant, præter & apud Jeſum ex mari viſum & auditum illic, hujus ſingularem pro ipſis curam; *vident*, enim coram ſuis oculis, ἀνθρακιὰν κειμένην, καὶ ὀψάριον ἐπικείμενον, καὶ ἄρτον, *carbonarium*, non tam focum quam ignem, *poſitum*, ſeu ſtructum apte ad præſentem uſum, loco minus potius quam magis

gis ſolito, & ſimul *opſonium*, ex piſcibus conſtans, vel alias *piſcem*, *coll. verſ.* 10. 11. 13. *Joh.* VI. 9. 11. unum vel plures, *impoſitum* igni carbonario ad ejus parationem neceſſariam, quin & *panem*, ad eſum neceſſarium & aptum. De ὀψαρίῳ ſcripſit *Beza*; *Athenæus Lib. VII. & VIII. piſciculi meminit ex Aphyarum genere, quam* ἐψετὸν *vocat, aut potius plurali numero* ἐψετούς, *ſed à quo diſtinxerim* ὀψάριον *quod aſſabatur, cum illis potius elixis veſcerentur. Hoc autem vocabulum cum alioqui non minus late pateat quam* ἔψον, *tamen peculiariter de piſcibus dici, idem Athenæus ex Platone Comico, Menandro & aliis probat.* Qui apparatus unde illic fuerit, non eſt quidem ab Euangeliſta expoſitum. Cum tamen tam diſtincte ſit notatus & cum Chriſti Apparentis hiſtoria plane connexus, neutiquam veriſimile eſt, eum hominum aliorum cura eſſe factum in ſuos uſus, hinc illis ſurripiendum à Jeſu cum Diſcipulis. Sed omnino agnoſcere oportet ſingularem Domini curam pro ſuis, quam juxta rete plenum ad ipſius Miracula referre liceat, ſive ille apparatus aliunde fuerit adductus mirabiliter, ſive ex materia alia inhabili potius quam ex nihilo productus. In quam rem inter alios ipſe *Grotius* heic ſcripſit; *Majorem jam poteſtatem Chriſtus oſtendit, res creans ex nihilo. Olim piſces paucos auxerat, nunc facit ut ex nihilo exiſtant.* Sed & *Hammondus* paraphraſtice cum dixiſſet, *viderunt majus miraculum priori, ignem ex carbonibus, & piſces impoſitos igni, ac panem, omnia à Domino è nihilo creata*; adjecit *Clericus, quis docuit Hammondum hæc è nihilo creata?* & deinde, *Noſter poſt H. Grotium & alios è nihilo creatos piſces ſtatuit, quod tamen neceſſe non eſt, præſertim ad lacum piſcoſum, & nemine vidente, ne jam dicam tacere plane Joannem.* Sic vero, cum ex Johannis indicio Petrus cum reliquis cœpiſſet de Jeſu cogitare, ipſi propius ad eum accedentes, & videntes admirandam & potentiſſimam Viri de ſe curam, indubie illum agnoſcere cœperunt uno & altero modo.

V. Progrediendum cum Jeſu, progrediente in ſe *plenius* adhuc *Manifeſtando* Diſcipulis ſuis per *Dicta & Facta* ſua *verſ.* 10—13. Ubi præcedit *Mandatum* Jeſu cum obſequio Petri; ſequitur ejus *Invitatio*, ſecundum quam ſe geſſerunt Diſcipuli; & ſubjicitur ejus *Factum*, dictis illis prioribus conveniens. Mandans ergo *Jeſus illis*, ad ſe venientibus Diſcipu-

Chriſti Manifeſtatio plenior per dicta & facta ſua.

lis, *dicit*; *de piſcibus*, *quos nunc*, niſi ad ἐπέγκατε illud referre lubuerit, *cepiſtis*, adeoque recentiſſimis, quoſdam, neutiquam omnes illos, *adferte*, huc igne parandos. Et ad hoc verbum *Simon Petrus*, cum & præ aliis ſecundum ſolitum zelum ſuum, *aſcendit*, (dè cujus verbi diverſo uſu latiſſime heic differit *Schmidius*,) ſeu in mare ad ejus littus, ſeu in navigium potius, *coll. Marc.* VI. 51. *Luc.* VIII 22. & *rete*, plenum valde, *in terram traxit* abſque *fiſſione* ulla, qualis alias contigit *Luc.* v. 6. piſces, inde tuto exempturus quos & quot vellet, quos conſequenter & ad Dominum adduxiſſe ipſe certò cenſendus eſt. De reliquis piſcibus cum nihil mandaſſe legamus Dominum, nec perinde quid egerint Diſcipuli, facile conjicitur, eos quocunque modo in aliorum uſus ceſſiſſe, ſi non in Mare denuo ſint projecti. Si roges, cur ex piſcibus nunc captis Jeſus voluerit adduci ad antea jam viſum ὀψάριον, id dicam fieri potuiſſe ad majorem abundantiam, & varietatem, cibi, & ſimul ut Diſcipuli aliquid ad commune epulum de ſuo contribuere viderentur. Dum in myſticas ſeu typicas allegorias heic cum aliis excurrit *Grotius*; *Chriſtus ex piſcibus à ſe factis & aliis quos Apoſtoli ceperant communes facit epulas, ut ſic oſtendat, & eos quos ipſe converterat, & quos Apoſtolorum miniſterio erat converſurus, ad eundem finem deſtinari, &c. Notant quidam, tot piſcium numerari genera; eoque ſignificari ex omni hominum genere Capturam fore. Figura Davidis & Salomonis temporibus, cum* CLIII. *millia fuere Proſelytorum* 2 *Paral.* II. 17. *&c. Præſagium miræ unitatis eorum qui per Apoſtolorum operam in Eccleſiam erant colligendi.* Ad verbum Mandati impletum à Petro & reliquis ſub ejus ductu, ſequitur verbum aliud *Invitationis*, quod *Jeſus illis dicit*; *venite*, *prandete*, δεῦτε, ἀριστήσατε. Vos nempe, omnes quotquot heic adeſtis, & per noctem fruſtra laboraſtis, ſed nunc conſilium & juſſum meum feliciter exſecuti eſtis; *venite* huc ad me, vel *adeſte*, ad id ut ſimul & mecum accumbentes, *prandeatis*, ſeu victum hunc oportune ſumatis, quod ipſum verbum Latinum derivare etiam ſolent ex πρὸς *Dorice pro* πρωΐ *mane*, & ἔδω *edo*, prout Chriſtus alias ἄριστον ἢ δεῖπνον disjunctive conjunxit, *Luc.* XIV. 12. Quod illis quidem utile & neceſſarium erat, poſt laborem nocturnum, ſed Chriſto immortali non item, niſi ad

Diſ-

Discipulorum suorum convictionem majorem, unde nec dixit de se expresse quidquam, per additum, mecum, aut simile verbum aliud. Secundum quod verbum Discipuli omnino se etiam composuerunt pariter, dum *Discipulorum*, rectius quam *discumbentium* apud *Vulgatum* quod corruptum ex *discentium* vult *Beza*, *nullus*, vel *nemo*, obloquebatur, imo ne quidem *illum inquirere*, diligentius per interrogationem, *tu quis es??* qui tam mire es beneficus in nos? *audebat*, sive *tentabat*, per ejus venerationem religiosissimam, ne scil. specie illa ignorantiæ & incredulitatis crassæ offenderent. Erant enim, non dubii ipsi amplius, sed omnino solide εἰδότες *scientes*, per conspectum dicta & facta, *quod esset*, ita apparens ille & cum ipsis agens, *Dominus* ipse Redivivus, & sic de eo certissimi, absque declaratione verbali Christi ipsius, qualem ille antea dederat *Luc.* XXIV. 38. 39. *Joh.* XX. 27. *coll. Matt.* XIV. 27. Quo pacto satisfit facile isti quæstioni, quo modo ex Agnitione Christi deduci queat, quod non ausi fuerint ipsum rogare quis esset. Quam & spectans *Clericus* scripsit; *Cum sequatur, sciebant esse Dominum, verbum* ἐτόλμα *non tam significat, audebat, quam judicabat, nemo judicabat interrogandum esse quis esset, cum scirent esse Dominum, quamvis faciem ejus illi eo non agnoscerent, quippe augustiorem quam antea; dixit tamen Joannes* εἰδεὶς ἐτόλμα *&c. quia Discipuli abstinuerunt ab ejusmodi quæstione, non modo ob indicia quibus Dominum agnoscebant, sed etiam metu, ne forte sibi ut incredulis succenseret. Sciebant quidem, esse Dominum, sed tam certa non erat ea illorum cognitio, ut nullo modo eo interrogato opus esset, verum non ausi sint quicquam ab eo quærere.* Et clauditur hæc historiæ hujus pars per *Christi Factum* insecutum, quando illis venientibus ad prandendum, *Jesus* propius *veniens* se junxit, & *panem accepit*, *similiterque opsonium*, seu *piscem*, quem non tantum *dedit* illis secum accumbentibus, sed & sibi sumeret ipse cum illis. Quod & optime significatum putamus per illud λαμβάνειν, quod tam de sumptione propria in os, quam de sumptione in manum ad dandum exponi potest. Ut recte scripserit *Grotius*; *Intelligendum esse, Christum una cum ipsis cibum sumpsisse in majorem corporis sui fidem Act.* I. 4. & X. 41. Dum addidit quoque allegoricum illud alterum; *Patremfamilias Ecclesiæ*

*ſe oſtendiſſe, cujus eſt ſuum cuique dimenſum dare, quod mox explicatur ſermone habito ad Petrum & Johannem &c.* Neque dubitari poteſt, quin ita facta ſit hæc Convivatio matutina Jeſu cum ſuis, juxta alia connexa, ut hinc plane irrefragabiliter conſtaret eſſe Jeſum qui illis illic præſens erat, *coll. Luc.* XXIV. 30. 31. 35. 42. 43. *Act.* X. 41. *&c.*

Chriſti Rogatio ad Simonem Jonæ ſpecialis.

VI. Id certe luce meridiana clarius eſt ex reliqua Apparitionis hujus hiſtoria, quæ ſpecialem *Chriſti cum Petro Tractationem* nobis exhibet. In qua, poſt ſpecialiorem *Temporis* notationem, occurrit ante alia omnia *Serium* valde *Examen* ejus, cum ipſius *Reſponſo*, & Chriſti *Mandato*, idque omne *Ter* repetitum *verſ.* 15–17. Deſignatio *Temporis* fit per iſta, ὅτε οὖν ἠρίσαντο, *cum ergo prandiſſent*, vel *pranſi eſſent*, de pane & piſce ſimul omnes; quod *tempus eſſe colloquendi*, monuit *Grotius*, & eſt inprimis apud labore nocturno fatigatos, atque de ſe & benignitate ſua ſic convincendos, dum certe poſt eſum de aliis quoque ſpiritualibus cogitandum & loquendum eſt. Et ſic ducimur hèic ad plenum Diem lucidum, quo omnia viſa & audita tanto melius abſque terrore omni dignoſci poſſent. Tunc ergo *Simoni Petro*, Apoſtolo quater jam antea hoc eodem Capite ſic dicto *verſ.* 2. 3. 7. 11. ſpeciatim, licet reliquis omnibus præſentibus, *coll. verſ.* 19. 20. *Jeſus dicit*, clare ſatis, interrogando *verſ.* 15. *Simon Jona, diligisne me* πλέον τούτων; In compellatione *Vulgatus* habet, *Simon Joannis*; notante hinc inter alios *Druſio, hunc locum oſtendere, patrem Simonis Petri Johannem appellatum fuiſſe, Johannem autem i. e. Jochanan idem cum Johanna, unde in aliis Codicibus Simon Ἰωαννᾶ, ex quo contractum Jona, quod in plerisque omnibus libris vulgatis, Jona pro Johanna ſive Joana, ut Soda pro Sobada, munus quod datur ad judicem corrumpendum.* An ita *Jona* factum ſit ex *Johanna*, vel *Johanne*, & huic plane reſpondeat, an vero idem cum nomine Prophetæ noti *Matt.* XII. 39. *&c.* quod ad *columbam*, vel *dolentem*, vel *oppreſſam*, reſpicere putatur, eſt omnino adhuc dubium. Dum minime dubitari poteſt, quin *Simon Jona* dicatur tanquam patris hoc poſteriori nomine appellati filius, ſecundum illud Syriaco-Chaldæum *Bar Jona Matt.* XVI. 17. & Græcum illi reſpondens *Simon* ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ *Joh.* I. 43. quin & vulgatiſſimam conſuetudinem filios

lios distinctionis ergo à Patribus denominandi. Sicuti apud *Grotium* legimus ad illum textum *Matthæi*; *Sicut Simon haud dubie est* שמעון *Symeon, quomodo etiam id nomen scribitur in Petri Secunda, ita* Βαριωνᾶ, *uti ex collatione aliorum locorum recte ab aliis est demonstratum, valet* Βαριωαννᾶ, *detrita more ejus seculi litera gutturis, ibi y hic* ח. *Ita Luc.* III. 30. Ἰωνὰν *videtur esse* יוחנן. *Nomen autem Barionæ non alia de causa hic adjectum reor quam quod ita vulgo appellari soleret, antequam se in Christi disciplinam daret. Moris enim erat apud Hebræos, ut nomini paulo communiori discriminis gratia adderetur* πατρωνυμικὸν, *ut videre est in Vet. Fœd. multis locis, & in his Libris alicubi &c.* Nec non prolixius habet illic *Drusius*; *Simon Bar-Jona, i. filius Jonæ. Nam Bar filius tam Ebræum est quam Syrum. In Nomin. de Matthæo. Bar Jona, filius columbæ &c. Quin Jona Columbam significet, non est ullum omnino dubium, sed tum appellativum est. Rectius ergo alii, Bar Jona, filius Jonæ. Epiphanius Ancorato,* Βαρ' Ἰωνᾶ, τετέσιν, υἱὲ Ἰωνᾶ, ὁ γὰρ πατὴρ αὐτῦ Ἰωνᾶς ἐκαλεῖτο, τὸ γὰρ βὰρ ἑρμηνεύεται ἐκ τῆ ἑβραϊκῆς Δαλέκτυ υἱός. *Rei firmandæ, quod in nonnullis Codicibus* βὰρ Ἰωαννᾶ, *alias* Ἰωάννυ, *& Latine Jobannis. Quæ varietas non hic modo invenitur, sed etiam Joh.* I. 43. XXI. 17. *Hieronymus hic legendum censet* βὰρ Ἰωάννυ. *Syrus ubique habet* בר יונא / *vel certe* ברה דיונא / *filius ipsius Jona. Videtur esse syncope* Ἰωνᾶ *pro* Ἰωαννᾶ. *Quod si verum, tunc utique non columbam denotat, sed aliud. Apud Nonnum* υἱὸς Ἰωάννα. *Quod ita roborat sententiam meam, ut nihil magis &c. Jona hic non est* יונה / *quod nomen unius est ex XII. Prophetis, sed* יונא *vel* יוחנא. *Sic Soda pro Sobada &c. Sic Nas pro Nahas &c. Similis contractio in Jacob, quod plene scriberetur Jaacob. Sic* טונא *dicunte pro* טיעא. *Mos enim linguæ Syræ elidere hoc modo Heth & Ain literas.* Quæcunque vero fuerit notio nominis *Jona*, in quo parum rei hæret, illud notabile, quod Christus hunc Discipulum suum magnum heic compellet nomine, non *Cephæ*, vel *Petri*, quod ipse illi in laudem magnam dederat olim ad fidem & professionem sui tanquam veræ Petræ *Joh.* I. 43. *Matt.* VI. 18. neque Simonis Petri, quod in hoc Capite & alibi totiens legitur, sed illo *Simonis Jonæ*, ut ortus sui faceret memorem, & forte simul infirmitatis demonstratæ in Domini sui abnegatione quin & abjuratio-

ratione ſcelerata quem antea tanquam Petram unicam erat amplexus.

An ipſum præ his diligeret; quod communiter exponitur de dilectione majori præ aliis diligentibus.

VII. Sed quid ille compellatum ſic Apoſtolum nunc rogat? ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; *diligis me plus his?* apud *Vulgatum*; ſed apud *Bezam*, *diligis me plus quam hi?* Nempe phraſis Græca, ut & Latina *Vulgati*, hoc habet ambiguitatis; quod πλεῖον τούτων intelligi queat, vel dè Amoris Objectis, vel de Amoris Subjectis aliis. Priori modo ſenſus foret, *an me diligis plus quam hos*, aut *hæc*, *diligis?* Sed poſteriori, *an me diligis plus quam hi me diligunt?* quomodo accepit *Beza*. Neque dubium eſt, quin communiſſime ſic capiatur, ut ſenſus ſit, an me diligis plus quam Socii tui & Diſcipuli reliqui me diligunt? (ſive jam *robuſtius*, ſive *tenerius*, quæ duo quidam diſtincte tribuunt Petro & Johanni,) præ quibus tu tantum ſemper zelum oſtendiſti, etiamnum nunc projectione in mare &c. & te ipſum per promiſſa jactitaſti, ut diceres *Matt.* XXVI. 33. 35. *etiamſi offendantur in te, ego nunquam offendar, etiamſi oportuerit me tecum mori, neutiquam te abnegabo*, & *Luc.* XXII. 33. *Domine tecum paratus ſum & in mortem ire*, quin etiam ut gladii percuſſione vim aliquando & vincula à me avertere ſis conatus actu *Ioh.* XVIII. 10. *&c.* quo magis familiariſſimè mecum converſatus præ aliis plurimis plus ſic gratiæ etiam accepiſti antea, & nunc ſingulari indulgentia opus habes in ſceleris tui maximi remiſſione. Cum quibus hypotheſis *Pontificia* jungat heic facile promiſſa Pontificatus & Principatus in Eccleſiam ſummi, jam olim facta ſcilicet Petro *Matt.* XVI. 18. 19. & ſecuturam heic ejus Conſtitutionem peculiarem, in Paſtura Chriſtianiſmi univerſi ipſi ſoli præ aliis collata nempe, nec ſemel ſed ter; ad quam juſte Dominus exegerit majorem etiam ſui amorem ab ipſo quam ab aliis omnibus. Et licet non poſſet forte Petrus ad hanc interrogationem reſpondere infallibiliter cum reſpectu ad alios, poterat tamen reſponſum dare, de ſua non tantum perſuaſione, ſed & promiſſione, & conatu quoque alios ſuperandi ſemper. Eſt autem ex illo phraſios hujus intellectu, quod verba hæc nonnulli non tam habere vellent pro Interrogatione ſeria ad quam reſponderet Petrus directe per affirmationem, quam quidem exprobratione ſarcaſtica, de Amore præ aliis nequaquam præſtito aut demonſtrato.

Quor-

Quorſum ſpectare videntur & illa *Grotii*; *Mira Chriſti ſapientia, qui tam paucis vocibus efficit, ut Petrus & ſibi ſatisfaceret quem ter negaverat, & collegis quibus ſe prætulerat, exemplum dans Diſciplinæ Eccleſiaſticæ.* Dum unum & alterum fere junxit *Hammondus*; *Petrus dixerat, ſe nunquam Chriſtum abnegaturum licet omnes alii eum abnegarent, quod nihil aliud ſonabat, niſi ſe amare Chriſtum plus quam reliqui omnes diſcipuli eum amabant. Sed cum hac in re graviſſime peccaſſet, quippe qui ter Chriſtum abnegaſſet, dum reliqui excepto Juda ne ſemel quidem negaverant ſe ejus eſſe diſcipulos, Chriſtus jam in mentem ei revocat magnificum illud promiſſum, id jam implendum monet, ter repetens, Petre amas me? atque addens primæ quæſtioni, plusquam hi? quæ manifeſto reſpiciunt jactantiam illam Petri. Simul etiam Chriſtus ſenſu priſtini peccati illum excitat ad præſtandam melius fidem datam, & conſtantius amorem ſuum ſibi teſtandum, in hominibus ad fidem convertendis, & laboribus Euangelii cauſa exantlandis. Utque eum poſt aſperiorem cenſuram aliqua ſuſtentet conſolatione, addit eum re ipſa mortem ad exhibendum veritati teſtimonium perpeſſurum.* Quin & tandem in hunc ſenſum trahitur ipſius Petri reſponſum de ſe ſine collatione cum aliis, quaſi dixiſſet Petrus, *Domine neſti te à me ex animo amari, quamvis peccato meo admonitus nolim inter me & alios comparationem inſtituere*, uti ſonat *Hammondi paraphraſis.* Dum paulo aliter iterum de quæſtione hac ſtatuit *Doct Clericus*; *Crediderim occaſionem quæſtionis Chriſti proximam, remotiores enim rationes eſſe potuiſſe non nego, fuiſſe præproperum deſcenſum Petri in Mare, cum non exſpectare poſſet donec navis appelleret. Statim enim ac monitus eſt à Joanne Jeſum ſtare in ripa, illico in aquam inſiluit moræ impatiens, ut quam primum ad Dominum propius accederet, dum ceteri manſerunt in navicula donec in terram exſilire poſſent. Hanc occaſionem præbuit Petrus Chriſto quærendi an ſe plus amaret quam ceteri diſcipuli, qui citius ad ſe veniſſet.* Sed cum aliis prioribus ſeſe junxit *Ligtfootus*; *Refricat Salvator Petro, idque cum aliquali ſeveritate & correptione, nuperam ejus confidentiam. Dixiſti nuper ô Simon, te nunquam me deſerturum quamquam omnes hi me deſererent. Profeſſus es ſupra omnes hos, te me comitaturum ad carcerem, ad mortem, imo pro me depoſiturum vitam tuam, & quid jam ais,*

*ô Simon? num & adhuc diligis me plus quam hi? &c.*

Sed quod forte non minus recte capiatur de Dilectione majori præ aliis dilectis.

VIII. An tamen non æque, & forte magis, commoda ſit altera hujus phraſios conſtructio, ego certe dudum dubitavi; ut voces ſic in ſenſu cohæreant, quemadmodum junctæ leguntur, & ſine pronomine emphatico σὺ, *tu*, non πλεῖον τούτων ἀγαπᾷς με; ſed ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; & ſenſus conſequenter comparationis iſtius ſpectet ad Objecta amata præ Subjectis amantibus, an me diligis, *plus quam hos*, aut *hæc?* Quod poſterius disjunctive propono, cum τούτων non minus dicatur in Genere Neutro quam Maſculino, adeoque tam *hæc* quam *hos* notet. Unde per *hos* deſignare potuit Chriſtus ſuos Diſcipulos alios, heic etiam præſentes, quos omnino diligebat Petrus, quin & diligere debebat, ſecundum Domini præceptum, arctiſſimumque cum iis vinculum plusquam unum, *coll. Luc.* XXII. 32. καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου, *&c.* ſed præ quibus tamen magnopere erat diligendus Chriſtus, ſecundum mandatum Domini rurſus, & ſpecialem Petri relationem ad hunc, *coll. Matt.* X. 37. ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος, ὁ φιλῶν υἱὸν ἢ θυγατέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος, & *Luc.* XIV. 26. εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα καὶ τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὰς ἀδελφὰς, οὐ δύναταί μου μαθητὴς εἶναι. Unde nihil æquius erat, quam ut hoc declararet apud præſentes alios etiam condiſcipulos ſuos Petrus; ſe vere quidem diligere & hos, ſed Chriſtum tamen longe magis unum præ illis omnibus, quem & hinc ab ipſo juſſus deinde ſecutus videtur cum aliquo à Diſcipulis receſſu *verſ.* 19. 20. ſicuti ad Chriſtum ſe contulerat noviſſime ex navigio cum Diſcipulis relicto. Sed non minus præſtans erit ſenſus, ſi in τούτων cogitemus *hæc*; ſive negotia Piſcationis, ad quam antea tractatam videre poterat quadantenus rediiſſe *coll. verſ.* 3. ſive Eſculenta, quæ Domini liberalitate acceperat cum hoc inter alios edens oportune, *coll. Joh.* VI. 26. *&c.* ſive forte Miracula utilia, quale unum nunc adhuc contigerat, vel fruenda vel & patranda, *coll. Luc.* X. 20. *&c.* ſive tandem Terrena & Viſibilia omnia, quæ tanquam undique præſentia ipſe per hoc Pronomen unum ſatis apte deſignare poterat, *coll. 2 Petr.* III. 11. *&c.* quæ omnia & ſingula quoque amorem Petri & mere-

merebantur pro conditione ſua & operabantur actu indubie, ſed longe minorem & minus, quam ipſe Jeſus, *coll.* 2 *Cor.* IV. 18. μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα, τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια, *&c.* Horum vero quidquid tandem facilius admiſeris, ceſſant ſic illæ quæſtiones *Ligtfooti*; *Quare tandem* πλεῖον τούτων; *nonne ſatis fuit dixiſſe, num amas me ſicut hi? nam quanam ratione exſpectandum ut ille eum amaret plus quam cæteri? præſertim vero quam Joannes, quem Chriſtus ipſe ita amavit, & qui Chriſto ita adhæſerat?* Sed & ceſſant difficultates complures aliæ vel paulo aliter propoſitæ; quo modo hoc rogare potuerit Dominus à Petro, quod ipſe ſcire non poterat, ſuum quidem cor cognoſcens, ſed non aliorum perinde omnium animum, tam gradus quam rei ipſius reſpectu, *coll.* 1 *Cor.* II. 10. *&c.* quomodò item hoc exigere rogatione ſua eum in modum facta, ut Petrus ſe in amore Jeſu majore efferret, tam verbis claris apud ipſos quoque quam corde ſuo, ſupra omnes ſocios ſuos, contra illa Pauli *Rom.* XII. 10. τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι, *Phil.* II. 3. τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, *&c.* quorſum dein illud faceret, Petri in Jeſum Amorem eſſe Majorem quam aliorum Diſcipulorum, cum ad commune illis munus nihil attineret gradus amoris major præ illis, unde & dein in repetitione legitur ſimpliciter, ἀγαπᾷς με; φιλεῖς με; *an diligis me? an amas me?* & quo modo tandem ad Interrogationem illam comparativam cum aliis diſcipulis Petrus defungi potuerit reſponſione non comparata ſed abſoluta, ναὶ κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε, *næ Domine tu noſti quod te amem.* Quæ & ipſa arguit, Petrum neutiquam verba Domini accepiſſe per modum Exprobrationis ſarcaſticæ vanorum promiſſorum, quæ utique eadem & alii fecerant Diſcipuli *Matt.* XXVI. 35. ὁμοίως δὲ καὶ πάντες οἱ μαθηταὶ εἶπον, &c. ſed per modum indicatæ Conſtitutionis neceſſariæ ad Munus, & inquiſitionis ſeriæ an eam ipſe in ſe deprehenderet, tendente illuc tandem & *Ligtfooto*; *Si paratus es & adhuc vitæ tuæ jacturam pro me facere, paſce oves meas &c.* Dum certe rogans Dominus, non de Perſuaſione Petri, aut nuda Promiſſione, vel Conatu, ſed de Amore ipſo præſente & vero locutus eſt, & ipſe reſpondit. Ut concludam, mihi nihil aptius videtur

ad phraſios hujus conſtructionem rectè percipiendam, quam collatio verborum Chriſti *Matt.* x. 37. *amans patrem aut matrem* ὑπὲρ ἐμὲ, *non eſt me dignus, & amans filium aut filiam* ὑπὲρ ἐμὲ, *non eſt me dignus*, ubi nemo ſomniet agi de quocunque magis amante patrem, matrem, liberosque quam Chriſtus hos amaret, ſed omnes ſponte intelligunt agi de amore in illa objecta majore quam in Chriſtum. Nihil certe intereſt, quod ad hoc attinet, inter ὑπὲρ ἐμὲ, *ſupra me*, & πλεῖον τούτων, *plus hiſce*. Et ſicuti non erat, cur Chriſtus ad Dilectionem ſui majorem gradum in Petro requireret quam in aliis, ita ad ejus veritatem plane neceſſarium erat, ut omnes alii & omnia alia infra eum diligerentur multum.

Dum Dilectio hæc certiſſimè intelligenda eſt ſumma, qualis in Chriſtum decet.

IX. Res interim ipſa, de qua heic Petrus à Domino rogatur, eſt certiſſimè *Dilectio* ipſius, non qualiscunque, ſed & Vera & Summa, qualis ipſi convenit à ſuis. Ubi prolixe admodum & verè nimium excurrit *Schmidius* ad verbum ἀγαπᾷν, in hujus uſum varium oſtendendum ubique & undique; dum illud, deduci ſolitum ab ἄγαν & πάνυ, ſeu *valde acquieſcendo*, dicit amicum quam maxime animi affectum, qui ore & opere ſe etiam prodat. Quæ *Dilectio* heic ita determinatur ad *me*, Chriſtum loquentem, ut juxta ipſius Perſonam, & Statum Utrumque, & Beneficia omnia, ſimul dicat ejus Munera Tria, & Doctrinam, & Cultum, & Membra, & Verba, ſeu uno verbo omnia quæ & quo modo illa ad ipſum ſpectant; ex quibus dilectis vel non dilectis Dilectio ipſius Chriſti æſtimari poteſt & debet. Et quod ad *Dilectionem* ipſam Jeſu attinet, dicit illa; tum Agnitionem amabilis præſtantiæ ejus neceſſariam, quæ fit corde & ore; tum Æſtimationem ſecundum hanc maximam; tum Deſiderium Fruitionis ejus fervidum; tum Quæſtionem actualem ejus, per vota, dicta, & facta illuc ducentia; tum Traditionem ſui in ejus Obſequium perpetuum activum & paſſivum, & ad ejus gloriam, cum aliorum omnium derelictione & abnegatione ſeria; tum Acquieſcentiam & Delectationem in ipſo denique lætiſſimam, inter omnia damna alia & pericula. Et eſt hæc Dilectio Chriſti ſupra omnes & omnia alia ita officium commune Chriſtianorum omnium, *coll.* 1 *Cor.* xvi. 22. *&c.* ut ſit illa quam maxime neceſſaria in Eccleſiæ Præfectis

fectis tanquam reliqui gregis exemplis, qui ipsi ducant sic & doceant simul. Imo est ista Christi Dilectio suprema verus fons, unde scaturiat omnis Labor Præfectorum Domino gratus; procul studio propriæ gloriæ, vel humani commodi, vel placendi hominibus, aut hos etiam juvandi quoque modo præter Christum.

X. Quod hæc à Jesu apparente facta Interrogatio non proveniret ex rei rogatæ Ignorantia in ipso, agnoscit satis Petrus, paratissimo Responso, quando *illi*, Christo roganti, *dicit*, hic rogatus; ναὶ, κύριε, σὺ οἶδας, ὅτι φιλῶ σε, *næ*, vel *etiam*, vel *certe*, vel *omnino*, *Domine*, *tu nosti quod amem te*. Ad quæ *Beza* notavit; *Perperam hæc responsio sic interpungitur, ac si toti interrogationi assentiretur Petrus, affirmans se diligere Dominum amplius quam sui condiscipuli diligerent, quod impudentissimi hominis fuisset. Uno igitur tenore legendus est hic locus, & particula ναὶ est affirmantis id quod subjicitur de Christi notitia, non autem ejus qui simpliciter ei toti de quo rogatus erat assentiretur. Quamobrem etiam præstat hoc loco interpretari certe, quam etiam;* quod est scil. apud *Vulgatum*. Sed sic supponitur, illud πλέον τούτων, ad comparationem facere aliorum Discipulorum cum Petro, quod minime certum esse ex antea dictis constare poterit. Interim ex isto principio communiter heic observant, non addi à Petro *plus his*, cum præcedens antea lapsus majorem ei modestiam persuasisset. Sicuti & apud *Grotium* lego; *Suffecit ei, ut ait Augustinus, testimonium perhibere cordi suo, noluit judex esse cordis alieni, non prætulit se aliis, ut ante Matt.* XXVI. 33. *& tamen corde sincero affectus testimonium protulit, quale in Ecclesiæ Pastore requiritur.* Dum mihi quidem res eodem redire videtur, an illud *næ* per se subsistat, an ad amorem Petri & scientiam Domini referatur; siquidem sensus asseverationis, si vel in se foret generalior, per posteriora addita tamen restringeretur magis. Compellat utique Jesum Apparentem & Rogantem nomine *Domini*, sensu non humano sed Divino, qui ipsi absolute & relate ad Ecclesiam & Fideles singulos quoque competit; docente illud omniscientiæ addito attributo. Et ad hunc inquit Petrus, φιλῶ σε, *amo te*. Ubi *Beza*; *Quod Augustinus de Civ. Dei Lib. XIV. Cap. 7. discrimen constituit inter ἀγαπᾶν & φιλεῖν, quasi istud amplius*

Responsum Petri, quo Dilectionem suam declarat, tanquam à Domino quoque cognitam.

*plius quam illud declaret, nullius eſt momenti, imo fortaſſis etiam non ſatis perite dicitur. Nam Pater ipſe Filium vocat, non* φιλον, *ſed* ἀγαπητὸν, *neque charitas Chriſtiana dicitur* φιλία *i. e. amicitia, ſed* ἀγάπη. Atque perinde obſervavit *Grotius*; *Promiſcue hic uſurpavit Johannes &* ἀγαπᾷν *&* φιλεῖν, *ut mox* βόσκειν *&* ποιμάινειν. *Neque hic quærendæ ſunt ſubtilitates.* Quod ex collatione rogationum & reſponſionum repetitarum *verſ.* 16. 17. videtur eſſe clariſſimum. Dum φιλεῖν etiam de Patre reſpectu Filii uſurpatur *Joh.* v. 20. atque alias ad *oſculationem*, amiciſſimam & ſubmiſiſſimam, nos ducit etiam nonnunquam. Quo uno verbo *amandi* ille ſignificaſſe cenſendus eſt illud totum, quod per ἀγαπᾷν πλέον τετων deſignaverat Dominus, potius quam ejus partem tantum unam, quaſi nihil ad alteram reſpondiſſet, ſed ſilentio illam prætermiſiſſet. Qui vero dicebat ſe amare ita Dominum, illum vere ſic locutum eſſe, & ex interiori certaque ſui notitia, & quidem libere ſatis, nemo dubitet; non obſtantibus defectibus qui hic reliqui in optimis eſſe ſolent. Atque hinc Dominum ipſum in teſtimonium vocat, *tu noſti*, non jam *an*, ſed *quod* ita ſe res in me habeat. *Reverenter*, inquit *Grotius*, *Petrus ad Chriſti ſcientiam provocat, cui ſe notiorem eſſe quam ſibi ipſi experimento didicerat.* Neque repugno tamen, quo minus in iſto alloquio incluſa reperiatur qualiscunque agnitio & emollitio Culpæ prioris in Chriſto abnegando, q.d. quicquid ego graviter adverſus te & amorem tibi debitum deliquerim in eo fœdiſſimo meo facto, ſincerus tamen eſt manetque & manebit meus in te ut dignum & diligentem ſimul amor, quod verum eſſe tu noſti ſine mea hac declaratione, ego tamen declaro lubentiſſime & ad tui ipſius omniſcii, potius quam geſtorum meorum omnium conſcii, teſtimonium provoco. Felix, qui ita amat Jeſum! felicior, qui ſe eum ita amare novit ipſe! feliciſſimus, qui ſeu ſponte, & contra hominum aliorum ſuſpiciones pravas & calumnias vel accuſationes proprii etiam cordis infirmi & Satanæ, ſeu rogatus à Domino, ita provocare ad Dominum de ſui amoris ſinceritate audet! Secundum illa Pſaltis *Pſal.* CXIX. 168. *cuſtodio præcepta tua & teſtimonia tua, quoniam omnes viæ meæ coram te*, *Pſal.* CXXXIX. 23. *inveſtiga me Deus & cognoſce cor meum, proba me & cognoſce cogitationes meas &c.*

XI.

XI. Et ad hanc laudatiſſimam profeſſionem Petri graviſſimum & optatiſſimum ſequitur Domini Reſponſum, qui *illi dicit*, Βόσκε τὰ ἀρνία μου, *paſce agnos meos*, addente *Syro* ܪܥܝ ܠܝ *mihi*; *cujus*, notante *Beza*, *poteſt aliquod videri pondus*, (ad notandum non modo paſturæ finem magnum, & autoritatem ex qua illa fieret, ſed vel maximè attentionem Chriſti præſentiſſimam ad ejus præſtationem,) *quamvis in hoc genere dicendi ſæpe redundet.* Sic à ſe ipſo, tanquam Objecto affectus Petrini, tranſit Dominus ad *ſuos Agnos*, quos ipſum *paſcere* jubet cum fiducia. Ubi ad literam quidam volunt *Oves* promiſcuè notari, uti deinde πρόβατα bis nominavit Chriſtus *verſ.* 16. 17. atque heic etiam πρόβατα in *Vetuſtiſſimo Codice* reperit *Beza*, dum *Syrus tribus utitur vocibus ſed idem ſignificantibus*, ܐܡܪ / ܛܝܨܐ / & ܥܠܝܐ. Alii tamen à notione propria vocis præter neceſſitatem non recedunt, quæ eſt illa *agnorum*, ſeu ovium tenellarum præ aliis majoribus & robuſtioribus. Et ad hoc objectum accommodatum eſt verbum *paſcendi*; quod omnem illam deſignat curam quam paſtores gregis in hunc adhibere ſolent, potiſſimam certe, ut dignoſcant, attendant, in paſcua apta ducant, dirigant, coerceant, defendant adverſus omnia pericula, ſanentque in omni ægritudine; & quod ob convenientiam multiplicem etiam tribuitur Regibus reſpectu ſuorum ſubjectorum decenter tractandorum. Jam vero per metaphoram manifeſtam, qualis & alias à piſcatu petitur, *coll. Matt.* IV. 19. *&c.* heic indubie ducimur ad Eccleſiam Chriſti, & curam huic à Præfectis ejus impendendam omnem. Hæc ipſa cum omnibus membris ſuis eſt *Chriſti* tanquam Domini peculium; cui ſoli tanquam Domino uni ipſa eſt relinquenda omni ætate, *coll.* 1 *Cor.* VIII. 6. 2 *Cor.* XI. 2. *Eph.* IV. 5. *&c.* absque ulla Dominii aut actus Dominici aſſumptione aut affectatione vel minima, *coll. Matt.* XX. 25. 26. 2 *Cor.* I. 24. IV. 5. *&c.* Hæc ipſa habet ſimilitudinem variam gregis *Ovium*, infirmarum, manſuetarum, utiliſſimarum, erroribus præcipitiis & direptionibus multiplicibus ſubjectarum, quin & mactari ſolitarum ab hominibus,

Mandatum Paſcendi Agnos Chriſti ab hoc datum Petro, dilectionem ſic ſuam rurſus declarante.

coll.

*coll. Micb.* VII. 14. *Zach.* IX. 16. *&c.* In hac ipſa ſunt & *Agni*, vel ſi placet *Agnelli* ant *Agniculi*, præ aliis ovibus Juniores in fide & pietate, vel & Teneriores etiamnum deinde, quibus pro conditione illa ſua varie ſuccurrendum eſt, *coll. Jeſ.* XL. 11. *Hebr.* V. 12–14. 1 *Cor.* IX. 22. *&c.* & quorum cura neutiquam debet eſſe poſtrema vel minima. Et quod ad *Paſtum* ipſum attinet, hic eſt qui nos ducit omnino ad fideles, atque Infirmiores inter eos, dignoſcendos curate, *coll. Prov.* XXVII. 23. ad attendendos illorum greſſus & conditionem omnem ſpiritualem maxime, ad alimentum illis ſuum tribuendum item ſpirituale Verbi & Sacramentorum, ad eos ducendos & reducendos aut deducendos in fidem & pietatem ac charitatem veram, ad eos protegendos contra vim omnem inimicam Satanæ Mundi & carnis propriæ, etiam per pericula propria & mortem ſubeundam, ad ſanandas denique contritiones & languores per Euangelicum ſolamen, vel & duritie perituros per Legis malleum hujusque minas ſubigendos; & quæ plura forte recenſeri poſſent ſimilia. In quibus omnibus ſequendus eſt Chriſtus, tanquam ἀρχιπόιμην & Dominus ipſe gregis pro ſua agens poteſtate & potentia, à Miniſtris omnibus ab ipſo ad hoc conſtitutis, pro gratia miniſteriali ipſis conceſſa, & fideliter ac conſtanter omnino. Et hoc omne eſt, quod Dominus non tantum exigit heic à Petro; ſed & exſpectat ab ipſo, tanquam certum conſequens Amoris ſui, quem verbis declaratum, debebat ille ſic facto ipſo in ejus Agnos demonſtrare.

Repetita Interrogacum Mandato.

XII. Res tanti ponderis, & una & alia, digna erat ut repeteretur, & amplius inculcaretur. Unde Jeſus *illi*, Petro ſuo, *dicit*, idem *iterum ſecundo*, πάλιν δεύτερον, quod poſtremum vocabulum, à *Vulgato* prætermiſſum, ad *Pleonaſmum* refert *Bezæ* cum *Grotio*, *coll. Matt.* XXVI. 42. ſed verè prius magis determinat palam. Præcedit igitur Interrogatio non ad alium ſed ad eundem Petrum, *Simon Jona*, ἀγαπᾷς με; *diligisne me?* neutiquam ad redarguendum reſponſum præcedens, ὅτι φιλῶ σε, quaſi plus vellet ab ipſo Chriſtus, neque ad minuendam ſuam quæſtionem priorem, ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; *diligisne me plus his?* ſecundum verum eorum ſenſum antea à nobis datum; ſed ad audiendam prioris reſponſi Petrini confirma-

firmationem ex ipſius ore. Et ipſe roganti Jeſu *dicit*, eadem quæ prius verba; *næ, Domine, quod te amem tu noſti.* Et ad hæc Dominus, *illi* reſpondens, *dicit*, πόιμαινε τὰ ϖρόβατά μȣ, *paſce oves meas.* Ubi nobis tantum non perinde eſt, an] *ovium* nomen communiter lubeat accipere de grege toto minorum & majorum ejus ſpeciei animalium, ut ſic vel dicat idem cum illo agnorum, vel hos cum aliis complectatur certe; an vero illud potius adverſus agnos credas oppoſitum, ſic ut oves adultiores & robuſtiores nunc commendet Chriſtus poſt tenellos præmiſſos. In alio verbo certe ποιμαίνειν ego nihil heic diſcriminis animadverto à priori βόσκειν; ut iidem actus paſtorales per hoc & illud denotentur. Scribente & ſic *Grotio*; *Quod de voce* βόσκειν & ποιμάινειν *diximus, idem de vocibus* ϖροβάτων & ἀρνίων *intelligendum eſt, nam & hæ promiſcue uſurpantur, ut apparet ex collatione locorum Matt.* x. 16. *Luc.* x. 3. Cum quibus tamen forte minus convenire cenſeri queant reliqua quæ adjecit; *Confer Zach.* xi. 4. *& cogita exitium Judaicæ gentis quæ proprie Petro commiſſa.* Qui ſerio rogat, & ſincere loquitur, & peremptoriè mandat, is etiam conſtanter id omne agit, tum Dominus, tum Diſcipulus ejus.

Tertia Interrogatio ad aliquam Petri Triſtitiam, cum Reſponſo ſimili & Mandato.

XIII. Δὶς ϗ τρὶς τὰ καλά. Quale cum & eſſet verbum Domini & Petri, idem denuo inculcatur. Jeſus enim *illi*, Petro ſuo, *dicit*, etiam τὸ τρίτον, *tertio verſ.* 17. interrogans, *Simon Jona*, φιλεῖς με; *an amas me?* adhibito jam pro ἀγαπᾷν altero illo verbo, quo bis in reſponſo ſuo Petrus erat uſus, ſed ſenſu eodem cum priori. Quod quidem ægrius obvenit Petro, qui hinc, uti refertur, ἐλυπήθη ὅτι εἶπεν αὐτῷ τὸ τρίτον, φιλεῖς με, *contriſtatus fuit* omninò haud leviter, ſive ſuum in Chriſtum amorem in dubium vocando, aût ejus ſenſum verum, ſive Jeſu in ſe gratiam deſiderando, cum ille plus ab ipſo videretur exigere quam in ipſo erat aut ab ipſo declarabatut; neque enim aliunde æque facile deducere poterat tertia jam vice auditam hanc interrogationem, dum minorem certe id habet ſpeciem, quod *Grotius* annotavit, *quod ter negando meruiſſet ter interrogari*, quaſi hoc ipſum jam ita intellexiſſet certò Petrus ipſe. Et nota heic, quod tertio dictum φιλεῖς με manifeſte arguat hujus eundem ſenſum cum ἀγαπᾷς με, quod bis prolatum fuerat. Attamen non potuit illa Petri

tri triſtitia hoc operari, ut non reſponderet Petrus, etiam decentiſſime uti antea, imo & paulo latius ad majorem Domini gloriam, *illi dicens*, *Domine tu omnia noſti*, *tu ſcis quod te amem.* Sic ille nempe ad Scientiam Dominicam ſui in ipſum affectus ſinceri, *coll. Act.* I. 24. *Apoc.* II. 23. *&c.* adjicit tanquam ejus fundamentum & argumentum invictum ipſius *Omniſcientiam* vere Divinam, nec ullo modo ad Hyperbolen reducendam, aut ad omnis generis res magis quam ad omnia & ſingula referendam, *coll. Hebr.* IV. 12. *&c.* Quæ ipſi quidem non ſecundum Humanitatem, infinitæ perfectionis minime capacem, attamen jam Homini ſecundum Deitatem cum Patre & Spiritu communem veriſſime competebat, & agnoſcitur ac agnoſcenda eſt ab omnibus cum fiducia ipſum invocantibus, & ſe ei committentibus cum ſpe lætæ remunerationis. Ad quæ *Jeſus illi dicit*, βόσκε τὰ πρόβατά μου, *paſce oves meas*, ſervato poſterius adhibito Nomine, ſed repetito Verbo quod prius adhibuerat, ut conſtaret rem omnem eandem ſignificari.

Iſta cum Petro acta an ad illum ſolum, an vero & ad alios ſpectent.

XIV. Expedire autem heic oportet etiamnum quæſtionem unam & alteram. Quarum prior eſt, an hæc cum uno Petro ſic acta à Chriſto, etiam per ſimilitudinem & conſequentiam ſpectent ad alios, tum Apoſtolos, tum & Doctores Eccleſiæ ordinis minoris. Pro Petro ſolo hoc judicari poſſet facere, quod cæteroquin Chriſtus adhibiturus fuiſſet rectius tam in interrogando quam in mandando Numerum Pluralem, *an me diligitis vos?* & *paſcite agnos*, vel *oves*, *meas*; ubi plures erant ipſi præſentes, nec quidquam aliud legitur vel à Petro vel ad Petrum dictum nomine plurium, uti id alias obſervatur *Matt.* XVI. 15. 16. *&c.* Et aſſentiremur nos omnino paratiſſimè, ſi res ipſa cum phraſibus adhibitis, quæ heic occurrit, non eſſet latioris extenſionis, & hinc ad alios plures neceſſariò extendenda. Quid enim? An Dilectio Chriſti ſupra omnes & omnia non eſt neceſſarium Requiſitum in omnibus Apoſtolis & Eccleſiæ Doctoribus, ad Miniſterii ſui opus decenter & feliciter exſequendum? abſque qua & alios ſalvantes ſe ipſos perdant hi magis. Annon in illam *ſui Dilectionem* inquirit Chriſtus conſequenter pro ſua omniſcientia Divina, & hanc inculcat tanquam decentiſſimam, de qua & olim coram ipſo reſpon-

reſpondebunt, poſtquam id heic egerint coram hominibus? Annon ad Petri exemplum reſpondendum eſt his omnibus, Dilectione Jeſu ſe eſſe occupatos ita totos, ut ex hac lubentiſſime ſuſcipiant id omne quod ipſe ab illis exigit, & prudentem etiam ſed conſtantem gregis curam? Et annon maxime omnibus his incubuit & ſemper incumbit, Agnos & Oves Chriſti ſpiritualiter paſcere, dictis modis omnibus? Uti hinc Paulus dixit ad Presbyteros Epheſinos *Act.* xx. 28. προσέχετε ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, & Petrus ut Synpresbyter ad Presbyteros promiſcue ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ, ἐπισκοποῦντες 1 *Pet.* v. 2. *&c.* qui & hinc nomen gerunt *Paſtorum Eph.* iv. 11. *coll. Jer.* iii. 15. *&c.* Et eſtne heic ulla vox alia, quæ vel Amoris vel Paſtus alium peculiarem modum exprimit in his cum Petro actis? Quod autem attinet ad tractationem Chriſti cum Petro in numero Singulari, hæc arguit quidem, illum heic immediate ſpectari unum, ad quem & à quo ob rationes juſtas & peculiares ſermo fit, ſed non rem ipſam ad hunc ſolum ſpectare; non magis, quam quod Abrahamo dictum, *ambula coram me & eſto integer Gen.* xvii. 2. & Jeremiæ, *& tu accinges lumbos tuos, & ſurges & loqueris ad eos omne quod ego præcipiam tibi, ne conſterneris à conſpectu eorum, &c. Cap.* i. 17. & ſimiliter Timotheo, *prædica verbum, inſta tempeſtive, intempeſtive, argue, objurga, hortare in omni patientia & doctrina* 2 *Tim.* iv. 2. *&c.* ad illos ita determinata eſſe putentur ſimiliter, ut non ad alios perinde transferre illa oporteat. Quin & hæc ad Petrum & à Petro dicta cum præſentes audirent Diſcipuli alii, inde ipſi ſuum quoque Officium & Munus diſcere poterant ſatis & debebant, tanquam ejuſdem cum Petro conditionis. Uti quando Pater Filio uni, & Magiſter Diſcipulo uni, & Dominus Servo uni, ob rationem peculiarem monita dant, etiam aliis præſentibus, hi uſum neceſſarium ſui ipſorum reſpectu hinc accipere coguntur.

XV. Quæſtio altera eſt de *Ter* heic facta Interrogatione Reſponſione & Juſſione eadem. In qua una & altera diſtinctionem aliquam ſenſus velle excogitare, nimis vanum eſt, niſi quod forte *agnos & oves* ſuo modo diſtinguere liceat, ſe- *Ter facta cur fit Interrogatio, & poſt Reſponſionem Juſſio iſta,*

cundum ante dicta. Dum vere ludicrum nimis mihi videtur, quod heic habet *Cel. Ligtfootus*; *Si peculiare quid in hac tergeminatione, paſce paſce paſce, inſinuetur, vix aptius applicueris quam ad tergeminum objectum Miniſterii Petri, Gentiles, Judæos, & Iſraëlitas de Decem Tribubus.* I. *Commiſſæ ſunt ei claves regni cœlorum à Domino ſuo Matt.* XVII. *ut oſtium fidei atque Euangelii aperiret Gentibus, quod & fecit in euangelizatione ſua ad Cornelium.* II. *In diſtributione euangelizationis trium Miniſtrorum Circumciſionis obtigit ei ſors inter Hebræos in Babylonia, Jacobo inter Hebræos in Paleſtina & Syria, Joanni inter Helleniſtas Aſianos.* III. *Et cum Hebræis in Babylonia commixti ſint Iſraëlitæ de decem tribubus, atque ad eos etiam pervenit Euangelium per miniſterium Petri &c.* Dum nulla equidem ſimilis deſignatio ſpecialis eſt in agnis, ovibus, & ovibus; & iſta populorum trichotomia eſt in Scripturis inſolita prorſus; præter alia multa, ſi in re liquida iis eſſet opus. Majori vero cum ſpecie loqui heic forte liceret de Triplici Actu præcipuo, tum Dilectionis Petrinæ, tum & Paſturæ ejus, pariter neceſſario, ob quem hæc repetitio facta. Sed quando & hoc ſua habet incommoda, dicamus potius cum Interpretum turba omni; ita liquere magis zelum Domini, & neceſſitatem & firmitatem rerum traditarum ab eo; ut ſimul ſpecialior ſit reſpectus ad Ter factam à Petro Domini Abnegationem, per quam conſtare ſic poterat & debebat valide, quod nec excidiſſet plane à vera Domini Dilectione, vel à digniſſimo etiam Munere, quod illi jam antea datum erat, ſed ab ipſo fœdiſſime neglectum fuerat. In quam rem non eſt ut heic jam latius excurramus.

Excurſus contra Pontificiorum torſiones ineptas ad ſuum Pontificatum Univerſalem.

XVI. Sed ſiſtendus heic eſt pauliſper adhuc curſus noſter Exegeticus, ut certamen ineamus & conficiamus breviter cum *Papiſtis*, qui pro ſuo Pontificatu Romano ex hoc textu maxime diſputant, per *Petri Conſtitutionem in Univerſale Caput Eccleſiæ Vicarium*, quæ ipſi antea Promiſſa fuerat ſcil. *Matt.* XVI. 18. 19. & dein varie Confirmata, atque Agnita ſit. Videri præ aliis poteſt heic *Bellarminus Card. Lib. I. de Rom. Pont. Cap.* XIV. *&c.* Ubi ille *tria* ſibi ſumit *demonſtranda*; *primum ſoli Petro dictum eſſe, paſce oves meas*; *deinde verbo illo, paſce, traditam eſſe Summam Eccleſiaſticam Poteſtatem*; *poſtra-*

mò illis vocibus, *oves meas*, *Universam Christi Ecclesiam esse designatam. Siquidem hæc omnia adversarii negant. Primum quidem*, sic *Robertus* incipit, *probatur, primum ex illo nomine Simon Joannis, nam eo nomine solus Petrus vocabatur, nec sine mysterio eodem modo Christus appellat Petrum, & cum promittit ei claves & cum oves pascendas committit, ut nim. intelligeremus illud ipsum re ipsa dari quod fuerat promissum, & eidem illi Simoni dari cui fuerat ante promissum. Secundo probatur ex verbis illis, diligis me plus his? illi enim dicitur pasce oves meas, cui dicitur diligis me plus his? Hoc autem soli Petro dici manifestum est, cum disertis verbis excludantur cæteri illa comparatione plus his. Porro qui excluduntur, non quicunque homines sunt, præcipui Apostoli sunt, &c. Tertio probatur ex Trina Interrogatione; nam ex Cyrillo & Augustino & aliis in hunc locum discimus, Petrum ter interrogatum, quia ter negaverat. At solus ipse ter negavit, proinde soli ipsi dicit, pasce oves meas. Quarto probatur ex illis verbis, contristatus est. Propterea enim contristatus est Petrus, quia metuebat ne forte falleretur cum diceret, tu scis Domine quia amo te &c. Sed ista causa tristitiæ soli Petro qui Domino negaverat convenit, igitur solus Petrus tristabatur, & solum Petrum alloquitur Christus, cum ait, pasce oves meas. Quinto ex illis verbis, cum senueris extendes manus tuas. Illi enim dicitur, pasce, cui prædicitur Crucifixio, soli autem Petro & in propria persona mors prædicitur. Sexto ex illis, hic autem quid? & ex responsione Domini, quid ad te? tu me sequere. Nunquam enim Petrus interrogasset, quid Joannes acturus esset, si intellexisset dictum omnibus, pasce oves meas, neque Dominus dixisset, quid ad te? tu me sequere, sed dixisset, idem faciet quod tu. Septimo ex Patribus &c.* Enimvero, quid est aërem ferire vanissime & cum larva luctari, si non hoc ipsum? Quis enim vel fuit vel est nostrum, qui hoc neget? hanc omnem Domini tractationem fuisse cum Uno Petro directe & immediate institutam; qui utique solus dictus fuit *Simon Jona*; & rogatus, *diligis me præ his*, aut *plus his*? quacunque id jam dictum sit constructione; & cum ter negasset Dominum, *ter rogatus* quoque; & ea propter *contristatus*; & prædictionem *Martyrii* nactus; & scrutatus, quid *de Johanne* futurum esset; quæ omnia dum agnoscunt *Patres*, lu-

bentiſſime in his eos ſequimur dudum, uti videas quoque à nobis factum §. *XIV.* Et ſi vel illud conceſſerimus, quod heic ſit collatum, ſeu verius confirmatum Petro, id quod *Matt.* XVI. 19. promiſſum fuerat (de quo textu diximus olim *EXERC. TEXT. XXX. Parte V.)* id nobis heic minime repugnat, imo & magis favet, quatenus illic Petro nomine omnium loquenti poſt peculiare Nomen Officium commune promiſſum fuit, dum alii heic ſimili confirmatione ſpeciali minus habebant opus, quos neque heic perinde ut illic ipſe repræſentavit. Sicuti nec Dilectio Petrina Chriſti *præ his*, ſi de comparatione cum Apoſtolis aliis in Dilectione communi Jeſu eſſet intelligenda, hoc facit neceſſarium, ut res ſubjecta ad illum cum totali excluſione Apoſtolorum aliorum pertineat, ſed tantum docet, quid ab ipſo magis quam ab aliis forte requireretur poſt graviſſimum lapſum ipſi peculiarem. Ergo quod ad Unum Petrum heic fuit dictum, id per ſimilitudinem & conſequentiam neceſſariam omnino pertinet ad omnes, non minus quam *Martyrii* prædictio; quæ licet heic ſit facta ſoli Petro, ſic minime reſtringitur ad illum ſolum, ſed potius per analogiam & ſequelam protenditur ad omnes alios, qui cum Petro fideliter ex amore Jeſu paſcerent Dei gregem, & hinc parati quoque eſſe deberent ad Martyrium ſubeundum ubi ſcil. Dei & Domini cauſa id exigeret, uti revera in aliis plurimis illud ſecutum eſt ſucceſſive per ſecula complura imo omnia. Quemadmodum &, ſi aliis verbis dixiſſet Dominus heic ad Petrum, tu ſi me amas vere, prædica Euangelium meum apud alios diligenter, hoc quidem modo ad ipſum ſolum dictum non minus ſpectare intelligeretur reſpectu rei ipſius ad alios Eccleſiæ Præfectos; imo & ad Petrum dicens *Luc.* XXII. 32. *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, alios ab hoc officio minime excluſit. Conferre in hanc rem omnino etiam licet id quod ſibi objecit *Bellarminus* ex *Auguſtino de Agone Chriſt. Non ſine cauſa inter omnes Apoſtolos hujus Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus, huic enim Eccleſiæ Claves Regni cœlorum datæ ſunt cum Petro datæ ſunt, & cum ei dicitur ad omnes id dicitur, amas me? paſce oves meas.* Et ad quod ipſe reſpondere coactus fuit; *Et ſi hæc verba proprie & principaliter ad ſolum Petrum pertineant*

*neant, omnibus tandem Epiſcopis ſuo quodam modo convenire, quia videlicet omnes qui in partem ſolicitudinis à Petro vocantur Petri formam in paſcendo grege imitari debent &c.* Ad ſecundum dehinc diſputationis ſuæ membrum tranſiens *Bellarminus* ſic incipit; *Sequitur ut quid ſignificet hoc ipſum paſcere videamus. Mart. enim Lutherus in Libro de Poteſt. Papæ contendit per illam vocem paſce nullam dari novam Poteſtatem, ſed tantum injungi officium diligendi prædicandi & docendi Petro, qui jam antea conſtitutus erat Apoſtolus & Paſtor, non quidem Eccleſiæ Univerſæ, ſed cujuſdam portionis, quemadmodum & cæteri Apoſtoli & Paſtores &c. At nobis difficile non erit, ex hac ipſa voce, paſce, demonſtrare ſummam Poteſtatem illi attribui cui dicitur, paſce oves meas. Primum enim non proprie dicitur paſcere alium, qui cibum quacunque ratione miniſtrat, ſed qui procurat ac providet alteri cibum, quod certe Præpoſiti Gubernatoris eſt Luc.* XII. 42. *Itaque illius eſt Paſcere, qui eſt ſuper familiam conſtitutus. Deinde per verbum Paſcere intelligitur ex communi uſu loquentium omnis Actus Paſtoralis, ſive eſſe paſtorem. Porro Actus paſtoralis non eſt tantum præbere cibum, ſed etiam ducere, reducere, tueri, præeſſe, regere, caſtigare. Quid? paſtores ovium num ſolum pabulum illis præbent? nonne etiam regunt, & boculo cogunt ut pareant? Hinc vid. in Scripturis paſſim paſcere accipitur pro eo quod eſt regere, coll. Pſal.* II. 9. *& Jeſ.* XLIV. 28. *Deinde hoc idem efficacius demonſtrari poteſt ex eo verbo quod Joannes in Euangelio ſuo poſuit* ποίμαινε, *i. e. paſce regendo & præſidendo. Nam & Homerus Iliad. Lib. II. frequenter vocat Regem Agamemnonem* ποιμένα λαῶν, *coll. Matt.* II. 6. *cum Mich.* V. 1. *& Apoc.* XIX. 15. *Igitur cum* ποιμάινειν *non ſignificet paſcere quocunque modo, ſed regere ac præeſſe, & Petro dictum ſit à Domino,* πόιμαινε τὰ πρόβατα, *manifeſte ſequitur, eſſe Petrum Rectorem ac Præſidem Eccleſiæ conſtitutum. Accedant poſtremo teſtimonia Veterum Patrum &c.* Sed non minus vana eſt hæc Cardinalis diſputatio quam præcedens. Neque enim quiſquam noſtrum *Paſturam* Petro commiſſam exponit de ſola Poteſtate Prædicandi Euangelium, ſed ad illam communiter referimus Poteſtatem omnem & Actus Paſtoris in Gregem, uti & hos recenſuimus §. *XIII.* inter quos omnino eſt decens ovium Gubernatio & Coërcitio; inculcante idem recte etiam heic *Auguſtino, oves ipſas paſcendas, i. e. do-*

*cendas*

*cendas regendasque committit.* Dum in uno loco agnoſcimus lubenter magis quam in altero ſpectari, ſive ad paſcendum, ſive ad regendum, pro contextuum & circumſtantiarum varietate. Dumque utriusque hujus Actus differentia inſignis admittenda eſt, quando ille Domino, & quando ejus Miniſtris adſcribitur. Jam vero, cum Paſtura Eccleſiæ aliis Apoſtolis & Doctoribus competat juxta Petrum, tam quoad unum quam quoad alterum actum, quomodo ex hoc Paſcendi verbo, nude & ſimpliciter poſito, elicias cum ulla ſpecie, Poteſtatem heic Supremam per illam denotari, quæ ſoli Petro cum aliorum excluſione ſit data? Ut omnis res heic tandem hæreat in Tertia Parte rei quam ſibi demonſtrandam ſumpſit *Bellarminus. Nobis*, inquit, *exploratum certumque eſt, omnes omnino Chriſtianos, etiam Apoſtolos ipſos, Petro tanquam oviculas commendari, cum ei dicitur, paſce oves meas.* Quod ſi fecerit ut nobis quoque, vel ipſi jure, certum ſit, multum ille equidem præſtiterit. *Eſt autem obſervandum, Chriſtum bis dixiſſe, paſce agnos meos, & ſemel, paſce oves meas. Tametſi enim in Græco textu ſemel eſt, paſce agnos, & bis, paſce oves, tamen corruptus videtur locus vitio librariorum, qui in ſecundo loco ſcripſerunt* προβατα *cum ſcribere debuiſſent* προβάτια, *i. e. oviculas, ſive agnos. Facile autem fuit excidere unum iota, &c. Cum ergo omnes Latini Codices legant agnos, nec unquam fuerit hæc lectio à Hieronymo vel ullo alio improbata, neceſſe eſt dicere Interpretem legiſſe* προβάτια, *i. e. oviculas, & vertiſſe agnos, quia oviculæ & agni ſæpe pro iiſdem accipiuntur. His notatis, ex hac variatione, quæ myſterio non videtur carere, probamus, Petro omnes Chriſtianos eſſe ſubjectos. Nam ſi per oviculas intelligamus agnos, dicemus agnos bis repetitos eſſe ad ſignificandum duos populos, Judaicum & Gentilem, oves autem ſemel nominatas ſignificare Epiſcopos, qui ſunt veluti matres agnorum. Itaque commiſit Dominus Petro curam agnorum, id eſt, populi Judaici, & agnorum, id eſt populi Gentilis, & ovium, id eſt eorum qui agnos iſtos pepererunt in Chriſto, qui ſunt Apoſtoli & Epiſcopi. Si vero per oviculas intelligimus oves parvas, majores agnis, minores perfectis ovibus, dicendum erit cum S. Ambroſio, Petro committi agnos, oviculas, & oves, i. e. incipientes, proficientes, & perfectos, ita ut nulli ſint in Eccleſia, quantumvis*

*ſpiri-*

*ſpirituales eruditi & ſancti, qui Petro non ſubſint. Vel per Agnos intelligemus populos, qui nullam habent curam paſtoralem, quique ſolum filii ſunt, non parentes; per Oviculas accipiemus Sacerdotes minores, i. e. Presbyteros & Parochos, qui ſic parentes ſunt populorum ut ſint filii Epiſcoporum; per Oves denique interpretabimur Sacerdotes majores, i. e. Epiſcopos, qui & agnis & oviculis præſunt, & tamen etiam ipſi Petro ſubjiciuntur. Atque huc videtur reſpexiſſe S. Leo, &c. Deinde aliam rationem, eamque inſignem, nobis ſuppeditat Pronomen illud, meas. Nam cum abſque ulla reſtrictione addatur ad nomen oves pronomen meas, manifeſte ſignificatur, eas omnes oves Petro commendari, ad quas extenditur pronomen meas; certum autem eſt, illud meas extendi ad omnes ſimpliciter. Nec enim ullus eſt in Eccleſia, qui ſe Chriſti ovem eſſe non glorietur; igitur omnes omnino Chriſtianos, nullo excepto, Petro Dominus commendavit. Et ſimiles loquutiones vulgo paſſim uſurpari videmus; nam qui dicit, relinquo mea bona filiis meis, ſine dubio nihil ex ſuis bonis nec ullum ex ſuis filiis excludit. Et Dominus cum ait Joan. x. 27. cognoſco oves meas &c. tametſi non dicat, omnes oves, &c. tamen nemo negare poteſt quin de omnibus ſit loquutus. Præterea quid aliud eſt paſce oves meas, quam habe curam mei ovilis? Eſt autem unum tantum Chriſti ovile Joh. x. 16. Igitur univerſum gregem ſuum Petro Chriſtus commiſit. Ad hæc cum Dominus ait, paſce oves meas, vel commendavit Petro oves ſuas omnes, vel nullas, vel aliquas certas & definitas, vel aliquas indefinitas. At nemo dixerit, nullas, aut aliquas certas eſſe commendatas; id enim eſt manifeſte falſum. Nec etiam aliquas indefinitas, quia non eſt ſapientis proviſoris relinquere indefinitam curam, cum poſſit eam definire, præſertim cum certa confuſio & perturbatio ex illa indeterminatione oriatur. Præterea commendare aliquas, & non indicare quas, idem eſſe videtur ac ſi commendarentur nullæ. Quas enim quæſo paſcet, qui gregem ſuum non cognoſcit? Reſtat igitur, ut omnes omnino ſuas oves Petro Chriſtus paſcendas aſſignaverit. Atque hæc eſt ſententia omnium veterum Patrum, &c.* Quando adhuc tranſit ad ſolvendas objectiones plurimas, quæ aliunde paſſim contra illum Petri Principatum in omnes adduci ſolent; ſed ſatis leviter & infeliciter, quod oſtendere non eſt hujus loci. Ad iſta ab ipſo ad hunc locum præſentem Johan-

nis dicta, generatim hoc merito præmittimus, quod Universalis quædam Pastio non male tribuatur Petro; sed quæ tum aliis Doctoribus & Præfectis Ecclesiæ, tum maximè Apostolis & Apostolicis viris, communis debet agnosci, adeoque Ecclesiæ totius Principatum quendam peculiarem Petro non tribuit. Quatenus nempe omnes Ecclesiarum Præfecti Pastione sua occupari debent circa cujusvis gentis, sexus, ætatis, conditionis mundanæ, & profectus Christiani, homines, tum debiliores tum validiores, ad quos & in agnorum ac ovium nominibus non incommode respici potest. Et quatenus dein Apostoli & Apostolici Viri alii non fuere in sua Pastione restricti ad unam aliquam seu regionem, seu urbem, seu Ecclesiam, sed illorum cura fuit magis per orbem diffusa in quem exeundum illis erat, Paulo hinc etiam loquente de cura πασῶν τ ἐκκλησιῶν, *omnium Ecclesiarum*, 2 *Cor.* XI. 28. Et quatenus tandem Apostoli & Apostolici Viri, qui nobis reliquerunt Scripturas Sacras Novi Test. per hasce dici possunt suam Pastionem ad omnia etiam Secula sequentia Ecclesiæ protendisse; quorsum & à multis refertur illa Sessio super thronis cum Judicio ex *Matt.* XIX. 28. Unde ex Universalitate Pastionis Petrinæ nondum sequitur ille Unius solius Principatus in Apostolos alios cum Doctoribus & Discentibus cunctis reliquis. Ut specialius porro dicamus, vix multum interesse putamus, an bis heic Agni, quod ad sermonis *blanditiem* aliqui referunt, an vero bis Oves legantur; quando horum nominum discrimen quoad sensum nondum adeo certum est, & agnita duplex vel triplex in his differentia omnium simplicissime atque optime referri potest ad diversos Gradus gratiæ spiritualis, sed quos omnes attendere & secundum quos pasturam suam instituere debent Pastores quicunque. Adeo incertissimum est, Duos heic designari Populos Distinctos una cum horum Doctoribus; ad quos tamen non solius Petri sed & aliorum Apostolorum cura pariter spectabat, dum specialius quoque distributio quædam Circumcisionis & Præputii inprimis curandi facta legitur inter Petrum & Paulum *Gal.* II. 7. 8. Quid autem opus est ullatenus, ut sub Doctoribus per Agnos repræsentatis ex hypothesi comprehendamus Apostolos alios omnes? quando & hi Pastoribus agnorum & ovium

lon-

longe rectius annumerabuntur. Dum interim eos cum Petro recte etiam referimus nos ad Chriſti oves, ab ipſo redemptas & curatas in ſuis perſonis; neque negamus decentem omnem curam, quam Petrus de reliquis ſed & reliqui Apoſtoli de Petro habuerunt, monſtrante illud etiam exemplo Pauli qui *in os Petro reſtitit* ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, & *non recto pede incederet Gal.*. II. II. 14. De Pronomine quæ adduntur, æque ſunt invalida. Neque enim poſſeſſivum illud *meorum & mearum* determinat, an omnes plane an quidam ex omnibus agnis & ovibus heic deſignentur. Si enim circumſtantiæ rerum aliquando permittant vel jubeant ſubintelligere ſyncategorema omnium, minime id eſt perpetuum. Uti quando Princeps Gubernatori provinciæ commendat Suos Subjectos, & Duci exercitus unius Suos Milites, & Dominus colono certo Suos Agros, & Pater Ephoro filii unius & alterius Suos Liberos, & quæ ſunt id genus alia infinita; in quibus intelliguntur omnes tales abſolute nequaquam propter illud Pronomen Poſſeſſivum. Cæteroquin dic etiam, Regem per ſervos invitantem ad nuptias filii ſui mactaſſe & paraſſe quotquot haberet *tauros & altilia*, cum dixerit, οἱ ταῦροι μου καὶ τὰ σιτιστὰ τεθυμένα *Matt.* XXII. 4. Dic perinde, Jezabelem ſeu conatu ſeu actu omnes ubique fideles ſeduxiſſe, quia Chriſtus heic nominavit ἐμοὺς δούλους *Apoc.* II. 20. ut alia mittam. Non facit huc quoque multum illa permutatio agnorum & ovium in phraſi cum *ovili*, quæ vox metonymice gregem dicens heic non legitur; quando Grex unus reſpectu Chriſti poteſt etiam accipere plures Paſtores, qui ejus partes curent præ illo toto. Eſtne hoc tandem ſatis ſerium? quod ſcholaſtice admodum dicit, Petro commendatas heic fuiſſe oves, vel omnes, vel nullas, vel aliquas, ſive certas ſive incertas. Ubi de *nullis* nemo cogitare equidem poteſt, neque idcirco de *omnibus* cogitari debet; & verè multum ab his utrisque differunt *aliqui*, etiam definite non nominati nec certo ab hominibus diſcreti, licet Domino cogniti, non obſtantibus cavillationibus oppoſitis. Qui enim eſſent iſtæ Oves paſcendæ à Petro, id probabili charitatis judicio ex ipſorum profeſſione & converſatione poſt collectionem cogniturus erat Petrus cum aliis, quod ipſi ſufficere prorſus poterat & debebat ad opus ſuum apud eos fideli-

ter & feliciter peragendum. Quam autem debilia ſint hæc omnia, eadem & non alia argumenta reperies apud Scriptores alios, eadem ſemper chorda aberrantes ad nauſeam. Uti inter alios *Corn. à Lapide*; *Ex hoc ergo loco patet, Petrum, & ejus ſucceſſorem Romanum Pontificem*, (quantus & quam mirabilis eſt iſte ſaltus!) *eſſe Caput & Principem Eccleſiæ, omnesque Fideles ovium Epiſcopos, Patriarchas, & Apoſtolos, illi ſubjici, & ab eo paſci regique debere. Id primo colligitur ex eo, quod Chriſtus hic ſolum Petrum interrogat, idque tertio, quaſi Principem & os Apoſtolorum*, (quod poſtremum cauſæ *Pontificiæ* plus obeſſet quam prodeſſet.) *Secundo id patet ex verbo, paſce, id eſt, rege, ut dixi; ac ex voce, agnos & oves, hac enim voce Chriſtus ſignificat omnes fideles Eccleſiæ ſibi quaſi primo paſtori ſubditos, nullum enim excipit &c.*

Mala Petro prædicta ad ipſius Dilectionem Oviumque paſtionem ſecutura.

XVII. Secunda pars Tractationis Dominicæ cum Petro, ad quam nunc redimus tandem, conſiſtit in ipſius *Monitione de Malis*, ipſi obventuris ex Dilectione Jeſu in paſcendis hujus agnis & ovibus *verſ.* 18. prout & illa *narrata* prius à *Johanne*, ab ipſo *exponitur* mox *verſ.* 19. *Amen, amen dico tibi*, ita Chriſtus continuato ſermone priori absque ullo interſtitio loquens introducitur, ὅτε ἦς νεώτερος, ἐζώννυες σεαυτὸν, καὶ περιεπάτεις ὅπου ἤθελες, ὅταν δὲ γεραθῇς, ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, καὶ ἄλλος σε ζώσει καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις. In quibus eſt, & *Res*, tum prior, tum poſterior, & rei ejuſdem *Certitudo*? Ad *Antecedens* tempus notandum Chriſtus Petro dicit, ὅτε ἦς νεώτερος, *cum eſſes*, non *juvenis* abſolute, ſed comparate *junior*, non adeo minor ætate ac nunc es, quam quidem præ ætate ſenili ad quam deinde pervenies, & quæ heic opponitur clariſſime per illud, ὅταν δὲ γεραθῇς. Optime id monuit inter alios *Grotius*; *ἦς hic habet indefinitam ſignificationem. Nam nunc quoque eum ut juvenem alloquitur reſpectu venturæ ætatis. Omnia enim*, id etiam adjecit, *quæ Chriſtus hic dicit alluſionem habent ad facta præcedentia; interrogatio de majori dilectione ad id quod Petrus primus per mare Chriſto occurrerat*, (hoc potius vellem omiſſum, ſi reſpiciat ad Apoſtolorum aliorum amorem minorem in Jeſum, ſed conſiſtere poſſet, ſi ad piſcationis negotia minus à Petro æſtimata, aut ad Condiſcipulos derelictos luberet referre,) *mandatum eximium Apoſtolici mune-*

*muneris, ad id quod rete pertraxerat, ſic & hæc verba ad id quod ſuperariam cinctus venerat.* Adeo ut illud ὅτε ἦς, *cum eſſes*, heic revera dicat, quamdiu fueris, uti & nunc adhuc es; neque enim vinculis etiamnum ullis erat conſtrictus, quod facta & dicta ſic ſatis oſtendebant, niſi ad vincula ſpiritualia ſuæ in Chriſtum dilectionis & paſturæ ovium demandatæ myſticè proſpicere lubuerit. Cæteroquin dici etiam poſſet, *juniorem* heic poni pro *juvene*, denotata ſic quidem ætate minori quam qua nunc erat vir utique adultus, ſed ſine ulla excluſione ætatis vegetæ quæ jam ſecuta erat, & duratura uſque ad ſenectutem, q. d. à juventute ipſa ita obtinuit tecum. Illo antem tempore antecedente aſſerit Chriſtus, *Petrum ſe cinxiſſe*, ſeu veſtimento laxiori zona conſtricto ſe ipſum induiſſe, & ad eundum compoſuiſſe adeo, *& hinc porro ambulaſſe, quo, & ubi, vellet*, pro arbitrio ſuo liberrimo, non tantum potentia ſed & actu quotidiano; *ut modo ex navi & in navem ſuopte arbitratu*, inquit *Grotius.* Sicuti latius habet *Beza; Hujus loci explicatio pendet à verbo* ζωννύειν. *Peregre igitur profecturos, præſertim in oriente & iis regionibus quarum incolæ laxioribus & prælongis veſtibus utuntur, neceſſe eſt ſuccingi. Deinde conſtat ſolitos fuiſſe in zona pecuniam ferre in viaticum, ut Matt.* x. 9. *Inde factum, ut Hebr.* חגר מתניו *Græcis* ζωννύεσθαι, *Latinis præcingere & accingere, ſignificet ſeſe ad iter comparare, quamvis Græcum illud vocabulum fere in re militari uſurpetur* ἀντὶ τοῦ ὁπλίζεσθαι *&c. q. d. nunc libere te accingis ut proficiſcaris quo libuerit.* Scilicet undique conſtat & uſus & neceſſitas cingendi, ubi veſtes per longitudinem vel & laxitatem poſſunt eſſe alicui impedimento, non tantum in faciendo itinere ſed & peragendo alio quovis opere majori; dum *cingulum* cum *cinctura militiæ*, non tantum apud Græcos ſed & Latinos & Hebræos, familiariſſimum erat, *coll.* 1 *Sam.* xxv. 13. 1 *Reg.* xx. 11. *Pſal.* xviii. 40. *Eph.* vi. 14. *&c.* quorſum tamen heic, uti & ad alios uſus cingendi, minus reſpici, conſtat ex addita expreſſe ambulatione qualicunque, ſive breviori ſive longiori. Quamvis præterea talis Cinctus ſui cum Ambulatione, in juniori potiſſimum ætate, queat in ſe haberi pro ſigno & indicio roboris & alacritatis inſignioris quæ iſti ætati convenit; non poteſt tamen eſſe dubium, quin heic longe magis ſpe-

ctetur ad plenam libertatem Petri, propriumque ejus arbitrium ſecundum quod egerat & agebat, nulli aliorum poteſtati coërcenti aut cogenti ſubjectus adhuc. Nam oppoſitum ejus ſtatum poſteriorem addidit Dominus; deſignato tempore, *quando autem ſenueris*, comparate & abſolute, ad ætatem ſenilem adductus, quæ ipſi ſic manifeſte ſatis promittitur, ſine annorum determinato tamen numero, (*ubi ad hanc ætatem quadraginta ferme annos adjeceris*, dixit *Grotius*;) & re expreſſa, *tuas manus*, ante ad cingendum te adhibitas & ſic ad apprehendendum contractas, *extendes*, ſic eas non applicaturus amplius, ſed idem aliis permiſſurus ut tibi faciant volenti nolenti, quorſum non male conferas τὰς παρειμένας χεῖρας *Hebr.* XII. 12. *coll. Jeſ.* XXXV. 3. dum de manuum protenſione alia ad apprehendendum, aut laborandum, aut benedicendum, nullus heic eſt cogitandi locus; *atque alius*, cui illud permittere cogeris, *te cinget*, ſed alio modo, non veſtibus tuis ad ambulandum libere & expedite, ſed vinculis funium & catenarum aliisque, *coll. Act.* XXI. 11. atque ſic *feret*, vel *ducet*, *quorſum*, & *ubi*, voluerit quidem ipſe, *non* autem *tu volueris*, ſeu non eligentem & invitum adeo, ut ſolent homines abduci in carceres primum duros, dein & ad tribunalia & ad ſuppliciorum acerborum loca ingrata. Neque enim heic cum paucioribus cogitare licet de Infirmitate Senili, quæ poſt alacritatem juvenilem eſſet conſecutura, ſive ſecundum communem naturæ lapſum, ſive per morbos ſingulares; quæ foret communior vel levior prædictio, vix iſta aſſeveratione digna quæ heic præmittitur, ſi non & pro promiſſione longævitatis ſingularis habenda potius. In quam rem conferri velimus, quæ heic habet *Beza*; *Jam vero, quia non diſſimili ratione captivi loris ac vinculis cinguntur, præſertim ſi quo mittendi ſunt, huc reſpexit Chriſtus quum diceret,* ἄλλος σε ζώσει, *q. d. nunc libere te accingis ut proficiſcaris quo libuerit, atqui tempus erit, quum non te zona accinges, ſed alius te vinculis conſtringet, ut te etiam nolentem pertrahat. Sic autem apud Hebræos interdum accipi verbum* חגר *pro ligare & vinctum tenere, oſtendit Kimhi in Libro Radicum, explicans Pſal.* LXXVI. 11. Καὶ οἴσει, *Vulgata & Eraſmus* οἴσει, *ducet*; *ac fateor quidem,* φέρειν *&* ἄγειν *ſæpe permutari; ſed mihi videtur potius hic fuiſſe retinenda propria ſignificatio, ut melius appareat*

*anti-*

*antitheſis, tu cingebus te zonâ, alius te cinget vinculis, ibas quo volebas, tunc non gradieris, ſed vinctus transfereris, ac deportaberis ad ſupplicium.* Quando difficultatem amoliturus recte adjecit; *Quo noles. Hoc vero non eſt ſimpliciter ita accipiendum, quaſi futurum ſit ut Petrus invitus pro Dei veritate quicquam ferat, quum eum legamus gaudentem rediiſſe è Concilio in quo fuerat flagris cæſus, ſed præterquam quod hæc voluntas non proficiſceretur à carne, mortem in ſanctiſſimis etiam quibusvis reformidante, ſed ab illo adventitio Spiritus victoris dono, Chriſtus naturalem illam libertatem captivitati opponit.* Et quæ haud diſſimiliter ſcripſit *Grotius*; *Cogeris extendere ut ſolent captivi. Nam & vincire eſt cingere, ut ad Pſal.* LXXVI. 10. *notat Kimchi, ubi & Symmachus* περιζωσθὲν, *quod iræ Aſſyrio reſtabit, id vincies ac cohibebis, ne perdat Hieroſolyma. Confer cum hoc loco Act.* XXI. 11. ἄρας τὴν ζώνην τοῦ παύλου, δήσας τε ἑαυτῷ τὰς χεῖρας, *ubi vides cingulum ſumi pro vinculo.* Quod autem ad rei hujus ſolitam & alias ſæpiſſime aſſeverationem præmiſit Dominus, *amen*, nec ſemel ſed iterum *amen*, ſeu vere omnino hoc eſſe futurum, *tibi*, præſenti & attendenti, *dico*, ego omniſcius à te agnitus, nunc longe antequam fiat; id non eſt referendum ad præcedens illud, quod ipſi ſatis conſtabat Petro, ſed ad conſequens in ſenectute ſuperventurum malum; oſtenſo ſic quoque ſecundum *Grotium*, *ærumnas impendentes eo graviores fore, quod incubitura ſint ætati per ſe gravi.* Significavit utique iſta ſua aſſeveratione tam ſeria, ſe non loqui dè eo quod fieri poſſet, aut forte futurum erat, ſed quod certo erat conſecuturum tandem, dum in Dilectione Jeſu jam magis quam antea in ejus profeſſione erat perſeveraturus, & paſcendis agnis & ovibus ſe conſtanter traditurus, ex Mundi & Satanæ odio in Chriſtum & Diſcipulos ejus juxta Regnum ejus univerſum. Quin etiam, hoc in anteceſſum debere agnoſci & bene attendi à Petro, ut ad hoc ſe componeret, animumque obfirmaret in Domino contra omnes carnis tentationes. *Oſtendit Paſtori conſiderandum*, inquit *Grotius*, *quam difficile ſuſcipiat munus, ne imparatus deprehendatur Matt.* x. 16. *Res eſt quæ conſtat libertatis & vitæ diſpendio.* In quam rem alios Diſcipulos ſuos communius de acerbiſſimis in mundo fatis monuit, quæ certe in ſe minime poterant eſſe grata ipſis, ſed

tamen

tamen lubenter pro Domino ferebant, exigentibus id Domini ſui rebus juxta hinc fluxura poſthac gaudia propria æterna. Vide *Joh.* XVI. 1. *&c.* 33. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε, ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ, καὶ ταῦτα ποιήσουσιν ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα οὐδὲ ἐμέ, ἀλλὰ ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα μνημονεύητε αὐτῶν, *&c.* ἐν τῷ κόσμῳ θλῖψιν ἔξετε, ἀλλὰ θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον, *&c.*

Quæ etiam innuere Genus Mortis Petri violentæ, certos nos facit Johannes; juxta alios & Crucifixionem.

XVIII. Utique ne à mente hac vera & ſcopo verborum Chriſti, quæ indubie bene à Petro intellecta fuerunt, divagaremur nos, fecit Johannes annectens *verſ.* 19. *Hoc autem*, ultimo dictum, *dixit* Jeſus, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν θεόν, *ſignificans, qua*, vel *quali*, *morte Deum eſſet*, ſeu *clarificaturus* ſecundum *Vulgatum*, ſeu *glorificaturus* ſecundum *Bezam*. Ad quæ *Grotius*; *Magnificus Martyrii titulus* δοξάζειν τὸν θεὸν. *Vide ſupra* XIII. 31. Certe licet Mors Chriſti violenta longe alia & ampliori ratione faciat ad Dei Gloriam multiplicem demonſtrandam & agnoſcendam per orbem, tanquam Satisfactoria prò peccatis populi ſui; tamen & Diſcipulorum ejus Martyrium, minime ex meritis delictorum fluens, ſed ex Dei & veritatis amore apud mundum exoſo, multis modis facit ad Dei gloriam in orbe oſtendendam à patientibus, & agnoſcendam ab aliis videntibus & audientibus. Eſt enim Dei Sapientia, Bonitas, Potentia, Veritas, & Conſtantia, in Chriſto demonſtrata & per Pietatem veram agnoſcenda, pro qua hominibus inculcanda adverſus Satanæ fallacias antiquiſſimas illi ſic decertant ad ſanguinis fuſionem uſque. Et eſt glorioſa Dei Laus, quæ ex Martyrio conſtantiſſime tolerato per ipſius ſingularem virtutem hinc etiam ad Deum redit, juxta aliorum converſionem ſalutarem. Qui omnis etiam ſcopus eſſe debet Martyrum, præ ſua qualicunque gloria vana, aut vitæ propriæ tædio, ſi illorum exitus Deo ſit placiturus vere, & gloria optata coronandus. Atque ubi tale de Petri Martyrio determinato teſtimonium laudatiſſimum dedit Johannes, haud miror cum tanta indignatione ſcripſiſſe heic *Bezam*; *Certe ſi credimus illi non modo ineptiſſime ſed etiam plane impio libello, qui inſcribitur de Petri Paſſione*

*ſione ſub Lini cujuſdam nomine, vix unquam juſtiore de cauſa quisquam damnatus eſt quam Petrus, ut qui uxores à ſuis maritis contra Chriſti ac Apoſtoli doctrinam abduceret. Sed abſit ut hæc cuiquam in mentem veniant, qui vel à limine Chriſtianam religionem ſalutarit. Imò tota illa narratio iis verbis, iis ſententiis, eſt deſcripta, ut neſciam, utrum magis debeam admirari, ipſiusne Satanæ impudentiam tam manifeſte falſa oſtendentis, an vero noſtrorum majorum ſtuporem qui tam craſſas fraudes non agnoverint.* Enimvero quid illud eſt, quod per ποίῳ θανάτῳ, *quali morte*, ſignificare voluit Johannes? an generalius *Mors Violenta*, qua Petri paſſiones concluderentur? an vero & ſpecialius *Mors Cruciabilis*, quam junxit *Grotius* ipſe? Pro priori ſtat *Beza* cum aliis; *Qui ex hoc loco colligunt, Petrum fuiſſe crucifixum, inepte argumentantur, quum Chriſtus in genere prædicat Petri mortem violentam fore.* Et pro ea diſputatur; non modo ex Eventu, qui de Crucifixione non tam certus eſſe putatur ac eſſe poſſet & forte deberet; ſed & ex Chriſti verbis ipſis, quæ illam clare neutiquam determinent, ſicuti illud *Johannis* ποίῳ θανάτῳ habet ſenſum vel latiorem vel ſtrictiorem, quo poſteriori vix erat neceſſum ut Petrus ſciret ſuum exitum. Sed ab altera parte, cum Veteribus & Recentioribus plurimis ſtat etiam *Grotius*, ad illa ὀίσει ὅπου ὐ θέλεις; *Hæc verba, non illa priora, ſupplicii Crucis habent ſignificationem;* ὅπου ὐ θέλεις, *i. e. quo nolles trahi, indicativus pro ſubjunctivo ut ſupra* XII. 21. *Matt.* XXVI. 39. *eſt autem* χαλεπτισμὸς, *agente quo nolles i. in malam crucem.* Quando mox latiſſime in eventum ipſum excurrit; *Quin Cruce Petrus, & quidem Romæ obierit, dubitandum non arbitror, cum tot habeamus Veterum teſtimonia. Tertullianus tanquam rem apud omnes etiam Hæreticos confeſſam adfert; Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſuo ſanguine profuderunt, ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur. Scorpiaco; tum Petrus ab altero cingitur, cum Cruci adſtringitur. Clemens Stromat. VII.* Φασὶ γὲν, τὸ μακάριον πέτρον, θεασάμενον τὴν ἑαυτῦ γυναῖκα ἀγομένην ἐπὶ θάνατον, ἡσθῆναι μὲν τῆς κολάσεως χάριν ϗ τῆς εἰς οἶκον ἀνακομιδῆς, ἐπιφωνῆσαι δὲ εὖ μάλα παρατρεπτικῶς τε ϗ παρακλητικῶς ἐξ ὀνόματος προσείποντα, μέμνησο ἄυτη ϗ κυρίε, *ita enim legendum. His adde Cajum, qui ſub Zephyrino Epiſcopo*

*vixit, & Dionyſium Corinthi Epiſcopum, quorum teſtimonia apud Euſebium exſtant. Poſteriores Autores, qui plurimi id tradiderunt, omitto. Si quis tamen eos, qui auctoritatis ſunt eximiæ, volet videre, legat Ambroſium in Nativ. Apoſtolorum, Prudentium de Paſſ. Petri & Pauli, Chryſoſtomum Orat. de Iisdem, Theodoretum περὶ ἀγάπης.* Enimvero docet initium horum verborum *Grotii*, hunc Crucifixionem Petri heic quidem reperiſſe in illo οἴσει ὅπου σὺ θέλεις, tanquam notante forte *ſublationem* in crucem; quam tamen alii potius repererunt, ſeu in *cinctura* per funes ligantes nempe in Cruce, ſeu in *manuum extenſione*, facta jam vel in Cruce ipſa per medium expanſis brachiis vel in Crucis portatione præcedente, intruſione brachiorum. Sed non video, in hiſce tribus quidquam eſſe, quod ad Crucifixionem ſpecialius intelligendam nos heic cogat. Neque enim verbum illud ὄισει per ſe dicit neceſſariò (dubito an unquam,) *Sublationem* in altum, qualis ſit in Crucifixione, ſed adductionem quamvis rei aut perſonæ convenientem, quo pacto & de Jeſu dicitur *Marc.* xv. 22. φέρουσιν αὐτὸν ἐπὶ Γολγοθᾶ τόπον, *&c.* neque etiam in hoc loco, ubi ad locum quemvis manifeſte refertur, *quorſum* ſuo arbitrio relictus *non vellet* ambulare Petrus. Neque *Cinctura* aliena cogitata noſtra reſtringit ad Crucifixionem per funes, qui forte ad clavos confodientes acceſſerunt, ſed ad quamvis ligationem per vincula ſignificandam apta eſt etiam magis. Neque *Manuum Extenſio* tandem, qualis in Cruce & ante Crucem fieri etiam potuit equidem, dum heic ante alienam Cincturam & Abductionem memoratur, vel ad Crucifixionem eſt determinata, vel & ad eam ſatis aptè applicatur forte. Quamquam ipſe heic ſcripſerit *Voſſius*; *Ex Manuum vero Extenſione cognoſcitur, violentam illam mortem fore mortem Crucis, in ea enim manus extenduntur. Sane hac ſublatus Petrus, idque Romæ &c. Non habere mihi frontem videntur, qui hoc negant, repugnante omni Antiquitate; quaſi in hiſtoria aliunde ſapere poſſimus quam ex Antiquorum monumentis.* Interim quod ad Exitum Petri attinet, traditio heic eſt quidem antiquiſſima de Ejus Crucifixione Romana, ſed quæ vix certam heic fidem reperire poteſt apud attendentes, ubi ipſa Manſio Romana à Viris Doctiſſimis tam valide dudum eſt impugnata. Quo magis de

Tem-

Tempore & Modo Crucifixionis iſtius Petrinæ tantus eſt Veterum ipſorum diſſenſus, quam factam manibus deorſum & pedibus ſurſum fixis vulgarior eſt narratio, ex *Egeſippo* præ aliis, & Chriſti Apparitione ad Urbis portam, qui illi roganti *Domine quo vadis?* reſponderit cum reſpectu ad illius Crucifixionem inſtantem, *iterum venio crucifigi.* Adeo & heic omnia ſunt incerta, quæ de Exitu illo Petri Romano dicuntur, & quorum poſt alios plurimos examen plenius inſtituit noſter *Cel. Spanhemius Miſc. Sacr. Lib. III.* Qui tamen ſi vere fuerit talis, hinc minime ſequitur, eundem heic determinate à Chriſto eſſe prædictum; tantum abeſt, ut ex hiſce verbis illum eventum concludere liceat certò ſatis ab altera parte.

XIX. Tertia poſt hæc pars Tractationis Chriſti Specialis cum Petro in eo conſiſtit *verſ.* 19. quod τοῦτο εἰπὼν, λέγει αὐτῷ, ἀκολούθει μοι, *hoc dicto, illi* mox ulterius *dixerit, ſequere me*; per modum mandati à Petro exſequendi, magis quam prædictionis alicujus, quæ tamen implicite forte in eo poſſet comprehendi. Niſi ad alia cogitanda ſequens nos contextus manifeſte duceret, facillimus videretur iſte ſenſus; quod, *hoc dicto*, quod, ad Officium Petri & Malum hinc eventurum Petro ſpectabat, Chriſtus illi porro ſuum propoſuerit exemplum, quod poſt ipſum opere & paſſione ſua defunctum ille ſequela ſimili imitandum & exprimendum haberet; non tam ut fidelis Diſcipulus cum Chriſtianis omnibus, quam ut fidus Paſtor ovium, non quidem ſine vel præ aliis cooperariis unus, ſed cum aliis ſimul, & ſi placet conatu præ iis per æmulationem decentiſſimam. Adeoque tantundem eſſet, ac ſi dixiſſet Dominus ad Petrum plenius, in Paſtione Ovium tibi demandata à me, atque Malis hinc ſubeundis, habes in me; quem intueris, tanquam fideliſſime exſequentem Patris mei voluntatem, & agentem diligentiſſime quæ gregi conducunt meo, quin & patientem manſuetiſſime omnem injuriam verbalem & realem uſque ad mortem ignominioſiſſimam; & quem conſequenter, cum te diligere vere declaras tam ſerio & iterato, debes in iſtis cunctis ſequi, id agendo omne in gregem agnosque & oves meas, quod Mea & Patris gloria atque gregis ſalus exigit à te ut paſtore, atque id patiendo ſimul omne malum, quod tibi hinc obveniet certo, ſine obmurmuratione aut

Sequela Chriſti Petro ad hæc mandata, quam ſunt qui ſpiritualiter capiant.

reluctatione indecenti. A quibus feliciter præſtitis poſſet ille etiam ſibi polliceri ex Chriſti exemplo participationem gloriæ & gaudii ejus, ſibi convenientem, ſine ulla tamen meriti perſuaſione. In quam rem conferre licet alia communiora dicta Chriſti *Matt.* x. 38. ὃς δ λαμβάνει τ σαυρὸν αὐτ, κ ἀκολυθᾶ ὀπίσω μυ, δκ ἔσι μυ ἄξι&, *Matt.* XVI. 24. εἴ τις θέλει ὀπίσω μυ ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, κ ἀράτω τ σαυρὸν αὐτ, κ ἀκολυθείτω μοι, & Apoſtolorum 1 *Pet.* II. 21. εἰς τῦτο γὰ κ ἐκλήθητε, ὅτι κ Χριςὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν, ἡμῖν ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολυθήσητε τοῖς ἴχνεσιν αὐτ, *Hebr.* XII. 1. 2. δι ὑπομονῆς τρέχωμεν τ πρκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα, ἀφορῶντες εἰς τ τ πίςεως ἀρχηγὸν κ τελειωτὴν ἰησῦν, ὃς ἀντὶ τ πρκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σαυρὸν, αἰσχύνης καταφρονήσας, ἐν δεξιᾷ τε τ θρόνυ τ θεῦ ἐκάθισεν, &c. quin & ex parte illud ſpeciale Chriſti ad Petrum *Joh.* XIII. 36. ὅπυ ὑπάγω, δ δύνασαί μοι νῦν ἀκολυθῆσαι, ὕσερον δὲ ἀκολυθήσεις μοι; cum reſpectu manifeſto potiſſimum, tum ad gloriæ cum Chriſto communionem, *coll. Joh.* XVII. 24. &c. tum ad Paſſiones acerbas in mundo per mortem violentam concludendas, non tamen *Crucis* determinate, magis quam illius ſubeundæ in eodem loco Golgothæ.

Sed & alii heic rectius corporaliter.

XX. Enimvero eſt & alia *Sequela Chriſti* ubique in Scripturis Euangelicis obvia, nempe Corporalis, per quam Diſcipuli ipſi adhærebant aliis relictis, huc & illuc cum ipſo euntes, *coll. Joh.* I. 37. 38. &c. *audierunt eum duo illi Diſcipuli loquentem*, κ ἠκολύθησαν τῷ Ἰησῦ, σρφεὶς δὲ ὁ Ἰησῦς κ θεασάμν& αὐτὸς ἀκολυθῦντας &c. quod & Jeſus ab illis exigebat, *coll. Matt.* IX. 9. ἀκολύθει μοι, κ ἀναςὰς ἠκολύθησεν αὐτῷ, &c. De quali Sequela Chriſti corporea, non perpetua jam & longa ut antea, ſed temporaria & brevi, cum reliquorum Diſcipulorum derelictione qualicunque, heic videtur omnino cogitandum, per ea quæ ſequuntur *verſ.* 20. &c. de Petro, dum hoc Chriſti mandatum exſequeretur, converſo & vidente Diſcipulum Alterum, *ἀκολυθῦντα ſequentem*, & Chriſtum hinc rogantem, an ille etiam ſequi vel manere deberet, hinc iterato juſſum *verſ.* 22. *tu me ſequere*; quæ nullum fundunt ſenſum commodum aut intelligibilem ſatis, niſi Sequela Corporea heic Petro à Domino præcepta, & à Petro hinc facta ſit. Quomodo & alias Chriſtus quosdam Diſcipulos præ aliis ſe ſequi voluit, *coll.*

*Marc.*

*Marc.* v. 37. καὶ οὐκ ἀφῆκεν οὐδένα αὐτῷ συνακολουθῆσαι, εἰ μὴ Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν Ἰακώβου, *Matt.* xxvi. 37. καὶ παραλαβὼν τὸν Πέτρον, καὶ τοὺς δύο υἱοὺς Ζεβεδαίου &c. Itaque & heic omnino videtur per contextum illum, quod etiam Chriſtus Petrum ad ſe propius advocaverit, ut ipſum præeuntem ſequeretur præ aliis illic relinquendis ad tempus aliquod; ſive ad illius amorem & obedientiam explorandam, ſive ad illi ſe magis familiariter in gloria ſua manifeſtandum, ſive ad illi inſinuanda vel commendanda quæ præ aliis ſcire nunc & agere deberet, ſive in alium aliquem finem, myſticum forte, quem nos determinandum non habemus. Qua de re vide etiam dicta olim à nobis *EXERC. TEXT. XXXV. Parte II.* Dum nec firmiter aſſeverare audeo, nec audacter negare velim, quæ de adumbrata vel ſignificata per Sequelam corporalem ſpirituali, vel præceptivè, vel promiſſive etiam, habent plures, cum reſpectu ad adhæſionem, obſequium, imitationem, & fiduciam ſpiritualem, quin & mala ſubeunda alacriter uſque ad mortem. Inter quos ipſe *Grotius* ſcripſit; *Sicut modo res ante geſtas ſigna dicendorum ſumſit, ita nunc quod dixerat ſigno conſpicuo exprimit, nam ſequere me ſenſum habet, & illum communem, cui etiam in præſens paruit, & myſticum alterum. Alludit ad id quod dixerat Matt.* x. 38.

Petri Rogantis Redargutio Dominica, cum Monitione Repetita.

XXI. Quarto tandem abſolvitur hæc Chriſti Tractatio cum Petro, quouſque hæc à Johanne nobis eſt deſcripta, per hujus *Redargutionem* ſeriam, cum *Monitione* repetita, cujus *Occaſionem* dedit Petrus quidem proximam per *Rogationem* ſuam, & quæ Redargutio *minus recte à Diſcipulis Intellecta* erroris auſam dedit his. Scilicet *Petrus*, ſecundum juſſum expreſſum Domini hunc ſequens, *convertitur* tamen retro ad Diſcipulos; ſive quod audire aliquem à tergo venientem videretur, quem hinc cognoſcere vellet; ſive ægrius ab illis divelleretur, uti uxor Loti ex Sodoma; ſive illorum conſtitutionem intueri vellet; ſive tandem illis valedicere quoque modo ſibi propoſuiſſet. Atque ita converſus ipſe, *Diſcipulum quem diligebat Jeſus*, inſigni præ aliis modo, *coll. Joh.* xiii. 23. xx. 2. xxi. 7. *qui & in ejus pectus ceciderat in Cœna*, ultima Paſch ali, (*recubuerat, i. ſeſe inclinarat Chriſti interrogandi cauſa, non quod in illius ſinu in illo convivio contra omne decorum, & quidem de*

*rebus tantis tam ſerio loquente Domino, ſterteret, ut ab imperitis pingi accubitus ille conſuevit*, notante *Beza*,) *dixeratque, Domine quis eſt qui te prodet?* ad Petri deſiderium, *coll. Joh.* XIII. 23–25. qui etiam Petrum prior monuerat de Chriſto ad littus præſente *verſ.* 7. & qui tandem quis fuerit ſive à ſe ſive ab alio pleniſſime monſtratur *verſ.* 24. οὗτός ἐστιν ὁ μαθητὴς ὁ μαρτυρῶν περὶ τούτων, καὶ γράψας ταῦτα, καὶ οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ, h. e. Johannem Apoſtolum & Euangeliſtam, *videt*, non jam apud alios Diſcipulos ſtantem aut ſedentem aut aliorſum euntem, ſed præ illis ἀκολουθοῦντα, *ſequentem*, greſſus Petri, adeoque & Domini præeuntis. Quod Johannes indubiè egit ex Amore Jeſu, quem à ſe divelli minus patiebatur, ſecuturus quouſque poſſet, dum abibat paribus cum Petro greſſibus; ſive exiſtimaret, quod à Domino dictum ad Petrum, ut hic eo modo amorem ſuum demonſtraret & gregis curam futuram decentem, ad alios, vel certe ad ſe ſpecialem præ aliis Petri locium, omnino etiam pertineret, ſi non directe, utique per conſequentiam & analogiam; ſive acceſſerit aliqua curioſitas major circa ſequelæ illius fructum conſequentem; ſive tandem id ſequendo ſe impetraturum conſideret à Domino, ut Chriſtum comitari liceret juxta Petrum. Ad hanc vero Viſionem Johannis ſequentis, non clam ſed palam ut converſione illa videri poſſet, τοῦτον ἰδὼν, *Petrus Jeſu dicit*, κύριε οὗτος δὲ τί; *hic autem*, Johannes te poſt me ſequens, *quid?* Quod Ellipticum & abbreviatum dicendi genus variis modis ſuppleri poteſt, & ſuppletur, ut vel nullum fere, vel arctum cum ſequela memorata nexum habeat. Qui prius agunt, putant ad Perſonam tantum Johannis, ſed non ad hujus Sequelam ſpectare hanc interrogationem, tantum ex Conſpectu Johannis cum collatione prædicti Fati Petrini ortam, quo modo & Diſcipuli alii eam intellexiſſe deprehenduntur. Quando ſenſus erit, *hic autem quid*, ſeu aget? ſeu patietur ad acta ſua? Prout *Grotius* habet, τί πείσεται; *quid patietur? quem habebit exitum?* Poſtquam præmiſerat prius *ad verſ.* 20. ὃς καὶ ἀνέπεσεν, *hæc antehac in deſignatione Johannis poni non ſolita (ſola enim nota dilecti à Domino Diſcipuli deſignatus eſt,) hoc loco non ſine efficacia adduntur. Nam omnia iſta Petro in animum veniebant, ut crederet hunc Diſcipulum ſibi in diligen-*

*ligendo Chriſto parem eſſe aut proximum. Quare cum ipſe poſt amoris profeſſionem accepiſſet prædictionem ferendæ mortis ad Domini exemplum, curioſitate quadam humani ingenii ſcire vult quid de illo ſit futurum.* Quo pacto heic *Voſſius* quoque ſcripſit; *Hinc cogitatio ſubit, quia de ſua morte cognorat, exquirendi etiam, qualis Mors alterum hunc Diſcipulum maneret.* Sed quo minus talem curioſitatem temere Petro tribuamus in hac interrogatione, obſtat Chriſti reſponſio ex parte Conditionis expreſſæ, uti illic videbitur. Et placet merito arctior vocis Petrinæ connexio cum eo quod agentem modo ille videbat Johannem, præ eo quem videbat. Illud autem cum eſſet Sequela corporalis Domini poſt Petrum, vix licet dubitare, quin rogaverit Petrus; *Domine*, qui omni jure hoc nomen mereris, & à me aliisque accipis, & à quo uno communiter omnes nos pendemus, non *quid huic*, ſed *quid hic*, Johannes nominatus vel aliter deſignatus, aget impræſentiarum? an & ipſe te mecum ſequetur nunc euntem ſcilicet? an vero nos ſolos ſinet abire, manebitque heic vel apud reliquos condiſcipulos? Quo autem animo & conſilio id rogaverit Petrus de Johanne, nemo dixerit cum certitudine. Quamquam ego bonum de eo animum præſumere malim, ut hoc egerit ex affectu in Johannem, quem optavit eſſe converſationis ſpecialis cum Chriſto ſocium, & forte teſtem alterum gerendorum, quin etiam ad nutum Petri à ſe animadverſum, ut pro eo veniam ſequendi ſic modeſte rogaverit; quam malum, ut egerit idem ex nimio ſui amore, cum ſpecie quadam invidiæ in illum alterum, cui vellet à Domino interdici ut injuſſus ſequeretur ſecum. Quæ ſi illius fuiſſet mens, etiam aliam & acriorem credo futuram fuiſſe Domini Redargutionem. Dum ſatis tamen aculei habuit hæc ad Petrum pungendum decenter, quæ una cum Monitione adjecta ſatis monſtrat, in quo culpabilis fuerit ipſius Petri Interrogatio. *Jeſus* enim *ei*, roganti Petro, *dicit*, per modum *Reſponſi* brevis, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρός σε; σὺ ἀκολούθει μοι, *ſi illum volo manere donec veniam quid ad te? tu ſequere me.* Vix operæ pretium eſt heic aliquid ex *Beza* monere, de *Editione Vetere Latina*, heic pro *ſi eum* habente *ſic eum*, unde *variæ ſint ortæ fabulæ*; dum cum aliis conjicit *Beza*, *initio ſcriptum fuiſſe Græcè*, εἰ οὕτω, *ſi ſic*,

*ſic, quomodo etiam citetur hic locus apud Hieronymum Lib. I. in Jovin. &c.* dum ex annotatione *Eraſmi à librariis depravatus ſit Auguſtinus.* Caſus qui heic proponitur ſpectat ad *αὐτὸν, illum*, Johannem Apoſtolum ſequentem & à Petro uno vel alio modo deſignatum, illiusque *Manſionem* uſque ad Chriſti Adventum; & conſiſtit porro in ejus *Volitione* Dominica; de qua indignatur Chriſtus Petrum rogare, ſic etiam ſequela Chriſti quadantenus interrupta, quæ hinc iterum urgetur. De hujus *Manſionis* ſenſu optimo olim ex profeſſo egimus *EXERC. TEXT. XXXV. Parte II.* Nempe *Manſionem* heic dudum intellexerunt nonnulli, cum Diſcipulis iſtius temporis Apoſtolici pluribus *verſ.* 23. de hac Vita in oppoſitione ad mortem Petro nunciatam *verſ.* 19. continuanda in his terris, *coll. Joh.* XII. 34. XIV. 25. 1 *Cor.* XV. 6. *Phil.* I. 25. *&c.* unde morientes abeunt ſeu tranſeunt, &c. ſive tunc *Adventus Chriſti*, qui conſtituitur terminus iſtius vitæ, ſit Ultimus & illuſtris ille Reditus ex cœlo, ad Judicium Univerſale habendum, qui finem mundo adducet, uti communiter ille accipi debet nec aliorſum trahendus eſt, *coll. Act.* I. II. 1 *Cor.* IV. 5. XI. 26. *Apoc.* I. 7. *&c.* ſive idem Adventus intelligatur per ſingularem Manifeſtationem, tum Gratiæ ſuæ in Regni ſpiritualis extenſione per orbem & ampliſicatione magna, tum & Iræ in hoſtes, potiſſimum Judæos à Romanis delendos. Quorſum nos heic prolixe ducit *Ligtfootus*, exponens; *donec ego veniam ad excidendam urbem gentemque Judaicam, coll. Matt.* XVI. 28. *&c. Ad te quod attinet Petre, tu à contribulibus tuis Judæis patieris mortem, & quod ad hunc, volo ut maneat donec ego veniam, vindictam ſumpturus de iſta generatione &c.* Diſputans porro; quod *Excidium Hieroſolymæ & ſtatus Judaici deſcribatur ac ſi excidium foret totius univerſi, coll. Matt.* XXIV. 29. 30. 2 *Pet.* III. 10. *Apoc.* VI. 12. 13. *&c.* quod *ſub hac notione & relatione Tempora Excidium iſtud præcedentia vocantur Ultima* 1 *Joh.* II. 18. *&c.* quod *pari relatione Tempora & rerum Status Excidium Hieroſolymitanum ſubſequentia vocantur nova creatio &c. Eſa.* LXV. 17. *Apoc.* XXI. 1. 2. 2 *Pet.* III. 15. *&c.* quod denique *Dies & Tempus & Modus iſtius vindictæ in illum populum vocantur Dies Domini, Dies Chriſti, Adventus ejus in nubibus, in gloria, in regno ſuo, coll. Act.* I. 11. 20. 2 *Theſſ.* II. 2. *Jac.* V. 9.

v. 9. *Apoc.* I. 7. XXII. 2. *&c.* Nec non *Doct. Hammondus*; *Quid hoc Adventu Chriſti, de quo tam ſæpe in Euangeliis, ſignificetur ſæpius notavimus. Vid. ad Matt.* XVI. 28. XXIV. 3. *Huic Adventui ſuperſtes fuit Johannes, Petro cujus mortem prædicit Chriſtus verſ.* I. 18. *interfecto imperante Nerone, cum Joannes vixerit non tantum ad Titi tempora, ſed etiam Domitianum ac Nervam Coccejum prætergreſſus, Trajani Imperium attigerit, centeſimumque circiter annum poſt Chriſtum natum, & quadrageſimum poſt hunc ejus ad delendam Jeroſolymam Adventum. Hoc teſtatur Irenæus Lib. II. & cum addat eousque vixiſſe Seniores, qui non ſolum Joannem viderant, ſed & alios Apoſtolos, credibile eſt, alios etiam Apoſtolos aliquot ſuperſtites fuiſſe temporibus Trajani.* Ad quæ etiam *Clericus* ſcripſit; *Optime hunc Adventum Chriſti interpretatus eſt Hammondus noſter, quæ ei propria fere laus eſt, perpauci enim alii Interpretes rem ſubolfecerunt, nemo æque aperte extulit aut æque copioſe probavit, &c.* Quando & cousque Johannem in vivis vere manſiſſe obſervatur, ad hujus Chriſti Prædictionis, ſi non explicitæ certe implicitæ, implementum actuale. Quorum omnium juſtum examen cum heic inſtituere minus liceat, notamus; tum iſtam Manſionem multis aliis communem vix potuiſſe ſpeciatim uni Johanni addici; tum in prædictione Malorum Petro eventurorum nullam vel minimam eſſe reſtrictionem ad tempora ſtantis Jeroſolymæ, quæ vi oppoſitionis heic tum eſſe deberet. Lubet aliis, & lubuit dudum, *Manſionem* Johannis interpretari potius de *Vita* agenda in *Judæa* in qua nunc erat, & ex qua vaſtata profectus, non illic ſed in Aſia viveret; vel de *Vita per Martyrium non tollenda*, ſed ei ab hominibus relinquenda, uſque quo ad ejus ſolutionem naturalem & omnibus à Dei manu exſpectandam Chriſtus ipſe adeſſet; vel de *Vita Libera* extra vincula, quali etiamnum fruebatur, & fruiturus erat uſque ad mortem, adverſus quam ab aliis iterum opponitur prædictio Dominica & Eventus vinculorum & paſſionum Johannis, *coll. Matt.* XX. 23. *Act.* IV. 3. *Apoc.* I. 9. *&c.* præter illa quæ *Tertullianus* cum aliis habet de Afflictionibus Johannis. Ex quibus illud de Morte Naturali placuit ipſi *Grotio*; *In vita hac caduca. Sic Phil.* I. 21. 24. 1 *Cor.* XV. 6. *Quaſi Imperator diceret, quid ſi hunc*

*velim in præſidio manere, donec ipſe eum revocem? Ita obſcurè ſignificat, Johannem non ut Petrum morte violenta moriturum, ſed tali qua ſine hominum vi ſolveretur, ubi Chriſtus tempus idoneum judicaſſet; quod & contigit, ut Veterum plures conſentiunt. Sic tempus mortis accerſitionem ſæpe vocant Chriſtiani.* Interim mihi quidem vix quidquam videtur certius, quam, ubi de *Sequela* Chriſti poſt Petrum Corporali & præſenti, ab ipſo conſpecta, rogaverat Petrus, an, vel annon, illa etiam Johanni ſeu mandanda ſeu concedenda eſſet, illic in reſponſo Domini neutiquam eſſe cogitandum de Vita terreſtri, ſeu hac ſeu illa, uſque ad Ultimum Chriſti Adventum, vel alium quemcunque in gratia aut ira; ſed omninò de *Manſione* apud Diſcipulos alios, iſti Sequelæ Chriſti abeuntis modo corporaliter oppoſita; & quidem *donec veniret* Chriſtus, ſeu rediret illuc mox, & propius ſe iterum manifeſtaret ſuis Diſcipulis reliquis, *coll. Matt.* x. 23. *Amen, amen, dico vobis,* ὃ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τ Ἰσραὴλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τ ἀνθρώπυ. Quæ cum aliis *Beza* merito ex *Theophylacto* exponit; *Chriſtum rurſus illis affuturum, priuſquam totam regionem peragraſſent, ne videlicet ſeſe à Magiſtro ablegari exiſtimantes animum deſponderent.* Pro qua ſententia horum verborum Chriſti nos plenius quidem diſputavimus *loc. cit.* laudato etiam conſenſu *Cæſarii Dial. III. Interr.* 179. qui illic memorat τὸ μένειν ἐπὶ τ ἀλίας, quin & ſoluta ſimul Objectione una & altera. Qualis illa *Corn. à Lapide, id nimis literale & grammaticum, adeoque fugidum videri*; quaſi non ſenſus in hoc contextu eſſet ille plenus ſatis, & non mille locis talis agnoſcendus, vel abſque neceſſitate myſteria ubique quærenda forent, quæ heic etiam ſatis mira reperias apud Patres. Et qualis præcipue eſt iſta *Joh. Gerhardi* inter alios; *Inde divulgatur ſermo inter fratres, quod hic Diſcipulus non moriatur, quomodo vero hujus opinionis occaſio ex verbis Domini fuiſſet nata, ſi verbum manere non acciperetur pro remanere, permanere, & non mori?* Sed ex opinione Diſcipulorum, quos & heic erraſſe notavit mox ipſe Euangeliſta, argumentum pro vero ſenſu verborum Chriſti eſt prorſus invalidum; quando illis occaſio erroris hac in parte fuit facillima in uſu haud infrequenti verbi *manendi*, illiusque abductio à proximo contextu. Quando jam illud omnino pendebat ab arbitrio Domini,

an

an nunc ſequi etiam deberet modo Johannes, an vero in illo prandii habiti loco aliquantiſper adhuc manere cum aliis præter Petrum Diſcipulis, hinc conditionate merito dixit Dominus, *ſi volo*, ita vel illud, ſeu apud me intus, nihil de hoc dicens, ſeu verbo meo quoque externo ad te aut ad ipſum. Quo pacto ille nihil quidem ponit expreſſe, uti expreſſe notavit Euangeliſta *verſ.* 23. hoc ipſo confutans id quod ad *Vulgati* lectionem aliam tuendam diſputant pro uſu aſſeverativo ἐὰν, *ſi*, cum *Georgio Trapezuntio* plures Pontificii, opponente ſe *Beſſarione* etiam *Trapezuntio*. Interim, ubi nihil quidem hactenus dixerat Dominus de Johannis Sequela, neque jam rogatus quidquam de ea ut neceſſaria decenti vel licita reſpondet; videtur ſic omnino hoc ipſo implicite Dominum ſignificaſſe, quod hæc eſſet ejus volitio, ut maneret dicto modo, nec ſequeretur adeo cum Petro Dominum hoc momento. Ad quem hinc Chriſtus dixit, *quid ad te?* nempe iſtud ſpectat; tum quoad rem ipſam, ſive hoc ſive illud velim, tum & conſequenter quoad tuam cognitionem, ut de eo roges adeo libere tanquam ad te ſpectante. *Sic & Latine dicimus*, inquit *Grotius*, *quid ad te? q. d. quicquid de illo erit, id ad te non pertinet, cura quod te ſpectat. Hæc eſt pars lotionis pedum Petri, quam ipſe recte intelligens poſtea vetuit Chriſtianos eſſe* ἀλλοτριεπισκόπους 1 *Pet.* IV. 15. *ut & feminas Paulus eſſe* περιέργους 1 *Tim.* V. 13. Et vox eſt hæc certiſſime, uti hæc eadem phraſis legitur *Matt.* XXVII. 4. τί πρὸς ἡμᾶς; ita redarguentis Petrum, non plane diſſimilis ei quæ contigit Mariæ *Joh.* I. 4. τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; Dum rogare de alio & pro alio certiſſime licet, in negotio maxime ſalutis ſpiritualis & æternæ, cum ſui ſubmiſſione decenti, ubi Divina volitio nobis determinate non conſtat, & ſic res fratrum omnino ad nos quoque ſpectant; ſed Rogatio Domini omnis de aliis curioſa nimis, *coll. Luc.* XIII. 23. *&c.* in ſpecialibus his aut illis factis, contra id quoque quod apparet Deo placere, non poteſt non cenſeri culpabilis, quando ſic videmur corripere Domini facta, & liberrimam ejus poteſtatem impetere, uti ſe heic res habebat. Dum & rogatione iſthac ſua Johannes heic ſimul aliquam ſibi & Domino moram injecit in progreſſu, ut & forte Johannes interea propior fieret. Unde à rogatione tali Petrum

cum indignatione repellens Dominus, repetit prius ſuum mandatum, *tu me ſequere*, nunc corporaliter, quo te ducam, & quamdiu me corporaliter præſentem habebis ſolum; aliosque meæ committe curæ. Et hæc eſt gratia Chriſti in dilectos ſuos & ipſum diligentes, quod ipſos zelo etiam nimis imprudenti aberrantes, aut impingentes, redarguat decenter, & monere ad bonum pergat conſtanter.

Rumor in fratres temere ſparſus de Johanne non morituro unquam.

XXII. In iſto igitur Chriſti verbo acquieſcit Petrus, non absque omni pudore, & ſequitur adeò Chriſtum ſolus, uſque quo dimitteretur vel relinqueretur à Domino. Sed ex iſto Chriſti verbo, quod vel à Johanne & aliis auditum quoque fuit, vel alias à Petro ipſo his relatum, *in fratres*, ſeu ad & inter Diſcipulos alios ſpirituali vinculo inter ſe conjunctos, *verbum hoc*, non quod locutus erat Jeſus, ſed aliud quod ex hoc male intellecto fluxit, *exivit*, huc & illuc rumore ſparſum (quem *Hebraiſmum* vocat *Grotius*, *coll. Matt.* IX. 26. *Luc.* VI. 22. *&c*) *quod Diſcipulus ille*, præ aliis dilectus à Domino, ſeu Johannes, *non moriatur*, ſeu *moriturus eſſet*, inſtar aliorum Diſcipulorum & hominum omnium non ſuperſtitum ad Chriſti Reditum futurum. Qui rumor ex eo fuit ortus, quod tum *Manſionem Johannis* intelligerent de Terreſtri hac Vita, tum *Adventum* Chriſti de ipſius Reditu ultimo, & ſimul *Conditionatam* propoſitionem directe vel per conſequentiam & implicite facerent abſolutam. Ad quæ *Grotius*; *Non moriturum. Præſens pro futuro. Sumſerunt ſcilicet Interrogationem Chriſti pro Affirmatione, & Adventum pro Adventu ad Judicium, de quo ſæpe illis antehac locutus erat, & quidem addita voce* ἔρχεσθαι, *ut Matt.* XVI. 27. & XXIV. 30. *Hunc diem de propinquo imminere exiſtimabant* 1 *Theſſ.* V. *Et cum is dies futurus eſſet dies Reſuſcitationis ante mortuorum, qui tum piorum victuri eſſent, mortem non ſenſuros recte exiſtimabant* 1 *Cor.* XV. 51. *Et credibile eſt, Chriſtum colloquiis poſt reſurrectionem de illo Die apertius quam antea locutum, ut de complemento regni ſui Act.* I. 3. In quibus hoc debet diſplicere prorſus, quod Apoſtolos ponat exiſtimaſſe ſuo tempore proxime inſtitiſſe Finem Mundi totius, quodque cum eorum Infallibilitate & aliis ipſorum teſtimoniis nunquam rite conciliari poterit, ſecundum monſtrata à nobis olim latius, *Parte II. EXERC. TEXT. XXXVII. XLV.*

*XLV. L.* quin nec ipſos ex ipſius Chriſti verbis potuiſſe educere *EXERC. TEXT. XXVI. XXIX. XXX. XXXV.* Fuiſſe vero illud per fratres exiens de Johanne verbum falſum, ille ſatis ſcivit, heic notans ipſe; quod *Jeſus illi*, Petro roganti, *non dixerit, quod non moriatur*, ſeu *non morituru ſ eſſet, ſed ſi illum volo manere donec veniam, quid ad te?* In quibus ego ſic duo putem notata; primum quidem, quod nonniſi *Conditionate* dictum caperent abſolute prorſus, ſine ulla neceſſitate; & ſecundo, quod & dictum Domini de *Manſione* interpretarentur præter rem de Vita continuanda, cum dè non Moriendo ille nihil dixiſſet ſcilicet, non enim fruſtra ipſiſſima Chriſti phraſis heic rurſus repetita eſt quæ aliam ſignificationem facillime admittit. Longe aliter ſed temere ſcripſit *Grotius*; *Hæc repetitio vocum huc uſque oſtendit, emphaſin non eſſe in illo ἐὰν θέλω, ſed in illo ἔρχομαι, cujus ambiguitate decepti erant Diſcipuli, cum debuiſſent aut Magiſtrum interrogare, aut quod ambigue dictum erat pro ambiguo relinquere, donec ſenſum exitus declararet.* Neque enim hoc negari poteſt, quod præcipuum verbi diſſeminati ab illo Chriſti diſcrimen conſtituatur in locutione comparata & abſoluta; dum ne minimam auſam dedit Euangeliſta cogitandi de Alio quam Ultimo Chriſti Adventu in verbis Chriſti. Interim cum ipſe Johannes in ipſo Euangelio ſuo oblocutus ſit palam vaniſſimo de ſe rumori, mirum eſt, quo pacto eundem ad poſteros propagare adhuc potuerint Veteres, & accipere ſeu totum ſeu ex parte Recentiores. Quando ſeu de Morte Johannis dubitaverunt, ſeu Vitam illi perpetuam tribuerunt, vel in Sepulchro, vel in Paradiſo, aut ſine Morte guſtata aut poſt mortem momentaneam; ſecundum varias fabellas, quas cum aliis hinc ortis exhibuimus *loc. cit.* cum oppoſitis ſimul verbis *Polycratis* apud *Euſebium*, *Tertulliani*, *Hieronymi*, *&c.* quibus *Mors* ejus *Epheſina* agnoſcitur. Et quamcunque Vitam ſecundum fabulas illas tribueris Johanni, certe illa ſub nomine *Manſionis* terreſtris in hac Vita cum aliis hominibus venire neutiquam apte poſſet, ſed verius etiam Abitus ſeu Ablationis nomen mereretur. Nos etiam heic moniti ſimus de facili corruptione verborum Divinorum per eorundem interpretationem minus rectam & ſolidam; quamobrem ad illa uti ſe habent at-

tendendum eſt diligentiſſime, nec traditionibus etiam antiquiſſimis nimis fidendum.

Tempus hujus Dominicæ Apparitionis determinatur.

XXIII. Adjicimus adhuc, quæ de Apparitionis hujus Dominicæ *Tempore* poſſunt tutò dici ex *Joh.* XXI. 1. & 14. In priori *Verſu* legimus, facta hæc eſſe μετὰ ταῦτα, *poſt hæc*, ſive *poſtea*. Quod ſine dubio heic non exprimit ſolam Sequelam Rerum traditarum, hujus poſt alias præmiſſas, ſed etiam Temporis illam, absque determinato tamen ſpatio, quod inde ab Octavo Reſurrectionis Die ſeu ſecunda apud Apoſtolos Apparitione Jeroſolymitana huc uſque elapſum erat, licet hoc per locorum diſtantiam omnino fuerit Dierum aliquot, & licet præſumi queat, quod non fuerit Dies Septimanæ Primus magis quam ultimus, ex Piſcatione inſtituta præ Quieta & Sancta Congregatione. Ex poſteriori interim *Verſu* diſcimus certo, hanc fuiſſe, non ſecundam, quorſum male trahas πάλιν *rurſum* in textu lectum *verſ.* 1. ſed *Tertiam* Domini Redivivi *Apparitionem apud Diſcipulos ſuos*; quæ ergò facta eſt prorſus ante illam maxime ſolennem in Monte Galilææ, ad quem hi apud Mare Piſcantes nondum abierant, certo conſilio ex verbis Chriſti potius quam aliunde ſumpto. Sunt heic jam obſcuriores paulo forte *Grotii* gloſſæ; tum ad *verſ.* 1. πάλιν *refer ad locum, nam priores oſtenſiones factæ Hieroſolymis*; tum *ad verſ.* 14. *refer ad Dierum munerum, primum apparuit diverſis ipſo reſurrectionis Die, iterum Die Octavo, nunc Tertium.* Quam poſteriorem ſecutus *Hammondus*, hanc habet *Paraphraſin*; *Atque hic fuit Tertius Dies, quo Chriſtus apparuit Diſcipulis poſt Reſurrectionem, quamvis ſextum tunc conſpiceretur, & quartum quidem ſuis Diſcipulis, licet tertia vice ex quo iis omnibus vel pluribus apparuerat.* Sed iſta, minus recte à ſe intellecta, longe magis obſcuravit *Doct. Clericus*; primum ſcribens, *itaque non oportebit dicere, Tertium illum fuiſſe Diem*; & deinde latius annotans ſequentia. *Jam indicavimus Noſtrum in Paraphraſi non ſatis perſpicuè hanc voculam interpretari. Quemadmodum ergo πάλιν ad verſ.* 1. *interpretati ſumus cum Grotio de Loco, de Galilæa nempe, ſic & Tertium de Loco etiam intelligendum cenſuerim. Ac ſane Tertius Dies à Reſurrectione intelligi vix poteſt, cum conſtet, Diſcipulos Die ipſo Reſurrectionis manſiſſe Jeroſolymæ, nec credibile ſit Tertio poſt eam Die Apoſtolos,*

*jam*

*jam potuiſſe piſcari, eſt enim minimum Iter Bidui Jeroſolyma ad Lacum Geneſarethicum, præſertim ſi pedibus conficiatur. Præterea hæc fuit non Sexta Chriſti Apparitio, ſed Septima aut Octava, ſi recte calculum ineamus. Vide hac de re Steph. Curcellæum Inſt. Rel. Chr. Lib. V. Cap.* 14. Id utique non putem ſomniaſſe, vel *Grotium*, vel *Hammondum*, quod hæc Apparitio contigerit Die Tertio poſt Reſurrectionem Chriſti, ſeu Septimanæ Primæ poſt Paſcha, quando & mirus heic foret regreſſus à Die Octavo, de quo Johannes egerat *Cap.* xx. 26. Sed *Diem Tertium* poſt Secundum & Primum hi plane intellexerunt de Diebus totidem Diſtinctis & Diviſis à ſe invicem, quibus Jeſus ſe manifeſtavit Diſcipulis, illo nempe Reſurrectionis, illo poſt Octiduum, & hoc denique Seriori & porro Incertiori. Quomodo jam olim præierat *Auguſtinus Lib. III. de Conſ. Euang. Cap.* 25. *Quod quidem cavendum eſt ne quis exiſtimet, tertio Joannem dixiſſe tanquam tres ſolæ factæ fuerint manifeſtationes ejus. Sed hoc intelligendus eſt ad numerum retuliſſe dierum, non ad numerum ipſarum manifeſtationum, nec continuorum dierum ſed per intervalla, ſicut idem ipſe teſtatur. Nam primo ipſo Die Reſurrectionis ſuæ, excepto quod à Mulieribus viſus eſt, id eſt quod in Euangelio claret, ter ſe manifeſtavit, ſemel Petro, iterum duobus illis quorum unus erat Cleophas, tertio plurimis jam inde colloquentibus noctis exordio. Sed hoc totum Joannes ad Unum Diem referens ſemel computat. Iterum autem, hoc eſt Alio Die, quando eum vidit & Thomas. Tertio vero ad Mare Tiberiados, hoc eſt Tertio Die manifeſtationis ejus, non tertia manifeſtatione &c.* Ex quibus collatis ſimul apparet, qua occaſione in τρίτον de *Tertio Die* fuerit cogitatum, ut nempe dubium illud de pluribus quam Tribus Apparitionibus jam factis ſic tolleretur. Quod nos putamus longe rectius & aptius tolli, obſervando quod heic agatur de Apparitione Chriſti Tertia, non abſolute prorſus ſed reſpectu Diſcipulorum Plurium ſimul congregatorum, pro quibus nec Maria cum Mulieribus ſolis, nec Emmauntici Duo, nec Petrus ſolus, haberi queant, ſed haberi debeant Undecim ſeu *Duodecim*, quibus, etiamſi unus & alter abfuerit, Paulus etiam monuit Jeſum viſum eſſe poſt Cepham, non ſemel ſcil. ſed ter, 1 *Cor.* xv. 5. Eſt & illud omnino obſcurius, quod πάλιν *iterum*, & τρίτον *tertium*, ad

locum

locum præ tempore referatur; quorſum propria vocum harum ſignificatio nos minime ducit, quæ prior actus dicit repetitionem, non heic primam, *coll. verſ.* 16. πάλιν δεύτερον, ad quam per ſe determinata minime eſt, ſed ſecundam, quod ex poſteriori voce τρίτον addita liquet invictè. Neque ſcio, quo modo, ſi ad Loca Diſtincta Apparitionis tam illud τρίτον quam πάλιν referatur, quomodo illa ſint numeranda Tria; ſiquidem apud Mare Galilææ fuit demum Locus Secundus Manifeſtationis apud Diſcipulos poſt Conclave Jeroſolymitanum; & ſi velimus addere manifeſtationem apud vel prope Sepulchrum Jeroſolymis, atque in Via & Manſione Emmauntica, jam non poteſt apud Mare Galilææ fuiſſe Locus Tertius, ſed dici ille debet minimum Quartus.

Concluſio pro Veritate Reſurrectionis Chriſti ex ea.

XXIV. Pro concluſione hujus Capitis dicamus nos iterum, quanta ſit Reſurrectionis Domini noſtri Certitudo. Qui nempe etiam Tertio non minus quam Primo & Secundo, voluit apparere ſuis; pluribus ſimul & ſibi hoc nomine notiſſimis, etiam viris à virtute laudatiſſimis, & quidem Septem, in alia modo intentis omnia; in Loco remotiori à Jeruſalem, non minus quam apud & in Urbe iſta; non tantum Tempore proximè inſecuto poſt priora duo, ſed & plures poſt dies, quin & ſeptimanas forte ſeriori; ita etiam ut non minus per admirabilis Piſcationis benedictionem extraordinariam, quam per Conſpectum propiorem in luce matutina, quin & Convictum familiarem, ſe dignoſcendum cum fiducia daret, absque relicta incertitudinis ratione ulla, cujus non pudere deceret; præterea ut tanquam Dominus cum Petro ageret, rogando candide & amice, mandando ampliſſime, vaticinando veriſſime, & redarguendo prudentiſſime, ita ut Petrus in iſtis omnibus eum ut Dominum ſpectaverit, æque quam alii Diſcipuli iſta omnia juxta Petrum audientes ad ſuum quoque uſum. Et ſi Incredulitas nihilo minus occupavit multorum animos, nos decet non dubitare ſed credere paratiſſime, dum iſta decenter attendimus.

CA-

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

### *Quo Apparitio Chriſti Redivivi in Monte Galilææ tractatur.*

Apparitio Chriſti in Monte Galilææ ex Matthæo exhibetur.

Quàm vero fuit iſta Chriſti Apparitio Tertia apud Diſcipulos ſuos prope Mare Tiberiadis notabilis, non minorem ſed forte majorem tamen attentionem meretur Quarta quæ contigit eis in Monte Galilææ. Ad quam à præcedentibus illis tranſiiſſe Paulum non dubitamus 1 *Cor.* xv. 6. ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ, ἐξ ὧν οἱ πλείους μένουσιν ἕως ἄρτι, τινὲς δὲ καὶ ἐκοιμήθησαν. Dum in aliis partibus eam multò latius tradit *Matthæus Cap.* xxviii. *verſ.* 16–20. Ita ut exhibeat nobis I. *Perſonas*, de quibus agitur. II. Earumque 1. Tum *Factum Antecedens*, cum *Fato* inſecuto *verſ.* 16. 17. 2. Tum *Factum Conſequens verſ.* 17. cum *Fato* annexo; quod conſtituitur per *Verba Chriſti* ad illas, tum *Declarativa*, *verſ.* 18. tum *Præceptiva*, *verſ.* 19. tum *Promiſſiva*, *verſ.* 20. Quæ poſteriora utraque etiam paulo aliter & latius diducta reperimus apud *Marcum Cap.* xvi. 15 — 18. Dum prorſus præter rem heic mihi videtur ſcripſiſſe *Cl. Voſſius*; *In Apparitione ea quæ peculiariter à Chriſto dicta ſint, haut facile eſt ſtatuere, quia B. Matthæus comprehendit tum quæ Hieroſolymis dicta fuere antea, tum quæ partim in monte prolata, partim quæ locutus poſtea in Bethania &c.*

Quæ facta apud Diſcipulos Undecim, quia & plus quam Quingentos Fratres ſimul, ſec. Paulum.

II. Perſonæ apud *Matthæum* heic nominantur οἱ ἕνδεκα μαθηταὶ, *Diſcipuli Undecim*, ſeu Apoſtoli totidem de numero Duodenario poſt Judæ defectionem perditiſſimam ſuperſtites, *coll. Marc.* xvi. 14. *Luc.* xxiv. 9. 33. *Act.* i. 26. Præter quos neminem adfuiſſe alium, malè ex ſilentio *Matthæi* colligas; nec præſumatur facile, ubi de Jeſu in Monte Galilææ videndo ſermo communius invaluerat, atque deſiderium videndi coram Chriſtum Redivivum omnino in Diſcipulis quibusvis fuit maximum. Omnem vero dubitationem heic plane ſuſtulit *Paulus*, nominans *fratres*, Chriſti & ſuos, quales ſpiritualiter ſunt omnes vere Fideles Diſcipuli Chriſti, *coll. Matt.* xxviii. 10. *Joh.* xx. 17. *&c.* unde & ſorores, ſeu fœminas

minas pias ſub iis contineri ſecundum *Drutmarum* non male monuit *Voſſius*, & quidem *plus quam quingentos*, vel *ſupra quingentos*, pro admiſſa vel rejecta heic Ellipſi, ſive ἕως ἤ, ſive præpoſitionis alicujus. Ubi non placet nobis *Bezæ* noſtri annotatio; *Quid ſi vero ſcriptum erat* ἐπάνω τ ἀδελφοῖς; i. e. πεντήκοντα, *quinquaginta? Nam certe mirum eſt, Quingentos hic Fratres commemorari, quum poſtea coacto univerſo cætu in ipſa Urbe Hieroſolymorum, in qua una videtur tum fuiſſe ſpecies Eccleſiæ, numerentur duntaxat centum & viginti Act.* 1. 15. *Sed tamen in tanto Codicum & Veterum Interpretum conſenſu nihil cenſeo mutandum conjectura.* Ego illam objectionem puto leviſſimam; quando in Galilæa educatus & converſatus præ Jeruſalem, unde & Diſcipuli Undecim complures oriundi, illic indubie majorem quam alibi habuit numerum aſſeclarum, qui & multo liberius illic concurrere poterant; & quando extraordinariæ Apparitionis promiſſio ad illum Montem in Galilæa traxit plurimos, minus aut magis de Reſurrectione Domini convictos. Nec placere poteſt perinde, quod aliqui ab ævo illud ἐπάνω *ſupra* non retulerunt ad numerum ſequentem *quingentorum*, ſed ad verbum ὤφθη *viſus eſt*; ut ſignificetur, Chriſtum viſum eſſe, ſeu *ſuperne*, ubi ſe oſtenderet, ſeu *deſuper*, inde deſcendens & ſuperveniens, ſi non *ſurſum* tendens. *Chryſoſtomus*, inquit *Beza*, ἐπάνω *interpretatur* ἄνωθεν *i. cœlitas, ſive è ſublimi, quaſi iſta ſint ad Aſcenſionem referenda. Verum ſi hæc interpretatio admittatur, neceſſe fuerit dicere, vel Apoſtolum neglexiſſe hiſtoriæ ordinem, vel duplicem illam apparitionem, cujus fit mentio verſ.* 7. *poſt Aſcenſionem contigiſſe, ut & illam Pauli in ecſtaſi factam, ut ipſemet explicat* 2 *Cor.* XII. 2. *Quorum neutrum conceſſero, niſi quis idoneas rationes adferat.* Iſta quam ſunt conquiſita, tam planum eſt, ad Quingentos additum heic eſſe ἐπάνω, *ſupra*, ut notaretur numerum hunc fuiſſe ſatis & abunde plenum, nec conjecturaliter vel ſenſu indeterminato adhibitum, ſed certa ex numeratione. Dum noſtrum non eſt, in illius Numeri rationem ſpecialem, ſeu hiſtoricam, ſeu myſticam, ſeu moralem, conjectando excurrere. Deſcribuntur autem ſimul hi plusquam Quingenti Fratres, quos ſic ſatis notos fuiſſe ſi non omnes utique plurimos inſinuatur, ut aliqui quidem mortui, plurimi tamen etiamnum vivi, ἐξ ὧν

οἱ πλείους μένουσιν ἕως ἄρτι &c. Non niſi *quidam ex his*, qui hinc numero erant pauciores, *obdormiverant*, jam mortui in Domino, ſecundum præſtitutum Dei conſilium, morte naturali vel violenta, inſtar Stephani, & quidem mente tranquilla & plena ſpe reſuſcitationis beatæ, per fidem conſtantem in hunc qui ipſis apparuerat Redivivum Jeſum. Quam vim τοῦ κοιμηθῆναι, *obdormiendi*, nos heic putamus omnino tenendam, tanquam ſpectantem maximè ad Apoſtoli præſentem quoque ſcopum, *coll. verſ.* 18. 20. 51. 1 *Theſſ.* IV. 13–15. &c. Iſti vero ſi nunc ipſi rogari & audiri non poterant amplius, horum tamen loquebatur adhuc fides & ſpes, etiam ex ore reliquorum ſuperſtitum & propinquorum ſuorum. Dum minime hoc probandum videtur, quod notavit *Beza* ex *Chryſoſtomo Homil. II. in Symb.* de intelligendis heic etiam iis qui cum Chriſto reſuſcitati erant, *quam*, inquit ille, *ſententiam ſi ſequaris*, ἐκοιμήθησαν *vertendum fuerit*, *obdormierant*, *per præteritum plus quam perfectum.* Interim *plures* longe *ex his*, *huc uſque*, ſeu *uſque nunc*, dum Paulus iſta ſcriberet in Euangelicæ ſuæ prædicationis curſu, adhuc *manebant*, ſeu in vivis ſupererant, per Divinam bonitatem hos ſervantem ad gloriam ſuam & aliorum ædificationem; ut hinc rogari & audiri poſſent ipſi de iis quæ ipſis à Jeſu Redivivo obvenerant. Ne porro pro noſtro arbitrio heic plusquam Quingentos illos divideremus, quorum aliqui nunc & alii tunc, diverſis vicibus & locis modisque, Dominum vidiſſent, ſimul & ſemel hoc ipſis congregatis eveniſſe, ſignificat Apoſtolus per additum ἐφάπαξ, quod per *ſimul*, ἅμα, *Eraſmus* cum *Vulgato* reddidit, ſed *Beza* per *ſemel*, in eundem tamen ſenſum, quod nempe non ſæpius ſed ſemel tantum hoc ſit factum, & quod hoc una vice certa contigerit.

III. Sed unde jam ſciamus nos, ubi & quando hi plusquam Quinquenti Fratres convenerint, cum iſto fructu viſi Domini? Et quid id facit ad Geſta in Monte Galilææ, cujus nulla apud Paulum fit mentio, magis quam Undecim Diſcipulorum? Ita eſt; non legitur hoc expreſſe, vel in Euangelio, quod plusquam Quingenti Fratres una cum Undecim Diſcipulis illic adfuerint, vel in Pauli Epiſtola, quod res ab ipſo ſignificata contigerit in monte Galiliææ. Sed colligitur id ex

Quæ poſterior hiſtoria omnino illuc eſt à nobis referenda.

illis textibus, aliorumque collatione, non tam conjecturaliter quam demonſtrativè; uti de eo jam olim quoque diximus *Exerc. Miſc. Diſp. VII.* Nempe aut illud Pauli pertinet ad hanc quam *Matthæus* habet hiſtoriam, aut de illo in Euangeliis omnibus altiſſimum erit ſilentium; quod tamen minus veriſimile videri poteſt & debet, ubi hæc Apparitio in Monte Galilææ fuit omnium illuſtriſſima & maxima ad firmamentum Chriſtianæ fidei faciens, ſecundum teſtium notorum & probatorum numerum, & promiſſa de ea facta & repetita, & gloriam maximam quæ ad Adorationem cogebat & Subjectionem ſub Domini juſſa. Deinde nihil eſt certius, quam Montis hujus condictionem ita eſſe factam à Domino, cum mandato illuc eundi & promiſſo ſe illic manifeſtandi, ut non potuerit non confluxus Diſcipulorum illuc eſſe maximus cum eventu optatiſſimo, juxta *Matt.* XXVI. 32. μετὰ δὲ τὸ ἐγερθῆναί με προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν, & *Matt.* XXVIII. 7. καὶ ἰδοὺ προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν, ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε, ἰδοὺ εἶπον ὑμῖν, & *Matt.* XXVIII. 10. ἀπαγγείλατε τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἵνα ἀπέλθωσιν εἰς τὴν γαλιλαίαν, κἀκεῖ με ὄψονται. Quis porro poteſt & cogitari Locus, qui præ Monte Galilææ conveniat congregationi plusquam Quingentorum Fratrum? Quando illa fuit terra Iſraëliticæ pars præ aliis; ubi ob educationem & converſationem Jeſu & Apoſtolorum plurimus indubie erat numerus credentium & amantium Jeſum; atque ubi tutius ſine metu Judæorum incredulorum tanto numero ſimul convenire poterant etiam, procul à Synedrio & Judæorum Præfectis ſuperioribus ac præcipuis aliis. Neque illud eſt prætermittendum ullatenus, quod ſolennis illa & repetita Inauguratio Apoſtolorum, quæ in Monte Galilææ legitur facta, præ aliis geſtis exigat primum & monſtret deinde Multitudinem Credentium Diſcipulorum præſentem, qui ſe componant hinc promptius ad obſequium decens & Miniſtrorum Regiorum venerationem debitam. Vel maxime etiam plures longe quam Undecim, quales ſunt plusquam Quingenti Paulini, heic in Monte Galilææ præſentes arguit illud quod apud *Matthæum* legitur *verſ.* 17. οἱ δὲ ἐδίστασαν, *quidam vero dubitarunt*; quod nemini ex iſtis Undecim conveniebat modo, poſt tot & tam manifeſtas Apparitiones Chriſti, & convictionem Thomæ ipſius

sius priorem; sed quod de aliis ex multitudine Quingentorum sine ulla difficultate intelligitur. Post & per quæ argumenta facile concidit id, quod de nulla expressiori relatione verborum *Paulinorum* ad narrationem *Matthæi*, & nulla similiter aliorum quam Undecim mentione apud *Matthæum*, cæteroquin non sine specie quadam objicitur. Unde jam olim optime scripsit *Theophylactus*, de iis qui hanc Christi Apparitionem in Monte Galilææ viderunt; οἱ δὲ ἕνδεκα μαθηταὶ οἱ κορυφαῖοι σὺν τοῖς λοιποῖς πάντως ἅπασι τοῖς ἀκολουθοῦσι τῷ Χριστῷ. Quin & inter alios Recentiores heic conferri merentur illa *Grotii*; *Ipsi cum collecta Credentium manu ad Quingentos, ut ex Paulo discimus. Nam cur has* ἐπιφανείας *distinguamus, non video. Et ut dixi credibile est, ideo cæteras à Matthæo dissimulari, quia hæc erat omnium celeberrima.* Quando adhuc addit; *Si Ignatius ita scripsit ut vult Hieronymus & secutus eum Sophronius,* καὶ μετὰ τὴν ἀναάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν εἶδον, *credendum esset, Ignatium à parentibus aut eis quorum curæ tenera ipsius ætas erat mandata in hunc montem fuisse perductum, ut solemus ad res novas visendas pueros adducere, ut habeant quod olim Senes aliis oculata non aurita fide narrent. Sed profecto si quis locum Ignatii cum cura inspiciat, videbit rectam esse lectionem,* οἶδα, *neque de Visus sensu ibi agi, sed de Fide quam non suo sed aliorum testimonio confirmat. Adde, quod Ignatius Joanne rebus humanis exempto superfuit, nusquam enim Johannis meminit, ne in ea quidem quæ est ad Ephesios. At tanta fuit Johannis longævitas, ut vix credibile sit quemquam ei supervixisse, qui visum à se Jesum posset meminisse.* Valere utique jubemus aliorum, inter quos & *Pareus* noster, cogitata de Quingentis Fratribus Dominum videntibus à Monte Jerosolymitano Olivarum ascendentem in cœlum, quæ ex malo intellectu verborum ὤφθη ἐπάνω videntur fluxisse.

IV. Factum primum, quod Undecim Discipulis expresse tribuit *Matthæus*, & de plusquam Quingentis Fratribus in simultaneo Visu Jesu supponit Paulus, est, quod *in Galilæam*, qui ab hac parte terræ Israëliticæ absuerant in Judæa & Jerusalem, & quidem *in* illius tractus *Montem* sublimiorem, *quem eis constituerat Jesus*, seu & ante seu certo post resurrectionem ipsius, *profecti sint*, vel *iverint*, cum aliis qui in Galilæa jam

Locus rei gestæ in Galilæa fuit, & certo Monte quem Jesus illic determinaverat.

antea fuerant quoque. *Montem* ſcilicet generatim præ Valle aut Terra plana videtur elegiſſe Dominus ad ſuam hanc Apparitionem, & ut gloriæ ejus ſublimitas ſic conſtaret, & ut illuſtrior eſſet ejus Conſpectus, ſeu de terra ſeu in altiori terra illic ſe manifeſtantis, & ut ad Cœli conſcenſum etiam difficiliorem communiter impellerentur qui Chriſtum amant & quærunt. Quis vero fuerit ille Mons Galilææ terræ, non eſt additum, heic magis quam *Matt.* XVII. 1. dum Petrus illam Chriſti glorioſam transformationem refert ad τὸ ὄρος τὸ ἅγιον *Montem illum ſanctum* 2 *Pet.* 1. 19., ſic dictum, ſive ex antiquiori quadam præcellentia, ſive & ab iſto uno eventu Divino prorſus. Nec ſunt niſi traditiones incertæ Veterum, quæ heic feruntur utrobique de Monte *Thabor*, ſeu *Tabyrio*, ſeu *Itabyrio*, *veteris famæ auctoritate*, uti loquitur *Grotius*; dum hunc Tabor miris laudibus extolli videas apud *Adrichomium* & alios, quem *Hieronymus de Loc. Hebr.* ſimplicius dixit, *Montem in medio Galilææ, mira rotunditate ſublimem, diſtantem à Dio-Cæſarea decem millibus contra orientalem plagam, qui confinium quoque inter tribum Iſſachar & Nephtalim fuit.* Fuit utique hic Mons in Galilæa, cum vel præ aliis, notabilis & notus; quem cum dicitur *Jeſus illis conſtituiſſe*, non eſt hoc adeo intelligendum de ordinatione antiqua & ſolita, dum in his terris verſaretur Dominus, quaſi illic jam tum præ aliis locis ſolitus fuiſſet cum ſuis convenire; quam de deſignatione nova ad illuc poſt Reſurrectionem ſuam eundum & illic ipſum fruendum. Et qui ſic conſtituit Locum ſpecialem quorſum eant Diſcipuli, ne incerti per regionem totam vagentur; is indubie etiam Tempus ſimul magis vel minus ſtricte determinavit ſuæ Manifeſtationis illic futuræ, etiamſi hoc explicite in Euangelio non legatur, ne in hac parte minus certi varie diſtraherentur, & minus pleno numero adeſſent Chriſto apparenti, & interea alia neceſſaria negligerent plane; uti hinc condictio de Loco etiam condictionem de Tempore involvit, *coll. Act.* 1. 4. 5. *&c.* Ad hunc igitur Galilææ Montem, quem conſtituere erat, non ipſorum Diſcipulorum, ſed Domini benigniſſimi & fideliſſimi, & pro qua confictam Galilæam in parte Montis Oliveti ineptiſſime ſubſtituere neutiquam decet, *iverunt*, Diſcipuli intra tempus juſtum, oſtendentes ſic ſuam ſimul

mul Obedientiam & Fiduciam per Fidem certam in Dominum. Ex quibus variæ tranſlationes & applicationes Morales ac Myſticæ utiliſſimæ peti poſſunt. Quibus miſſis, addimus verba *Grotii*; *Multas ἐπιφανείας Chriſti, factas Petro, Apoſtolis ſine Thoma, & cum Thoma, præterit Matthæus, quippe una illuſtriſſima quæ plurimos teſtes habebat cum hoc ſcriberet & ſuperſtites, contentus. Obiter tamen & in tranſcurſu has ἐπιφανείας indicat, cum dicit à Chriſto nominatum ipſis Montem in quem convenirent, ipſi ſcil. & qui ejuſdem erant inſtituti. Nam cum nihil ante de eo Monte dixerit Chriſtus, datur intelligi, mandata ab ipſo data Apoſtolis, cum adhuc Hieroſolymis agerent, &c.*

V. Ita autem cum præſtaretur à Diſcipulis quod ipſis erat præceptum, fidem datam neutiquam fallit Jeſus, ſed & ipſe Præſentem & Vivum ſe ſiſtit glorioſe, dum *illum* dicuntur ἰδόντες, *videntes*, apud *Matthæum*, cum certa diſcretione ab aliis; pro quo Verbo Activo eſt apud *Paulum* phraſis Paſſiva, ὤφθη, *viſus eſt*, corporaliter, in gloria apparens, ſicuti ille eandem dictionem quatuor vicibus illic adhibuit eodem ſenſu, ut de Viſu ſpirituali ſolo illic cogitare neutiquam liceat. Ergo quod exſpectabant & deſiderabant, hoc obtinuerunt pleniſſime ad votum ſuum. Uti Deus communiter implet deſideria credentium; & his conſpectum neceſſarium Chriſti in gratia non ſolet negare tempore oportuno. Ubi ſe ſiſtentibus apparuit Dominus.

VI. Et ad hunc Eventum prioris Facti gratum, ſequitur *Factum* hoc Diſcipulorum Alterum *verſ.* 17. quod προσεκύνησαν αὐτῷ, *adoraverint eum*, aliis tamen *quibuſdam* etiamnum *dubitantibus*. Quid vero erat decentius, quam ut Diſcipuli alii quicunque Chriſti, æque quam illi Undecim, Chriſtum Redivivum videntes, & hinc agnoſcentes quoque verum Deum ac Dominum ſuum, coram eo agnito in hac ſua excellentia procumberent humillime, eumque tanquam Deum & Dominum ſuum amplecterentur corde toto præ manibus & brachiis, quibus id forte minus permiſſum fuerit agere, & profiterentur ore ſuo, ſe ei ſubjicientes, ad eum cum fiducia confugientes, etiam per preces fervidas, eumque à perfectionibus ſuis & operibus glorificantes; qui actus ad Adorationem Diſcipulis tributam omnino ſpectant. Quod officium æquiſſimum dum decenter præſtant Diſcipuli credentes & convicti, de aliis tamen Atque ipſi eum adorarunt, aliis adhuc dubitantibus.

men.

men adhuc fertur, οἱ δὲ ἐδίσασαν, *quidam autem dubitaverunt* apud *Vulgatum*, vel *tamen* apud *Bezam*. Quæ pars hujus narrationis difficilius capitur, ab iis potiſſimum qui heic de ſolis cogitant *Undecim* Diſcipulis. Hi enim poſt omnia alia quæ præceſſerant, & ad Fidem ipſos adduxerant, ipſum quoque Thomam, quo pacto adhuc potuerint *dubitare*, adeoque vel ab adoratione abſtinere, vel hanc minus pleno corde peragere? Quod fecit, ut poſt alia ſcriberet *Beza*; *Mihi ergo veroſimile eſt, ſalvo aliorum judicio, potius ſcripſiſſe Euangeliſtam*, οἱ δὲ ἐδίσασαν, *i. e. neque dubitarunt, ut intelligamus, tum demum Chriſtum fuiſſe ab omnibus illis Undecim omni dubitatione ſublata, ſummo conſenſu agnitum & adoratum, ac proinde vere ad Apoſtolicam recipiendam functionem comparatos.* Prout fatendum eſt, diſcrimen ſcriptionis eſſe parvum inter οἱ δὲ, & οἱδὲ, atque ſenſum illum fore minus difficilem, ſi apud Undecim illos etiam in poſteriori hoc ſermonis membro foret ſubſiſtendum. Qui autem hanc textus correctionem non admittendam eſſe putarunt, hoc ἐδίσασαν crediderunt poſſe exponi in plusquam Perfecto, cum relatione ad anteriora tempora priusquam Apparitio hæc in Monte Galilæo contingeret, q. d. quidam autem *dubitaverant*, ſcilicet antea, nunc autem non amplius, ſed *ſimul* cum aliis adorarunt. Dum alii adhuc malunt heic loqui *Matthæum* de *dubitatione*, non circa Chriſti Reſurrectionem ipſam, ſed Apparitionem hanc, an ea eſſet vera, æque quam Reſurrectio ipſa. Quod parum habet probabilitatis; ſiquidem credita Reſurrectione ipſa, nihil magnopere difficultatis ſupererat ad Credendam Apparitionis ejus veritatem, in illis præcipuè rei & loci circumſtantiis quæ heic obtinebant. Sed, dum omni modo illud eſt difficilius captu, quomodo etiam adhuc ad præſentem Domini conſpectum aliqui Diſcipuli ex illis Undecim potuerint dubitare, rectius nos animadverti putamus, quod in textu non ſit oppoſitio inter hos & illos ex Undecim, verum inter illos Undecim Omnes, qui agnoverunt & adorarunt Dominum, atque *hos* ex adverſo, ſeu *nonnullos* alios, qui ſimul aderant; οἱ δὲ poſito pro ἔνιοι δὲ, vel τινὲς δὲ, ubi non præceſſit, οἱ μὲν, *uſitatiſſimo Grammaticis præſertim loquendi genere*, uti notavit *Caſaubonus*. Nec poſſum hinc facere cum *Beza*; οἱ δὲ, *ſic iſtud reperi ſcriptum in omni-*

*omnibus noſtris Codicibus, & aſſentiuntur huic expoſitioni omnes quos vidi Interpretes. Itaque nihil hic immutatum eſſe volui, ut nec alibi uſpiam, ex nuda conjectura; nec tamen diſſimulo, ſuſpectam mihi eſſe hanc lectionem. Primum enim rarum eſt omnino iſtud* οἱ δὲ *in iſto ſignificatu. Deinde ad ſolos illos Undecim iſtam narrationem pertinere liquet ex iis quæ ſequuntur verſ.* 18–20. *Et omnino hæc eadem eſt illa hiſtoria, ſive tempus ſive locum ſive Chriſti verba quaſi diſcedentis ſpectes, atque illa quam poſtremam narrat Lucas* XXIV. 10. *&* Act. 1. 4. *Quinam autem veriſimile fuerit, illos, poſt quadraginta dierum tot apparitionibus & reprehenſionibus & familiari conſuetudine confirmatam ſui præſentiam veram, adhuc dubitare potuiſſe quin hic ipſe eſſet, qui hoc tempus & hunc locum ipſis condixiſſet. Quod enim nonnulli, ut his difficultatibus occurrant, aiunt, illos non de Magiſtri Reſurrectione adhuc dubitaſſe, ſed non omnes ſtatim illum advenientem agnoviſſe, certe nullius eſt momenti. Quod ſi adhuc eos comperiſſet Chriſtus priſtinam illam incredulitatem non penitus abjeciſſe, quis merito putarit, Chriſtum non gravius etiam multo quam antea illos reprehenſurum, nedum ut eo ipſo momento eos deſignaret Apoſtolos?* Nec ſimiliter ſequi poſſum cogitata *Grotii* alia; οἱ δὲ ἐδίςασαν, *indefinitum tempus, pro circumſtantia loci varias ſignificationes admittit. Quare non video, qui minus hæc vertere liceat, quidam vero addubitaverant, nempe ante id tempus; quod maxime ob Thomam dictum videri poteſt, qui cæteris jam credentibus dubitare perſeveraverat.* Quando optime addit; *Habet autem & hæc pars hiſtoriæ ſuum momentum, nam æque rem æſtimantibus omnem dubitationem de facti veritate adimet certa fides illis etiam facta qui ad credendum tam difficiles fuerant.* Habuit ergo ſe res heic olim, uti adhuc ſe habet etiam hodie; ut dum Diſcipuli veri Dominum ſuum Redivivum adorant devotiſſime, poſt convictionem plenam, alii etiam ſæpe ſub nomine Chriſtiano non tantum dubii ſed & increduli maneant de ejus Gloria; per ſtupendum maxime Dei in eos judicium, per quod ſibi relicti & Satanæ traditi excæcantur & indurantur fædiſſime ad finalem interitum ſuum.

VII. Ad Factum hoc Alterum Diſcipulorum, quod omni modo laudem merebatur, ſecutum eſt Fatum hoc eorum exoptatiſſimum, quod *Jeſus*, προσελθὼν, *accedens*, non alias & dein, Chriſto cum Acceſſu ad eos loquente etiam.

dein, ſed nunc, propius ad Diſcipulos, *illis locutus ſit*, noto etiam more ad illorum aures ſe declarans, & agnoſci conſtanter faciens, dum *diceret* illa quæ ad uſum eorum præſentem & futurum erant quam maxime neceſſaria, etiam nunc. Neque enim rationem video ullam, cur cum *Grotio* dicere debeamus; *Uno compendio Matthæum complecti præcipua capita ſermonum, quos Chriſtus cum Apoſtolis, non in monte tantum, ſed & Hieroſolymis antea & poſt in cœlum jam jam aſcenſurus Bethaniæ habuit.* Etiamſi enim ex aliis Euangeliſtis colligatur, Chriſtum alias etiam ſimilia ad Diſcipulos dixiſſe, hinc minime conſequitur, eadem nunc quoque non eſſe dicta, & quidem latius & clarius quam alias unquam.

Ante omnia per Declarationem Gloriæ ſibi datæ nunc.

VIII. Verborum Chriſti Pars Prima eſt *Declarativa* ſuæ Gloriæ *verſ.* 18. ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & ſuper terra*, apud *Vulgatum*, *auctoritas* apud *Bezam*, *&c.* Ubi, licet negare nolimus, quod ἐξουσία propter rerum connexionem quandoque ponatur pro δυνάμει, ſicuti & δύναμις viciſſim pro ἐξουσίᾳ, conſtat tamen, ἐξουσίαν, ab ἔξεσι dictam, per ſe non dicere *potentiam*, ſeu robur quo aliquid agamus cum effectu, ſed *poteſtatem*, ſeu jus agendi, & quidem Dominicum, ſeu Principale, non autem Miniſteriale nudum qualecunque, ad quod contextus totus nos heic quoque cogit. Quæ *poteſtas* longe maxima heic declaratur, tum per extenſionem ad *cœlum* & *terram*, tum per ſyncategoroma *omnis*. Scilicet *Cœlum & Terra* complectuntur heic Creaturas omnes, ſic ab initio diſtributive dictas *Gen.* 1. 1. *&c.* & quarum Deus Pater alias ſub hac phraſi *Dominus* etiam dicitur, tanquam omnium Creator Conſervator & Gubernator potentiſſimus *Matt.* XI. 25. *&c.* Nec opus eſſe putamus, ut heic Cœlum & Terra improprie magis intelligantur, ſive de Eccleſia Triumphante & Militante, ſive de Piis atque Impiis hominibus, ſive alio quocunque ſenſu improprio; quando tamen hoc Chriſti dictum quoad rem ſignificatam quoque foret veriſſimum. Poteſtas vero ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς reddi poteſt, vel *in cœlum & in terram*, ut illa cum omnibus contentis ſpectentur tanquam poteſtatis objectum, vel *in cœlo & in terra*, ut hæc ſint poteſtatis exercitæ in creaturas illic repertas loca omnia, vel denique *in*

*cœlo*,

*cælo*, ubi poteſtatis exercendæ eſt thronus, *& ſuper terram*, per & ſuper quam illa ex cœlo quaquaverſum protenditur. Quo pacto *Poteſtas* hæc protenſa etiam non eſt, vel limitata per ſuperiorem aliam, quoad perſonas aut res, licet quoad harum varietatem ſit varia & varie exerceatur admodum, vel etiam alteri alicui creaturæ ſimili ratione communis; ſed utroque modo illa *omnis* Chriſto adſcribitur. Et quidem tanquam *ipſi*, Perſonæ Himmanuelis, Θεανθρώπῳ, non autem huic aut illi Naturæ in abſtracto, *data*; non jam à creaturis aut hominibus ſe illi ſubjicientibus, quod tamen etiam lubenter vel involuntarie conſequitur, ſed à Deo Patre, cui poteſtas illa in omnia ut ipſi ſupremo Domino vere competit. Sed quo pacto *data* à Deo? An cum Divina Eſſentia ab æterno per *Generationem* Supernaturalem? Sed eam licet veriſſimam & certiſſimam heic vix putem ſpectari, dum verius ipſa ſupponitur in illa Perſona tanquam Filio. An in Decreto Munere Mediatorio, ab æterno quoque per *Deſtinationem* liberam Filii Geniti? vel conſequenter in Scriptis Legalibus & Propheticis, per *Prædictionem & Præfigurationem* certam ejus quod juſto tandem tempore futurum erat? Neque ad illa directe ſpectari putem; ubi Chriſtus loquitur de re magis nova, & nunc ad ejus Mortem ignominioſam conſecuta demum. Ergo tandem per *Collationem* veram; non quidem Actualem primam & proſus Novam, rei nullo modo antea poſſeſſæ, quod cum Θεανθρώπῳ Deitate æterna & Creatione ac Conſervatione antiqua, quin & Antecedenti Regno Chriſti in Eccleſiam, plane non conveniret; ſed magis *Declaratam* dictis & factis Dei publicis, & ſimul magis *Exercitam* per orbem documentis irrefragabilibus à Chriſto ipſo. Nec aliud vult conſequenter hæc Chriſti phraſis, quam ipſi Filio ut Mediatori datum eſſe palam, Paterna Declaratione & Cooperatione, Dominium omne Mundi totius verum, per quod ille eo & omnibus ad eum ſpectantibus uteretur in bonum Eccleſiæ ſuæ tanquam ſpeciale Regnum ſuum conſtituentis, non modo in cœlo ſed & per terram totam, *coll. Matt.* XI. 27. *Joh.* III. 35. *&c.* πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου *&c.* ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, *&c.* Confer & *Act.* II. 36. ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ, ὅτι

κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ θεὸς ἐποίησε, τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, *Eph.* 1. 20. &c. καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ, τὸ πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, &c. quam maxime autem illud Chriſti ipſius, *Apoc.* 1. 17. 18. ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, καὶ ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου &c. Quod ſi opponas forte, iſtam Poteſtatem Univerſalem Chriſto ſerius videri collatam demum poſtquam in cœlum aſcendiſſet glorioſe, reſponſio non eſt difficilis; id merito Chriſtum in Præterito vel Aoriſto dixiſſe, more apud Prophetas & Apoſtolos quoque imo omnes familiari, de eo quod & certo & proxime erat futurum non modo, ſed & jam cœptum erat fieri in ipſius Reſurrectione vere Divina, tanquam proximo gradu ad ipſius Poteſtatem ſupremam de qua heic ſermo eſt. Prout & verbum Mandati præſentis, quod heic proxime ſubjicitur *verſ.* 19. utique non erat exſequendum ante conſummatam in cœleſti Throno Domini noſtri gloriam.

Cujus perverſæ expoſitiones exhibentur.

IX. Iſtam autem ſic ritè expoſitam Declarationem Dominicam ſuæ majeſtatis maximæ, mirum eſt quorſum trahant alii. Aberrant utique, qui pugnantes pro verè imperceptibili dogmate *Communicationis Idiomatum* quorundam *Divinorum* factæ cum *Humana Natura* in Chriſto, his utuntur in illud verbis, per quæ dicitur *Potentiam Omnem* ipſi eſſe in tempore *datam*; non ſane ſecundum Deitatem, omnia habentem & nihil accipientem in tempore, ſed conſequenter ſecundum Humanitatem aſſumptam, quæ paſſivæ dationis ſeu acceptionis capax eſt ſola in ejus Perſona. Uti enim certum eſt diſcrimen ſenſus proprii inter *poteſtatem* & *potentiam*; ita poteſtas heic & non potentia eſt, ad quam nos ducit mentio Cœli & Terræ addita, & præterea ſubjectum immediate Mandatum ad Apoſtolos, ſibi tanquam Domino regnum per orbem erigendi ſeu amplificandi. Atque ubi de Se θεανθρώπῳ ſeu Perſona ſua loquitur Dominus, ibi nulla ad Humanitatem reſtrictio pro noſtro arbitrio eſt facienda, ſed illud ſive uni Naturæ totum

cum

cum excluſione alterius in abſtracto, ſive utrique Naturæ ſecundum id quod illi convenit tribuendum diſtincte. Atque uti Infinitæ Potentiæ minime eſt capax Natura Finita, ſed ſola Infinita in Domino noſtro; ita alia eſt aliquantulum ratio Poteſtatis in omnia finita, ut eſt cœlum & terra cum ſuis incolis omnibus, in cujus participationem quandam pro ſuo modulo venire poteſt Humanitas ad Unionem Perſonalem cum Deitate admiſſa, quæ Perſonæ ejus tribuit omnia Attributa vere Divina, in poteſtatis exercitio neceſſaria & actuoſa. Et licet nihil novi interni & antea non poſſeſſi admittat Divina Natura, recipit tamen hæc novam ſuæ plenitudinis proclamationem & agnitionem, quæ ſic recte ipſi *dari* dicitur, etiam à creaturis ipſis viliſſimis, *coll. Joſ.* VII. 19. *Jer.* XLIII. 16. *&c.* dum in Divinis Perſonis præterea eſt locus *Dationi*, tum Perſonali, tum Oeconomicæ. Sed, ſi iſtorum nequeat probari phraſis, longe magis damnanda heic eſt realis impietas *Socinianorum*; qui nullam in Chriſti Perſona Deitatem Veram, ſed ſolam Humanitatem agnoſcentes, illam etiam ab ipſo arcere conantur per *Dationem* ipſi in Exaltatione factam, tanquam quæ Æternam & Independentem Deitatem plane evertat. Quaſi non *daret* Pater Filio Eandem ſecum Vitam, aut per hanc datam Filius deſineret eſſe αὐτόθεος, *Deus à Se*, verus & ſummus. Imo quaſi *Datio* omnis eſſet neceſſario Intrinſeca Nova, & rei antea nullo modo poſſeſſæ; de quali & heic tum unice agi erat demonſtrandum. Quin tandem quaſi poteſtatis iſtius *Datio* poſſet cogitari, tanquam cum fructu ſeu effectu decenti facta illi qui non eſſet æquè Deus quam homo, & quidem à Deo gloriæ ſuæ Divinæ quam maxime æmulo nec eandem dante Alteri non Deo, *coll. Jeſ.* XLII. 8. *&c.* Neſcimus tandem, quomodo in mentem venire potuerit fervidioribus Papæ Romani paraſitis, ex hac glorioſa Chriſti Declaratione de Se Uno Poteſtatem illam omnem in cœlo & in terra nacto, aſſerere Poteſtatem Pontificis ſui tam Temporalem quam Spiritualem ſummam. De qua re dabimus verba ipſius *Bellarmini Lib. V. de Rom. Pont. Cap.* 5. poſtquam ipſe prolixius diſputaverat, *Papam non habere ullam merè Temporalem Juriſdictionem directe jure divino. Sed occurrunt quidam atque objiciunt primo verba Domini Matt.* XXVIII. 18.

*&c. Hinc enim colligi videtur, Chriſtum habuiſſe ſpirituale & terrenum regnum. Utriusque autem Regni claves Petro attribuit, ut Nicolaus ait in Epiſt. ad Mediol. & habetur in Decreto Diſt.* XXII. *Can. Oves; Chriſtus, inquit, B. Petro, vitæ æternæ clavigero, terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura commiſit.* Ad quæ ipſe tum *reſpondet; Poteſtatem, de qua hic loquitur Dominus, non eſſe poteſtatem temporalem ut Regum terrenorum, ſed vel tantum ſpiritualem &c. vel ſummam in omnes creaturas, non temporalem, ſed Divinam vel Divinæ ſimillimam, quæ non poteſt communicari homini mortali.* Et teſtimonio *Nicolai* tribuit hunc ſenſum; *Chriſtus Petro conceſſit, ut quod ille ſolveret aut ligaret in terris, eſſet ſolutum aut ligatum & in cœlis.* Quemadmodum & redarguit iſtius Poteſtatis Pontificiæ probationem ab aliis petitam *ex Gladiis Duobus* Chriſto oblatis à Diſcipulis *Luc.* XXII. 38. quod certè eſt nimis ludicrum.

**Et ſimul breviter refumuntur.**

X. Sed in iſta non eſt opus ut heic latius digrediamur, dum in prima illa dudum prolixe excurrit *Beza* inter alios; *Hæc duo*, poteſtatem & potentiam, *inter ſe differre manifeſte liquet, quod multi non poſſint præſtare quæ tamen ipſis licent, & contra multi præſtare poſſint quæ ipſis non licent. Δύναμις igitur ipſam facultatem & habitum ad aliquid agendum declarat in ſeſe & per ſe conſideratum, ἐξουσία vero jus illius facultatis exercendæ declarat. Neque vero diſcrimen illud urgerem, de quo ſupra etiam dixi VII. 29. &c.* XXI. 23. *niſi Eutychianos noſtro ſeculo renatos viderem hoc vocabulum arripere, ut duas Omnipotentias in unica Chriſti perſona & quidem Infinitas ſtatuant; unam Eſſentialem, ac uni Deitati propriam, & in Patre quidem abſolute, in Filio vero & Spiritu S. relate conſideratam; alteram vero, quæ ſit qualitas in illam aſſumptam humanam naturam per hypoſtaticam unitionem effuſa. Quod commentum & falſiſſimum & abſurdiſſimum, quum & perpetuæ Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu, re ipſa ſic poſcente, & irrefragabilibus Synodis, & Doctiſſimorum etiam ætatis noſtræ Theologorum ſcriptis refutatum, plaribus nunc non attingo. Tantum dico, hic de eſſentiali & infinita illa uni Deitati propria Omnipotentia, à qua ſolus Deus dicitur παντοδύναμος, non agi; quod tamen etiamſi Ubiquitariis illis monſtris concederem, minime tamen hinc illa quam imaginantur Chriſti Corporis παντεχουσία colligi recte poſſet &c. Agitur autem hic de*

*de eo, quod Chriſtus ipſe Judicii nomine ſibi à Patre, quatenus etiam homo eſt, conceſſi appellat Joh. v. 27. Jus illud videl. omnia tum ſuperne regendi, ſubalterno in ipſos etiam Angelos imperio, tum ſub cœlis Satanam & omnes illi adhærentes debellandi, & Eccleſiæ ſuæ tuendæ, univerſæ denique ſemel ſtabiliendæ rerum omnium ἀποκαταστάσεως Act. III. 21. ut tandem omnibus ſub Chriſto etiam quatenus homo eſt ſubjectis, eo uno excepto qui ei ſubjecit omnia, ſit medius inter Patrem & res omnes Dominator. Hoc enim illi promiſit Pater Pſal. II. 6. CX. 1. Eſa. LIII. 3. & paſſim apud Prophetas; breviſſime vero ſimul & pleniſſime ab Apoſtolo exponitur Phil. II. 9. & 10. Datam autem ſibi illam autoritatem dicit Chriſtus proprie Humanitatis ſuæ reſpectu, idque cum omnibus animalis vitæ infirmitatibus ſemel depoſitis mox in cœlum eſſet aſcenſurus, & inde ad ultimum uſque diem quo demum Deus erit omnia in omnibus imperium illud ſuum adminiſtraturus, quod per Seſſionem ad Dextram Patris ſignificatur. Sed & data Chriſto hæc ἐξουσία dici poteſt ipſius quoque Deitatis reſpectu, non tamen ἁπλῶς, nec illius in ſeſe habita ratione, ſed quatenus ſemet ipſum dicitur in forma ſervi hypoſtatice aſſumpta exinaniviſſe Phil. II. 7. quo tempore cum adeo ipſius Deitas ſuam illam αὐτοκρατορικὴν ἐξουσίαν plene non exſeruerit, ut è contrario in illa ſuæ Humanitatis ad inferos uſque depreſſione videri quodammodo poſſit illam quod ad uſum illius attinet ad tempus abjeciſſe, quam demum nunc merito dicat ſe recepiſſe, ita ut hæc ἐξουσία opponatur etiam ipſius Deitatis illi ad tempus συγκαταβάσει, ut ſcite loquuntur Patres. Quorſum autem iſtud, ad commentitiæ illius fidei ſpeique noſtræ fulcrum, Carnis vid. Chriſti & ipſius pro nobis perpeſſionum veritatem, abolens πανταχοῦ commentum?* Dum ad Eccleſiam magis quam ad Mundum totum ſpectans *Hammondus* hac uſus eſt *Paraphraſi; Summa auctoritas in adminiſtrandis omnibus quæ ad Eccleſiam pertinent mihi à Patre data eſt.* Quorſum & tendit *Grotius*; ἐξουσία שלטן *Dan.* VII. 14. *Habuerat & ante vitam mortalem agens ἐξουσίαν, ut ſupra* VII. 21. IX. 6. *Marc.* I. 27. *quam ipſam Regnum etiam laxius appellari notavimus ſupra in verbis Chriſti ad Pilatum. At morte acquiſivit Regnum infinitum, πᾶσαν ἐξουσίαν, ut Paulus dicit, Phil.* II. 8. *In hac Tertia Dignitate Matthæus recte Librum ſinit, cum ut annotavimus primum de Prophetico, deinde*

de

*de Sacerdotali ejus Officio egiſſet*; ἐν ἀρχῇ, *in hac cœleſti poteſtate comprehenſa eſt* ἡ ἐπαγγελία τ̃ πνεύματ̃ος, *quam Chriſtus à Patre accepiſſe dicitur Act.* 11. 33. *& Imperium in Angelos Phil.* 11. 10. *Hebr.* 1. 4. *Eph.* 1. 10. *Col.* 1. 16. Καὶ ἐπὶ γῆς, *jus congregandi populum ex omnibus terræ finibus, ut clare prædixerant David, Eſaïas, Daniel. In hoc Jure comprehenſa eſt Remiſſio peccaterum. Marcus hic* XVI. 16. ὁ πιστεύσας κ̀ βαπτισθεὶς σωθήσεται, *quod Joël prædixerat, quisquis invocabit nomen Domini ſalvus erit. Deinde Libertas à Lege per Moſem data, quam Chriſtus hic rectè innuit. Nam ut alienigenæ adſciſcerentur in populum Dei ſubeundo jugum Moſis, nihil erat novi; at Chriſtus oſtendit, ab his quos in populum ſuum adſciſci cupit nihil requiri aliud quam obſervationem eorum quæ ipſe præcepit verſ.* 20. *Unde & profeſſionis notam ponit, non Circumciſionem, ſed Baptiſmum. Sed quia hoc minus intelligere poterant Apoſtoli aſſueti iſtis ritibus, ideo quod hic dictum erat involutius, Spiritus magiſterio poſtea apertiſſime revelatum eſt.* Quæ poſtrema faciunt ad nexum cum ſequentibus, nec forte præter rem ſunt dicta, dum Domino magno Orbis & Eccleſiæ hoc quam maxime conveniebat, ut advocatis ad ſe promiſcue gentibus, Novum pro Veteri daret Sacramentum, veteremque aboleret Legem quæ gentes olim diſcriminaverat & diviſerat.

Mandatum Undecim Apoſtolis de Gentibus omnibus, promiſcuè datum.

XI. Poſt illam primam Partem Verborum Chriſti, qualia apud *Marcum* nulla occurrunt, eſt heic apud *Syrum* intruſum, *& ſicut me miſit Pater meus etiam ego mitto vos*, ex *Joh.* XX. 21. *Quod*, inquit *Beza, mire congruit ſequenti Verſiculo.* Illic nempe *verſ.* 19. 20. ſequitur Verbum Chriſti Præceptivum, quod etiam absque iſtis interpoſitis ſatis apte cohæret cum Poteſtate Chriſto data quæ proxime memorata fuit; Πορευθέντες ἐν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτὰς εἰς τὸ ὄνομα τ̃ πατρὸς κ̀ τ̃ υἱ κ̀ τ̃ ἁγίου πνεύματ̃ος, διδάσκοντες αὐτὰς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. Atque iſta quidem neutiquam dubitari poteſt, quin licet plusquam Quingenti eſſent præſentes & audientes, dirigantur tamen ad quoſdam inter eos, qui forent aliorum Doctores; prout non niſi *Undecim Diſcipulorum* mentionem ullam fecit *Matthæus*, & Jeſus *accedens* propius, αὐτοῖς, *illis* Undecim *locutus eſſe* & *dixiſſe* ab ipſo fertur. Illa autem verba quæ directe & principaliter ad Apoſtolos,

ſtolos, ſed & per analogiam vel conſequentiam ad alios Doctores & Paſtores ſpectant, continent unum *Mandatum* bimembre *generalius*, πορευθέντες μαθητεύσατε &c. alterum *ſpecialius* perinde duplex, βαπτίζοντες &c. διδάσκοντες &c. In quæ omnia tanto minus excurremus, quod varia ad eorum declarationem ſpectantia tradiderimus ad illum textum *EXERC. TEXT. XXXI. Parte VI.* Objectum omne mandati conſtituunt *Gentes*, & quidem *omnes*, ad quas *eundum*, ut *fiant Diſcipuli*. Cum ſecundum Oeconomiam Veterem Divinæ Gratiæ Verbum eſſet reſtrictum ad Abrahami ex Jacobo ſemen, miſſis aliis Gentibus quibusvis, *Pſal.* CXLIX. 19. 20. *Act.* XIV. 16. XVII. 30. &c. etiam antea dictum fuerat Apoſtolis *Matt.* X. 5. 6. *in viam Gentium ne abeatis, & in urbem Samaritarum ne intretis, ſed ite magis ad oves perditas domus Iſraël*, ſicut & Chriſtus ipſe profitebatur *ſe non miſſum niſi ad has Matt.* XV. 24. Sed nunc in poſterum erat illa ſingularis gratia Iſraëliticæ gentis ceſſatura paulatim, ita ut non amplius obtineret Gentium aliarum excluſio, quin potiùs ad longum tempus earum loco excluderetur Judæorum natio indurata. Sive jam placuerit heic in *Gentibus* intelligere alios orbis Populos à Judæis alienos, de quibus tum dicendum quod hi non excludant heic plane Judæos ſed præ iis tantum nominentur, quod etiam eſſent ad Chriſtianiſmum adducendi, & quidem magis quam Iſraëlitæ propter horum plurimorum incredulam averſionem. Sive potius *Gentes* ſint Populi omnes alii una cum Iſraëlitis, tanquam horum primo & præcipuo plusquam una ratione. Nec male prorſus hinc *Hammondus* ſcripſiſſe videtur; *Arctiorem quandoque eſſe ſignificationem vocis* ἔθνη *diximus ad Matt.* XXIV. 7. *Signantur nempe tribus & familiæ Judæorum, oppidaque ac regiones Palæſtinæ. Et licet ita hic non intelligatur, ut alias orbis terrarum gentes excludat, ſic nec ita ſumitur pro gentibus orbis ethnici, ut excludat Judæos, ſicut in aliis locis ſæpe. Primo varias partes Judææ, & Judæos quocunque tandem diſperſi fuiſſent, ſecundo Ethnicos cum Judæis miſtos, denique univerſum orbem Ethnicum, ſignificat, ad quem Apoſtoli, poſtquam Judæi rejecerunt Euangelium, ſeſe contulerunt. Hunc eſſe loci hujus ſenſum, duobus argumentis probatum dabo. Primum eſt, quia in aliis locis ubi Chriſtus jubet Apoſtolos Euangelium prædicare &*

*facere discipulos, jubet eos ire ad Judæos, non ad omnes gentes &c. Secundum argumentum, quo constare potest vocem ἔθνη primario Judæos respicere, petitur ex Paulo Gal.* II. *unde discimus, Petro præsertim commissum fuisse Euangelium Circumcisionis, h. e. curam nunciandi Judæis Euangelii, quam etiam in se susceperunt Jacobus & Joannes vers.* 9. *Tantum abest, ut Petrus hoc tempore, h. e. paulo post Ascensionem Christi crederet se ex ejus præcepto teneri ad prædicandum gentibus Euangelium, ut in negotio Cornelii de quo Act.* X. *sibi putaret illicitum vel unum ad Christianismum vocare, & ita mandatum Christi exprimat, παρήγγειλεν ὑμῖν κηρύξαι τῷ λαῷ, h. e. populo Judæorum &c.* Quorum tamen posteriora minus apte cum prioribus cohærere videntur; quatenus illuc tendunt, ut Gentes heic directe intelligamus de Judæis variarum tribuum, & forte terrarum, ad quos apte illud nomen referri posse etiam 1 *Tim.* III. 16. nos alias notavimus *EXERC. TEXT. XLIV. Parte VI.* Utique si heic, ubi Ministerium Ecclesiæ Novi Test. manifeste & plene ordinatur, in Gentibus omnibus non spectetur directe ad Populorum varietatem, nescio ubi id fiat aut reperiatur. Nec obstat quidquam; vel quod antea jussi fuerint Apostoli ire ad Judæos, cum res in eo capite nunc plurimum mutaretur à Domino ipso; vel quod Judæis primo prædicandum & prædicatum fuerit etiam deinde, siquidem Judæi ab omnibus Populis non excluduntur, nec dicit hoc Christus quod ante alias gentes Judæi non sint præmittendi ab Apostolis; vel quod Apostoli ipsi hæc verba non intellexerint nisi de Judæis ante insecutas revelationes alias cœlestes, siquidem intellectus eorundem primus & minus sufficiens heic haberi non debet pro plena regula sensus Dominici. Dum adversus istas & similes objectiones omnes valere debet *Marcus*, quando is heic loquitur *Cap.* XVI. 15. de *itione in Universum Mundum*, & *Euangelii prædicatione* apud *Creaturam omnem.* Notari autem debere puto, quod *Gentes* nominans Christus, spectaverit quidem *Homines* singulares, qui essent de Gentibus illis; attamen significaverit simul Hominum illorum *Multitudinem*, quæ Gentes illas constitueret, non quidem omnem absolute sed magnam vere; & sine discrimine etiam Virorum & Mulierum, Seniorum & Juniorum, Liberorum & Servorum,

Magno-

Magnorum & Parvorum, prout hi ſimul in Gentibus concurrere ſolent, ita ut plures ſemper ſubſint quam præſint, prout & viliores præ aliis Chriſtus ad ſe pertraxit ſemper. In quam rem etiam contulimus alias Expulſionem Gentium Cananæarum ab Iſraëlitis faciendam & factam ſimili modo. Jam porro cum heic Gentes nominantur, non tam *totæ* dicto antea modo, quam *omnes*, hoc dicit; primo quidem Diſcrimen Populorum vetus tollendum mox ad Dei in Chriſto gloriam; ſed & deinde magnum quaquaverſum Populorum Numerum, qui quaſi omnes conſtituat; quin tandem non inepte Univerſalitatem ipſam, ſed per ſucceſſivam Conſecutionem temporum Novi Teſt. quorum & finis ea in re foret glorioſiſſimus, cum Gentium plenitudo intrabit & totus Iſraël ſalvabitur. Quæ eſt vera latitudo Miniſterii Euangelici, heic à Domino conſtituta, & per eventum omnem firmata, magisque adhuc firmanda.

XII. Quod apud Gentes omnes iſtas Apoſtolis & Cooperariis, etiam poſt eos & ad eorum exemplum, erat agendum, exprimitur per πορευθέντες ὖν, vel νῦν, μαθητεύσατε. Prius illud Verbum Participiale, *profecti*, vel *euntes*, ita videtur eſſe Excitantis ad opus ſequens; ut ſimul monſtret, illos à Jeruſalem & à Terra Iſraëlitica debere ſe aliorſum alacriter per orbem diffundere, *coll. Jeſ.* II. 3. *&c.* nec parcere laboribus & moleſtiis eam in rem neceſſario ſubeundis. Dum de ſola *Itione* per pedes heic cogitandum aliquos ludicre voluiſſe notavit *Schmidius*. Sed alterum verbum in Imperativo Aoriſto propoſitum, quod opus principale deſignat, à nonnullis capitur minus & ab aliis magis emphatice ſecundum formam ſuam. Illi reddunt cum *Vulgato* per *docete*, quaſi eſſet plane idem cum διδάσκειτε *verſ.* 20. prout & hoc certiſſime debebat fieri, & hinc *Marcus* loquitur de *Prædicatione Euangelii*. Interim illud verbum μαθητεύειν, quod intranſitive uſurpatur de Joſepho *Matt* XXVII. 57. ὃς ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησῦ, tranſitivum optime ſenſum accipit, *diſcipulos faciendi*, ſeu *diſcipulandi* uti dixit *Beza*, quo modo & Chriſtus loquitur *Matt.* XIII. 52. de Scriba μαθητευθέντι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, & Apoſtoli dicuntur μαθητεύσαντες ἱκανοὺς *Act.* XIV. 21. *coll.* IV. 2. Et dubitari vix poteſt, quin, dum Diſcipulos ſibi colligebant, tam

Ad quas eundum erat, ut in Diſciplinam Chriſti colligerentur.

Gentilium Sapientes, quam Judæorum Magiſtri, de quibus & quorum numero mire gloriabantur paſſim, id heic à Diſcipulis quoque ſuis exigat Dominus, ut ad Diſciplinam ſuam pertraherent modo ipſis præſcripto omnes Gentes promiſcuè, atque ſic Regnum ſuum per orbem protenderent. Quam verbi hujus vim urſit cum aliis *Beza*, poſt alia habens; *Inde factum, ut initio credentes omnes ſint* μαθηταὶ *appellati i. e. Diſcipuli, non certe hujus vel illius Apoſtoli, quod in Corinthiis acerrime reprehendit Paulus, ſed unius Chriſti, à quo propterea expreſſiore cognomento ſunt appellati Chriſtiani. At è contrario Hæretici & Monachorum Ordines à ſuarum ſectarum auctoribus recte denominantur, auſis noſtra primum memoria cæterorum impudentiam ſuperare, qui pro Ignatianis Jeſuitas fœdiſſime conſpurcato ſic tam venerando nomine ſeſe nuncuparunt.* Sed & eandem magis inculcarunt Noſtri complures ex occaſione diſputationis Anti-Anabaptiſticæ de Pædobaptiſmo. Uti & hoc egit *Doct. Ligtfoatus*; Μαθητεύσατε, *i. e. Diſcipulos facite, introducite per Baptiſmum, ut doceantur. Errant longe, qui ex his verbis Pædobaptiſmum deprimunt, & neceſſario docendos eos qui baptizandi ſunt aſſerunt antequam baptizentur.* 1. *Vide quid hic textus,* μαθητεύσατε *& dein* διδάσκοντες *verſ.* 20. 2. *Inter Judæos, itemque inter nos, omnesque gentes, diſcipuli facti ſunt ii, non jam qui ſunt docti, ſed ideo diſcipuli facti ut doceantur. Balyl. Schabb. Accedit quidam Ethnicus ad Hillelem magnum, dicitque, proſelytum me fac ut me doceas. Proſelytandus eſt primo, (detur venia verbo,) & deinde docendus. Sic* μαθητεύσατε *primum per Baptiſmum, & deinde* διδάσκετε αὐτὺς τηρεῖν *&c.* Sed vix auſim ego eum in modum urgere id argumentum generaliter, cum heic non agatur de Infantibus ſolis, qui Diſcipuli fieri non poſſunt niſi ut doceantur, ſed quam maxime de Adultis, qui docendi ſane prius ut ipſi cum parvulis ſuis in diſciplinam ulteriorem Jeſu tranſire queant; neque enim parentibus infidelibus eripiendi ſunt parvuli eorum, & ſic à nobis baptizandi. Ergo dicamus id quod res eſt, eſſe Gentes omnes in Diſcipulos Jeſu colligendas, ſingulos nempe eorum modo ſuæ ætati conveniente, ut ſic conjungantur Baptiſmus & Inſtitutio, ſive hoc ſive illo ordine, pro ætatis diſcrimine. Quemadmodum ſi dixiſſet Chriſtus, in Servitutem meam adducite Gentes omnes; quod

ali-

aliter de Infantibus & aliter de Adultioribus capere oporteret neceſſariò.

XIII. Mandati Specialioris, ſpectantis ad generalis juſſus Exſecutionem, prius membrum eſt in iſtis; *Baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Quod heic poſt ἔθνη Neutrum Nomen ſequatur αὐτοὺς *illos* Pronomen Maſculinum, id fluxit vel ex relatione ad ſingulos de Gentibus, vel ex ſenſu perſonali præ conſtructione grammatica ſpectato, nec infrequens eſt etiam alias, ubi quoque de Divino Spiritu agitur. Res mandata eſt illorum *Baptiſmus*, ſeu Ablutio in Aqua pura à corporis ſordibus, ſive ea Immerſione ſive & Infuſione vel Aſperſione contingeret; non jam qualiſcunque, vel Moſaica, vel Phariſaica, vel Idololatrica Gentilium, quorum *Aquas Viduas* in oppoſitione ad maritas & fœcundatas Chriſtianorum dixit *Tertullianus Cap.* v. *de Bapt.* vel Civilis, ſed Chriſtiana, ad exemplum Baptiſmi Veteris Proſelytorum apud Judæos recepti jam tum & forte ab antiquiſſimo tempore, adeoque vere Religioſa, uti *Nomen* additum id invicte arguit. Eſt enim nimis vanum, quod *Sociniani* heic quandoque cum *Oſtorodo*, *Smalcio*, *Volkelio* &c. pro Baptiſmo tali proprie dicto vellent ſubſtituere improprie ſeu metaphorice ſic dictum, h. e. Inſtitutionem in Doctrina Chriſtiana, dum heic nulla *Aquæ* adhibendæ facta ſit mentio; quæ in re palam conſtante & per ſe non opus erat ut expreſſe accederet. Longe enim aliter rem intellexerunt Apoſtoli, cum Domini ſui aſſenſu, quando in Aqua ſic Baptiſmum vi hujus mandati adminiſtrarunt conſtanter; nec exempla dant Adverſarii valida ex *Act.* XIX. 3. 1 *Cor.* X. 2. *&c.* ex quibus liqueat baptizari eſſe doceri ſine Ablutione corporea, qualia tamen alibi forte reperienda id non efficerent ut in hoc textu & contextu idem ſenſus obtineret. Eſtque vere inſipientia humana adverſus Dominum ipſum, ſeſe Baptiſmo Externo in Aqua velle opponere, quaſi minus convenienti cum Oeconomia Nova Spirituali, quæ hinc ritum talem corporeum arceret; dum per dicta & facta Chriſti & Apoſtolorum ejus conſtantiſſima contrarium heic verum eſſe deprehenditur, adeo ut tam ſit Chriſtianorum omnium *Unum Baptiſma* tale, quo obſignentur & obligentur æque quam diſcernantur, quam Unus Dominus & Una Fides. Inprimis

Tum per Baptiſmi m. etiam ad parvulos extendendum.

mis ubi iſte Ablutionis ritus non eſt difficilis & oneroſus, inſtar Circumciſionis Veteris, ſed longe facillimus, atque ſic cultui & libertati ſpirituali ſatis conveniens. Ergo uti in Judaismum initiati olim fuerant per Circumciſionem, & qui ex aliis Gentibus accedebant etiam per Ablutionem Proſelyticam, ſecundum Moſaicarum legum analogiam; ita & voluit Chriſtus, ut ex Gentiliſmo & Judaiſmo ad Chriſtianiſmum tranſeuntes, quin & ex Chriſtianis aliis nati, in numerum Diſcipulorum ſuorum aſſumerentur per Baptiſmum, tanquam Signum aliquod & Symbolum populi ſui diſtinctivum, quo de Divina Gratia ita obſignarentur, ut etiam ad Officia ſua ſimul obligarentur validiſſime. Atque heic jam obſervari debet, quod nulla Ætatis diſcriminatio fiat plane, per quam Parvuli parentum Chriſtianorum, ſive antea ſive poſtea illis nati, excludantur ab hoc Sacramento, cujus omnino ſunt capaces juxta Adultos, tam ſigni quam rei Signatæ reſpectu. Et ſtringit hoc pro Pædobaptiſmi Inſtitutione Dominica argumentum tanto magis, quanto certius videtur ad Baptiſma Proſelytorum omnino etiam Parvulos fuiſſe admiſſos; ut Chriſtus nolens Pædobaptiſmum interdicturus eundem fuiſſe videatur, potius quam ut eum Diſcipulorum ſuorum arbitrio relinqueret obſervandum vel negligendum. Sed de his vide latius dicta à nobis *EXERC. TEXT. XXXI. Parte VI.* Confer, quæ heic late habet *Doct. Ligtfootus* poſt monſtratos Baptiſmi Fines varios; *Et jam ex prædictis arguamus paucis pro Pædobaptiſmo &c. Hæc pauca obſerventur* 1. *Baptiſmus ut Sacramentum eſt ſigillum Fœderis. Et quare quæſo non imprimatur hoc Sigillum in Infantes? Sigillum veritatis Divinæ impreſſum aliquando fuit, idque ex inſtituto Divino, in res inanimatas &c. Erant enim Circumciſionis capaces, & non deeſt Infantibus noſtris æqualis capacitas &c.* 2. *Baptiſmus ut Sacramentum eſt Obligatio. Jam vero Obligationis capaces ſunt Infantes &c.* 3. *Capax privilegii eſt Infantulus æque ac Senex, & Baptiſmus eſt privilegialis &c.* 4. *Addere liceat Infantulum eſſe partem parentis, &c.* Uti & conferri prorſus merentur, quæ heic latius ſcripta ſunt à *Grotio*; *Populo congregando ex omnibus gentibus competebat Profeſſionis Nota, quæ perſpicuam apud omnes haberet ſignificationem. Supra oſtendimus, apud Judæos moris fuiſſe, ut baptizarentur*

qui

*qui se à falsorum Deorum cultu ad cultum unius Dei convertebant. Sed apud Gentes etiam profanas usurpatum antiquitus fuit, ut qui initiari vellent prius toto corpore abluerentur, haud dubie eo ipso testantes propositum innocentiæ. Nam ejus propositi Sponsionem ab iis Mystagogi exigebant, ut Libanius docet & Lampridius. Justinus in Apolog. Clemens Strom.* VI. *&c. Idem alibi imaginem quandam Baptismi apud Homerum observat. Rursus alibi &c. Tertullianus de Bapt. &c. Adjicit mox &c. Et de Præscr. Augustinus de Bapt. c. Donat. &c. Nec aliunde Athenis Baptarum nomen, Eupolidis comœdia celebratum. Scholiastes ad* I. *Epist. Horatii; Ter pure, ut ter mergunt qui se expiant. Lustrici quoque Infantium Dies, quorum meminit Festus, similem habuisse videntur significationem &c.* Quæ tamen omnia haud æque ad rem faciunt nostram præsentem.

XIV. Ablutionis autem hujus Christianæ & Religiosæ, sive jam per unum sive per plures actus instituendæ, non equidem quotidie sed semel tantum, significatio est plenior, quando illa dicitur facienda *in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Ubi si usquam est clarissima expositio magni illius Mysterii Trinitatis. Memorantur namque heic Tres, *Pater* tanquam ordine primus, *& Filius* tanquam secundus, *& Spiritus Sanctus*, tanquam tertius; qui sic omnino dicuntur, cum relatione non ad creaturas ullas, sed ad se invicem, estque adeo à nemine genitus Pater Filii à se geniti, & Filius se generantis Patris, & Spiritus Sanctus utriusque à quo per Spirationis modum arcanum ille ab æterno procedit. Quæ nomina perinde juncta leguntur, nisi quod pro illo Filii substituatur *Verbum* 1 *Joh.* V. 7. *Tres sunt Testantes in cœlo, Pater & Verbum & Sanctus Spiritus, coll. Joh.* XIV. 16. 17. 2 *Cor.* XIII. 13. *Apoc.* 1. 4. 5. *&c.* Sed quorum est iste Ternarius numerus? An Creatoris & Creaturarum Duarum? Sic conjunctio esset omnino minus apta; nec unum verè foret *Nomen* trium, uti heic occurrit per illud εἰς τὸ ὄνομα, sine repetitione non modo Nominis illius, sed & Articuli in Accusativo, τὸ τοῦ υἱοῦ, καὶ τὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος. An Nominum paucorum, & forte Attributorum Divinorum? Sed neque hoc admittendum, quando & Nomina & Attributa sunt longe plura quam tria, neque ab illis rectè possunt aliqui Tres dici. An Divinarum ergo

Qui quo sensu fieri jubeatur in Nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, monstratur.

Essen-

Eſſentiarum, æqualium quidem, ſed tamen vere & realiter inter ſe diſtinctarum numerice ſeu individualiter, admiſſa Unitate tantum Specifica & mutui Conſenſus? Atqui ſic Judaiſmus & Chriſtianiſmus cum ſuo Monotheiſmo exponitur palam ludibrio Gentilis Polytheiſmi. Ut nihil reſtet tandem aliud, quam eſſe hos Tres, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Perſonas vere Divinas, quæ Unam numero Eſſentiam habeant plane communem cum Attributis omnibus, & totam illam poſſideant ſinguli indiviſam, ſecundum illum Subſiſtendi Modum qui ſingulis convenit, uti & illud Johannes addidit, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, *& hi Tres Unum ſunt.* Ad cujus myſterii fidem nihil clarius dici poteſt, quam quod dixit Chriſtus ipſe *Joh.* v. 26. ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, & *Joh.* xv. 26. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, & *Joh.* xvi. 13–15. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας &c. ὃ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν, ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν, πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμά ἐστι, διὰ τοῦτο εἶπον, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. Et erat hic idem ille Triunus Deus, qui ut talis fuerat jam olim quoque Patribus ante & poſt Moſen manifeſtatus, licet forte minus clare, atque agnitus, licet forte minus plene; ſed à cujus decenti agnitione Judæi excæcati magnopere hoc tempore defecerant, æque quam cæci Gentiles, in viam rectam & antiquam reducendi pariter per Chriſtianiſmum. Siquidem præcipitur heic Baptiſmus *in* illorum Trium *Nomen* unum Divinum commune ſupremum, ſeu ſi ita mavis *Nomine*, prout εἰς aliquando cum ἐν vel ἐπὶ permutatur. In quo Nomine intelligere oportet illud expoſitum & declaratum ita à Baptizantibus, ut agnoſcatur à Baptizatis, ſive nunc, ſi ſint adulti, ſive deinde, ſi ſint Infantes. Et *in* ejus *Nomen* Baptiſmum fieri à Miniſtris in Gentibus omnibus, hoc ipſum ita arguit Autoritatem præcipientem illius Triunius Dei, *coll. Joh.* v. 43. *Matt.* vii. 22. *Act.* iv. 7. *&c.* ut ſimul innuat illius hinc fluentem Poſſeſſionem, & Honorem omnem Divinum, juxta Subjectionem ſub illius Imperium, & Fiduciam in illius Promiſſis omnibus præſentis & futuræ vitæ. In quali Baptiſmo in Nomen Triunius Dei qui non reperit, vi Ejuſdem

Eſſen-

Eſſentiæ non autem Conceſſionis qualiscunque gratioſæ, Honorem vere Divinum, & prorſus Æqualem, Trium Perſonarum, næ is in media luce oculos claudens proterve, Chriſtiano nomine ſe non amplius dignum oſtendit, *coll.* 1 *Cor.* 1. 13. 15. ἢ εἰς τὸ ὄνομα παύλου ἐβαπτίσθητε; ἵνα μή τις εἴπῃ ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα, *&c.* Neque enim comparari cum hoc Baptiſmo in Dei Triunius Nomen unum meretur; vel *Fides* Iſraëlitarum *in Jehovam & in Moſen ſervum ejus Exod.* XIV. 31. qui textus ipſe Fidem in Deum & Moſen ſic ſatis palpabiliter diſtinguit; vel Baptiſmus Iſraëlitarum εἰς τὸν μωσῆν 1 *Cor.* X. 2. ſeu *in Moſen*, metonymice intellectum de ipſius Lege & Doctrina, ſeu *per Moſen*, ejus miniſterio interveniente, tam quoad Nubem quam Mare; vel ſimilia forte plura vere diſſimillima. Et eſt porro heic non minus eruditus quam amplus Commentarius *Grotii*; *Cum locutio hæc varias habeat ex Hebraiſmo ſignificationes, eam his præferendam arbitror quæ Baptiſmo maxime propria eſt. Eſt autem baptizari in aliquem, vel ejus nomen, ſe ei auctorare atque devovere, & de ejus nomine appellari velle. Paulus* 1 *Cor.* X. 2. πάντες εἰς τὸν μωσῆν ἐβαπτίσαντο, *reſpiciens illud Exod.* XIV. 31. *crediderunt in Deum & Moſen ſervum ejus, i. Moſi tanquam Dei miniſtro cum bona fiducia regendos ſe commiſere. Sic Paulus quemquam negat baptizatum in ſuum nomen* 1 *Cor.* 1. 13. 15. *h. e. ſibi velut novi dogmatis autori mancipatum. Maimonides de bello capta, Baptizet eam in nomen Proſelytarum, i. in eam religionem quam profitentur proſelytæ. Chriſtiani igitur tres ſui dogmatis auctores agnoſcere jubebantur, Patrem Filium & Spiritum S. nihilque ut neceſſarium admittere quod non ab iis eſſet profectum, i. quod non à Patre ortum, à Filio proditum, à Spiritu vero eſſet partim explicatum apertius, partim obſignatum. Adminiſtrabatur enim Baptiſmus, ut loquitur Hilarius, in confeſſione, & Auctoris, & Unigeniti, & Doni. In Canone Apoſtolico XXXIII. legimus* δοξασθήσεται ὁ θεὸς διὰ χυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι, *&c. In Clementis Conſtitutionibus Lib. III. Cap.* 17. *&c.* Quando multo adhuc plura ex Chriſtiana Antiquitate ſubjicit, de Baptiſmi Modo omni, & de Fidei Regula ad Trinitatem ſpectante, etiam quam maxime in negotio Baptiſmi adminiſtrandi & accipiendi; quæ cuncta opus non eſt ut heic deſcribamus per paginas complures.

An verba illa in Baptiſmo prorſus neceſſario adhibeantur, & adhibita ſint conſtanter.

XV. Enimvero, an ita mandans Chriſtus baptizare gentes omnes, voluit eo ipſo, hæc Verba inter baptizandum eſſe etiam neceſſario adhibenda, *baptizo te*, vel hunc, *in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti?* ita ut ipſa Baptiſmi Veritas & Integritas decens hinc fere aut vere pendeat? Hoc eſt equidem, quod ab ævo communius tenetur, ita ut ſupponatur idem magis quam aſtruatur; ſicuti de eo etiam nos diximus olim *EXERC. TEXT. XXVIII. Parte I.* Sed quod ita intellectum difficulter conciliarunt Interpretes cum *Actuum Apoſtolicorum* hiſtoria, in qua nuſquam *Formula* illa verborum apud Baptiſmum adhibita fuiſſe legitur, ſed ſæpius ſcriptum eſt de Baptiſmo, vel mandato, vel adminiſtrato, ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, εἰς Χριστόν, *&c. coll. Act.* II. 38. X. 48. VIII. 16. XIX. 5. *Rom.* VI. 3. *Gal.* III. 27. *&c.* Unde inter varios conciliandi modos ſingulariter ſibi placuit *Doct. Ligtfootus* in iſthoc ſuavi invento, quod Chriſtus Formulam heic dederit tenendam apud *Gentiles*, dum altera illa in *Actis* lecta ſpectet ad *Judæos* baptizandos, quodque iterum & iterum inculcat; *Imperat ut baptizent in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: aſt illi inter Judæos in nomine Jeſu baptizarunt ſolum, quod obſervavimus ante ex Act.* II. 38. & VIII. 16. & XIX. 5. *ideo ut Jeſum pro vero Meſſia, quod à Judæis ſumme fuit controverſum, hoc modo aſſererent baptizantes atque faterentur baptizati, &c. Inter Judæos controverſum eſt de vero Meſſia, inter Gentes de vero Deo; congruum itaque erat ut inter Judæos baptizaretur in nomine Jeſu, quo aſſeratur ille pro vero Meſſia, inter Gentes in nomine Patris Filii & Spiritus Sancti, quo ita inſtruantur illæ de vero Deo. Audi hæc ô Ariane & Sociniane! Baptizabant Judæi proſelytos in nomen Patris, i. e. in profeſſionem Dei quem nomine Patris inſignierunt; Apoſtoli Judæos in Nomen Jeſu Filii, Gentes in Nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Sed vaniſſime, uti dudum oſtendimus loco citato, per argumenta ſeptem, quæ ſi non ſingula æque ſunt convictiva, ſimul equidem invictam probationem largiuntur. Primum eſt, ex verbis his Chriſti generaliter ſpectantibus ad Gentes omnes baptizandas ex æquo; alterum, ex nullo reperto uſquam juſſu alterius Formulæ apud Judæos; tertium,

ex

ex Samaritanis & Gentilibus tributo palam Baptiſmo *in nomen Domini Jeſu Act.* VIII. 16. ſeu *in nomine Domini Act.* X. 48. *Rom.* VI. 3. *Gal.* III. 27. quartum, ex Baptiſmo Gentilium in Nomine Trinitatis nuſquam lecto, nec reperta illic majori inculcatione Trinitatis *Act.* VIII. 36. XVI. 31. 33. quintum, ex doctrina Trinitatis apud Judæos non minus quam Gentiles obſcurata circa Chriſti tempora; ſextum, quod in Gentibus non minus quam Judæis Mediatoris veri notitia & fides requireretur; ſeptimum denique, quod Duplicis Formulæ iſtius in Baptiſmo Gentium & Judæorum nullum etiam in Chriſtiana Antiquitate poſt Apoſtolos ſit veſtigium. Unde concluſimus, *illud* εὕρημα *Ligtfooti ab omni mandato, praxi, ratione, & veſtigio in hiſtoria, abhorrere.* Aliud eſt, quod plures cum *Beza* tenent, *Formulam Eſſentialem* Baptiſmi heic ita præſcribi, ut dubitari nequeat quin ea vere & conſtanter uſi ſint Apoſtoli, etiam ex *Act.* XIX. 2. 3. ubi nempe ad verba Epheſiorum, ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν ἠκούσαμεν, ſubjicitur à Paulo, εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; dum phraſes illæ *in nomine Domini*, vel *Chriſti*, non dicant Formulam certam Baptiſmi, ſed *Finem & Scopum* ejus juxta Chriſti præcipientis autoritatem realem deſignent. Verum ſic ſupponitur, quod nunquam probatum eſt aut probatur; dum illud εἰς τί, *ad quid*, in *Actis* neutiquam ſpectat ad verba inter baptizandum adhibita, ſed ad finem, rationem, & ſpeciem Baptiſmi. Et jam olim profeſſus ſum; me non capere, quo pacto phraſis eadem, *in nomen*, vel *in nomine*, adhibita in eadem materia Baptiſmi, adeo diverſiſſime queat exponi, ut de Triuno Deo uſurpata notet verborum Formulam certam, ſed de Chriſto nullam omnino ſimilem; & me perinde non ſcire, quo probabili argumento ex phraſi Chriſti Baptiſmum mandantis Formulam neceſſariam educant, qui eandem omnibus aliis locis aliter intelligunt. Nos ut verum dicamus, nullam verborum Formulam certam putamus nobis eſſe relictam, quam ſeu adhibuerint Baptizantes in Nomen Chriſti, ſeu juſſi ſint adhibere Baptizantes in Nomen Dei Triunius. Uti enim non narrarunt *Acta*, quid dictum, ſed quid factum ſit, ita nec præcepit Chriſtus, quid Diſcipuli dicturi ſed quid facturi eſſent; quemadmodum & debebant *docere* obſervationem præceptorum Chriſti, ſed non

dicere, *ego doceo* te id. Et quid heic de certa Formula una verborum cogitetur magis, quam apud Sacramenta alia? in quibus ea utique non eſt data. Optime adeo inter alios *Cel. Piſcator*; *Non eſt putandum, his verbis à Chriſto præcipi Miniſtris ſeu Paſtoribus Eccleſiæ, ut inter baptizandum pronuntient hæc verba, ego baptizo te in nomen Patris, &c. neque enim Chriſti verba hoc ſonant, neque hoc ex illis neceſſaria conſequentia poteſt concludi, ſed tantum mandat, ut baptizent in nomen Patris &c. Id quod fieri poteſt etiamſi illa verba inter baptizandum non pronuntientur.* Quin & eſſe illud *à verbis & mente Chriſti penitus alienum*, dixit *Gatakerus*, nec magis *hoc loco verba uſurpanda præcipi, quam cum præcipitur omnia à nobis fieri in gloriam Dei* 1 *Cor.* x. 31. *mandatur ut ad ſingulos actus dicamus, hoc facio in gloriam Dei.* Adeo vanum & hoc fuit, quod inter alios *Volkelius*, apud *Socinianos* celebris, *Lib. VI. de Ver. Rel. Cap.* 14. ex non obſervata ab Apoſtolis illa verborum Formula concludere voluit, Baptiſmum heic intelligendum eſſe non in Aqua, ſed in Doctrina; in qua utique nec uſus erat, ut determinatè docentes dicerent, ego te imbuo doctrina Patris Filii & Spiritus S. Interim adverſus illam Verborum Formulam, etiam in ipſo baptizandi actu utiliter adhibendam, & ex analogia rei & textus hujus quoque, nos nihil prorſus habemus, ſed potius eos damnamus, qui vel ex principio Hæretico, vel ex innovandi pruritu, vel ex alia quacunque cauſa, vellent Formulam illam negligi; & ſuperſtitionem omnem Papiſticam avertendam ſimul putamus. Qua de re vide etiam dicta à nobis *Comp. Theol. Cap. XXX. §. XI.* Optime & in hanc rem Doct. *Voſſius* ſcripſit; *Verbis illis non videtur præſcribi neceſſaria Baptiſmatis formula, ſed neceſſaria conditio actionis, ſive formula ea exprimatur, ſive ſolum intelligatur &c. Interim Formula hæc quæ obtinet tutius retinetur, ne offendiculo ſimus imperitis, & innovando ſchiſmati occaſionem demus vel calumniæ.*

Tum per Doctrinam ſervandi omnia quæ Chriſtus præceperat.

XVI. Alterum ſpecialioris Mandati Membrum eſt iſtud; διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν, *docentes eos ſervare omnia quæcunque præcepi vobis.* Sunt *illi* heic iterum ſingulí & omnes μαθητευθέντες, ſeu *Diſcipuli facti*, qui baptizandi vel baptizati. Atque his debebant tradi *quæcunque Chriſtus*, cum

cum Patre & Spiritu, illis, Discipulis baptizantibus, *præceperat*, seu prædicanda mandaverat; sola, in negotio ipso Divini cultus, absque humanarum traditionum, aut propriorum cogitatorum, mixtura ulla; & simul omnia sine aliqua detractione. Et hi debebant illa τηρεῖν, *servare*, memori primum mente, attentione dein acri, & praxi tandem seria, secundum illa ut regulam probatissimam se componendo etiam constanter. Quod neque putem restringendum ad Mores solos, & quæ in eo genere fugienda & facienda erant; sed & referendum ad Fidem, per quam ad justitiam & salutem tenderetur. Et per nos quoque licet, ut sit heic quædam oppositio, inter Statuta Mosis Ceremonialia, quæ usque ad Typorum implementum durare tantum debebant, & inter Doctrinam Christianam, quæ cum libertate Christiana à veteri jugo erat tenenda. Hoc omne nempe *docere*, (ubi de voce διδάσκειν latius *Schmidius* agit,) ex officio publico præcipiuntur eidem qui baptizare debebant, ut sic Discipulos dignos Christo colligerent; prout Sacramenta sola non sufficiunt ad hominem beandum, si illis sese non gerat dignè, & non omnium sed quorundam & eorundem est, in Ecclesia docere & Sacramenta administrare. Illa autem doctrina, quæ etiam post Baptismum in Adultis obtinet certe per modum continuationis, & in Infantibus semper Baptismum sequitur, neutiquam excludit ab Adultis omnem Institutionem antecedentem de credendis & faciendis, quæ ex adverso plane necessaria est, ubi aliquis rite baptizandus est in Nomen, tum Triunius Dei, tum & Jesu ut Mediatoris nostri apud Deum unici, quorum unum involvit aliud, adeo ut sine altero non consistat. Oportet enim scire, quodnam illud Nomen sit, si nos illi rite nomen nostrum in Baptismo daturi sumus. Adeo ut Christus heic dicens, μαθητεύσατε, βαπτίζοντες, διδάσκοντες, docuerit officiorum illorum conjunctionem necessariam, sed non ordinem certum & perpetuum, qui alius certe in Parvulis quam in Adultis foret. Dum pudefieri hinc debent, qui vel Sacramenta negligunt cum profano contemptu, vel in iis acquiescunt cum insana superstitione. Nec possunt errorem suum tueri *Sociniani*, quando non obstante illa Baptismi & Doctrinæ conjunctione arctissima, contendunt, Baptismum Aquæ vel non esse mandatum, vel

Mandatum ejus non esse Universale & Perpetuum, sed Particulare & Temporis Primi; etiam contra extensionem manifestam rei hujus omnis *vers.* 20. ad *omnes dies* ἕως τ συντελείας τ αἰῶνος, & contra communem Christianorum obligationem ac praxin in Apostolicis scriptis valide assertam. Quibus missis, tanquam ad Systematicam tractationem etiam pertinentibus atque illic quærendis, addemus modo *Grotii* commentarium ad postrema hæc doctum sed subtiliorem forte; *Doceri non aliud Christus jubet quam quæ ipse præceperat. Quare certum esse debet, in illis totam religionis substantiam consistere, nihilque traditum ab Apostolis ad salutem necessarium, (nam consiliorum & eorum, quæ pro locorum ac temporum ratione ad* εὐταξίαν *ordinantur, alia est ratio,) extra præcepta Christi. Cum duplex sit docendi ratio, alia per modum* εἰσαγωγῆς τ στοιχειωμένων, *alia per modum* διδασκαλίας, *prior supra videtur indicari verbo* μαθητεύειν, *id enim est velut in disciplinam initiare, & Baptismo præponitur, posterior verbo* διδάσκειν, *quod hic post Baptismum locatur. Sic Lucas ad Theophilum scribens de Vita Morte ac Resurrectione Christi,* ἵνα ἐπιγνῷς, *inquit,* περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τ ἀσφάλειαν, *ubi itidem* κατήχησις *est prima institutio, quam sequitur* ἐπίγνωσις τ ἀσφαλείας. *Sic Apollos eidem Lucæ in Actibus dicitur* κατηχημένος τ ὁδὸν τ κυρίου. *Ab Hebræis discrimen hoc, ut pleraque veteris Christianismi, apud quos* שמועה *est* ἡ κατήχησις, *quam postea sequebatur* אגדתא *fusior explicatio, &* מתלי / ἡ δι' ὑπονοιῶν. *Clemens Alex. Strom.* VI. γνῶσιν *esse ait* τ πίστεως τελείωσιν ἐπέκεινα τ κατηχήσεως. *Alibi* εἶδος διδασκαλικὸν *facit duplex,* τὸ μὲν τ παιδαγωγίας, τὸ δὲ ἐποπτικὸν, *quod &* ἰσχυρὸν & πνευματικὸν *vocat. Pythagorici, ut idem Clemens notat, discipulos communioris notæ* ἀκουσματικοὺς *vocabant, alios autem* τὰς γνησίως ἀνθαπτομένους τ φιλοσοφίας *appellabant* μαθηματικούς. *Sunt autem, explicante Malcho in Vita Pythagoræ,* μαθηματικοὶ οἱ τ θειοτέρου καὶ περὶ ἀκρίβειαν διαπεπονημένου τ ἐπιστήμης λόγον ἐκμεμαθηκότες, ἀκουσματικοὶ δ' οἱ μόνας τὰς κεφαλαιώδεις ὑποθήκας τ γραμμάτων ἄνευ ἀκριβεστέρας διηγήσεως ἀκηκοότες. *Origenes commune omnibus sapientum sectis ait fuisse, ut alios haberent* λόγους ἐξωτερικούς, *alios* ἐσωτερικούς. *Vid. Initium Cap.* VI. *ad Hebr.*

Collatio verborum

XVII. Verbis istis Mandati Dominici apud *Matthæum* respon-

ſpondent illa apud *Marcum verſ.* 15. 16. *Et dixit*, Jeſus, *eis*, Diſcipulis ſuis, non tam Jeroſolymis ubi antea congregatis apparuerat *verſ.* 14. ſed dein, non *toto* XL. *Dierum tempore*, quod nominat *Grotius*, verum aliquando in hoc Monte Galilææ, quod ille quidem non addidit, ſed ex *Matthæo* diſcimus, πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει, ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται. Ubi *Matthæus* ſimpliciter dixerat, πορευθέντες, *euntes*, ſive *profecti*, attamen cum reſpectu ad *omnes gentes* in diſciplinam Chriſti adducendas, ibi plenius *Itionem* habet *Marcus*, *in mundum*, inferiorem hunc ſcil. *univerſum*, non ſolam Judæam, vel Samariam, & Galilæam, ſed Orbem totum, per quem & Judæi varie diſperſi dudum, & alii Gentiles habitabant, & ipſi hi vel & eorum ſucceſſores eſſent penetraturi cum Euangelii ſui verbo, *coll. Act.* 1. 8. *&c.* hi vel illi potius quam omnes ſimul. *Benigne hoc intelligendum*, inquit *Grotius*, *ut gens nulla exeludatur*, *& excitentur Apoſtoli ad ſpargendum quam latiſſime poſſent Euangelii ſemen. Sic & infra dicitur* παντα χῆ *verſ.* 20. Quod idem volunt, qui verba hæc Chriſti poſitiva dicunt hactenus accipienda negative, quatenus omnem excluſionem mandatam tollunt. Unde prorſus concidunt; quæ de Geſtis & Martyriis Apoſtolorum in remotiſſimis mundi plagis fabuloſe narrantur, quaſi ex hoc Chriſti dicto etiam conſtantia; & quæ de Univerſali prorſus Euangelii Prædicatione antiquo illo tempore facta, in ipſo etiam Orbe Americano, nugantur alii, contra hiſtoriæ omnis ſacræ & profanæ fidem. Illuc profecti, dicit Chriſtus porro, *omni*, vel *toti*, *creaturæ*, πάσῃ τῇ κτίσει, *Euangelium prædicate.* In quibus κτίσιν per *orbem conditum* vertit *Beza*; de nomine *creaturæ* notans merito, quod illud *non ſatis Latinum*, *tamen velut Latii jure à Theologis donatum ſit.* Illud Nomen cum addito altero, *omnis* ſeu *totius*, in maxima ſua plenitudine ſignificatus heic accipere non poſſumus; neque enim apud ullas alias quam Rationales Creaturas obtinere abſque ludibrio impio poteſt Euangelii Prædicatio mandata; imo nec apud alios quam Homines, dum Angeli nulli in Euangelio partem habent, vel Mali vel Boni. Niſi quis vellet forte, *omnem* ſeu *totam creaturam* heic magis dicere locum

Marci, de Itione in Mundum univerſum, & prædicando Euangelio Creaturæ omni.

cum prædicationis, orbem omnem inferiorem, quam objectum docendum; quorſum Conſtructio in Dativo absque præpoſitione ulla minus apta eſt, dum alibi legitur *Col.* 1. 23. ἐν πάσῃ τῇ κτίσει. Illud nomen cum additamento ſuo, *omnis*, vel *tota creatura*, nequit etiam capi in ſignificatu ſtrictiſſimo, prout nos duceret ad *Creaturam Novam* per ſingularem Dei gratiam, de qua alias legimus ſatis emphaticè 2 *Cor.* v. 17. *Gal.* VI. 15. *Eph.* II. 10. *&c.* ſiquidem non eſt ad ſolos vere regenitos reſtricta aut reſtringenda Prædicatio Euangelii, & fiunt illi demum per hoc verbum Creatura talis nova, non autem ſunt antecedenter. An ergo *creatura omnis* heic dicet Ordinationem quamvis conditionum inter homines, ſive humanam ſive Divinam, quo fere modo Petrus dixit 1 *Pet.* II. 13. ὑποτάγητε ὃν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, διὰ τὸν κύριον, εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις, &c. ut absque diſcrimine ſtatuum prædicatio mandetur? uti iſtud ſecundo loco habet *Piſcator*, *vel cuivis hominum ordini*, *conf.* 1 *Pet.* II. 13. Sed & hoc coactius videtur, & aliis phraſibus minus conveniens. Unde communis præſtat interpretatio de *Omni Homine*, ſine diſcrimine omni gentium, ſexus, ætatis, conditionisque ſpiritualis aut corporalis in mundo, *coll. Col.* 1. 23. ᾧ εὐαγγελίῳ ᾧ κηρυχθέντι ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν, quando hoc convenit *cum omnibus gentibus* apud *Matthæum*, *& Luc.* XXIV. 47. Nempe eſt homo vere Creatura Dei præ aliis Excellens per Rationis uſum, ad quam prædicatio ſic cum fructu inſtitui poteſt; & qui hinc ſub nomine *Creaturæ*, æque quam *carnis*, *animæ*, & *viventis*, quæ etiam per ſe ſunt generaliora, venire ſolet. *Hebræi hominem* κατ' ἐξοχὴν *vocant* בריאה / *ut Excellentiſſimum Dei opus*; dicit *Grotius*. Sicuti *Hammondus* ſcripſit; *Uſus iſtius loquutionis hoc ſenſu ſumptæ niti videtur Hebræorum conſuetudine*, *qui voce* בריות / *quæ proprie creaturas deſignat*, *utuntur ad ſignificandos homines*, *qui omnium creaturarum ſunt excellentiſſimæ. Sic etiam Arabes*, *ut colligere eſt ex quodam ex eorum Geographis*, *loqui ſolent*, *cum enim de Urbibus verba facit*, *ſæpe dicit in iis multam eſſe* בראי *creaturam*, κτίσιν, *hoc eſt homines. Itaque hic* πᾶσα κτίσις *ſunt omnes homines*, κατ' ἀντίθεσιν *ad Judæos*, *h. e. non ſolum Judæi*, *ſed præterea omnes aliæ Gentes.* Cum quibus confer quæ habet

*Ligt-*

*Ligtfootus*; לכל הבריות *phraſiologia Judæis tritiſſima, per quam omnes homines denotantur, Babyl. Cetubb. Maimonides in Sanhedr. Cap.* 11. *&c. præcipue vero intelliguntur Gentiles, Babyl. Chagig. Bereſchith Rabba, &c. Adverte, ut* ברית *creaturæ opponantur Iſraëlitis. Et hunc ſenſum phraſiologiæ,* πάσῃ κτίσει, *hoc in loco probant ſatis verba Matthæi parallela Cap.* XXVIII. *&c. ut & ea Pauli Col.* I. 23. *&c. Eodem ſenſu eandem phraſin intelligas neceſſe eſt Rom.* VIII. 22. *ubi ſi totam iſtam periocham accipias de Gentilibus anhelantibus ad libertatem filiorum Dei Euangelicam, facillimum reddis ſenſum, & ad mentem Apoſtoli & ad ſignificationem vocis* κτίσις *accommodatiſſimam. Cum qui aliter reddunt in ſenſum neſcio quem impingunt, aſperum & nodoſum. Liceat, ſit licet extra oleas, totam iſtam periochen ſic* ἀναφράζειν, *&c.* Verum ſenſum iſtum à verbis Pauli alieniſſimum eſſe, monſtravimus late *EXERC. TEXT. XLIII. Parte IV.* Si poſt iſta omnia rogare adhuc lubeat, cur *creaturam omnem* potius dixerit Chriſtus quam hominem aut gentem, dicendum eſt; ita lubuiſſe Domino noſtro, qui & ſic nos ducere potuit, tum ad noſtram vilitatem maximam, tum ad communiorem Dei in nos gratiam tanquam ejus Creaturas, licet defectrices per peccatum. Dum illud eſt vaniſſimum, quod heic meritò redarguit *Beza*; *Subtilis autem illa & ſane vana ratio, cur omnis creaturæ nomine homines ſignificentur, quod nimirum nullum ſit creaturæ genus quod in homine non poſſit agnoſci, prorſus eſt repudianda, ut horum ſcriptorum ſimplicitati minime conveniens, quamvis ab Auguſtino non uno loco proferatur, & à nimium multis in Microcoſmi nomine philoſophantibus repetatur.* Et his vult Dominus Diſcipulos *Euangelium prædicare*, ſeu lætiſſimum illud nuncium ſalutis per Se ipſum adductæ, & per fidem cum reſipiſcentia acquirendæ ab hominibus quibuscunque ſine diſcrimine, annunciare clariſſime & potentiſſime, tanquam ad illos omnino etiam ſpectans dum modo ſe ſecundum illud componant. In qua prædicatione etiam intelligitur ejus Obſignatio ſolennis per Baptiſmum, cujus meminit *Matthæus*, & cujus præceptum heic plane ſupponitur *verſ.* 16.

XVIII. Nempe illic Summa proponitur Euangelii Prædicandi hæc; Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, ὁ δὲ ἀπι- Summa Euangelii exigentis

Fidem & Baptiſmum ad ſalutem.

σήσας κατακριθήσεται. Eſt in illis *Officium* geminum, cum *Promiſſione*, & oppoſita etiam *Comminatione*; quæ cuncta ad Euangelii doctrinam ſpectant. *Officium* ſcilicet ipſum principale, per Euangelii Prædicationem hominibus commendandum, eſt *Fides*; nempe non cujuſcunque adeo Verbi Divini, quam Euangelii, adeoque in Chriſtum Mediatorem verum & unicum, & per eum in Deum Triunum; & hæc non mere Theoretica, in cognitione & aſſenſu ſubſiſtens, ſed & Practica, per amplexum integerrimum deſiderii noſtri, & conſequenter etiam applicationem fiducialem; & hæc præterea non intra cor latens, ſed ſincera oris Confeſſione expreſſa palam; imo hæc non ſola & ab aliis virtutibus Chriſtianis abſtracta, ſed cum Reſipiſcentia, Spe, & Charitate, omni in Deum & proximum juncta, *coll. Gal.* v. 6. 1 *Tim.* 1. 5. *Jac.* II. 20–22. *&c.* Quæ ipſa Fides eſt illud, quod Deus in Fœdere Gratiæ exigit, loco Obedientiæ propriæ & perfectæ in Fœdere Operum præſcriptæ unice, atque in Veteri Oeconomia etiam frequentius nominatæ ſecundum illud, ad hominum convictorum humiliationem, *coll. Rom* x. 5. 9. 10. *Gal.* III. 11. 12. *&c.* μόνον πίστευε *Marc.* v. 36. *Luc.* VIII. 50. *&c.* Interim iſta Fides uti decet omnes & ſingulos quibus Euangelium prædicatur per Divinam Miſſionem, abſque diſcrimine ullo gentis, &c. etiam graviſſimi reatus in Deum & homines, ita & ſingulorum debet eſſe pro ſe, abſque ulla mutua ſubſtitutione; & hinc ſingulariter legas heic, ὁ πιστεύσας, *credens*, aut *qui crediderit*. Quod tamen reſtringendum eſt omnino, ad eos qui prædicatum Euangelium audire queant cum intellectu per ætatem pluſquam infantilem, & quibus etiam ſolis illud proprie prædicandum eſſe conſtat. Accedit Officium alterum minus principale, ſed tamen decentiſſimum quoque, *Baptiſmi* in Aqua accipiendi ab adminiſtrantibus Doctoribus; ὁ βαπτισθεὶς, *& baptizatus*, vel *qui baptizatus fuerit*. Nempè hunc ritum Chriſtus inſtituit, nunc poſt reſurrectionem, tertio, publice, & latius, poſt Johannem dudum miſſum ad baptizandum æque quam prædicandum, & poſt Diſcipulos proprios ex Domini juſſu antea jam baptizantes; ut hoc ritu externo illi fœditatem ſuam peccaminoſam faterentur palam ore & opere, fidemque ſuam in Chriſtum cum fra-

fraterna unione teſtarentur, & viciſſim obſignarentur de Divina in ſe gratia, juſtificante, ſanctificante, & tandem plene ſalvante. Unde ille à vere & decenter credentibus non debebat vel poterat rejici, ſub hoc aut illo prætextu, absque juſtiſſima Dei indignatione. Etiamſi non poſſet cenſeri abſolute neceſſarius ad gratiam & ſalutem, æqualiter cum Fide ipſa, magis quam Confeſſio oris *Rom.* x. 9. 10. *&c.* quaſi non contemptus ſolus, ſed & defectus nudus Baptiſmi damnaret ipſos etiam parvulos, extra culpam omnem heic conſtitutos. Dum eſt hic utique ritus, gratiam non minus ſupponens, quam dans & augens; & qui ab hominibus non tantum ſed & à multis circumſtantiis pendet inter homines; & qui bonis malisque communis deprehenditur; & qui in comminatione ſubjecta minimè repetitur, ὃς μὴ βαπτισθήσεται κατακριθήσεται. Dumque de loco qui præcipue opponi ſolet ex *Joh.* III. 5. alias prolixius à nobis actum eſt *EXERC. TEXT. XXXVII. Parte V.* Ergo quod Euangelium præcipit Fidem, idem etiam exigit Baptiſmum, hujusque damnat contemptum & neglectum fœdum, *coll. Act.* II. 36. 40. μετανοήσατε καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν *&c.* οἱ μὲν οὖν ἀσμένως ἀποδεξάμενοι τὸν λόγον αὐτοῦ ἐβαπτίσθησαν, *Act.* VIII. 36. 38. IX. 18. X. 47. 48. XVI. 29. 33. XXII. 16. *&c.* Nec tantum in Adultis credentibus, ſed etiam in illorum Parvulis, qui nondum vel Credere vel Fidem & Reſipiſcentiam ſuam profiteri poſſunt, per naturam atque dona Divina ſolita, ſed hinc nec à ſalute nec ab Eccleſiæ & Gratiæ hujus communione ſunt excluſi.

XIX. *Promiſſio* ad hoc Officium bimembre præſtitum ſit in Euangelio ampliſſima; ille omnis & ſingulus, ſine ulla plane diſtinctione vel exceptione, σωθήσεται, *ſalvus erit* apud *Vulgatum*, vel *ſervabitur* apud *Bezam*. Quæ ſalus, vel ſervatio, non eſt heic intelligenda externa & corporalis in mundo ex multiplici miſeria, hac vel illa; ſed omnino ſpiritualis, à peccato omni & perditione per illud promerita, à quibus ita liberatur homo Credens & Baptizatus, ut ſimul oppoſiti boni omnis in gratia & in gloria fiat particeps, heic & poſthac, ſecundum illud *Act.* II. 21. ἔσται, πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου σωθήσεται, & *Rom.* X. 13. πᾶς γὰρ ὃς ἂν ἐπι-

Atque promittentis Salutem, cum denunciatione Damnationis facta Incredulis.

ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου σωθήσεται, &c. Et huic Promissioni opposita prorsus est *Comminatio*; ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται, *non credens autem*, vel *qui non crediderit*, *condemnabitur*. Dicit nempe ἀπιστήσας, *non credens*, vel *qui non crediderit*, hic quidem maxime eum omnem & singulum, qui Euangelium à se auditum non admittit fide sincera, sed rejicit per Incredulitatem uti dicunt Positivam; sed ita, ut ad sortem cum eo communem, quoad rem magis ipsam quam rei gradum, merito referatur etiam omnis & singulus ille, qui plane nescit Euangelium, quod nec ipsi prædicatum est, atque hinc Incredulitate laborat Negativa, tanquam fide ad salutem necessaria destitutus. Sive idem ille ὁ ἀπιστήσας consideretur, ut ὁ vel μὴ βαπτισθεὶς, *non baptizatus*, quod per modum abbreviationis non sit additum; sive etiam & potius ut *baptizatus*, quod solum absque fide vera nec à damnatione liberat nec salutem præstat adultis, dum nec in parvulis idem præstat aqua si non Spiritus S. gratia singularis cum hac fuerit juncta. Et isti Incredulo omni denunciatur saluti seu servationi credentium opposita *Condemnatio*, Divina nempe ad satisfaciendum ipsius Dei Justitiæ, pro Peccato commisso & per Incredulitatem aucto, unde fluit pro Salute Exitium hominis æternum tanquam certissimus Effectus, quod non nisi per Fidem Euangelii evitari potest à quoquam. Quod est hinc & inde verum Euangelii compendium illud, quod dedit & alias ipse Christus *Joh.* III. 18. & 36. ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν οὐ κρίνεται, ὁ δὲ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται, ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ θεοῦ &c. ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν ἔχει ζωὴν αἰώνιον, ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὄψεται ζωὴν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν &c. Ad quæ, heic latius non diducenda, hoc unum modo addam; quod in hac mandata Euangelii Prædicatione de Fide Jesu habenda & testanda per Baptismum ad Salutem, quæ nec sine illa contingat cuiquam, videatur esse genuina exegesis ejus quod generalius apud *Matthæum* legitur, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. Ad illud enim omnia Christi mandata tanquam ad principium & finem, quin & centrum commune, spectant.

Verba Promissionis Christi fa-

XX. Ultima tandem Pars Verborum Christi est *Promissiva* ad Discipulos, quæ una apud *Matthæum*, sed & altera apud *Mar-*

*Marcum* legitur. Ita heic habet *Matthæus vers.* 20. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμὶ πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, ἀμήν. Ubi in *vobis* directe videntur ſpectari, non quidem omnes tunc Credentes & olim Credituri ad ſalutem, quamquam & hi partem magnam in hoc promiſſo habeant; ſed præ aliis Apoſtoli collecturi Diſcipulos, baptizando & docendo, & poſt hos alii Doctores Eccleſiæ tanquam priorum ſucceſſores in iſto opere ſuo. In quo cum, non minus quam in perſona ſua, ſpeciali gratia opus haberent, præ aliis credentibus, licet in horum uſum, hinc Chriſtus per illud καὶ & promiſſum hoc arctiſſime connectit, q. d. & cum vobis ita agentibus ex præſcripto meo etiam atque magis ego ita agam. *Ego*, inquit ipſe, *ſum cum* vobis, *dies omnes ad conſummationem ſeculi*. De *ſe ipſo* loquens ita Dominus, absque majori determinatione ulla, non poteſt intelligi id dixiſſe de Humana ſua Natura, in qua externe loquebatur; hujus enim præſentia apud Diſcipulos, ſive viſibilis, ſive etiam quæ fingitur inviſibilis, ſemper & ubique, vel in Sacramento ſpecialis, non foret maximi uſus, propter extenſionem ſuam multo latiorem per orbem; imo fuiſſet noxia quam maxime, *coll. Joh.* XVI. 7. *&c.* quin & non eſſet concilianda cum Chriſti inſtante Aſcenſione, per quam à ſuis erat auferendus, neque cum illis amplius futurus in his terris, *coll. Joh.* XX. 17. *&c.* Nec male heic *Grotium* ſcripſiſſe puto; *Videtur Aſcenſus Chriſti in cœlum adeo notus fuiſſe omnibus Chriſtianis in Palæſtina, ut de eo nihil Matthæo opus fuerit dicere. Nam cum quingentis illis apparuit Chriſtus, haud dubiè futurum Aſcenſum ipſis ſignificavit; obiter tamen hic indicatur, eſt enim* ἀνθυποφορά, *abiturus quidem ſum in cœlum, nec adero vobis aſpectabili modo, ſed &c.* Neque ab altera parte cogitavit vel cogitari voluit ſic de Se ipſo loquens Chriſtus, de Natura ſua Divina in ſe, tanquam vere omnipræſente, *coll. Jer.* XXIII. 23. 24. *Joh.* III. 15. *&c.* quæ ne ſic quidem pro bono ſingulari promiſſo poſſet haberi. Sed habet illa phraſis Chriſti, *ſum vobiscum*, ſuam relationem ad Utramque potius ſuo modo quam ad Alteram ejus Naturam, licet Divina foret maximæ Efficaciæ; dicitque adeo, Dominum ſuis adfuturum, favore ſuo eximio, gratia ſpirituali hinc fluente, auxilioque tam neceſſario omni quam potentiſſimo

Etæ apud Matthæum, de Se cum ipſis futuro per omnes, dies, aſque ad conſummationem ſeculi.

tiſſimo ad feliciter agenda omnia, ad Domini gloriam, mundi ſalutem, ſuumque gaudium, *coll. Act.* VII. 9. *&c.* Quod bonum fore perpetuum ſignificavit etiam Chriſtus per Propoſitionem illam in tempore Præſenti, *ſum*, h. e. ero ſemper & conſtanter ſine intermiſſione & abruptione vel derelictione ulla, quæcunque etiam vobis triſtia & difficilia & anxia obvenerint, *coll. Hebr.* XIII. 5. 6. &c. Quod clarius quoque exprimitur per additamentum duplex durationis; tum per *dies omnes*, ſeu tempora lapſura omnia, etiam minima, quam multa illa etiam & varia forent adhuc impoſterum, utique ob nomen *dierum* minime reſtringenda ad unam hominum vitam; tum *ad ſeculi conſummationem* uſque, non unius, hujus aut illius, ſed omnis plane, ſeu ſeculorum *Hebr.* IX. 26. in ipſius Mundi adeoque Eccleſiæ in eo colligendæ & ſervandæ finem ultimum. De qua phraſi nos alias latius diximus *EXERC. TEXT. XXX. & XLV. Parte II.* Scilicet eſt iſte ſenſus heic neceſſarius, ubi de Eccleſia colligenda & ſervanda agitur, ad quam eousque Chriſti gratia apud ſuos Miniſtros eſt plane neceſſaria. Nec poſſum cum iis facere, qui heic cogitare mallent de Oeconomia Vetere ejusque Fine, in deſtructione Templi Urbis & Gentis totius per Romanos; ſecundum ea quæ olim huc ſpectantia diximus latius. Tantum id intactum prætermitti modo nequit dubium, an ergo in Vivis ſuperfuturi vere forent, vel pro ſuperfuturis temere habendi, Apoſtoli ad mundi finem uſque? Quod ut tollatur, non valent gloſſæ veteres aut recentiores; de Vita Apoſtolorum ſeu in terra ſeu in cœlo; de promiſſo hoc ſpectante ad eorum Scripta θεόπνευσα; de promiſſo eodem conditionato, ſi eo uſque illorum vita forte protenderetur, quod plane incertum Diſcipulis voluerit eſſe Dominus; & quæ ſimiles forte plures. Sed alia duo nos conjunximus dudum cum aliis; quorum prius ad Perſonas, & alterum ad Conſummationem Seculi ſpectat. Illud eſt, Promiſſum hoc non ſpectare ad *Apoſtolos* excluſive, verum ſimul in eorum perſona fieri; tum omnibus *Succeſſoribus* in Munere docendi & baptizandi, qui non minus Servatoris auxilio ad hoc opus haberent quam Apoſtoli; tum conſequenter & ſuo modo etiam Credentibus, quos ut Diſcipulos Domino ac Fratres ſibi unirent, adeoque com-

communis ſecum gratiæ ſalutaris redderent participes. Unde tum ſequatur, non has Perſonas ad finem mundi victuras in his terris, ſed ſemper futuram eſſe eousque Eccleſiam, in qua Euangelii prædicatio & Sacramentorum adminiſtratio obtineret, *coll.* 1 *Cor.* XI. 26. *Matt.* XVI. 18. *&c.* In quam ſententiam *Chryſoſtomi & Auguſtini* dicta olim laudavimus. Et damus modo ſequentia *Grotii*; *Quid ſit* συντέλεια τ αἰῶνος, *ſatis apparet ſupra* XIII. 39. 40. 49. & XXIV. 3. *Poſt id tempus, cum Chriſtus regnum traditurus eſt Patri, aderit nobis, ſed non eo modo de quo hic agitur ad imbecillitatis noſtræ ſubſidium. Quare poteſt* τὸ ἕως *hic proprie accipi*, (absque ulteriori ſcil protenſione, quando nos magis dicimur futuri cum Chriſto, quam ille nobiscum, *coll.* 1 *Theſſ.* IV. 17. *&c.*) *Hinc autem manifeſtiſſime apparet, voluiſſe Chriſtum, ut Apoſtoli aliis, illi rurſum aliis* πιστοῖς ἀνθρώποις ἢ ἱκανοῖς ἑτέρους διδάξαι, *munus illud Magiſterii commendarent, ut videre eſt* 2 *Tim.* II. 2. *Nam cum promiſſio hæc ad conſummationem ſeculi ſe extendat, Apoſtoli autem tam diu victuri non eſſent, omnino hic Chriſtus in Apoſtolorum perſona cenſendus eſt etiam Succeſſores ejus muneris compellaſſe.* Alterum, quod addidimus de *Conſummatione Seculi*, hoc fuit, quod illa quoad ſingulos ſpectari queat & debeat ut præſens in ipſorum Morte, quando piorum remuneratio plena incipit, & ipſi mundo valedicentes ad æternitatem tranſeunt, viciſſitudinibus ſeculi præſentis non ſubjectam, *coll. Eph.* IV. 30. *Phil.* I. 6. 2 *Tim.* IV. 7. 8. & potiſſimum 1 *Tim.* VI. 14. τηρῆσαι τ ἐντολὴν ἄσπιλον, ἀνεπίλημπτον, μέχρι τ ἐπιφανείας τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *&c.* Quam certum utique & magnum erat pariter hoc promiſſum, hinc firmiſſima fide tenendum, oſtendit Dominus ſimul, ab initio quidem per illud in talibus ſolitum *Ecce*, ſed & in fine per ſubjectum *Amen*, ſeu verè, quod aſſeverative totiens Chriſtus uſurpavit, etiam cum reduplicatione in verborum ſuorum initio, *coll. Joh.* III. 3. 5. 11. *&c.* Niſi quis forte tamen mavelit, iſtud *Amen*, in clauſulis Librorum ſæpius repertum *Luc.* XXIV. 53. *Joh.* XXI. 25. 1 *Joh.* V. 21. *&c.* non fuiſſe à Domino loquente, ſed eſſe à *Matthæo* additum, ad confirmanda ſic omnia in hoc libro à ſe ſcripta tanquam omni fide digniſſima, vel etiam votive, cum reſpectu ſpeciali ad Promiſſum

proxi-

proximum, quod ipſe vellet impleri, *fiat*, vel *ſit* ita, ſenſu ſatis apto tam hoc quam illo.

Verba Promiſſionis apud Marcum, de Signis ſecuturis Credentes.

XXI. Sed aliud etiam *Promiſſi* verbum exhibet nobis *Marcus verſ.* 17. 18. σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι ταῦτα παρακολουθήσει, ἐν τῷ ὀνόματί μου τὰ δαιμόνια ἐκβαλοῦσι, γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς, ὄφεις ἀροῦσι, κἂν θανάσιμόν τι πίωσι οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει, ἐπὶ ἀρρώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι καὶ καλῶς ἕξουσιν. Generalis præmittitur ſic à Domino *propoſitio*, quæ ſpecialius *diducitur* per quatuor actus diſtinctos. Prius fit in illis; *Signa autem credentes iſta ſequentur.* Ubi manifeſtum eſt, in *Signis* intelligi facta extraordinaria Divinæ virtutis in hominibus tanquam Inſtrumentis Moralibus, per quæ Euangelii veritas confirmaretur magis apud attendentes, & quæ ſic monſtrarent eam, ut ſimul obſignarent, *coll. Matt.* XII. 38. *Joh.* II. 11. 18. XX. 30. *&c.* Unde & ad notandum eventum hujus promiſſi legitur *verſ.* 20. ἐκεῖνοι δὲ ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχοῦ, τοῦ κυρίου συνεργοῦντος, καὶ τὸν λόγον βεβαιοῦντος διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων, atque Paulus perinde dixit *Hebr.* II. 4. συνεπιμαρτυροῦντος τοῦ θεοῦ σημείοις τε καὶ τέρασι, καὶ ποικίλαις δυνάμεσι, καὶ πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς κατὰ τὸ αὐτοῦ θέλημα. Et quæ forent iſthæc *Signa*, monſtravit Dominus per ταῦτα, *hæc*; quod ad enarratas mox ſignorum ſpecies, non tam omnes ſimul quam has aut illas nos ducit, abſque aliorum quoque ſimilium excluſione ulla, quæ potius ad hæc exempla per analogiam referre oportet. Id ſane multum præſtat, quam ut ταῦτα, *hæc*, in Acculativo nectatur cum τοῖς πιστεύσασι, quaſi de credentibus hæc quæ præceſſerant heic ageretur, quos ſigna communiter ſequerentur. Nos *ſigna hæc* legimus, quæ *credentes*, alios quidem ſed potiſſimum fidem prædicantes, niſi ad fidem miraculorum heic ſpectare tantum non unice libuerit, dicuntur *ſecutura*, vel *conſecutura*, cum reſpectu, ſeu ad præconium præmiſſum cui ſigna jungerentur, ſeu ad fidem & denunciationem ſignorum ab ipſis factam, non inaniter ſed cum effectu certo. Dum minime ſic ea omnia omnibus attribuuntur, ſed & inter varios potius diſtribuuntur. Uti non male in eo ſcripſit *Grotius*; *Non omnibus omnia. Sunt enim* διαιρέσεις χαρισμάτων 1 *Cor.* XII. 4. *Ita tandem ut cuilibet ut oportet credenti aliqua tunc data ſit admirabilis facultos, quæ ſe non ſemper quidem ſed data occaſione explicaret. Hoc*

*enim*

*enim significat Joëlis vaticinium, cum ait,* ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, *nempe* τῶν δούλων τοῦ θεοῦ, *Chrysostomus in Rom.* VIII. Διάφορα πᾶσι τοῖς τότε βαπτιζομένοις ἐδίδου χαρίσματα ὁ θεὸς, ἃ δὴ καὶ πνεύματα ἐκαλεῖτο. Quem tamen sequi non auderem in ea Signorum Extensione ad omnes & singulos credentes, quam ipse sic & tunc videtur ponere. Potius dixerim, locutionem Christi Indefinitam de Credentibus, absque ulla mentione *omnis*, esse particulariter intelligendam omnino de quibusdam sive multis credentium. Quod cum sit prorsus necessarium respectu Temporum primorum & aliorum insecutorum, nescio cur non perinde teneamus respectu Personarum simul viventium & credentium. Dum id quidem nimis conquisitum mihi videtur, quod donum quorundam particulare faciendi Signa omnibus tribuatur, propter arctam eorum communionem, & communem omnium usum. Cum & longe magis placere posset, si universaliter hoc dictum esset omnino capiendum, quod Fides heic tunc determinate spectetur illa Miraculorum patrandorum, quæ tanquam speciale donum neutiquam erat omnium vel & solorum salvandorum; nomine *credentium* heic ad σημεῖα ταῦτα restricto, sive per constructionem ex parte, sive & per solum rerum inter se nexum. Neque enim de eo dubitari potest, quin quotquot cum Dei dono singulari habuerint hanc Fidem ipsius verbo nixam, illi quoque Signa talia vere præstiterint ad gloriam Christianismi & Gentilium ac Judæorum confusionem magnam.

XXII. *Primum* tale *Signum* est; *Dæmonia ejicient*, credentes illi, & quidem *in meo nomine*. *Dæmoniorum Ejectio* supponit obsessionem hominum præcedentem per ea, qui hinc dicti *Dæmoniaci*; de quibus olim late disputavimus contra *Beckerum Amstelodamensem EXERC. TEXT. XXIX. Parte I.* Quales qui statuunt Morbo hoc aut illo gravi sed Corporeo tantum laborasse, nec quidquam à Spiritu aliquo infernali passos esse, hi ex suo incredulo ingenio sapientes, vere Euangelium ludibrio manifesto exponunt aliis & habent ipsi, contra quos non est ut heic iterum disputemus. Illa autem Dæmoniorum miserrime homines obsidentium, isto Christi magis quam alio tempore, *Ejectio*, quæ potestatem monstrabat in hostes infernales magnam, uti facta fuerat à Domino ipso sua virtu-

Quorum primum nominatur Dæmoniorum Ejectio in Nomine Christi.

te propria, *coll. Matt.* VIII. 16. 31. XII. 28. *Marc.* XVI. 9. *&c.* nec non à Diſcipulis per ejus vim *Luc.* X. 12. X. 1. 8. *&c.* ita & Chriſtus eam promiſit adhuc futuram à Credentibus, ſed *in nomine ſuo*, ſeu ex ipſius Perſonæ annunciatæ & agnitæ autoritate, per ejus virtutem, & ad ejus gloriam, *coll. Act.* III. 6. 16. IV. 10. *&c.* de cujus Promiſſi impletione in Chriſtianis multis dubitari nequit. Dum nimis profecto liberaliter heic ſcripſit *Grotius*; *Primo loco hoc donum ponit Marcus, quia communiter dabatur omnibus credentibus, quod verum eſſe etiam ſecutorum temporum hiſtoria evincit. Juſtinus M. Coll. c. Tryph.* ἡ νῦν ἡμεῖς οἱ πιςεύοντες ἐπὶ τ ςαυρωθέντα ἐπὶ Ποντίε Πιλάτε Ἰησᾶ χύριον ἡμῶν, τὰ δαιμόνια πάντα ἢ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες ὑποτασσόμενα ἔχομεν. *Et alibi*; ᾧ ἢ τ ᾧ ὀνόματι ἰσχὺν ἢ τὰ δαίμονια τρέμει, ἢ σήμερον ἐξορκιζόμενα ἢ ᾧ ὀνόματι Ἰησᾶ Χριςᾶ *&c.* ὑποτάσσεται. *Ex quibus locis etiam Formulam in Exorciſmis antiquitus uſurpatam eſt diſcere. Irenæus Lib. II. &c. Origenes ad Celſum ait &c. Tertullianus Apol. &c. Minutius Felix &c. Origenes ad Celſum VII. &c. Lactantius &c. Cum vero multa etiam ſeriora ſecula plena ſint teſtimoniis ejus rei, neſcio qua ratione moti quidam id donum ad prima tantum tempora reſtringant, quibus ut uberiorem fuiſſe miraculorum copiam ad jacienda tánti ædificii fundamenta contra vim mundi facile concedo, ita cum illis exſpiraſſe hanc Chriſti Promiſſionem cur credamus non video. Quare ſi quis nunc etiam Gentibus Chriſti ignaris, illis enim proprie miracula inſerviunt* 1 *Cor.* XIV. 22. *Chriſtum ita ut ipſe annunciari voluit annunciet, promiſſionis vim duraturam non dubito. Sunt enim* ἀμεταμέλητα τ θεᾶ δῶρα. *Sed nos, cujus rei culpa eſt in noſtra ignavia aut diffidentia, id ſolemus in Deum rejicere.* Scilicet Dæmoniorum Ejectionem primo inter Signa Extraordinaria loco nominavit Dominus; non quod illud Donum eſſet communius, nedum univerſale prorſus; ſed quod hoc eſſet revera maximum, tanquam vim monſtrans ſupra ipſos ſpiritus potentiſſimos. Nec minus quidquam voluit Paulus de Donis cum Vocatione ἀμεταμελήτοις loquens; quam Dona Miraculorum atque Ejectionis adeo Dæmoniorum durare per omnia Chriſtianiſmi ſecula. Dum major in nobis indubie foret Culpa, per Miracula temere exſpectata Deum tentare, atque homines alios juxta nos ipſos fallere,

quam

quam non credere extra Dei ſpecialem revelationem, illa nunc à nobis eſſe patranda. Ne quidem in illo caſu ſingulari, ad quem Chriſtus promiſſum ſuum non reſtrinxit, in quo Gentes Chriſti Ignaræ ad ejus fidem eſſent adducendæ. Neque nos aſſerere auſimus, omnes illos, qui apud Chriſtianos per prima ſecula ferebantur tam ſtupendo numero ab obſeſſione liberati, vere obſeſſos fuiſſe; nedum ut omnia aut plurima ſequiorum temporum figmenta Papiſtica pro veris hiſtoriis habeamus unquam, quæ ſi aliqua vera ipſi potius Sutanæ imputanda ad ſuperſtitionis & idololatriæ firmamentum.

XXIII. *Alterum Signum*, illuſtre etiam prorſus, ſequitur iſtud; *Linguis loquentur Novis*. Ergo *loquentur*, ſeu verba rationalia proferent ore ſuo & membris reliquis illuc cooperari ſolitis, inter quæ excellit ſane Lingua; imo loquentur ſeu proferent illa libere, clare, eleganter, conſtanter, prout fieri ſolet ex cordis abundantia *Matt.* XII. 34. *Pſal.* CXVI. 10. *&c.* Deo os aperiente & mutos faciente loqui, *coll. Exod.* IV. 11. 12. *&c.* Et quid loquentur? Indubiè Deum & Divina, cum iis quæ ad hominum ſalutem faciunt, adeoque & Chriſtum cum ipſius gloria & gratia qui ſummam Euangelii conſtituit. Et ad quos loquentur? ac quo ſcopo? Generatim quidem ad Deum adorandum & glorificandum, & ad ſe ipſos erigendos atque excitandos, & ad hoſtes conterrendos atque conterendos; ſed heic ſpeciatim ad Homines alios inſtruendos atque convincendos ſi non convertendos, ad quod ex fraterna charitate omnes Chriſtiani, ſed ex officio inprimis Doctores obligantur & operantur, *coll. Matt.* X. 27. *Tit.* II. 15. I *Cor.* II. 6. 7. *&c.* Enimvero id quod heic potiſſimum ſpectatur, eſt iſte loquendi Modus, quod futurum eſſet ut loquerentur *linguis*, pluribus & tantum non omnibus neceſſariis vel utilibus, iisque *novis* ſimul. Aliena hinc eſt propria *linguarum* notio, *coll. Jac* III. 5. 6. *&c.* per quam ad loquelæ inſtrumentum illud ducimur; quod tamen in ſalvandis quoque innovatur, non quidem ſubſtantiæ ſed qualitatum & actionum reſpectu, cum aliis membris & mentis facultatibus. Sed *linguæ* heic ſunt dialecti, quibus eloquuntur diverſiſſimæ gentes omnes ſua cogitata, poſt antiquum & ſeverum Dei judicium apud Babelem, quod alias aſſeruimus & à torſionibus indecentiſſimis vin-

Alterum Linguarum Novarum Loquela.

dicavimus *EXERC. TEXT. I. Parte VI. coll.* 1 *Cor.* XII. 10. *&c.* Et quæ dicuntur heic *novæ*; non abſolute, reſpectu terræ totius, vel etiam cœli ipſius, quaſi nunquam antea & nuſquam auditæ; ſed relate ad loquentes, qui illas antea non noverant, nec didicerant uſu longiore & induſtria ſua humana, alías appellatæ *aliæ*, ſed communiter dictæ γένη γλωσσῶν, & γλῶσσαι ſimpliciter, addentibus ſæpe Interpretibus epitheta *alienarum*, vel *peregrinarum*. Ut nihil aliud velit Chriſtus, quam in majorem & faciliorem diffuſionem Euangelii apud Gentes omnes dandum eſſe hoc Chriſtianis, ut non una aut altera dialecto quam uſu vel arte didiciſſent, ſed omni neceſſaria & utili, loquerentur ſubito cum intellectu, ac ſi imo magis quam ſi illam omnem addidiciſſent ab hominibus; quo ſic cum omnibus per orbem hominibus feliciter agere poſſent in rem Chriſtianam. Quemadmodum hoc Donum Linguarum, conceſſum tempore Pentecoſtes Diſcipulis una cum ſymbolicis *Linguis quaſi Ignis*, non ſciſſis, ſed *diſtributis* inter eos *Act.* II. 3. 4. (de quibus diximus *EXERC. TEXT. XXXVI. Parte II.*) dein etiam apud Chriſtianos vere obtinuit, & quam maxime celebratum fuit *Act.* X. 46. XIX. 6. 1 *Cor.* XII. 10. 30. XIV. 2. *&c.* Prout eſt illud vere magnum & admirabile, ad mentem æque quam ad corpus ſpectans; & hinc forte præpoſitum duobus aliis quæ ſequuntur, quæque ad corpus ſolum fere pertinent. Dum *Grotius novas* recte dicens linguas, *quibus quiſque loqui non ſoleret*, aliud ſuggerit; *Hoc quoque donum latiſſime patuit. Non enim Apoſtolis tantum & Euangeliſtis, ſed aliis etiam multis credentibus*, (non ergo omnibus) *fuit conceſſum, ut videre eſt Act.* X. 46. *&* XIX. 6. *& ex Epiſtola ad Corinthios.* Dum tamen de Dono hoc tanquam aliis communiori nihil magnopere nobis conſtat. Quod non fuiſſe perpetuum ſeu permanens in iis qui illud habebant, ſed ad momenta loquelæ actualis certa quædam unice reſtrictum, urſit quidem magnoperè *Ill. Salmaſius*, ſed male & invalide, uti & nos oſtendimus *loc. cit.* quamquam ſingularem Dei concurſum ſemper in hoc dono fuiſſe neceſſarium minime negemus.

Tertium ſtud, Serpentes tollent, & ſi

XXIV. *Tertium Signum* in credentibus ſecuturum conſtituitur per ipſorum Vim & Tutam adverſus maxime noxia Securitatem *verſ.* 18. *Serpentes tollent, & ſi quid mortiferum biberint,*

*berint*, *nequaquam eos lædet*. In *ſerpentibus*, animalibus noxiis humano generi inde à primo Lapſu Paradiſiaco, per morſum & venenum ſuum, & quidem diverſiſſimi generis, (ἔφεων καὶ σκορπίων mentio fit *Luc.* x. 19.) intelligere ſynecdochice licet quævis etiam alia rapacia & deglutientia ſive in terra ſive in aqua ſive in aere reperta, *coll. Pſal.* xci. 13. *Jeſ.* xi. 6–8. *&c.* Et hos *tollere*, (ἐν ταῖς χερσὶν, *in manibus* additum eſſe *in quodam Codice MS.* monuit *Beza*,) poſſet eſſe eos, vel *auferre* de locis ſuis, vel *occidere* & conterere, ut nocere amplius non poſſent, ſive vi reali adhibita, ſive etiam maledictione orali. Sed familiarius eſt hoc verbum exponere de Apprehenſione per manum, ſive fortuita tantum, qualis agnoſci poteſt in Paulo, quando *vipera ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα καθῆψε τῆς χειρὸς αὐτοῦ Act.* xxviii. 3. *&c.* ſive etiam deſtinata ad eorum contemptum manifeſtum, cum irritationis quadam ſpecie, quæ tamen abſit ab omni tentatione Dei atque animi levitate vana ac temeraria. Dum ſenſum hujus verbi futuri, non præceptivum aut prædicativum ſed conditionalem, ac ſi dictum eſſet *ſi ſerpentes ſuſtulerint*, arguit heic manifeſte ſatis ſequens membrum, &, non *bibent*, forte vel ſtudioſe, ſed, *ſi quod mortiferum biberint*, improvido potu vel nefarie iis propinatum ab aliis, etiam perſecutoribus, unde mors forte vel certe ſequatur, vel ſerius vel potiſſimum ocyus, non utique per oſtentationem ineptam & impiam. Scilicet dum ex veneno ſic hauſto, non minus quam à Serpentum Morſu, erat alias exſpectanda Mors, cum reſpectu ad utrumque illud ſubjicitur *nequaquam*, vel hoc vel illud, *eos lædet*, ullum malum vel minimum adferendo; tantum abeſt, ut mors inde ſit conſecutura in eis. Ad cujus rei, neutiquam ſane univerſalis vel perpetuæ, implementum merito confertur exemplum Pauli ex *Act.* xxviii. 4–6. qui ἀποτινάξας τὸ θηρίον εἰς τὸ πῦρ ἔπαθεν οὐδὲν κακὸν, unde fuit, quod Barbari cum fruſtra exſpectaſſent intumeſcentiam & mortem celerrimam Pauli, videntes μηδὲν ἄτοπον εἰς αὐτὸν γινόμενον, μεταβαλλόμενοι dicerent illum eſſe Deum. Dum non minus forte conferri meretur ipſius Pauli θηριομαχιὰ alia Epheſina ex 1 *Cor.* xv. 32. de qua prolixius diximus *EXERC. TEXT. XLVII. Parte V.* Dumque ad alterum cicutæ vel veneni alterius bibendi caſum ſcripſit *Grotius*, *Quod*

quod mortiferum biberint, nequaquam eos lædet.

*quidem de Johanne Apoſtolo referunt, de Barſaba Euſebius ex Papia, de Victore milite Cilice Martyrologium Adonis ad pridie Eidus Maii, de Sabino Canuſino Epiſcopo Gregorius Turonenſis, de aliis alii. Sed & Thalmudiſtæ cognatum quendam Joſuæ filii Levi, cum venenum bibiſſet, pronunciato Jeſu nomine convaluiſſe narrant.*

Quartum tandem & hoc, ſuper Ægros manus imponent, & bene habebunt.

XXV. Tandem adhuc *Signorum* horum *Quartum* genus additur, Sanationis illud; *Super ægros manus imponent & bene habebunt.* Nullum heic diſcrimen *ægrorum*, ſeu ἀῤῥώστων, quoad morbi vel ſpeciem vel gradum vel durationem, ut heic ſubintelligi poſſit illud ᾧ δήποτε κατείχοντο νοσήματι, vel etiam ægrorum numerum; dum nemo id intelligat tamen apte de omnibus & ſingulis illis ſine ulla exceptione, quod de quibusdam talibus eſt dictum. *Super* ægros, tales quosdam & multos, *manus imponent*, ut in benedictionibus antiquitus fieri ſolebat, ad auxilii Divini implorationem. Quod heic oppoſitum debet credi, non verbis omnibus, quaſi his nullis fuiſſet utendum; neque aliis quibusvis geſtibus & ritibus magis aut minus ordinariis, quaſi hi omnes plane exulare debuiſſent; ſed Remediis quibuscunque, non jam dicam magicis aut ſuperſtitioſis quæ per ſe illicita, ſed phyſicis, per quæ ſanitas ab hominibus reſtitui ſolet communiter, ſive citius ſive ſerius, ſi rite & recte adhibeantur. Et ad illam Manuum Impoſitionem factam, *bene habituri* erant ægri, & certo & cito, ad majorem Dei & Chriſti gloriam, reſtituta feliciter ſanitate, & pulſa ægritudine. Quod Donum eo modo à Paulo exercitum *Act.* XXVIII. 8. cum ad patrem Publii febribus ac dyſenteria laborantem ingreſſus precatusque *impoſitis illi manibus eum ſanavit*, accedente hinc & ſanata ſimiliter reliqua infirmorum turba *verſ.* 9. & quod communiter nominatum cum aliis 1 *Cor.* XII. 9. 28 30. etiam conceſſum & exercitum fuerat in Chriſti nomine ab Apoſtolis ante ejus mortem *Matt.* X. 18. *Marc.* VI. 13. *Luc.* IX. 1. 6. X. 9. *&c.* uti dein cum effectu adhibitum *Act.* IV. 14. V. 16. VIII. 7. XXVIII. 9. quin & commendatum ut exerceretur *Jac.* V. 14. 15. ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν προσκαλεσάσθω τὺς πρεσβυτέρυς τ ἐκκλησίας, κ προσευξάσθωσαν ἐπ' ἀυτὸν ἀλείψαντες ἀυτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τ κυρίυ, κ ἡ ἐυχὴ τ πίστεως σώσει τ κάμνοντα, κ ἐγερεῖ ἀυτὸν ὁ κύριος &c. ubi ra-

tamen nulla fit mentio Impoſitionis manuum, ſed pro hac ſubſtituitur *Unctio in oleo in nomini Domini*, ante mortem quoque facta. Ex quo textu, olim à nobis plenius tractato *EXERC. TEXT. XLV. Parte I.* concluſit heic *Grotius*; *Donum ſanationum videri communiter fere conceſſum omnibus qui regimen Eccleſiæ acceperant, nam manuum impoſitio viſibile ſignum eſt precationis cujus Jacobus meminit.* Quod tamen inde minus neceſſario colligas, & nondum credentibus omnibus donum hoc commune faceret. Egregie nobis heic placet Commentarius *Franc. Lucæ Brugenſis* in variis membris ſuis; *Hac ceremonia, manuum inquam impoſitione, plerumque uſus eſt Chriſtus in ſanandis ægrotis, vid. Luc.* IV. 40. *nec tamen hanc præſcribit ut neceſſariam, nam ſicut ipſe frequenter ſolo juſſu morbos fugavit, ita & ejus Diſcipuli in nomine ipſius; & quid dico juſſu? etiam umbra præſentiæ ſuæ, & abſentes ſudariis ſuis Act.* V. 25. XIX. 12. *ut Chriſtus fimbria veſtis ſuæ Matt.* IX. 20. XIV. 36. *Nec enim Chriſti mens eſt omnem hic modum exprimere, quo miracula edenda ſint, ut nec omnia miracula enumerare, & ne maxima quidem, ubi enim mortuorum Suſcitatio cujus exemplum extat Act.* IX. 10. *ſed quædam magis crebra futura recenſere ex multis. Per dicta Signa, inquit Euthymius, etiam ea innuit quæ prætermiſſa ſunt, dixit enim in præcedentibus, quod omnia poſſibilia ſunt credenti. Nimirum ut liberalis ac magnificus promiſſor plus præſtitit Jeſus quam promiſerat. Verum non armavit ſuos facultate edendi terrifica miracula, quibus mundo terrorem incuterent, ſed utilia dumtaxat atque benefica qualia ipſe prior ediderat, ita ut non ſeveritate ſed beneficentia mundum ſibi conciliarent, & utilibus miraculis teſtarentur ſalutem quam Euangelium humano generi adferret. Quod poſtremum eſt, non promittit hic Chriſtus ſingulis fidelibus, quibus danda eſt gratia Signorum, donandum ut omnia jam recenſita Signa queant edere, ſed quod unum fidelium hoc Signorum genus, alium aliud eſſet ſequuturum, quamquam Apoſtolis datum fuiſſe videatur, ut omnia poſſent. Teſtatur Paulus, diviſiones eſſe gratiarum, & alii quidem per Spiritum S. dari gratiam ſanitatum, alii vero operationem virtutum, alii prophetiam, alii genera linguarum, nec omnes gratiam habere curationum, aut prophetare, aut linguis loqui &c. Cæterum ipſi corpori Chriſtianæ Eccleſiæ omnia promittuntur,*

*ſed*

*ſed ita ut per unum membrorum ſuorum hoc poſſit, per aliud aliud.*

Quæ promiſſa non debent pro Abſolutis & plane Univerſalibus haberi.

XXVI. Ita per ampliſſimum hoc promiſſum docet nos *Marcus*, quod ita cum ſuis eſſet ad finem ſeculi uſque futurus Dominus, reſpectu gratiæ neceſſariæ ad ipſorum ſalutem & Miniſterii ſucceſſum; ut exigente illud Chriſtianiſmi traditione apud Gentiles & Judæos prima, & promotione majori, etiam Signa Extraordinaria adderet ad ſatis longum tempus, ſed vix certe à nobis determinandum, propter mille fabulas ab ævo hiſtoriæ heic mixtas. Neque enim hoc dixit Chriſtus, quod iſta Signa ſint ſecutura credentes omnes, niſi ſenſu antea dato, nedum ſecutura ſemper per omnia ſecula, poſtquam Euangelium ſic ſatis Gentilibus & Judæis per antiqua illa ſigna confirmatum foret, docente id palam eventu. Dum lubens concedo, ut ſigna in omnibus urgeantur hæc ſecutura, ſenſu hoc velillo allegorico ſeu myſtico. Quem ad modum certum eſt; Credentes omnes, ex ſe primum, dein ex aliis, ejicere affectus & operationes perverſas malorum ſpirituum, per nomen Jeſu, *coll.* 2 *Tim.* II. 19. ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Χριστοῦ &c. Credentes deinde loqui prorſus, ſed alia & aliter quam ſolebant ante ſuam innovationem, *coll. Jac.* II. 12. οὕτω λαλεῖτε καὶ οὕτω ποιεῖτε ὡς διὰ νόμου ἐλευθερίας μέλλοντες κρίνεσθαι; Credentes porro, nec ab Infernali Serpente, nec ab ejus veneno mortifero ſibi habere metuendum, contra quem & quod ex adverſo ipſis datur gloriari, *coll. Rom.* VIII. 28. 38. &c. οἴδαμεν δὲ ὅτι τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν, τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν &c πέπεισμαι γὰρ, ὅτι οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις, οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα δυνήσεται ἡμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν; Credentes tandem per imploratum manibus ſublatis Dei auxilium cœleſte ſanare ſua & aliorum fratrum corda confracta, vulnera & ulcera fœda peccati, omnesque ægritudines hinc contractas, *coll. Luc.* XXII. 32. καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου, &c. In quales gloſſas nos etiam heic duxit *Grotius*; *Notandum autem eſt, omnia hæc σημεῖα non per ſe tantum eſſe benefica, ſed & expreſſas in ſe continere imagines eorum beneficiorum, quæ animis per Euangelium contingunt.* Et

quæ

quæ mihi multum placent præ illis quæ paulo antea ſcripſerat Vir Cel. nondum exſpiraſſe hanc Chriſti Promiſſionem ad literam intellectam, unde & hodieque Miracula à nobis exſpectari queant per eandem promiſſionem. Ex quibus heic ſapuiſſe, ne dicam deſipuiſſe, obſervo *Cl. Vitringa in Orat. de Imped. Chriſtianiſmi, habita A.* 1691. quando *deplorat Defectum præclari illius Religionis Chriſtianæ Ornamenti, ejusque propagandæ Inſtrumenti, Doni Miraculorum. Quem non tam mutato curſui Divinæ providentiæ, quam noſtris Vitiis, & præſertim quidem Languori Fidei noſtræ adſcribit.* Quæ verba quorſum tendere queant, nunc non inquiram plenius; longe potius in præſenti dudum Eccleſiæ Statu ab illa Miraculorum patrandorum Fide avocans, ubi nulla ſunt eorum exſpectandorum fundamenta ſolida, quam de Fidei illius Languore conquerens, & homines ad eam impellens, quæ in grave damnum & ludibrium publicum Eccleſiæ facile exiret; ad exemplum illuſionum *Fanaticarum* inter Chriſtianos, & Dæmoniacarum apud Judæos, qualis illa ſub Theodoſio Juniore apud *Socratem* & alios, per Moſen Cretenſem Exſiccatum Mare cum innumeris ſuorum tranſiturum in Palæſtinam, ſed irrito & flebili conatu. Imo ne facere quidem ego poſſum cum *Doct. Voſſio*, quando *non dubitat, quin hodieque iis qui Gentibus Chriſti neſciis prædicare volent Euangelium paratus ſit Chriſtus idem donum Miraculorum impertiri.*

De Loco & Tempore hujus Apparitionis Chriſti pauca adhuc adduntur.

XXVII. Atque ſic ad finem perducta hac Chriſti Apparitione ſolenni in Galilæo Monte, quod expreſſe habet *Matthæus*, miror valde, quo pacto potuerit *Beza* ſcribere *ad verſ.* 17. *omnino hanc eandem illam eſſe hiſtoriam, ſive tempus, ſive locum, ſive Chriſti verba quaſi diſcedentis ſpectes, atque illa quam poſtremam narrat Lucas* XXIV. 20. *& Act.* 1. 4. Eſt enim clarum, illa Lucæ ſpectare ad Urbem Jeruſalem ejusque viciniam proximam, non ad Montem Galilæum valde inde diſſitum. Nec ſemper diſſimilia, ſed potius ſimilia, poſt Reſurrectionem quandoque dixit, ut ea Diſcipulis tanto magis & paulatim latius inculcaret. Quin nec tantam ſimilitudinem verborum heic reperio cum iis, quæ *Lucas* habet apud Ultimam Chriſti Apparitionem Jeroſolymitanam. Et quod ad *Tempus* attinet, non habet quidem *Matthæus* aliam aliquam poſt hanc,

de Aſcenſione ipſa quoque tacens juxta Johannem; ſed expreſſiſſime ponit Paulus, poſt Viſionem illam quæ plus quam Quingentis Fratribus ſimul contigit, (utique in Monte Galilææ ſecundum ante dicta,) aliam, non modo unam ſingularem factam Jacobo, de qua diximus *Cap. VIII.* ſed & alteram communem τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν *Apoſtolis omnibus* 1 *Cor.* xv. 7. ante Aſcenſionem ſuam longe verius quam poſt eam. Unde rerum geſtarum Ordo Apparitionem hanc omnino conſtituere jubet, poſt eas quæ Diſcipulis pluribus ſimul contigerunt, non modo in Jeruſalem bis uno & altero Die Primo Septimanæ, ſed & apud Mare Tiberiados, quæ expreſſe Tertia dicitur *Joh.* xxi. 14. & quas tres Paulus ſpectavit ſimul aptiſſimè in illis, εἶτα τοῖς δώδεκα, proxime ſeu ante ſeu potius poſt illud quod Jacobo ſingulatim contigit *verſ.* 7. Id vero neutiquam determinare licet, quot Dies interceſſerint inter Apparitionem ad Mare & hanc in Galilæo Monte ab anteriori, vel etiam inter hanc & Jeroſolymitanam cum Aſcenſione junctam à poſteriori parte; nedum ut Horam Diei nominare poſſimus certam, matutinam vel veſpertinam, cum nulla heic indicia perinde, ut apud Mare & Jeroſolymis primo Reſurrectionis Die, occurrant. Dum hoc tamen agit *Doct. Ligtfootus ad Act.* 1. 4. ut monſtret, Apparitionem hanc contigiſſe in *Secundo Die Paras Pentecoſtalis*, ſeu Decimo & Tertio ante Pentecoſten, qui fuerit *Dominicus*, unde ad mandatum Chriſti Jeroſolymam tendentes illic intra proximum triduum appulerint.

Certitudo Reſurrectionis Chriſti ex hac Apparitione ejus potiſſimum conſtare debet.

XXVIII. Interim vide & attende cum pietate decenti hanc Redivivi Domini Apparitionem omnium Illuſtriſſimam, ut in eum cum certitudine immota & fiducia plena credas ad ſalutem. Hæc nempe eſt Apparitio, ſæpius ab ipſo Domino immediate & mediate promiſſa antequam contingeret, quam decebat impleri & implevit validiſſime. Hæc eſt Apparitio, ad quam omnes undique Diſcipuli & Fratres juxta Apoſtolos confluxerunt, tam ſuperſtites jam tum quam beatè mortui, ut viderent ipſi ab aliis narrata & promiſſa, & ſic per orbem ea firmarent ſimul. Hæc eſt Apparitio, facta loco deſignato antea ipſiſſimo, & tempore oportuniſſimo. Hæc eſt Apparitio, quæ ab omni dubitatione maximam Multitudinem

li-

liberavit, & ipſum adorare religioſiſſime coëgit; cæteris paucis merito notatis propter inexcuſabilem non tam incredulitatem quam Dubitationem ipſam. Hæc eſt Apparitio, in qua Viſus Jeſus ſimul ſe audiri fecit voce clara, qua & Majeſtatem ſuam proclamaret, & Miniſtros Eccleſiæ ſuæ pro autoritate ſua ſuprema ordinaret, inſtrueretque de Munere decenter exſequendo, & Promiſſa ampliſſima ac duratura ipſis faceret, & Miraculorum Donum ſtupendum addiceret. Hæc eſt adeo Apparitio, quæ nihil dubii relinquit attendenti de Reſurrectione vera Apparentis, quam hinc prædicarunt conſtanter illi qui viderunt & audiverunt Diſcipuli, & prædicantes admiſit cum fide Orbis Chriſtianus.

---

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### *Quo Ultima Chriſti Redivivi Apparitio apud ejus Aſcenſionem explicatur.*

Poſt iſta geſta in Monte Galilææ Conſtituto Chriſtum non mox & directe aſcendiſſe in Cœlum, ſed ſe denuo Diſcipulis ſuis præcipuis, qui omnium præ aliis forent Teſtes, ſtitiſſe præſentem ut his ſolennius valediceret, monuit clare Paulus, per illud 1 *Cor.* XV. 7. ἔπειτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν, ſcil. ὤφθη, *poſtea Apoſtolis omnibus viſus eſt.* Et ponit item *Lucas Cap.* XXIV. 50. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & attollens manus ſuas benedixit eis.* Sed & exponit latius idem *Act.* 1. 4.——8. narrans heic I. Quid *Chriſtus* tum *fecerit & dixerit verſ.* 4. 5. II. Quid ad hæc *iſti Dominum rogaverint verſ.* 6. III. Et quid *illis Dominus reſponderit verſ.* 7. 8. Ad quæ ex *Euangelio* accedit *Benedictio* Dominica in eos. Ultimæ Apparitionis Chriſti apud Diſcipulos Analyſis ex Luca.

II. Ergo Perſonæ, quibus hæc Apparitio Chriſti Redivivi poſtrema contigit, fuerunt ex teſtimonio Pauli *Apoſtoli omnes.* Quomodo loquens ille, poſtquam antea *Duodecim illos* jam nominaſſet *verſ.* 5. manifeſtam ſic fecit oppoſitionem, non modo adverſus unum ex illis *Jacobum*, de quo proxime egerat *verſ.* 7. ſed & adverſus *plusquam Quingentos Fratres*, Quæ contigit Apoſtolis omnibus, ſecundum Pauli phraſin.

qui etiam præceſſerunt *verſ.* 6. adeoque ponit hunc Ultimum Eventum contigiſſe non Uni Apoſtolo, neque Quingentorum Multitudini, ſed Apoſtolis tum omnibus tum & ſolis. Sicuti & hi intimæ admiſſionis Diſcipuli nominibus ſuis expreſſi leguntur ad reditum ab Aſcendentis Chriſti Conſpectu *Act.* 1. 13. *Petrus & Jacobus, & Johannes & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Judas Jacobi*; qui eidem numerantur quamquam cum aliquo ordinis imo & nominis diſcrimine *Matt.* x. 2–4. addito etiam Juda proditore, qui jam Apoſtolatu fœde exciderat, & nullum ante Domini Aſcenſionem Succeſſorem adhuc nactus erat. Sed an non etiam *Apoſtoli omnes* videntur à Paulo opponi adverſus *Duodecim illos?* Id equidem neceſſum vix eſſe putem ut dicamus; quando eosdem potuit deſignare Paulus illo nomine Numeri Ordinarii, cum prius aliquod geſtum de iis narraret, & altero nomine Muneris ipſius, cum poſterius aliquod factum traderet, ſublata omni difficultatis vel minimæ ſpecie, ſi poſteriori loco ſubintelligas *iterum*, quod ex narrationis filo eſt ſatis neceſſarium. Si tamen urgeas iſtam oppoſitionem, conjiciam, quod quando *Duodecim illos* nominavit antea Paulus non ita fuerint præſentes Apoſtoli *omnes*, quam nunc erant ultima vice, hinc addito hoc ſyncotegoremate nunc tantum; neque enim in prima viſione Jeroſolymitana apud Apoſtolos præſens erat Thomas, neque in tertia Tiberienſi plures alii, & forte à ſecunda Jeroſolymitana pro Thoma præſente tunc abfuit alius quiſpiam eorum. Quod mihi quidem fit longe veriſimilius, quam ut poſt mentionem plus quam Quingentorum Fratrum, nunc & Apoſtolos latiſſime intelligamus de omnibus Chriſti Diſcipulis LXX. vel pluribus. Quo pacto apud *Doct. Eſtium* lego; *Non dicit, Undecim aut Duodecim, ſicut ſupra, ſed omnibus Apoſtolis. Quo nomine etiam alios quoſdam extra Duodecim illos Scriptura ſubinde comprehendit. Chryſoſtomus & Theophylactus ad LXX Diſcipulos extendunt, quod & Cajetano placet. Eadem fere ſententia eſt Hieronymi, ſcribentis ad Fabiol. Manſ. VI. Diſſerens enim de LXX Chriſti Diſcipulis per LXX Palmas ſignificatis ita ſubjungit; de quibus & Paulus refert, quod apparuerit Dominus primum Undecim, deinde Apoſtolis omnibus, alios*

*volens*

*volens intelligi primos, & alios ſecundos Chriſti Diſcipulos. Sic ille, ſubindicans ſolos LXX Diſcipulos hoc loco ſignificatos eſſe, cum verius ſit, uti alii ſentiunt, hic etiam primi ordinis Apoſtolos comprehendi.* Quando recte pergit ille; *Eſt autem ſermo, non de Manifeſtatione facta in monte Galilææ, &c. nam de ea tertio loco dictum eſt, ſed de poſtrema, quæ facta fuit ipſo die Dominicæ Aſcenſionis, ſive Hieroſolymis, ſive in monte Oliveti, quæ duæ pro una ſupputantur propter continuationem, quia ſicut ait Lucas duxit eos foras in Bethaniam, i. e. ex Hieroſolymis ad montem Oliveti, in cujus latere Bethania ſita erat.* Sed & temere denuo ſubjicit; *Multos autem illic adfuiſſe præter Undecim Apoſtolos, ſatis colligitur ex hiſtoria Act. 1. &c.*

III. Quod his *Apoſtolis*, ſic etiam dictis *Act.* 1. 2. omnibus contigit, ſecundum Pauli phraſin generalem, eſt quod Dominus Redivivus illis *Viſus ſit*, ὤφθη, ſeu apparuerit palam, ſecundum Apparitionum priorum modum. Dum paulo ſpecialius eſt illud *Lucæ*, quod fuerit μετ' αὐτῶν *cum eis*, Apoſtolis, συναλιζόμενος, ita ut & *eduxerit eos foras in Bethaniam.* De verbo συναλίζεσθαι non deſunt heic criticæ obſervationes, etiam ex occaſione *Vulgati*, id reddentis per *conveſci. Pro quo nonnulli ſcribendum cenſuerunt, converſans, ſed perperam*, inquit *Beza*; *Nam & Syrus Interpres & Arabs* τὸ συναλίζεσθαι *putarunt idem valere atque* συνεσθίειν, *i. e. una cibum capere, quod Chriſtum à reſurrectione ſemel atque iterum feciſſe Lucas & Joannes teſtantur, quoniam* ἁλῶν *i. e. ſalis nomine Græci mutuum quoque convictum interdum ſignificant. Sed non puto apud ullum Scriptorem extare hujus ſignificationis verbi* συναλίζειν *exemplum, utpote quod non ab* ἅλις *ſed ab* ἁλιὰ *deducatur, quod aggregatum cœtum apud ideneos ſcriptores ac præſertim Herodotum ſignificat. Eraſmus, Converſans, non ſatis recte; non enim hac periodo declaratur quid egerit Chriſtus, ut fidem ſuæ reſurrectionis faceret quadraginta illis diebus, ſed quid egerit cum Apoſtolis, cum jamjam eſſet, fide reſurrectionis ſuæ abunde facta, in cœlum aſſcenſurus. Quidam legunt,* συναυλιζόμενος, (per Librarii culpam ſecundum *Camerarium*,) *quod declarat eodem uti hoſpitio, ſive contubernalem eſſe, ac proinde eadem ratione atque prius illud refellitur, niſi accipi velimus prò ſub unum veluti tectum convenire, quæ ſignificatio noſtram interpretationem confirmat. Auguſtinus*

A quibus viſus eſt, ita ut fuerit cum eis συναλιζόμενος.

*adv. Felicem Manich. hunc locum citans vertit, conversatus.* Convertit autem *Beza* ipse, *cum illis conveniens*, atque annotavit; *Verbum* συναλίζεσθαι *ab activo* συναλίζειν *deductum idem valere atque* συναθροίζεσθαι, *& quidem passive acceptum ex perpetuo Græcorum scriptorum usu satis omnibus Græcæ linguæ peritis constare arbitror, & ex eo quoque liquere potest quod nullum Casum habeat adjunctum, ut significatione Media nullo modo accipi queat. Recte igitur illud Neutro Absoluto conversum est, cui alterum Neutro-Passivum Latine vix ac ne vix quidem opponi possit, & plena est sententia. Christus enim postquam quadraginta totos dies Apostolis in Galilæa dispersis, nec facile absque expresso mandato in urbem Christi sanguine adhuc madentem reversuris, subinde occurrens fidem suæ resurrectionis fecisset, illos volens habere suæ ascensionis testes, idque re ipsa præstare quod per Prophetas prædictum fuerat, inchoandum vid. exhibiti Messiæ præconium ab Hierosolymis, illos ibidem coactos hac quam nunc recitat Lucas extrema concione dignatus est.* Iterum *Schmidius* improbat, quod *Beza inserat* μετ' αὐτῶν, (quod sive adsit sive absit, nihil interest, propter sequens αὐτοῖς non minus facile referendum ad τὸ συναλιζόμενος quam ad παρήγγειλεν,) *quod tamen neque in tribus Erasmi, neque in Basileensi, neque in Tigurina, neque in Stephani, neque in Casauboni editione reperitur.* Atque ipse vertens, *congregans eos*, scripsit; *Ab* ὁ ἅλς *sal derivatum* ἁλίζω *est salio, sale condio, unde* συναλίζειν, *vel in medio* συναλίζεσθαι, *unà sale condire, quod huic loco minime quadraret. Verius ergo ab adverbio* ἅλις, *satis, abunde, item confertim, coacervatim, Iliad.* γ. περὶ δὲ τρωαὶ ἅλις ἦσαν *&c. Inde* ἁλία *congregatio apud Herodotum,* ἁλίζω *congrego, &* συναλίζω *in unum congrego. Herodotus Clio. &c. Et Xenophon Lib. I.* Παιδ. *Rursus Herodotus. Clio,* οὕτω μὲν δὴ συναλίζοντο, *&c.* In quam rem latius ex Scriptoribus monstrandam quoque excurrit *Camerarius*, passivum tamen heic verbi sensum urgens; quem ille non ad unicum actum refert, sed ad id quod Diebus Quadraginta solitus erat agere. Enimvero, sicuti nulla est ratio heic legendi, vel συναυλιζόμενος, vel συναλισκόμενος, vel συναλισγόμενος, qualia apud *Job. Millium* reperio; ita sensus ille *conveniendi* vel *congregandi*, active vel passive aut neutraliter, heic satis aptus est. Atque hoc plane credo velle *Lucam*, quod Dominus

una

una *cum illis*, Apoſtolis ſuis, *convenerit*, ſive *congregatus fuerit*, non jam per plures vices ſucceſſivas, ſed etiam hac ultima poſt alias; ſive ſine condictione aliqua antecedente, ſive ex ea potius facta à Domino, forte etiam cum ſcopi ſui additione, ne quiſquam ex Undecim abeſſet. Ubi autem fuerit habitus hic conventus, non eſt expreſſe additum, ſed ex ſequelis videtur liquere, æque quam Tempus ejus; ſi quidem illo eodem die aſcendit Dominus, in vicinia Jeroſolymæ, quam urbem ille relinqui à Diſcipulis nondum voluit, hinc etiam à monte Oliveti eandem mox repetentibus. Ubi prætermittere non decet quæ heic ſcripſit *Cel. Ligtfootus*, poſt recte agnitam *Congregandi* notionem in verbo συναλίζεσθαι; *Quærimus de Loco & Tempore, ubi & quando hæc acta & dicta &c. Chriſtus poſt reſurrectionem Diſcipulis nunquam apparuit niſi ex inopinato & non exſpectatus, excepta tantum Apparitione ejus in monte Galilææ, ubi conventionem ipſe indixerat conſtitueratque. Huc ergo verba quæ tractamus retulerim, ut* συναλιζόμενος μετ' αὐτῶν *hoc denotet, congregatus cum iis in monte Galilææ, ubi ipſe conventionem indixerat. Nec obſtat illud quod dicitur,* ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, *ac ſi jam eſſent Hieroſolymis; cum & verba proxime ſequentia* οἱ οὖν συνελθόντες *verſ. 6. conventum eorum iſto in loco indicent, & verba* παρήγγειλεν αὐτοῖς *&c. optime ſumi poſſint, juſſit ut concedant illico Hieroſolymas, nec inde diſcedant. Opinamur igitur, hæc acta & dicta eſſe in Monte Galilææ, ubi coactos credimus Quingentos Fratres, idque appropinquante jam tempore Aſcenſionis ejus. Nam ipſa ſuadet ratio, eos non tardaſſe reditum ſuum ad urbem, cum ille eos illuc amandaſſet, nec illum eos illuc amandaſſe, niſi cum appropinquaret jam tempus, quo ille eos ibi conventurus erat. Et cum addat, & eodem loco & ſermone,* δι' ἡμερῶν πολλῶν ταύτας *verſ. 5. neceſſe eſt ut vox* ταύτας *vim ſuam retineat, nam non additur fruſtra, & reſpicere videtur dies adhuc intercurſuros ad Pentecoſten.* Diſſerens tum porro de *Paras Paſchatis*, & *Pentecoſtes*, & *Scenopegiæ*, per ſpatium quindecim dierum ante feſta illa. Quæ ſi lectoribus placuerint non eſt cur nos opponamus multum, dum res ipſa videtur omnino eſſe vera, quod ex Domini juſſu aliquo in Galilæa, vel ſaltem anteriori, Apoſtoli iverint Jeroſolyma, ubi eos convenerit Dominus deinde.

Nec

Nec male *Ligtfootus*; *Inde ille eos amandat ad Hieroſolymam, in quam urbem ſanguine Domini ſui jam cruentatam parum animi forſan illis redeundi, abſque ſpeciali aliquo mandato; & putasne eos Feſtum Pentecoſtes celebraturos, vel etiam adfuturos iſthoc loci, niſi jubente Magiſtro?* Tantum, cum in hoc præſenti textu non feratur Chriſtus dixiſſe, ut abirent in Jeruſalem, ſed potius ut à Jeruſalem non recederent, qui nec deinde demum in Jeruſalem iviſſe feruntur *verſ.* 6. hinc facilius omnia fluunt, ſi hanc Congregationem, utſque ex Condictione factam æque quam illam in Monte Galilææ, agnoſcamus contigiſſe in Jeruſalem, ita ordinante Domino, & exigente etiam Feſti Pentecoſtalis appropinquatione majori idem ſimul.

Eoſque eduxerit foras uſque in Bethaniam.

IV. Non manſit autem Chriſtus cum Apoſtolis ſuis, quibus ſe præſentem ſtitit, in urbe Jeruſalem, aut illic ab eis ablatus eſt, ſed & ἐξήγαγε αὐτοὺς ἔξω ἕως εἰς βηθανίαν, *Luc.* XXIV. 50. ſicuti & poſt Chriſti Aſcenſionem de Apoſtolis ſcribitur *Act.* I. 12. τότε ὑπέστρεψαν εἰς ἱερουσαλὴμ ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου ἐλαιῶνος, ὅ ἐστιν ἐγγὺς ἱερουσαλὴμ σαββάτου ἔχον ὁδόν. Ergo hoc eſt ſecundum, quod *illos*, ſolos & omnes, *foras*, ἔξω, ſeu extra Domum Conventus, & Urbem quoque Jeruſalem, in quam dehinc mox *redierunt Act.* I. 12. minime autem aliam aliquam incertam Galilææ urbem, de qua nullus plane heic eſt cogitandi locus, (etiamſi hoc ipſe etiam inculcaverit *Voſſius*, *non videns cur Hieroſolymis potius quam è Galilæa ad Olivarum Montem eductos credamus*, & temere ponens, *Jeſum poſtquam ſe exhibuerat Diſcipulis in Galilæa hos dici eduxiſſe foras in Bethaniam*, quod nuſquam legitur ſed & legi poſſet ſine immediatæ ſucceſſionis ſignificatione,) *eduxerit*, non ſolo juſſu oris ſui, ſed & exemplo pedum ſuorum, minus tamen viſus ab aliis hominibus per cauſas complures facile conjiciendas, haud illubenter aut trepide ſequentes, non modo verſus ſed & *uſque in Bethaniam*, locum Jeroſolymis ſatis propinquum & ex Euangelica hiſtoria notum juxta Bethphage illi junctum πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, *Marc.* XI. 1. *Luc.* XIX. 29. Bethania vero cum diſtitiſſe feratur à Jeruſalem *Quindecim Stadia Joh.* XI. 18. dum reverſi à Monte Oliveti ut loco Dominicæ Aſcenſionis Apoſtoli tantum habuerunt abſolvendum *Iter Sabbati*, quod vel quinque vel ſeptem ſtadiorum fuiſſe dicitur, hinc ſurgit ma-

magnum illud dubium, quod *Ligtfootum* exclamare fecit, *quotnam hic emergunt ſcrupuli!* Sed hi & facile & varie tolluntur, ſecundum dicta olim à nobis latius *EXERC. TEXT. XLI. Parte IV.* quæ non eſt ut heic prolixe repetamus modo. Potuit nempe, inter alia, Mons Oliveti, reſpectu primæ Altitudinis notabilis verſus urbem ab hac diſtare tantum ad Iter Sabbati, ſuper quem longius Diſcipulos eduxerit tamen Dominus. Potuit Dominus deinde ſuos educere in Bethaniam, ſed & inde cum eis regredi in locum propiorem Aſcenſionis. Sed inprimis diſtingui poteſt & debet *Bethania*, Vicus hominum cohabitantium longius ab Urbe diſſitus, à Terræ tractu montano ad illum vicum ſpectante qualicunque modo, ſive ille à Vico ſive Vicus ab illo fuerit denominatus. Utique cum quæreret Chriſtus, inſciis jam ſeu conſciis Diſcipulis, locum magis ſolitarium & patulum, quam habitatum & concluſum, non videtur ille ex Urbe in Vicum, ſed longe potius in Montem campeſtrem iviſſe, ut inde aſcenderet in cœlum. Et hoc eſt quod prolixe inculcavit *Beza*; *Hiſtoria ipſa oſtendit, Chriſtum non ex aliquo loco, ubi incolas multos, ſive alios teſtes ſuæ aſcenſionis haberet, in cœlum aſcendere voluiſſe, ſed ſolos Diſcipulos in aliquam montis Oliveti partem aſciviſſe, iſtius à nobis quod ad humanam naturam attinet ad ultimum uſque diem demigrationis teſtes futuros.* Quin & ipſe illuc propendet palam, Bethaniam ne quidem fuiſſe nomen Vici, ſed tractus illius, etiam ex eo quod *Joh.* XI. 1. poſt Bethaniam memoretur demum ἡ κώμη Μαρίας καὶ Μάρθας, quaſi hic Vicus ſic diſtingueretur ab aliis in eodem Bethaniæ tractu ſitis; & ad Lazari domum ſpectare id quod de Bethaniæ diſtantia illic dicitur. Dum legi & conſiderari tamen optime merentur, quæ alii cogitarunt, atque adverſus illam exegeſin objecerunt, inprimis tum noſter *Doct. de Dieu*, tum Cel. *Ligtfootus* ad utrumque illum *Lucæ* textum. Quamquam porro non legatur, quod Dominus Finem iſtius Eductionis in Bethaniam Diſcipulis ſuis expoſuerit; conſtat tamen fuiſſe hunc, ut inde aſcenderet coram Diſcipulis ſuis id intuentibus palam; quin & mihi ſatis probabile eſt, quod hoc ſuum fatum & factum inſtans non diſſimulaverit Chriſtus apud ſuos, ſed potius idem illis ſignificaverit candide, ut bene ad illud & compoſite attenderent.

Verba Christi ad eos, tum Monitoria, tum potissimum Promissoria.

V. Interea, sive antequam educeret illuc ex Urbe Apostolos Dominus, sive dum id fieret etiam ab eo, tertium hoc ipsis contigit, quod ad illos verba fecerit, tum *Monitionis*, tum *Promissionis*. Siquidem, *Jerosolymis non discedere*, seu ad urbem illam relinquendam mox diutissime aut in perpetuum, seu ad prædicandum Euangelium extra illam promiscue, *sed Patris promissum*, à Patre factum & perinde implendum, *quod ab ipso audiverant*, hi in secunda persona modo compellati, diu antea & nunc novissime de Spiritu copiosissime super eos effundendo, *exspectare*, cum fiducia & patientia, ante suum discessum ab ea, adeoque in ea urbe, *illis denunciavit*, seu clare & serio præcepit. Ubi ad illam constructionem παρήγγειλε μὴ χωρίζεσθαι, non est necessum, sed tamen non ineptum, subintelligi θέλω aut θέλετε aut simile quid, ut Infinitivi tanto magis præbeant sensum Imperativum, & ut oratio ex obliqua in rectam tanto facilius mutetur. Et perinde ad constructionem alteram ἣν ἐπαγγελίαν ἧς πατρὸς μου ἠκούσατέ μου, *quam audistis per os meum* apud *Vulgatum*, notatur optime, illud ἠκούσατέ μου commodissime ex usu verbi suppleri, per παρά, vel ἀπὸ, vel ἐκ, vel διά, &c. *ex me*, uti reddidit *Beza*; ut nullo modo necessum sit, illud μου referre ad nomen πατρὸς, ut reperiamus heic *promissum Patris mei quod audivistis*, absque designatione ejus à quo audivissent ulla. Et hinc, ad Monitionem illam urgendam accedit altera pars verborum *Promissiva*; *Quoniam Johannes quidem baptizavit Aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto, non post multos hos dies.* Ubi errant indubie, qui verba hæc omnia, per ὅτι prioribus connexa, volunt esse ipsissima illa Christi, quæ Discipulis nunc in memoriam revocentur; & ad quæ se attendere exspectatione sua deberent monstrare, *coll. Act.* xx. 35. *&c. Quod nonnulli*, inquit *Beza*, *cum superioribus hæc connectunt, quasi* ὅτι *non* αἰτιολογικῶς *sed* εἰδικῶς *accipiatur, id, præterquam quod durum, etiam videtur non recte affirmari. Nam sæpe quidem Christus illis promiserat Adventum Paracleti, sed istam Baptismi Aquæ comparationem cum ista Spiritus Sancti & Extraordinariorum Donorum effusione de qua hic agitur Discipuli non ab alio audiverunt, quam ab ipso Joanne, cujus verba Christus ipsis in memoriam revocat, ut ejus prophetiæ eventum eo certius expectent.*

*ficent.* Non ſunt igitur hæc verba Chriſti antiqua, ſed nova nunc & præſentia, quibus præteritam gratiam, tanquam longe minorem, comparat cum futura proxime, tanquam longe majori. Quod ad præteritum attinet, in eo loquitur de *Johanne*, nempe Zachariæ filio & præcurſore ſuo inſigni, à Prophetis olim deſignato, & inter Judæos fideles celebrato; & hic ipſe dicitur *baptizaſſe aqua*, ſeu per hanc copioſe ſatis adhibitam corpora abluiſſe, non civiliter, non ſuperſtitioſe, non umbratice, ſed ſacramentaliter; ſine expreſſo Subjecto Baptizato, quod conſtituerunt reſipiſcentes & credentes in populo maxima undique multitudine. Quæ ſi non ſit ratio Indefinitæ locutionis, forte non male ſubintelligas ex contextu ſequente, *vos*, quos, cum aliis juxta me ipſum, Johannes baptizavit; quod certe ita factum quin fuerit dubitari vix poteſt. Ex quo & illud forte fluxit, quod de ipſis Apoſtolis, qui idem fecerant ipſius juſſu, non dixerit hoc æque quam de Johanne; præterquam quod hic eſſet Primus Baptiſta, & ad cujus ipſius verba Dominus heic manifeſte alludit *Matt.* III. 11. 16. *Joh.* I. 26. 31. 33. *&c.* Quod beneficium reſpectu ſignificationis, & obſignationis, & obligationis ſuæ, fidelibus præſtitum, erat vere magnum. *At vos*, inquit Chriſtus ad longe majus aſcendens, *baptizabimini in Spiritu Sancto*, & quidem *non poſt multis hos dies.* Res promiſſa eſt *Spiritus* Dei, independenter *Sanctus*, Perſona verè Divina; quæ Chriſtum apud ſuos exciperet, in ſuis Donis & Operationibus Divinis, non modo Ordinariis ſed & Extraordinariis ſimul, quæ orbem in ſtuporem abriperent juſtum præ omni ſpiritu Humano & Angelico. Atque *in* hoc, ſeu per hunc, quando illi dicuntur *baptizandi*, phraſi ſumpta non tam à communi uſu quam à Johannis Miniſterio Sacramentali, (unde ab hujus verbi uſu abire *Caſtalionem* per affectatam majorem Latinitatis elegantiam, non niſi ægerrime fert *Schmidius*,) ſignificatur, illos deſuper eſſe perfundendos inſigni ſpecie & copia ejus, tum ad purgationem veram & neceſſariam ab impuritatibus omnibus, tum ad actuoſitatem novam internam & externam per os & membra omnia ſecundum Spiritus iſtius impulſum. Quorſum magis apte etiam duci videmur, ſi Spiritum hic non tam ſpectaverit Servator inſtar *Aquæ*, ſub qua ſimi-

ſimilitudine ille alias quoque merito venit, ſeu certo ſeu forte, *coll. Jeſ.* XLIV. 2. 3. *Joh.* VII. 38. 39. III. 5. *&c.* aut *Venti* ſeu Flatus validi, *coll. Joh.* III. 8. XX. 22. *&c.* quam inſtar *Ignis*, penetrantiſſimi, efficaciſſimi, & ſplendidiſſimi, *coll. Jeſ.* IV. 4. *&c.* ſecundum dictum Johannis *Matt.* III. 11. *coll. Luc.* III. 16. *ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & Igne*, cum quo tractato *EXERC. TEXT. XXVII. Parte IV.* etiam plures conferunt iſtud Chriſti *Marc.* IX. 49. πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, & ſecundum Pentecoſtalem Eventum ſymbolicum ipſum *Act.* II. 3. καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, ἐκάθισέ τε ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν. Hoc autem futurum addit Dominus, οὐ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας, *non poſt multos hos dies*, uti habet *Vulgatus*. In quibus *trajectionem conſtructionis* inculcat *Beza*, *dicendum enim fuiſſe potius*, μετ' οὐ πολλὰς ταύτας ἡμέρας; quæ facile admitti poteſt, ad ſenſus facilitatem majorem, ſed tamen forte minus neceſſaria eſt, ſi *non poſt multos hos dies* dicat, non poſt dies multos præſentes, vel tales quales modo labebantur, reſpectu numeri & menſuræ horarum, quin & latitationis Apoſtolorum Jeroſolymitanæ. Quod quomodocunque capiatur, ſignificavit Dominus Apoſtolis, reſtare non annos, vel menſes, vel ſeptimanas plures, antequam illo Baptiſmus in Spiritu ipſis contingeret, ſed *Dies* tantum; non unum aut alterum quidem, attamen *non multos*, ſed paucos, quales revera erant tantum decem ad Pentecoſten reliqui, *coll. Gen.* XXIV. 55. de cujus & *Paras* heic differit *Ligtfootus*. Ubi eſt quidem communior obſervatio, certum Diem non eſſe indicatum à Domino, forte ut in continua exſpectatione vigilarent ipſi tanto diligentius. Sed quidni per illam phraſin clare ſatis ſignificaverit potius ipſum Diem Pentecoſtes? cujus antiquæ celebritati conveniret maxime iſtud Beneficium Spiritus maximum, ita ut & ipſum ſic magis notum & mox utile fieret. Quorſum etiam duci poſſumus per illud *Lucæ Act.* II. 1. καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό, ut in illo Pentecoſtes Die ita congregati fuerint omnes ſimul in & ex exſpectatione ſpeciali Spiritus eo Die promiſſi & dandi. Quando tandem Chriſtus neminem nominavit, à quo hic Baptiſmus in Spiritu futurus erat, in oppoſitione ad Johannem Bapti-

pti-

ptizantem, cogitarunt quidem aliqui de ipſo Spiritu id acturo per dona ſua, ad quod evitandum illud ἐν ante πνεύματι ἁγίῳ Latine monetur non vertendum per *in* ſeu *per*. Sed præſtat indubie, illum Baptiſmum, cujus certitudo proxima heic tantum inculcatur, ex natura ſua vere cœleſti & Divina referre, ſeu ad Deum Patrem, ſeu ad Filium loquentem, dum in Trinitate modus Operandi ad extra compoſitus eſt ſecundum modum ſubſiſtendi, q. d. vel ὑπ' ἐμοῦ *à me*, vel ὑπὸ τοῦ πατρὸς *à Patre*, vel ὑπ' ἐμοῦ καὶ τοῦ πατρὸς *à me & à Patre*, vel ὑπὸ τοῦ πατρὸς δι' ἐμοῦ, *à Patre per me*, vel ὑπ' ἐμοῦ ἀπὸ τοῦ πατρὸς, *à me à Patre*, &c. *coll. Joh.* XIV. 26. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, *Joh.* XV. 26. ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας &c. Enimvero quid poterat Apoſtolis, à Domino ſecundum Humanitatem relinquendis modo, gratius obvenire, quam ut Spiritum hunc acciperent, qui & ipſos ad Munus ſuum feliciter exſequendum potentiſſime inſtrueret? Et quid æquius, quam ut ad paucos Dies attente exſpectarent eundem Spiritum, ipſis Feſti inſtantis tempore dandum ſenſibiliter & copiſſiſſime in ipſa Urbe Jeruſalem ad id deſignata, etiam propter populi omnis undique concurſum per quem rei miraculum mox innoteſceret & fama quaquavorſum latiſſime exiret conſequenter? Unde à Jeruſalem non erat diſcedendum longius aut prorſus, ſed etiam ex vicinia ejus Bethanienſi illuc mox redeundum, ſicuti & contigiſſe fertur *verſ.* 12.

VI. *Occaſione* interim novi Sermonis ab Apoſtolis data per *Interrogationem* quandam *verſ.* 7. Dominus amplius locutus eſt ad eos, quæ ad eorundem *Redargutionem*, *Erectionem*, & *Monitionem*, ſpectabant *verſ.* 8. 9. *Occaſio* eſt in iſtis; οἱ μὲν οὖν συνελθόντες ἐπήρωτων αὐτὸν, λέγοντες, κύριε, εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ; Indubie *Perſonæ* rogantes heic ſunt Apoſtoli, ad quos in conventu hoc hactenus locutus erat Jeſus, quaſi eſſet ἔτοι vel ἀυτοί; & qui deſcribuntur ut συνελθόντες, non qui *convenirent* modo poſt verba Jeſu alias ante dicta, vel ad Jeſum *accederent* propius, ſed qui *convenerant* huc ſimul ante audita illa verba, adeoque ſimul erant in Domini præſentia propinqua, ſeu in domo ſeu in via. Et dum locutio Lucæ eſt indefinita, non minus il-

Interrogatio ad hæc ab Apoſtolis facta exhibetur.

la ad aliquos & forte pauciores de his, (quidni & ad unum ex plurium expreſſo vel tacito conſenſu?) referri poſſunt, quam ad omnes ſimul, qui etiam coierint ad rogandum pariter, ut hoc fieret tanto confidentius, nec non fructuoſius. Adeo mihi quidem videntur hinc aliena, quæ de intelligendis heic aliis Diſcipulis pluribus præter Apoſtolos, ſive centum & viginti ex *verſ.* 15. ſive & plusquam Quingentis Fratribus, nonnulli temere cogitarunt. Illi ergo qui convenerant cum Jeſu, ſive plures ſive pauciores, *ipſum*, Dominum præſentem & ad ſe loquentem, *interrogarunt*, aperte & clare *dicentes* ad eum; *Domine*, in ſumma emphaſi uſurpato nunc utique hoc nomine ſeu Naturæ ſeu Dignitatis ſupremæ in Orbe & Eccleſia, *Iſraëli*, populo tuo antiquo & noſtro Tribuum Duodecim, *Regnum*, ſeu tuum quod inter & in eos habuiſti, ſeu illorum quod habuerunt tua gratia ſingulari, ſed nunc miſerè collapſum, & hinc ſecundum prophetias veteres & tuas rurſus promiſſum, *an reſtituis in tempore hoc?* an illud jamjam ages, illud erigendo ſcilicet & augendo & amplificando decenter? dum alii cum *Cl. Coccejo* malunt ἀποκαθιστάνειν heic & *Cap.* III. 21. reddere per *exhibere* vel *conſtituere* aut *ſiſtere plene*. Quæ interrogatio, per εἰ, *ſi*, alias frequenter fieri quoque ſolita, heic per ἆρα *igitur* connexa cum præcedentibus Chriſti verbis, ex iis omnino enata debet cenſeri; quatenus voluerat ipſos Jeroſolymis manere aliquamdiu ſine Urbis iſtius derelictioñe, ubi hinc res Regni agenda videbatur; imò quatenus Spiritus Baptiſmum mirum ex Patris promiſſo intra paucos dies illis addixerat, cujus iſta Regni præſentiſſima Erectio poterat cenſeri futura Effectus. Dum & jam antea *putaverant* Diſcipuli, ὅτι παραχρῆμα μέλλει ἡ βασιλεία τ̃ θεοῦ ἀναφαίνεσθαι *Luc.* XIX. 11.

De cujus Senſu, corporali magis an ſpirituali, diligenter diſquiritur.

VII. Verum de hujus Interrogationis Senſu, *Spirituali* vel *Corporali* magis, haud exigua aut levis eſt diſputatio. Credunt enim complures, quod Apoſtoli ſic ſint locuti de Iſraëlis veteris *Regno Corporali* & Externo, quale habuerant non tam poſt quam ante Captivitatem Babylonicam, vel etiam Aſſyriacam, ſed ab eo tempore per gradus amiſerant, & quidem pleniſſime per Romanos rerum Dominos quibus nunc ſervire cogebantur, *coll. Joh.* XIX. 12. 15. *quicunque ſe Regem facit, contradicit Cæſari, &c. non habemus Regem niſi Cæſarem*,

*rem, &c. Act.* XVII. 7. *hi omnes contra edicta Cæsaris faciunt, Regem dicentes alium esse, &c.* Unde voluerint Regni talis Israëlitici Restitutionem plenissimam, per Romanos aliosque Tyrannos excussos, quin & Populos sub jugum suum missos, ipsosque undique reductos in terram suam tranquille & gloriose possidendam. Qualibus præjudiciis de Deo illud præstituro per Messiam dudum occupati erant Judæi, uti sunt hodieque isti increduli; nec illa deposuisse judicantur Apostoli Domini, etiam ex illa Petri dictione *Matt.* XVI. 22. ἵλεώς σοι κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο, & ex illa petitione matris Filiorum Zebedæi *Matt.* XX. 21. *dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dextram tuam & unus ad sinistram tuam in regno tuo*, quin & ex Cleopæ verbis *Luc.* XXIV. 21. *nos autem sperabamus quod ipse redempturus esset Israëlem, &c.* In quem sensum faciunt & illa nostri *Cl. Cocceji Consid. Quæst. Jud. Cap.* XLVII. *Apostoli etiam tum sine dubio habuerunt cogitationes de Regno Temporali, quale fuerat Davidis & Solomonis.* Perinde uti *Schmidius* habet, *hoc Discipuli haud dubie adhuc, ut antea de Mundano Regno intellexerunt;* in illud etiam laudans, sed minus valide, Articulum Dativum τῷ ἰσραὴλ, unde *promptius sit colligere eos de Regno Mundano quæsiviſſe, quam ex Genitivo, qui ex versione indeclinabili quoad nomen Israel facile concipi potest.* Sequuntur autem illam interpretationem non nisi ex una parte, qui Regnum Corporale, simile Regno Israëlitico veteri licet splendidius heic quidem reperiunt, & tanquam recte etiam creditum ob Apostolis; sed nomen *Israëlis* spirituali & mystico magis quam literali & proprio sensu capiunt, de Ecclesia Christiana, cui aliquando adhuc ante mundi finem Regnum istud sit concedendum, forte per Mille annos, quod & sub *Monarchiæ Quintæ* nomine fuit commendatum à variis. Dum ego potius in *Israëlis* nomine vellem subsistere apud Gentem illam olim sic distinctive dictam, & de *Regno* cogitare spirituali, quod ipsi in Messia essent habituri diffusum quoque per Gentes, secundum vaticinia. Atque ita omnino ex adverso disputant heic alii Viri Docti pro Apostolico intellectu Interrogationis hujus de *Regno Spirituali*, quale Deus Israëli olim in Messia promiserat certissimè; sive jam *exhibito*, & *constituto* plene, si eam notionem Verbi Græci ἀποκαθιστάνει ele-

elegeris, ſive *reſtituto*, poſtquam id magnopere corruptum & depravatum erat erroribus & impietatibus omnibus poſt Patrum priorum tempora, imò poſt externi Regni Umbratici perditionem, alio & meliori modo compenſandam. Cauſantur autem hi, de Diſcipulis Domini vix adhuc conſtare certo, quod vivente etiamnum Chriſto cogitata Judaica corporalia illi in ſinu ſuo foverint; ſive ex dicto Petri ad Chriſtum, *propitius ſis tibi Domine, neutiquam erit tibi iſtud*, quod præcipiti nimis affectui Petri tribuas aptiſſime; ſive ex petitione Matris filiorum Zebedæi, quæ nec Filiis perinde eſt imputanda, nec determinat Modum Regni in quo ad primam Dignitatem admittendi eſſent filii; ſive ex Cleopæ verbis, quæ nec communem ipſorum Apoſtolorum mentem in omnibus partibus exponunt, nec Redemptionis Iſraëliticæ ſpeciem quoque determinant, niſi & ſpiritualem volueris per τὸ λυτρῦσθαι heic innui potius. Quo magis dubitari nequit, quin alii ad Regnum Spirituale proſpexerint in Gente Iſraëlitica circa illa tempora, paulo citius quidem & Simeon & Anna *Luc.* II. 25. 38. ſed & paulo ſerius Joſephus Arimathæenſis *Marc.* XV. 43. *Luc.* XXIII. 51. Imo quo magis Chriſtus palam tunc prædicavit, Regnum ſuum non eſſe nec fore Mundanum, ſed aliud plane & internum, *coll. Luc.* XVII. 20. 24. *interrogatus à Phariſæis, quando venturum eſſet Regnum Dei, reſpondit eis & dixit,* οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τ̃ θεῦ μετὰ παρατηρήσεως, οὐδὲ ἐροῦσιν, ἰδοὺ ὧδε, ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ, ἰδοὺ γὰρ ἡ βασιλεία τ̃ θεῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν, *Joh.* XIV. 27. εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν, οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν, *Joh.* XVI. 33. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε, ἐν τῷ κόσμῳ θλῖψιν ἔξητε *&c. Joh.* XVIII. 36. *Regnum meum non eſt ex hoc mundo, ſi ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei pugnaſſent ne traderer Judæis, nunc autem Regnum meum non eſt hinc &c.* Tandem quo magis de ipſis Chriſti Diſcipulis hoc aſſeritur *Matt.* XIII. 11. *Luc.* VIII. 10. quod *datum illis eſſet noſſe myſteria Regni cælorum*, ſeu *Dei*; atque ipſi juſſi ſunt Regnum illud appropinquans aliis prædicare *Matt.* X. 7. *Luc.* IX. 2. *&c.* poſt Johannem *Matt.* III. 2. unde illius conſtitutio ſeu natura nequeat videri ipſos planè latuiſſe. Enimvero, ſi vel ante Mortem Chriſti cogitaverint cum aliis Judæis

Regnum

Regnum Meſſiæ corporale, quomodo idem de iis tenere poteris tempore hoc Aſcenſionis ipſo? Quando Dominus per Quadraginta Dies ab ipſis viſus ad eos dixerat τὰ τ βασιλείας τ θεȣ *Act.* 1. 3. & quando ipſe ſuos docuit, *oportuiſſe hæc Chriſtum pati & ingredi in gloriam ſuam Luc.* XXIV. 26. expoſitis ſimul omnibus de ſe ſcriptis *verſ.* 27. 44. quin & *aperta* eorum *mente ut intelligerent Scripturas* 45–47. *&c.* ut nihil addam de *Spiritu* illis jam antea cum *Inflatu* dato *Joh.* XX. 22. quem nos potius illic promitti dandum monſtravimus *EXERC. TEXT. XXXVIII. Parte VI.* Licet porro Domino integrum fuerit ita & eousque reſpondere, uti ipſe ad ſuorum ſalutem ſapientiſſime judicabat optimum; eſt tamen notabilis aliqua difficultas ex illo intellectu Regni Corporalis, quo pacto ad rem ipſam de Regno ſuo nihil dicens expreſſe Servator, tantum de Tempore reſponderit, foturus ſic vana illorum cogitata ſcil. nimium, uti hinc etiamnum Chiliaſtæ argumentantur. Quæ nulla heic plane ſupererit, ſi de præcipua re rogata conſentiens Dominus cum Diſcipulis, tantum dè ejus Tempore reſpondiſſe judicetur ex hoc fundamento. Meum ego judicium dicturus, poſt illa quæ latius & erudite de hoc argumento ſcripſit Collega noſter *Cel. Fabricius*; non reperio heic, vel in Chriſti Reſponſo, vel in Apoſtolorum Interrogatione, quidquam quod ad Regnum Mundanum in hac intelligendum me cogat. Unde nolo in illorum verbis ſolicite quærere ſenſum indecentiorem, & qui incommoda complura pariat. Sed præfero multum, ut vel rogaſſe eos dicatur de Regno Spirituali, ſi non unice forte, certe quam maxime; vel alias communius de Regno Meſſiæ & Judæorum per hunc, quale à Prophetis dudum erat prædictum & in eventu clarius diſtinctiusque cognoſcendum. Ut tota res illuc redeat, *an in tempore hoc*, non latius ſed ſtrictus ſumpto, *non poſt multos dies iſtos verſ.* 5. quibus Spiritu S. ipſi erant baptizandi poſt exſpectationem Jeroſolymitanam *verſ.* 4. 5. illud Meſſiæ *Regnum*, quod ex Iſraële erat exiturum, per Iſraëlem conſervandum, & ad Iſraëlem tandem quoque rediturum, eſſet à Domino erigendum, reſtituto ſic plus quam bis vetere & dudum amiſſo decore Regni Mundano, *Ham.* IX. 11. *Mich.* IV. 8. *Ezech.* XXI. 27. *Luc.* I. 32. 33. *&c.* Nec poſ-

ſumus, quin ex parte laudemus iſthæc Apoſtolorum verba, quatenus inquirunt in Dei Regnum præ aliis rebus, & inſcii quærunt à Domino ipſo de hoc erudiri. Vix enim cum Reſponſo Chriſti, magis quam cum verborum forma ipſa, convenit, ut in ſenſum teſtati Deſiderii & Voti ſui in illud Regnum, vel etiam lætæ Admirationis de illius Propinquitate, eadem trahantur præter rem.

Verba Chriſti Increpatoria, quæ ipſe ad rogationem illam protulit.

VIII. Quod interim eſſet Interrogatio illa Apoſtolorum non omni ex parte laudabilis, docet Chriſtus *Reſponſo* quod eis dedit, *ad eos dicens*, verba primum *Increpatoria*; Οὐχ ὑμῶν ἐστι γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ. De χρόνῳ τούτῳ,, cum eſſent ſingulariter per unum hoc nomen locuti Apoſtoli, Chriſtus ad eos loquitur generalius de χρόνοις, *temporibus*, additis etiam per ἢ *aut* disjunctivum καιροῖς, *momentis* apud *Vulgatum*, *articulis temporum* apud *Eraſmum*, *opportunitatibus* apud *Bezam*, &c. ſive ſic deſignentur temporum longiorum & breviorum ſpatia determinata, ſive antecedentia & conſequentia, ſive illa in ſe & in conditione ſua, ſive minus & magis apta, ſive tandem quibus res non futuræ & futuræ; prout duplex vox vix fruſtra heic adhibita debet videri. Sunt autem hæc, de quibus ſermo eſt, tempora, ſeu quædam ſeu omnia, *quæ Pater in poteſtate ſua propria poſuit*... Quæ phraſis ſatis apte referri poteſt ad conſtitutionem determinatam à Deo factam in decreto ſuo liberrimo, per & ſecundum proprium abſolutiſſimum jus ſuum de omnibus rebus & momentis earum. Quando illa, non quidem omnia, ſubtrahuntur ſcientiæ humanæ aut inquiſitioni etiam modeſtæ, propter declarationem eorum in Scripturis factam manifeſte ad hoc ut illa hinc inveſtigaremus & ſciremus; ſed tantum multa, potiſſimum ſingularia, quæ ex Scripturis non poſſunt educi niſi per ridiculas quandoque conjecturas & applicationes prophetiarum vanas. Adeo ut ſenſus ſit, non eſſe Apoſtolorum noſſe illa omnia tempora, quæ Deus pro arbitrio ſuo conſtituit, nec conſequenter in ea debere inquirere nimis ſollicite aut curioſe, ubi Deus eorum indicia ſufficientia non dederit. Attamen dubito, an non præſtet iſtam phraſin directe exponere de Revelatione in Scripturis non facta à Deo, & per hanc abſconſionem à poſteriori *poſita in propria ejus poteſta-*

*te*,

te, dum nullo verbo externo ille ſe in his determinavit, ſed ſuo arbitrio eadem prorſus reſervavit quoad homines, non obſtante ſua determinatione æterna & immutabili quæ ſic non debet ſublata cenſeri. Et ſic eſt illud generaliſſime verum, quod *non eſſet Apoſtolorum*, neque de facto neque de jure neque de facultate, tempora illa rerum in Orbe & Eccleſia gerendarum liberrime & variè, cum omnibus momentis ſuis, *noſſe*, exacte & certo, quæ *Pater*, cœleſtis Chriſti, pariter & Diſcipulorum, tanquam Prima Deitatis Perſona, heic œconomicè nomiuatus tantum præ Filio & Spiritu, *coll. Matt.* xx. 23. *Luc.* xiii. 23. *&c.* ſuo arbitrio ſupremo reſervaverat, nec vulgari ante res geſtas vel certe proxime gerendas voluerat. Inter quæ ſcil. Servator ſic clare ponit, eſſe tempus illud reſtituendi vel conſtituendi Regni Iſraelitici, de quo rogabant; dum reſtitutio vel conſtitutio ipſa ſeu eſſet certa, ſeu ſuo relinquebatur loco, tanquam de qua Apoſtoli non rogaverant. Atque ſic refrænat Dominus hac increpatione palam ipſorum curioſitatem nimiam; quam ſi nos ſequamur forte, in primis in determinandis ſpecialibus temporibus & fatis Eccleſiarum per noſtras hypotheſes & conjecturas nimis ſæpe inanes, eandem & nos merebimur cenſuram, dum quæ in Scripturis clare ſunt expoſita, potiſſimum generaliora, noſtrum eſt ita attendere & inquirere ut ea cum temporibus ſuis ritè cognoſcamus. Ex iſta autem Chriſti Increpatione ſatis ſic nobis conſtat, quid vel unice vel certe potiſſimum culpabile foret in Interrogatione Diſcipulorum. Cum quo ægrius conciliare poſſum graviſſimas condemnationes Apoſtolicæ Interrogationis, quas apud alios, ipſum quoque *Calvinum* noſtrum, lego; *Mira Diſcipulorum fuit ruditas, quod tam abſolute tanta cura per triennium edocti, non minorem inſcitiam produnt quam ſi nullum unquam verbum audiſſent. Totidem in hac interrogatione ſunt errores quot verba. Quærunt de Regno, ſed Regnum ſomniant Terreſtre, quod opulentia, delicio, externa pace, & ſimilibus bonis conſtet. Ejus reſtitutioni dum præſens tempus aſſignant, triumphare cupiunt ante militiam. Prius quam enim operi, cui deſtinati ſunt, manum adhibeant, fructu laboris volunt potiri. Falluntur etiam in eo quod ad carnalem Iſraëlem adſtringunt Chriſti Regnum, quod ad ultimos uſque mundi*

*fines propagandum erat. In tota porro quæſtione hoc vitii eſt, quod ſapere appetunt ultra juſtam menſuram. Non ignota procul dubio illis erant Prophetarum vaticinia de inſtaurando Davidis Regno, Chriſtum ſæpius hac de re concionantem audierant, res denique vulgo trita erat, ut in miſerrima populi ſervitute tamen futuri regni expectatione erecti omnium animi eſſent. Jam vero inſtaurationem hanc ſperabant adventu Meſſiæ. Sic factum eſt, ut Apoſtoli, quum viderent Chriſtum excitatum, protinus ad illam mente transvolarent. Sed interea oſtendunt, quam male profecerint ſub optimo Magiſtro. Itaque Chriſtus brevi reſponſo ſingulos errores ſcite perſtringit.* In quibus poſterioribus non male ſic tollitur iſta difficultas, quomodo rogare male potuerint Apoſtoli, an *hoc tempore* reſtituendum vel conſtituendum à Chriſto eſſet Iſraëliticum Regnum? & quomodo hoc tanquam indecens rejicere potuerit Chriſtus? Siquidem hoc ſatis ex Prophetis erat notum, nec indignum ut à Chriſto majoris lucis & certitudinis ergo rogaretur, an jam in poſterum magis quam antea ſub priori Oeconomia, & non dudum poſtea demum ante ſeculorum longiorem lapſum, Regnum Meſſiæ ab ipſo Exaltato eſſet erigendum; ſed illud indecens judicari debebat ſolum, quod ſcire vellent, an hoc ipſo temporis puncto, ſine ulla mora ulteriori, res illa non tantum inchoanda ſed & ſimul conficienda foret. De quo nec determinate locutus eſt Dominus, ſed quod comprehendit eum in modum ſub generali ſermone de temporibus & momentis à Patre conſtitutis in ſua poteſtate, ut non ulterius etiam inquiſitio illa hinc damnetur niſi quouſque res illa à Deo in verbo ſuo declarata non erat. Conferri adhuc poteſt commentarius *Grotii*; *In Daniele* VII. 12. עד זמן ועדן *vertitur* ἕως χρόνου καὶ καιροῦ. *Eſt* ἐν μέσῳ δυοῖν, *quo ſignificatur tempus certo conſtitutum. Id vero tempus fuit trecentis ferme poſt hæc verba annis. Tunc enim Chriſtus Davidis ſtirps in terris regnare cæpit per Conſtantinum, ac deinceps per alios & alios, non Imperatores tantum ſed & Reges, qui regnum ſuum Chriſto ut Regi regum ſubjecere. Chriſtiani populus Dei, atque ideo verus Iſrael Gal.* VI. 16. *Chriſtus eorum caput Iſraëlita etiam ſecundum carnem. Occultum eſſe hominibus, quando Regnum rediturum ſit ad Domum Davidis, ajunt & Hebræi.* Καιρὸς *tempeſtates vertit Auguſtinus Epiſt.*

LXXVIII. *Mos eſt Chriſto arcanas diſpenſationes ad Patrem referre Matt.* XX. 23. *Marc.* XIII. 32. Nempe eſt illud de Incerto Tempore Reditus Regni ad Domum Davidis inter *Septem Occulta* ex *Medras Mechilta* à *Druſio* producta, diem Mortis, Conſolationis, profunditatem Judicii, Retributionis Modum, Cogitationes alienas, & Regni Improborum Eradicationem, *Sextum*; indubiè ortum ex Incredulitate contumaci in Jeſum noſtrum, poſt notas temporis Meſſiæ dudum impletas. Dum nos quidem magnam in mundo Acceſſionem ad Promiſſum Iſraëlis Regnum factam agnoſcimus inde à Conſtantino M. attamen ejus Conſtitutionem celebramus, tum longe priorem inde à Domini Glorificatione cœleſti cum Spiritus Miſſione, tum longe poſteriorem & pleniorem circa mundi finem, ubi plenitudo Gentium intrabit & Iſraël totus ſalvabitur, quam etiamnum cum fiducia præſtolamur.

IX. Non ita redarguit Dominus Diſcipulos rogantes, ut non ſimul verborum ſuorum Parte Altera eos Promiſſione magna *erigat verſ.* 8. ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς. Res promiſſa eſt & heic *Spiritus Sanctus*, qui *in ipſos veniret*, & cujus *potentiam* ipſi *eſſent accepturi*. Nempe per *Spiritum Sanctum* heic jam declaratur ἡ ἐπαγγελία τοῦ πατρὸς, *promiſſum Patris verſ.* 4. uti etiam factum fuerat in promiſſo *Baptiſmo verſ.* 5. Ut & heic notetur Perſona Deitatis Tertia, reſpectu Donorum & Operum ſuorum Divinorum, tum Ordinariorum tum & Extraordinariorum. Qui quando dicitur *in*, vel *ſuper vos*, Apoſtolos compellatos, *venturus*; exponitur ſimul Cœleſtis ejus Origo, atque Terminus in quem tenderet, & Modus etiam copioſus, quo inſtar Aquæ in Baptiſmo eos quaſi totos occuparet. Ubi in *Eraſmo* hoc reprehendit *Beza*, quod pro ἐπελθόντος vertit, *quum advenerit*, *i. e.* παρελθόντος, *quum* ἐπὶ *præpoſitio hoc quidem loco idem valeat quod ex ſuperiore loco, ut ſignificetur eam virtutem cœlitus in Apoſtolos illapſuram, quod etiam poſtea oſtenderunt Igneæ illæ linguæ ſingulorum verticibus inſidentes.* Et hunc ſenſum *ſuperveniendi* τοῦ ἐπελθεῖν cum Præpoſitione etiam ante Pronomen repetita ἐφ' ὑμᾶς, inculcat idem quoque contra *Caſtellionem*, reddentem per *invadere vos*; *quum neque verbi illius Græci vim expreſſerit, neque invadere dicatur qui juvandi cauſa accedit.* Ad-

Deiu & Conſolatoria maxime per ampliſſimam Spiritus promiſſionem.

modum præterea heic *Beza* hæret in notione præteriti temporis apud Aoriſtum ἐπελθόντος; quod ille vertit, *poſtquam ſupervenerit*, carpens illud *Vulgati*, *ſupervenientis*, quo ipſo *temporis rationem neglexerit, quam ut obſervaremus*, inquit, *coacti ſumus verborum collocationem mutare*, & ſimul notans, quod ἐπελθόντος ἁγίου πνεύματος poſſit converti *ut abſolute poſitum*, non minus quam *cum δυνάμει conjungi*. Ego non multum ponderis reperio in eis, an verba hæc abſolute ſint poſita, an vero potius in conſtructione cohæreant cum δυνάμει; item an in præterito legamus *cum ſupervenerit*, an in præſenti vel futuro, *cum*, aut *qui*, *ſuperveniet*, ſiquidem ſuperventus ille & acceptio ſunt correlata, quæ ordine magis quam tempore ſibi invicem ſubordinantur. Ergo certiſſime res ſignificata eſt, Spiritum ſuperventurum ſuper Apoſtolos dicto modo; & hoc ipſo illos *potentiam*, magnam ad dicendum & faciendum ea quæ Regni Iſraëlitici ſeu Reſtitutio ſeu Conſtitutio exigeret, etiam valde inſolitam, & hactenus non datam, ab illo Spiritu *accepturos* eſſe omnino. Quod promiſſum maximum & utiliſſimum tum ipſis tum & Eccleſiæ per ipſos, Chriſtus jam ante mortem fecerat latè *Joh.* XIV. 17. XV. 26. XVI. 7—14. *&c.* & poſt Reſurrectionem quoque repetierat *Luc.* XXIV. 49. *Joh.* XX. 22. nunc vero & in diſceſſu repetit, ut ejus tanto magis eſſent memores, atque eo freti ſpem ſuam alerent, & opus ſuum alacriter aggrederentur. Nec refragabor multum, ſi Spiritus iſtum Superventum heic conſiderari velis, ut Regni dicti Initium verum ac conſpicuum, & Inſtrumentum ſimul potens illud promovendi. Dum & illud adjecit *Beza*; *Locum hunc inſignem eſſe etiam illius Montani ſcelere, qui Tertullianum quoque faſcinavit, in ſeſe demum ſuaque Philumena poſt Apoſtolos hos impletum dictitans, eadem impudentia qua Anti-Chriſtus hodie aliique Enthuſiaſtæ ſuum illud ἄγραφον Euangelium, quod etiam ab ipſis quotidie augetur, Eccleſiæ obtrudunt.*

Tandem Monitoria etiamnum.

X. Ultimum hinc verbum Chriſti ad Apoſtolos eſt *Monitorium* hoc; *Et Martyres*, ſive *teſtes* clari publici & conſtantes ad mala ſubeunda & mortem ipſam, *mihi*, ſeu de me poſt paſſiones ad vitam revocato & ad Regni gloriam exaltato, à me id exigente, coram me attendente, & ad me ſeu gloriam meam, *eritis*, per modum officii demandati potius quam

præ-

prædictionis; tum *in Jerusalem*, ipsa Urbe præcipua, ubi in Pentecostes festo & dein hoc factum est, tum *in Judæa* terra *omni*, seu *tota*, quæ & sic Galilæam complecti poterit tanquam à Judæis etiam habitatam juxta Jerosolymæ viciniam, tum *in Samaria*, seu istius Judææ totius medio habitato à gente mixta post abductionem Assyriacam, & valde divisa à Judæis, *coll. Joh.* IV. 9. 20. *Matt.* X. 5. *&c.* tum denique *& ad terræ*, non jam Cananææ, aut Asiaticæ, vel Africanæ vel Europææ, sed totius hujus inferioris ab hominibus habitatæ, *ultimum*, omne quaquaversum, non jam durationis, sed & extensionis localis respectu, quod partim immediate partim & mediate non tam simul quam successive erat futurum. Quod idem est cum eo, quod antea brevius dictum fuerat *Luc.* XXIV. 48. ὑμεῖς ἐστε μάρτυρες τούτων; imo & in re ipsa cum eorum Missione *Joh.* XX. 21. & Exitu ad Discipulos colligendos, & Euangelium apud Gentes omnes prædicandum, mandato in Monte Galilææ *Matt.* XXVIII. 18. 19. *Marc.* XVI. 15. Quo pacto Apostoli quidem uti debebant Potentia per Spiritum ipsis concedenda, ut sic Regnum Messiæ Israëliticum quod desiderabant rite promoverent, exspectato eventus prosperi successu à Domino ipso. Dum & hoc est omnium Fidelium, confessione sincera constanti ac prudenti suæ fidei testimonium Domino dare ad augmentum Regni ipsius, secundum mandata Christi Euangelica *Matt.* X. 32. 33. *&c.* & Petri illud 1 *Pet.* III. 15. ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου, *&c.*

XI. Sunt vero ista Verba Christi omnia, tum Increpatoria, tum Promissoria, tum Monitoria denique, in hac ultima Apparitione ad Apostolos prolata, quæ speciatim possunt esse designata per illud *Lucæ Act.* I. 2. ἄχρι ἧς ἡμέρας ἐντειλάμενος τοῖς ἀποστόλοις, sive illud διὰ πνεύματος ἁγίου quod sequitur pertineat ad *Apostolos* aut horum *electionem*, sive ad verba Christi, quibus ille Spiritum suum junxit, vel quæ exsequenda essent per Spiritum, ubi ille Apostolis contigisset. Ita enim illud ἐντέλλεσθαι videtur respondere verbo צוה quod de Instructionibus ultimis solet usurpari, *coll. Num.* XXVII. 19. *Jes.* XXXVIII. 1. *Hebr.* XI. 22. *&c.* Et licet vox ἐντελλάμε-

Ad quæ omnia respexisse etiam Lucas videtur Act. I. 2.

λάμεν& posset non male referri ad instructiones seu jussiones omnes à Resurrectione ad Ascensionem datas; putem tamen, id arctius omnino heic connecti cum ἄχρι ἧς ἡμέρας ἀνελήφθη, ut instructio sit spectanda, si non unice saltem præcipue, quæ facta illo ipso die Ascensionis.

Benedictio Apostolorum Dominica, quæ in Lucæ Euangelio legitur.

XII. Ad hæc omnia sequitur tandem, quod ex Euangelio *Luc.* XXIV. 50. 51. supplendum heic est, καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ ἐυλόγησεν αὐτὰς, καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐυλογεῖν αὐτὸν αὐτοὺς &c. Gestus præmittitur, quem ad Benedictionem spectasse mox additur. Non unius sed utriusque *Manus* Christi, h. e. manuum divisarum vel junctarum, non successiva sed simultanea, ἔπαρσις, *sublatio* in altum, seu *elevatio*, est ille qui heic memoratur gestus. Quem non desunt qui simpliciter ad Precationem referunt ad Deum in cœlis directam, *coll. Job.* XI. 13. *Psal.* XXVIII. 1. LXXXVIII. 10. CXLI. 1. *Tim.* II. 8. &c. Alii tamen magis determinate de Gestu Benedicentium cogitant, à quibus manus impobantur quidem singulis benedicendis, sed super plures simul illæ protendebantur, quomodo heic factum esse est satis probabile, ita cordibus juxta manus sublatis ad Benedictionis Autorem, ut etiam terminus benedictionis simul designaretur manifeste. In quam rem laudabiliter admodum scripsit *Grotius*; *Non simplex precandi mos significatur, de quo egimus supra* XVIII. 13. *sed ritus* ἐυλογίας, *qui fieri solebat manibus impositis, i.* Μὲ χειρῶν ἐπιθέσεως, *ut videre est in historia Isaaci Gen.* XXVII. 4. 7. 12. 19. 21. 22. & *Jacobi Gen.* XLVIII. 9. 14—17. *At quoties pluribus simul impertienda esset* ἐυλογία, *compendii causa usurpabatur* χειροθεσία, *i. manuum protensio super eorum capita pro quibus preces offerebantur. Ita Lev.* IX. 22. Ἐπάρας ἀαρὼν τὰς χέιρας ἐπὶ τὸ λαὸν ἐυλόγησεν αὐτοὺς. *Eum morem tum initio tum fine cujusque conventus usurparunt Christianorum Episcopi. Unde probat Optatus Milevitanus, Macarium Judicem, quamquam ad Populum Carthaginiensem in Ecclesia verba fecisset, nihil tamen pro Episcopo fecisse. Verba ejus sunt Disp. adv. Parmen. VII. &c. Luæ huic loco Optati adfertur ex Constitutionibus Antiquis, quæ sub Clementis nomine leguntur, &c.* Quæ vero cum hac Manuum Sublatione in textu Lucæ jungitur *Benedictio*, ἐυλογία, Dominica Apostolorum præsentium, illa heic non est,

vel

vel per ſe jam Collativa Boni; vel Celebrativa hujus ipſis conceſſi cum Gratiarum actione; ſed Apprecativa, neceſſariorum donorum & ſucceſſuum, *coll. Gen.* XLIX. 28. *&c.* ſive illa fieret per nudum illum Geſtum, ſatis ſignificativum per ſe, ſive potius & verba benedictionis accederent, quæ generaliora & breviora potius quam longiora fuiſſe cenſenda tum ſunt, cæteroquin ab Euangeliſta non tam facile prætermittenda. Enimvero ſic agens Chriſtus ſe neutiquam præter exſpectationem omnem ſubduxiſſe Apoſtolis ſuis deprehenditur; nec quidquam neglexiſſe, quod erat Magiſtri, Domini, & Patris fidi, de his terris receſſuri, ad teſtandum ſuum affectum in Apoſtolos, & præſtandum eis neceſſaria & utilia omnia ad ſuum & Eccleſiæ bonum.

Certitudo Reſurrectionis Chriſti etiam hinc evidenter liquet.

XIII. En igitur Apparitionem Chriſti Redivivi ante ejus Aſcenſionem, hoc ipſo momento ſecutam, vere Poſtremam, adeoque Quadrageſimi Diei poſt Reſurrectionem, quæ hanc Reſurrectionem ipſius nobis facere certiſſimam poteſt & debet. Habemus enim heic Apoſtolos non quosdam ſed Undecim omnes; qui pluribus argumentis antea de ea veritate pleniſſimè convicti, Jeroſolymis ſe ſiſtunt, ad extrema ejus verba percipienda; quibus ille ex condicto ſe rurſus ſiſtit præſentem; eos etiam ducens extra Urbem Jeruſalem uſque in Bethaniam vicinam; quibus ipſe hinc mandata & promiſſa anteriora renovat ſolenniter; quibus porro rogantibus ſe cum veneratione decenti reſpondet ſermone arguente ipſius Dominicam autoritatem, bonitatem, & majeſtatem; & quibus ille per benedictionem publicam valedixit ſolenniter, nullam ſimilem ſui Apparitionem ulterius exſpectare permittens, ſed ad cœlum ipſos in poſterum vocans. Qui omnes Viri digniſſimi ſi fidem nondum mereantur humanam, ſed pro deceptis ſeu deceptoribus ſint habendi, jam equidem nihil amplius ſupereſt quod apud homines fidem hiſtoricam mereatur ullam.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

### *Quo de Apparitionibus Chriſti Redivivi poſt Aſcenſionem Duabus adhuc agitur.*

Cum Apparitionibus præcedentibus etiam Paulus eam junxit quæ ſibi ipſi contigit 1 Cor. xv. 8.

Quo minus heic abrumpamus tractationem de Apparitionibus Chriſti Redivivi, quibus Reſurrectionis ipſius Veritas monſtratur, facit illud, quod Paulus, poſtquam de prioribus dixiſſet, adhuc adjecit 1 *Cor.* xv. 8. ἔσχατον δὲ πάντων ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι ὤφθη κἀμοί. Quæ verba diutius nos detinere poſſent, ſi non de iis antea actum eſſet latius *EXERC. TEXT. XLVI. Parte V.* ubi exiſtimamus ita nos alia in iis declaraſſe obvia, ut inprimis illuſtraverimus illud ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, quod diverſiſſimis plane modis ab Interpretibus acceptum fuit.

Qui textus plenius confertur cum Contextu.

II. De *Se Ipſo* poſt alios Apoſtolos, quoſdam & omnes, heic loquitur Paulus, κἀμοί, *etiam mihi*; uti & ipſe ſe mox conſequenter deſcribit *verſ.* 9. 10. ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστόλων, ὃς οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς καλεῖσθαι ἀπόστολος, ὅτι ἐδίωξα τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, χάριτι δὲ θεοῦ εἰμι ὅ εἰμι, καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ οὐ κενὴ ἐγενήθη, ἀλλὰ περισσότερον αὐτῶν πάντων ἐκοπίασα, οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, &c. Et hoc quod de ſe fert eſt, quod Chriſtus Redivivus ipſi ὤφθη, *viſus ſit*, ſicut aliis Apoſtolis, non ergo mentaliter uti fidelibus quibusvis *Hebr.* 11. 9. &c. ſed corporaliter, ſeu ſenſibiliter & viſibiliter quoque apparuerit. Quod & ſibi obtigiſſe, ἔσχατον πάντων, *ultimo omnium*, addidit Apoſtolus noſter. Veriſſime equidem, hinc non ante ſed omnino poſt Aſcenſionem; quando nihil ille antea communionis corporalis vel ſpiritualis cum Domino habuit, ſed ſerius poſt plures potius quam annum unum ad Chriſtum vocatus eſt modo prorſus extraordinario & vere admirabili. Interim verè *Viſus eſt* ille à Paulo, & quidem Redivivus, (alias enim id heic nihil ad ſcopum Pauli faceret,) quod ipſe & alias eſt teſtatus 1 *Cor.* IX. 1. *Act.* XXII. 17. 18. & alii de ipſo ſunt teſtati *Act.* IX. 17. 27. XXII. 14. quin & Chriſtus ipſe ad eum dixit *Act.* XXVI. 16. εἰς τοῦτο γὰρ ὤφθην σοι προχειρίσασθαί σε ὑπηρέτην καὶ μάρτυρα ὧν τε εἶδές ὧν τε

ὀφθήσεμαί σοι. Sed quando, & ubi, & quo in primis modo, id inquiri debet, ad narrationis Paulinæ veritatem & ſcopum rite percipiendum.

III. Expoſuimus nos loco citato ita mentem noſtram de illis capitibus, ut adhuc idem ſentiamus. Scilicet quod ad *Tempus* & *Locum* attinet, nihil obſtare quidem magnopere putamus, quo minus de Viſionibus Chriſti Paulo conceſſis variis temporibus & locis cogitemus heic, quæ in eundem ſcopum laudari ſane poterant, per unum verbum ὤφθη, non determinans an id ſemel an ſæpius contigerit, imo tanto verius pleniusque heic locum reperiens quanto ſæpius id forte factum fuerat. Attamen ad Unam Viſionem directe magis & præcipue nos heic duci putamus, ubi plurium nulla equidem fit mentio explicita, & una omnino ſufficere poterat in Pauli ſcopum ad ſuæ Apoſtolicæ prædicationis Certitudinem docendam. Nec eſt illa alia, quam quæ in ipſius Vocatione admirabili contigit in Via Damaſcena; quæ fuit non modo *Prima* ordine temporis, hinc non prætermittenda, ſed & *Illuſtris* præ aliis, & *Notiſſima* per Eccleſias, aliosque homines, & *Certiſſima*, tam ex iis quæ Pauli comitibus ſimul tum contigerant, quam ex accedente tum Domini revelatione ad Ananiam, & conſequenter maxime *faciens ad firmandum* ſimul Chriſti Reſurrectionem & Pauli Apoſtolatum.

Ad quod Tempus & quem Locum ille potiſſimum ſpectet, determinatur.

IV. Verum ſic non minuitur difficultas, quo pacto ipſe Dominus in cœlum dudum ſublatus, remotiſſimum ab omni terræ conſpectu, atque illic ad Diem Univerſalis Judicii permanſurus glorioſe, *coll. Act.* I. II. III. 21. *Hebr.* IX. 28. *&c.* potuerit videri à Paulo his in terris conſtituto? Ad quam quæſtionem varias adduximus ſententias Virorum Doctorum. Quarum *Prima* eſt, Viſionem hanc Chriſti Paulo contigiſſe *in phantaſia*, per *eſtaſin*, Prophetis olim familiarem quin & Apoſtolis non inſolitam, dum & Paulo ipſi quædam contigerunt ἐν ὁράματι *Act.* IX. 12. XVI. 9. 10. & δι ὁράματος *Act.* XVIII. 9. *coll.* XXIII. 11. & ἐν ἐκστάσει, quando & εἶδε αὐτὸν λέγοντα *Act.* XXII. 17. 18. Adverſus quam ſententiam equidem objicitur; quod per Phantaſiam repræſententur quandoque falſiſſima, dum vana rei ſpecies illic ſemper eſt pro re ipſa; & quod de Viſu heic agatur externo, qualis aliis Apoſtolis

Quomodo Chriſtus poſt Aſcenſionem ſuam à Paulo videri potuerit, & viſus vere ſit.

& Fratribus contigerat. Sed illa vix ſunt ſatis valida ad eam evertendam; quando *phantaſia* humana eſt per ſe vana & illuſoria, ſed neutiquam illa quam Deus ipſe operatur in homine, æque infallibilis ubi ſenſus internos quam externos afficit, niſi plurima Prophetarum vaticinia lubeat eodem modo repudiare & impie explodere; & quando Viſus heic meminit quidem Apoſtolus veri, uti ſic videbatur vere & audiebatur Deus à Prophetis in Ecſtaſi, ſed externum ille non determinavit; & quando tandem Paulus ſe quidem parem fecit aliis Apoſtolis, etiam in Viſu Chriſti Redivivi, ſed non neceſſario in ejus modo, cujus reſpectu ille etiam ὁ ἐλάχιστος τῶν ἀποστόλων forte, dum alii Viſionem Ecſtaticam Jeſu plenius in cœlis glorificati vellent efferre ſupra illam Externam adhuc his in terris agentis quam alii Apoſtoli nacti fuerunt. *Altera* ſententia à Phantaſia interna tranſit ad Viſionem Externam *Signi* ſeu *Symboli viſibilis*; quo pacto ipſe Deus & Angeli olim frequenter hominibus apparuerunt. Sive Signum illud tum fuerit conſtitutum per *Formam* quandam *Corporis Humani Chriſti*, ad oculum apparenter tantum vel & in ſe vere factam, magis immediate vel etiam mediate per Angelos; ſive aliud aliquod emblema ſplendidum gloriæ ejus tantum adfuerit, quod alii ab illo corpore derivant. Quo magis & Auditus Pauli fuit externe affectus *Act.* IX. 7–9. & Lux cœleſtis externe fulſit *Act.* IX. 3. XXII. 6. 7. 9. XXVI. 13. 14. Quorſum ſpectant illa *Aſterii*; Λέγε τί ἐ φάνεται αὐτῷ ἐν μορφῇ ἀνθρώπε, ὥσπερ ἢ σεφάνῳ, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἀλλ' ἐν εἴδει πυρὸς ἢ φωτός; Nec non illa *Cl. Cocceji* ſecundo loco; *Poſſibile eſſe, quod Paulus ſic dicatur vidiſſe Chriſtum, quemadmodum Iſraëlitæ dicuntur Deum vidiſſe in Sinai, quando viderunt Nubem, Ignem, & ex eis audiverunt vocem qua articulabantur verba quæ nulla creatura poteſt pronunciare Deut.* IV. 35. 36. *Ita etiam Deus dicitur viſus eſſe ſuper Arca Lev.* XVI. 2. *Sic enim narratur Paulum vidiſſe Lucem, ſeu Gloriam, & audiviſſe vocem ore Juſti.* Qualis ſeu una ſeu altera Glorioſa Repræſentatio Externa Chriſti præ phantaſia videtur convenire, cum Perſonali Alloquio Pauli, hujusque Reſponſo ad alloquentem, cum phraſibus de Paulo adhibitis, cum negato aliis præſentibus Viſu illo qui Paulo contigit, & cum ceſſante dein Viſu Pauli de terra ſurgen-

gentis. Et quemadmodum hoc minime abhorret à conditione Jesu Exaltati, ut per symbolum aliquod glorioſum ſe præſentem ſiſtat; ita ex eo teſtimonium non minus firmum quam ex apparitione Chriſti in proprio corpore petitur merito. Sententia *Tertia* Paulum conſiderari vult, ut extra ordinem raptum in Cœlum Supremum, uno vel alio modo; ſecundum textum manifeſtum 2 *Cor.* XII. 3. 4. (quem alias illuſtravimus *EXER. TEXT. XLIX. Parte V.*) ubi ergo Dominus viſibiliter præſens in gloria & in hoc ſupra alios omnes excellens bene à Paulo dignoſci potuerit, licet id factum illo textu expreſſe non dicatur. Sententia *Quarta* Viſum Paulo tribuit de Terra in Cœlum ipſum ſupremum, per Divinam virtutem, cujus modum & menſuram nullam capimus, & per quam Viſus Impedimenta interjecta tollerentur, Lucis vehiculum augeretur, & Oculorum acies intenderetur. Qualis cogitatio non eſt vana; uti & in eam rem Effectus Naturæ & Artis varii conferuntur. Quorſum ſpectant, quæ habet *Cl. Coccejus*, tum ad hiſtoriam Stephani *Act.* VII. 55. 56. tum ad hunc locum; *Veriſimile eſſe, quod Paulus Chriſtum viderit quemadmodum Stephanus. Nam non eſt impoſſibile Deo facere, ut ſpecies rei longinquæ inferatur oculis. Novimus eminus eandem rem ab aliis cerni, ab aliis non, Deus enim dat unicuique videre ut vult. Per tubos opticos illa in oculos adducuntur quæ ſunt procul & extra viſionis ſphæram. Idem poteſt fieri virtute Dei &c.* Nec non quæ ſcripſit *Samuel Baſnagius in Annal. Neque magis Chriſto opus fuiſſe immenſum firmamenti emetiri ſpatium, ut Paulus ejus conſpectu frueretur, cum vel ſolio ſedens ſuo auribus oculisque Apoſtoli eas & vocis & corporis imprimere facillime potuerit imagines quibus viſio & auditus peragitur, quod & in Stephano factum arbitrantur &c.* Tandem *Quinto* non pauci fuerunt, qui vellent Chriſtum ſe corpore ſuo proprio ſtitiſſe Paulo, vel in Cœlo inferiori, vel etiam in terra ipſa, ad illud tempus, ut ad maximos Eccleſiæ uſus ille ſic confirmaretur & honoraretur. Dum alieniſſimum eſt ab hiſtoria, quod hinc vel Omnipræſentiam vel πολυτοπίαν Humanitatis Chriſti educunt ſeu Ubiquitiſtæ ſeu Papiſtæ; ubi nihil utique eſt, vel de Chriſto manente reſpectu Humanitatis in cœlo dum Paulo appareret in terra, vel omnipræſente etiam ubi

nunc non videbatur, ſed ex adverſo ipſe ponitur in uno loco ubi à Paulo Viſus eſt oculis corporeis, ita ut omnis notio Inviſibilis Præſentiæ Humanitatis ejus in omnibus vel pluribus locis ſimul plane tollatur. Eſt vero iſta ſententia, in quam etiam noſter *Cel. Witſius in Melet. Leid.* maxime videtur propendere; *Debuit Paulus hoc quoque Apoſtolatus ſui argumentum habere, quod Chriſtum in perſona quod ajunt oculis ſuis conſpexerit. Cæterum ubi tunc Chriſtus? an in cœlo? an in aëre viciniore? Equidem neſcio. Nam quod Act.* III. 21. *dicitur, quem oportet cœli capiant uſque ad tempora reſtitutionis omnium, intelligi poteſt de ordinaria Jeſu in cœlis manſione, qua non impeditur tamen quo minus per extraordinariam aliquam œconomiam in aërem terræ viciniorem ad exiguum tempus deſcenderit, &c.* De qua poſtrema ſententia nos judicavimus olim, & adhuc judicamus, eam præ prioribus non conſtare ex textu; & dubitari poſſe, an majeſtati Chriſti Glorificati ſatis conveniat ex cœlo ad has terras localiter deſcendere ad Pauli convertendi uſum qui aliter varie obtineri potuit, & an Immutabilis Cœlitum Gloria in Chriſti præſentis fruitione idem patiatur, & tandem an ille aſſertus Complexus Chriſti juxta cœlum ad ordinariam ejus manſionem & negatus reditus ante diem noviſſimum ad reditum publicum cum pompa judiciali tuto reſtringatur, dum nec Chriſti converſatio familiaris cum hominibus in hac terra tempore Judicii habendi obtinebit. Dum iſte nodus tam varie ſolvitur, non eſt utique plane inſolubilis. Et fateor ego mihi eundem optime ſolutum videri, per ſententiam, ſive ſecundam, ſive quartam, quam alterutram hinc lubentiſſime amplector, Uti & quartam illam tandem quoque laudavit *Cel. Witſius*; *Sed & in cœlis manens videri Paulo potuit per miraculoſam facultatis elevationem, remotisque Dei virtute omnibus impedimentis, quo modo Stephanus nuper in terra poſitus Cœlis apertis vidit Jeſum ſtantem ad dexteram Patris. Neque enim incredibile cenſeri debet, quod is qui dedit homini artem longinqua tanquam propiora, & parva tanquam longe majora oculis ſiſtendi, Stephano eam oculorum aciem dederit, ut è terra quæ in cœlis gererentur perſpicere potuerit.* Quocunque autem modo rem intellexeris factam, vere illa contigit, ut Jeſus Redivivus Paulo ſit viſus, poſt alios Apoſtolos, adeoque poſt Aſcenſionem.

V. Sed

V. Sed quid ſibi vult id quod addidit Paulus, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι? Conjectura eſt noſtra, quam Doctorum examini tradidimus, an inter vel ſupra alias gloſſas queat placere; quod ἔκτρωμα dicat heic non *Abortivum* fœtum, ſed *Abortus* actum, uti ſic lego apud *Henr. Stephanum*; *Ab Heſychio exponitur non ſolum* παιδίον νεκρὸν ἄωρον, *ſed etiam* ἐκβολὴ γυναικός. *Quibus verbis ſignificatur potius ipſa actio abortandi, quæ dicitur* ἐκτρωσμὸς *magis proprie*, & ἔκτρωσις, *ut apud Ariſtotelem &c.* Quod conſequenter τῷ ἐκτρώματι, *abortu*, heic ſpectet ad Viſus Apoſtolici Modum, quaſi ſubintellecta plenius Præpoſitione ἐν, (niſi forte legi debeat ὥσπερ ἐν,) σὺν, ἅμα, μετὰ, *in*, vel *cum*, vel *per*, quæ ſæpe in nudo Dativo continetur, *coll. Luc.* III. 16. VI. 38. *Rom.* III. 28. I *Pet.* I. 18. *&c.* dum alii cum *Paſore* eam ex Hebraiſmo deducunt. Et quod illud ὡσπερεὶ ἐκτρώματι præmiſſum ante ὤφθη, cum hoc Verbo magis quam cum κάμοὶ cohæreat per Trajectionem temere heic cogitatam. Quando heic legentes, *tanquam Abortione*, ſeu *Abortu*, h. e. in & cum eo, *viſus eſt & mihi*, ſenſum reperimus rei & ſcopo Pauli convenientiſſimum; Viſum ſibi eſſe Dominum, non tantum præter omnem exſpectationem, uti ſic Abortus obvenit prægnantibus, non tantum cum ſummo terrore & externo periculo, quæ in Abortu ſolent obtinere frequenter, ſed & cum Perditione ulteriori Conſiliorum hoſtilium in Chriſtum & Eccleſiam, præcipue Damaſcenam, quæ conceperat & geſtaverat quaſi imprægnatus ſecum donec per Exſecutionem ea pareret, quæque per inexſpectatum & terrificum Domini Viſum ita fuere turbata & irrita facta, uti terrificus conſpectus ſolet à mulieribus gravidis fœtum conceptum & geſtatum immature expellere, dum Paulus à peſſimis moliminibus ſic deſiſtere eſt compulſus. Quo pacto tam majeſtas Chriſti Redivivi, quam veritas Reſurrectionis ejus, tanto magis conſtare poterat & debebat; & ſimul Paulus occaſionem habebat de ſe ut τῷ ἐλαχίστῳ τῶν ἁγίων loquendi, & de magnitudine gratiæ ſibi factæ cogitandi *verſ.* 9. 10.

De ſenſu verborum ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι agitur diſtinctius.

VI. Interim vix iſtam conjecturam apud quemquam reperio, ſed conſentientes fere aut vere Interpretes in notione *Abortivi*, quam & cum *Vulgato* habet *Beza*. Qualem ſeu cui ſimilem ſe heic dicat Paulus; ut reſpondeant inter ſe κάμοὶ ὡσπερεὶ

Expoſitis etiam variis aliorum exegeſibus.

ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, vel per modum protaſeos & apodoſios, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι κἀμοὶ. Uti illa phraſis tum non dicet illum verè Abortivum fuiſſe, ſed hujus ſimilitudinem, (forte etiam ratiocinativè capienda,) in minori Corporis mole aut ſimilibus quærendam, ſed in aliis longe plenius inveniendam quæ ad Pauli depreſſionem propriam faciunt, uno vel alio modo & momento. Unde ſecundum quoſdam ſenſus heic erit, *etiam mihi, qui eram, quando eram, quia eram, licet eſſem, qui* vel *quando factus ſum, qui ſum* ἔκτρωμα, *viſus eſt.* Et in ipſo *Abortivo* urſerunt multi, reſpici ad Tempus Serius Pauli, ſeu Nati, ſeu Renati, & ad Apoſtolatum vocati, poſt alios Apoſtolos, & poſt Dominum Exaltatum, quin & Supernumerarii. Voluerunt alii, nobis ſic indicari Stuporem Pauli videntis Jeſum, per quem ille factus ſit tunc, corporali magis quam ſpirituali ſenſu, quaſi Abortivus, procidens & nihil videns *Act.* IX. 3. 6. 9. XXII. 7. 11. Exiſtimarunt rurſus alii, nos heic duci per Abortivi ſimilitudinem ad Statum Pauli Spiritualem ante Viſum Jeſu ipſi conceſſum; quando nempe ille non tantum cum aliis fuerat vita & luce vera privatus, ſed & inhumano odio in Chriſtum & Diſcipulos ejus affectus præ aliis, talem ſe ipſo opere præſenti in tempore Vocationis adhuc monſtrans, & hinc Apoſtolatus gratia indignus. Judicarunt tandem alii, ſed meo judicio minus recte, ſimilitudinem *Abortivi* quærendam eſſe in ejus Vocatione, & Novo Gratiæ Statu, atque inveniendam in variis admodum, ſive ejus Violentia majori, ſive ejus Celeritate, ſive Imperfectione &c. ſive Exiguitate in comparatione cum aliis Apoſtolis, non tam vera in re ipſa, quam ex aliorum perverſo judicio, vel proprio modeſto de ſe ſenſu & ſermone. Quorum omnium diductionem cum argumentis & conſiderationibus illuc ſpectantibus reperies *Loc. Cit.*

Et quid perinde ſignificaverit Paulus per Ultimo omnium.

VII. Verbum addere oportet etiamnum de illo quod præmiſit Paulus, ἔσχατον πάντων, *noviſſime*, vel *ultimo*, *omnium*, id mihi contigit; notato ſic non nudo Ordine narrationis, ut hoc eſſet quod ultimo narrandum habebat, ſed & Tempore rei geſtæ, perinde ut in præcedentibus illis ὅτι, ἔπειτα, ἔπειτα, ὅτι, *verſ.* 5–7. Non equidem ad excludendum omnem Viſum Chriſti ſimilem, qui aliis contingeret vel contigiſſet Apoſtolis,

ſtolis, etiam per illa quæ de Johannis Conſpectu Apocalyptico feriore palam conſtant; ſed ad docendam Gratiam ſibi factam poſt alios Apoſtolos & Fratres hactenus nominatos, ad quos illud πάντων heic referendum eſt omninò. Neque eſt hoc abſque ratione gravi heic ab illo additum; quando Tempus illud longius à Diſcipulorum aliorum Conſpectu ad hunc Pauli monſtrabat Vitæ Chriſto Reſtitutæ Conſtantiam certam; & quandò Ultimus iſte Viſus Chriſtum plenius Glorificatum exhibebat, poſita omni vilitatis prioris ſpecie, ſic ut de Immortali ejus Vita nunc dubitari amplius non poſſet, atque ita Ultimum heic quoque eſſet Summum, pro uſu Græcorum & Latinorum alias obvio.

VIII. Ita Paulum Apoſtolum cum aliis Apoſtolis junximus, ipſo præeunte, in Apparitionibus Jeſu Redivivi. Et præterivimus hactenus *Stephanum* Protomartyrem, de quo ille tacuit, & de quo jam ante Paulum *conſpiciente cœlos apertos, intentisque in cœlum oculis vidente gloriam Dei & Jeſum ſtantem à dextris Dei Act.* VII. 55. 56. nos potius deinde in progreſſu Gloriæ Chriſti dicemus. Dum prætermittere ſimiliter non poſſumus Viſum *Apocalypticum Johannis* longe ſeriorem in Patmo, qui nobis deſcribitur in omni magnificentia Chriſti Viſa & Audita ab ipſo illo Apoſtolo, ſervo eximio Jeſu Chriſti, ὃς ἐμαρτύρησε τ̀ λόγον τ̃ θεῦ, κ̀ τ̀ μαρτυρίαν Ἰησ̃ Χρισ̃, ὅσα τε εἶδε *Apoc.* 1. 2. 3. *&c.* Iſte ſcilicet Apoſtolus Dilectus à Domino præ aliis, *fuit in Spiritu in Die Dominico, & audivit poſt ſe vocem magnam quaſi tubæ, dicentis, ego ſum Alpha & Omega, Primus & Ultimus &c.* ad quam converſus ipſe, vidit inter Septem Candelabra aurea *Similem Filio hominis, indutum talari & cinctum ad mamillas cingulo aureo, caput autem ejus & capilli candidi, ut lana candida, ut nix, & oculi ejus ut flamma ignis, &c. & aſpectus ejus ut ſol lucet in potentia ſua*; ad cujus pedes cum Johannes caderet ut mortuus, ille dextra manu huic impoſita dixit ad hunc, *ne metue, ego ſum Primus & Ultimus, & Vivens & fui mortuus, & ecce ſum Vivens in ſecula ſeculorum, amen, & habeo claves inferni & mortis.* Quorum explicationem reperies olim à nobis datam in *Comment. Apocalyptico.* Enimvero, licet iſta *in Spiritu* ſint geſta, uti Prophetica communiter, cum tamen vere ſint geſta

Conferatur denique in Veritatem Reſurrectionis Chriſti Apparitio quæ Johanni contigit in Pathmo.

ab ipſo Domino Jeſu glorificato, potentiſſime docent, Vitam glorioſam & immortalem poſt ſuperatam mortem recepiſſe Dominum certiſſime; etiam per Vaticinia quæ ab eo accepit Johannes communicanda cum Eccleſia Univerſa, de iis quæ huic ad finem ſuperventura erunt, & in eo tandem liberaliſſime conferenda ex ipſius plenitudine beatiſſima. Sic ut nobis liceat & conveniat Johannis poſteriorem Viſionem iſtam jungere cum priore illa Pauli; miſſis fabuloſis traditionibus *Papiſtarum* de iis quæ Petro & aliis contigiſſe feruntur, ſine ſufficienti teſtium neceſſariorum fide.

---

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

### *Quo Hiſtoria Reſurrectionis Domini hactenus expoſita in Summam contracta exhibetur.*

De vocibus ſub quibus Chriſti Reſurrectio venit aliqua fuere prænotata.

Id non inutile putamus futurum lectori pio, ut quam hactenus illuſtravimus Hiſtoriam Reſurrectionis Dominicæ, eam nunc in breve Compendium redigamus, ſecundum illum ordinem quo ſingula nobis poſt attentionem juſtam videntur eſſe geſta. Ita quidem, ut ſingulis *Theſibus* exhibeamus heic, quæ per totidem *Capita* jam tradidimus paulo latius. Quando ergo Chriſtiani nos loquimur de *Reſurrectione* Chriſti Domini ſecundum Euangelium, deprehendimus, adhiberi heic ſatis promiſcue Verba; tum Neutra, *Reviviſcere*, & *Vivere*, quæ Statum vitæ redditæ magis quam ejus Autorem dicunt; tum Paſſiva, *Vivificari* & *Excitari*, quæ ad operantem heic Patrem reſpectum habent manifeſtum, tanquam Primam Perſonam etiam in operatione omni, & tanquam Judicem qui Juſtitiæ ſuæ per mortem plene ſatisfactum eſſe declaret in Vita reſtituta; tum denique magis etiam Activa, *Excitare*, *Aſſumere Animam*, & ſæpius *Reſurgere*, quod in emphaſi maxima poſitum nos ducit ad Chriſti ipſius propriam Potentiam Divinam, illi cum Patre & Spiritu communem, & ad Jus ab ipſo per mortem Acquiſitum cogitata noſtra pellit. Et eſt iſta *Reſurrectionis* notio, quam Paulus maxime ſpectavit, ubi illum dicit τ ὁρισθέντα υἱὸν θεοῦ ἐν δυνάμει κ πνεύμα ἁγιωσύνης

ix

ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν *Rom.* 1. 4. ita nempe ut per Potentiam exercitam in Resurrectione propria illius Deitas sit plane demonstrata.

II. Id quod ita loquentes de Domino suo Christiani de ipso credunt, secundum Euangelium, hoc est summatim, quod secundum Humanitatem mortuus Christus in cruce Vitam Humanam post mortem toleratam receperit. Ita scilicet, ut *Anima* Humana, Vera & Eadem, quam habuerat ante mortem, denuo ipsi è cœlo contigerit; mutata quidem magnopere in Qualitatibus & fluentibus hinc Operationibus, sed neutiquam in substantia sua. Ut *Corpus* deinde ei obtigerit, quod habuit ante mortem, Humanum Idem specie, cum omnibus illuc pertinentibus Membris & Proprietatibus, Extensionis solidæ aliam excludentis, Præsentiæ Determinatæ, Visibilitatis, Palpabilitatis, &c. atque Idem Numero, ut hinc dignosci posset. Ad quam Identitatem Numericam omnium tamen Particularum minimarum Identitas minime est somnianda, sine ulla additione nova aut substitutione. Dum magna heic adfuit Mutatio Qualitatum, respectu non tantum Mortis Durantis, sed & Vitæ præcedentis; quatenus Imperfectiones Inculpabiles nunc abfuerunt, earumque loco Decus summum, Robur maximum, & Agilitas incomprehensibilis adfuerunt, qualia & nos posthac pro modulo nostro exspectamus 1 *Cor.* xv. 42. *&c. Phil.* III. 21. Et ut tandem *Anima* illa *Corpori* isti rursus *Unita* fuerit, per idem Vinculum Essentiale quod ante mortem obtinuerat ad Humanæ Naturæ constitutionem, & fluentem hinc Operationum mutuarum animæ & corporis Communionem, per Sensus & Membra alia animæ imperium exsequentia; absque ullo novæ separationis periculo aut metu ulteriore duratura hac Vita.

Ejus deinde Ratio Formalis expo-sita.

III. Ista jam Resurrectio Christi contigit *Die Tertio* post Diem Mortis & Sepulturæ, seu Secundo post hunc finitum, non absoluto sed labente; qui dies totiens ante & post factum est heic expresse nominatus. Nec servatus absque justa ratione, sed ad probationem Discipulorum absque vexatione nimia; & ad Certitudinem, tum Mortis, tum aversæ Corruptionis hanc sequi alias solitæ. Idem vero ille Dies Tertius dicitur *Sabbatorum*, seu Septimanæ per Sabbata numeratæ, *Primus*; quem ad

Contigit illa Die Tertio à Passione, Primeque Septimanæ, alto admodum Mane.

Reſurrectionem ſuam elegit Dominus ſapientiſſime ad noſtram inſtructionem utilem, de Creatione Nova & Tenebris mundi nunc à ſe diſpellendis. Fuit hinc & idem ille Dies Tertius à morte, atque Primus Septimanæ, *Alter à Sabbato* Judaico elapſo, & *à Paſchate* habito ſimul; quæ Ceremoniæ nunc poſt mortem à Domino ſuperatam erant evanituræ. Quemadmodum & hinc omnino idem incidit in *Menſis Vernalis Medium* fere, temporis inſtantis lætitiam arguens manifeſte. Præter quæ de Reſurrectionis Dominicæ Die obſervanda, merito attendi debet ad *Tempus Diei* illius quo ea contigit. De quo quæ dicuntur ita referuntur directe ad narrata Facta Mulierum, ut ſimul nos doceant connexam Chriſti de Morte Victoriam. Heic vero licet varient admodum Euangeliſtarum phraſes, in id tamen egregie conſpirant, quod Adventus Mulierum ad Sepulchrum, tunc recentiſſime demum à Domino Redivivo derelictum, inciderit in *Tempus* Diei *Matutinum* valde, circa ipſum Solis naturalis ortum ſolitum. Quo ipſo omnis ſuſpicio fraudulentæ ſurrreptionis Domini per Diſcipulos ſublata fuit; & manſit ille juſtiſſime tectus ab oculis incredulæ multitudinis; & gratiam à ſe ut Sole vero diffundendam monſtravit; & promiſſorum ſuorum temere nequaquam differendorum ſed paratiſſime præſtandorum exemplum illuſtre dedit; & ad mature ſe quærendum & exſpectandum nos impulit.

Cum Terræ Motu ſpectante Sepulchrum per Angeli deſcendentis miniſterium, cum ſplendore viſi.

IV. Quamquam ſingulariſſimus *Modus* omnis Reſurrectionis Dominicæ, tanquam extra humanum conſpectum factæ, non conſtet ex Euangeliis; hoc tamen nos per eos ſcire voluit Dominus, quod idem fuerit vere *Glorioſiſſimus*. Enimvero fuit heic *Terra* inferius *Commota*, circa locum Sepulturæ Dominicæ, tam valide, ut ipſum Saxum magnum plane ab oſtio Sepulchri devolveretur. Neque hoc factum fuit ſecundum naturæ communem ductum, ſed Divina virtute inſolita. Quam arguit *Angeli Divini Apparitio* in Forma magnifica fulguris, cum Indumento candidiſſimo nivis inſtar; qui ita deſcendit ex cœlo, ut acceſſerit ad monumentum Domini Sepulchrale, atque illud ſaxo per terræ motum devoluto aperuerit Domino egreſſuro aliisque ad videndum ingreſſuris; ipſe ſuper illud mox conſidens, ut monſtraret, nec à natu-

ræ

ræ cæco ductu, nec ab humana arte, sed à Dei ipsius manu fieri quæ fiebant. Isthæc autem narrata expressius cum sint à Matthæo solo, fidem tamen certam cum singulari attentione merentur, ad gloriam Domini nostri Divinam; nec fidem ullo modo detrahunt narrationibus aliorum Euangelistarum de Angelis pluribus, eorumque vario loco & situ, tanquam quæ simul optime consistunt, & Cœlum non minus quam Terram commotum arguunt ad Domini de morte victoriam lætissimam. Dum obmutescere cum pudore heic debet Incredulitas circa Angelos, horumque Operationes externas in orbe inferiori nostro; quæ hinc narrationem Euangelicam, vel ad vanam phantasiam, vel ad communem errorem, vellet impie referre, cum nimia imminutione Dominicæ gloriæ in sua resurrectione.

V. Ita porro iste Angelus Domini Descendens, Terramque Commovens, ad aperiendum Sepulchri Dominici ostium, cum sui splendidissima ostentatione, affecit mox constitutos Sepulchri *Custodes* Militares, ut *Timore* toti fuerint *conturbati* ipsi, quin & *facti tanquam Mortui*, adeò mentis simul & membrorum vix compotes. Quod nemo facile mirabitur contigisse ad inexspectatum adeo Conspectum; inprimis post illa quæ in custoditum à se Jesum antea à Judæis & Romanis fuerant acta. Sed quod in imperterritis cæteroquin Militibus observatum, nos ab omni persuasione vana ad rei gestæ veritatem certissimam valide vocat. Resumptis autem dein qualicunque modo animis & receptis viribus, cum abirent quæ accesserant Mulieres lætiores, non aliter potuerunt hi Custodes, quam ut ipsi etiam irent, quidam potius quam omnes, ad Pontifices, tanquam præcipuos qui ipsis custodiam sepulchri demandaverant, atque his coram exponerent, quæ ipsis videntibus apud sepulchrum contigerant, ac commissum Cadaver illic non amplius reperiri fecerant. Ad quæ audita hi cum Presbyteris congregati consilium ceperunt de Militibus sufficienti pretio corrumpendis, ut mentirentur Christum à Discipulis furtim esse surreptum ex Sepulchro, se dormientibus; quæ culpa professa ne ipsis noxam aliquam promeritam afferret, id ipsi erant apud Præsidem præstituri facile & lubenter. Quod ut & agerent milites, effecit amor

Unde Terror magnus in Militibus, qui eos post reditum qualemcunque ad se fecit adire Pontifices cum annunciatione rei gestæ, ibidem ad mendacium splendidum corruptos.

pretii oblati, una cum offerentium autoritate. Et, quamquam mendacium iſtud ſatis ab omni parte pelluceret, illud tamen ſparſum quaquavorſum fuit ita, ut à Judæis paſſim & diu crederetur, ex Chriſti & Euangelii ejus odio maligno & contumaci. Ubi mendacium ita ſparſum omnibus juxta Matthæum conſtabat, ut Corruptio illa Militum ab ipſo fuerit addita, non ex ſuſpicione aliqua mera, ſed ex aliorum id agentium vel præſentium teſtimonio, de cujus certitudine Spiritus ipſum reddidit juxta nobiſcum plane certum.

Dum Mulieres perinde turbatæ per Angelicum conſpectum & Sepulchrum vacuum repertum, à Spiritibus illis fuere erectæ, & cum nuncio Reſurrectionis Dominicæ ad Diſcipulos ablegatæ.

VI. Sic vidimus Fatum & Factum, tam laudabile quam illaudabile, Militum hoſtilium. Nunc videndum quoque, quid Mulieribus & Amicis Jeſu hoc ipſo fere Reſurrectionis ejus tempore contigerit. *Mulieres* reſpicimus pias, quæ & nonnullæ Nominibus ſuis exprimuntur. Præcipua omnium videtur fuiſſe *Maria* quædam ex Magdala Galilææ oriunda, quæ à ſeptem ab ea Dæmoniis Chriſti gratia ejectis celebratur in Euangeliis, ſed male per vanam traditionem habetur pro inſigni antea ſcorto. Fuit inter has *Maria Altera*, Jacobi Minoris mater, quam putant fuiſſe B. Virginis ſororem. Fuit dein *Salome*, quæ communiter habetur nec improbabiliter pro matre filiorum Zebedæi, Jacobi ſcil. Senioris & Johannis. Fuit perinde *Joanna*, uxor Chuzæ ἐπιτρόπου Herodis. Sed non fuerunt hæ ſolæ, cum jungantur antea reliquæ quæ ex Galilæa cum Chriſto venerant, & de facultatibus ſuis illi miniſtraverant, inter quas & una *Suſanna* dicta. De Maria Matre Domini altum heic eſt ſilentium, cujus abſentiæ rationem conjicere, ſed ſcire certo non licet, vel unam vel aliam. Atque iſtæ quidem Mulieres alto mane venerunt ex Urbe Jeruſalem, ut non tantum Sepulchrum ſpectarent ſed & Chriſtum mortuum ungerent, in hunc finem aromata & unguenta empta & parata ſecum adducentes. Sed antequam ad Sepulchrum ipſum pervenirent, ſollicitæ prorſus fuerunt de amovendo Saxo ſepulchrali; quod jam ablatum repererunt mox ubi accederent. Enimvero hinc ortus dolor haud exiguus, quod ingreſſæ Corpus Domini in Sepulchro non reperirent. Ad quem tollendum fecit illuſtris Conſpectus Angelicus, in cujus enarratione eſt apud Euangeliſtas diverſitas quidem notabilis, ſed nulla adverſitas. Secutus

cutus etiam eſt Sermo Angelicus ad Mulieres, quo has, tum dehortantur à Metu, tum inſtruunt de Chriſti quæſiti Statu Redivivo, tum eundem aſſerunt valide, tum imperant denique quid agendum haberent, cum promiſſo Jeſu ipſius videndi Redivivi. Nec mora eſt in hujus mandati executione; quando Mulieres, jam & recordatæ eorum quæ antea huc ſpectantia à Domino vivo audiverant, reverſæ ſunt in Urbem cum magno & vario animorum motu, & Diſcipulis celerrime annunciarunt quæ ipſis ad Viſum & Auditum evenerant apud Sepulchrum. Hi autem Diſcipuli adeo parum fidei narrantibus Mulieribus habuerunt, ut etiam delirare ipſis viderentur fere. Dum melius ſe heic geſſit tamen Petrus, qui & ipſe ſurgens ad monumentum accurrit, & in illud curioſe inſpexit, non videns illic Dominum ſed linteamina jacentia ſola, atque hinc cum admiratione haud exigua abiit. Ad pleniorem rei hujus intellectum nos duxit Johannes, qui de ſola Maria Magdalena refert, quod Saxum à monumento devolutum videns ad Petrum & Johannem ſe receperit, hisque ſignificaverit, Dominum ex Monumento ſublatum eſſe nec ſciri quorſum. Quæ relatio movit utrumque illum Apoſtolum, ut iter quantocyus ſuſciperent ad monumentum, & in illius conſtitutionem omnem diligentiſſime unus poſt alterum inquirerent, ſic ad fidem rei geſtæ perducti. Dum difficultates in componenda narratione utraque per attentionem debitam facile tolluntur. Et hoc agnoſcendum omnino videtur, quod non ſemel ſed bis ad monumentum venerit Maria Magdalena, altera ſcil. vice poſt abitum celeriorem, cum Diſcipulis illis duobus à ſe accerſitis, ubi reliquæ Mulieres jam abierant inde. Certiſſime iſta præbent argumentum Domini Redivivi, quod tam à Diſcipulis Duobus quam à Mulieribus vacuum eo modo Sepulchrum reperiretur, & ab his quidem Angelis ſtipatum læta nunciantibus.

Poſt quæ Chriſtus ſe ipſum Vivum exhibuit ſuis varie & validiſſime.

VII. Enimverò, ut nulla prorſus ſupereſſet apud ſuos dubitandi ratio, lubuit Domino ſe ipſum illis ſiſtere etiam coram Redivivum. Apparuit enim ille ipſis; non phantaſtice per meram ſpeciem & fallacem ſenſibus externis aut internis objectam, ſed veriſſime in propria natura humana; non quidem perpetuo, ſed ad tempora quædam; non tantum ad Viſum,

ſum, ſed & Auditum & Tactum ipſum; non terribiliter, ſed familiariſſime; non quidem omni populo ſed Teſtibus fideliſſimis maxime à ſe deſignatis; nec per diem unum aut alterum, ſed ad longius Quadraginta Dierum ſpatium. Dum vero omnes iſtæ Apparitiones, neutiquam ab Euangeliſtis ſunt enarratæ, reliquerunt tamen illi nobis numerum earum certiſſime Septenarium, ſi non majorem, qui ad convictionem utique ſufficere debet æquiſſimam.

Quod ſecundum Paulum contigit Cephæ, quin & ſerius Jacobo ſoli.

VIII. De iis antequam dicamus ſingulis, monendum eſt, à Paulo ad Corinthios ſcribente de Chriſti Apparitionibus, quibus ſe Redivivum hic demonſtravit, non memorari quidem illas quæ Mulieribus & Mariæ Magdalenæ atque Emmauntici Diſcipulis contigerunt, ſecundum Euangeliorum narrationem, quoniam forte illic ad ſolos Apoſtolos voluit provocare; attamen earum loco nominari unam & aliam ſingularem de qua Euangelia tacent. Una nempe tribuitur *Cephæ*; quod nomen Syriacum eſt idem cum Græco *Petrus*. Nec poteſt cum ulla ſpecie dubitari, quin illud heic deſignet magnum Apoſtolum, qui idem accepit à Chriſto ipſo, & ſic in aliis locis nominari ſolet. Ut non ſint niſi ſomnia inaniſſima quorundam, hypotheſibus vanis ſervientium, quæ heic ex *Veteribus* de alio allquo *Cepha* leguntur. Et huic quando ipſe Apoſtolus clariſſime dicit Chriſtum redidivum eſſe Viſum, tutiſſime illud à nobis creditur, etiamſi alii hoc non ita dixerint Euangeliſtæ; quod tamen abſolute & univerſaliter admitti nequit, propter id quod apud Lucam refertur à Diſcipulis eſſe dictum, *Dominus vere ſuſcitatus eſt, & viſus Simoni*, quoniam hoc eſt alterum & prius Cephæ ſeu Petri nomen. Quod ipſum dictum nos ſimul docet *Tempus* rei hujus geſtæ; quatenus hanc Emmaunte redeuntibus Duobus narrare non potuerunt Diſcipuli alii congregati, niſi tum jam geſta fuiſſet, adeoque ipſo illo Diei Primo Reſurrectionis Dominicæ antequam Diſcipuli communiter eum vidiſſent. Et eſt ſatis probabile, contigiſſe eam iſtius Dei non meridie demum, aut veſpera qua ſe Emmauntem euntibus Dominus præſentem exhibuit, ſed *Mane*, non multo poſt Reſurrectionem ipſam in Petri Reditu à Sepulchro. Quæ & ratio major eſſe poteſt arctiſſimæ iſtius conjunctionis, *Dominus vere ſuſcitatus eſt &*

*Viſus*

*Viſus Simoni.* Neque enim obſtat, quod Johannes in illo Reditu fuerit Petri comes; ſiquidem quod de Petro refertur, hoc ipſo comiti ejus Johanni non negatur, & comitatus ille non fuit neceſſario tam arctus perpetuo, ut non in illo reditu aliquid ſingulare uni contingere potuerit præ altero. Sed & alterius Apoſtoli adhuc meminit Paulus, cui ſingulatim viſus ſit poſt Reſurrectionem ſuam Dominus, nempe *Jacobi*. Is an intelligatur Major, qui filius alter Zebedæi, an Minor, qui Frater Domini, & tantopere in antiquitate celebratus, parum intereſt, cum uterque ſit fide omni digniſſimus. Dum ineptiſſime pro Apoſtolo hoc utroque ſubſtituatur Tertius Jacobus, incertus plane; propter ejus diſtinctionem ab Apoſtolis, quæ ſane eſt juſtiſſima inter Collegium illud & Membrum ejus Unum ſingulare. De Modo autem, Loco, & Tempore certo, hujus Apparitionis vix dici poteſt aliud, quam contigiſſe illam *poſtea*, ſeu *deinde*; h. e. ſerius, poſtquam etiam viſus eſſet Jeſus plus quam Quingentis Fratribus ſimul, & proxime ante poſtremum conſpectum Apoſtolorum omnium. Ut inaniſſima ſit fabula vetus ab *Hieronymo* ipſo tradita, ſecundum quam hæc Chriſti apud Jacobum Viſio debuerit in ipſum Aſcenſionis Diem incidiſſe.

Et ſecundum Euangelia Mulieribus Primum & Mariæ Magdalenæ.

IX. Nunc ad Euangelicas Narrationes pleniores venimus. Quarum omnium Prima eſt de *Mulieribus* communiter apud *Matthæum*, & de *Maria Magdalena* ſingulariter apud *Marcum* & *Johannem*. De iſtis, antea jam deſcriptis ſuo loco, indefinite nunc diſcimus, quod cum *irent ad annunciandum Diſcipulis* ea quæ apud Sepulchrum viderant & audiverant, *ecce Jeſus* ipſe *illis ſit obviam factus* cum ſalutatione familiari prolata. Quando hæ *accedentes ejus pedes apprehenderunt* cum religioſiſſima *Adoratione*; atque Jeſus viciſſim juſſit eas *non metuere*, ſed *abire*, atque *Fratribus annunciare abitum in Galilæam*, ubi ipſe ſolenniter ab illis *ſit videndus*. De *Maria* porro *Magdalena*, à qua ejecta Dæmonia non licet mutare in Animi aut Corporis pravas quaſdam Affectiones, & quæ pro infami antea peccatrice perperam habetur, generalius docet *Marcus*, quod cum reſurrexiſſet Chriſtus mane prima Sabbati, *apparuerit* illi *primum*, ſeu abſolute prorſus, ſeu reſtricte ex contextu ante Diſcipulos quibus illud annunciavit, & ante annunciationem

à se his factam; quodque ipsa *iverit*, & fatum hoc suum lætum *annunciaverit* Discipulis aliis lugentibus & flentibus, apud quos tamen fidem decentem non repererit. Secundum historiam vero longe pleniorem Johannis, hæc ipsa Maria, Petro & Johanne abeuntibus à Sepulchro vacuo, *apud monumentum* constitit, *flens extra*, & *in illud procumbens*. Hæc ipsa porro *Angelos duos in albis* conspicit *sedentes* in sepulchro ad caput, & pedes illic depositi sed non amplius jam reperti Jesu; qui & sermones cum ea miscuerunt minime ingratos. Hæc ipsa amplius *conversa retrorsum*, *Jesum adstantem conspicit*, illum tamen mox *non agnoscens*, qui & ipse hanc compellat amice, & ab hac responsum accipit, non prorsus indignum illius affectu & ignorantia. Hæc ipsa prima à Domino compellatur per nomen *Mariæ* quo hanc sibi cognitam monstrat ille, & se cognitum facit, & laudem insinuat, & opprobrium, & officium, & felicitatem hujus. Hæc ipsa jam agnoscens Dominum, illum vicissim compellat nomine emphatico *Rabbuni*, seu *Magistri*, quo simul æstimationem illius, dilectionem, venerationem, & glorificationem decentem suam exprimit. Hæc ipsa etiamnum à Domino interdicitur ipsum longius detinere, tanquam qui ascendere ad Patrem debebat; cum opposito jussu eundi ad fratres, illisque annunciandi instantem suum abitum salutarem ad communem Patrem & Deum. Hæc ipsa denique jussum hunc Domini exsequitur, veniensque ad Discipulos, iis annunciat Visum & Jussum Domini. Ad quam Mariæ historiam solam an respexerit *Matthæus* de Mulieribus loquens, digna inquisitu est res. Uti & ordo omnis rerum à Mulieribus gestarum, & circa has. Dum earum Historia certe haud parum ponderis adfert ad Certitudinem Dominicæ Resurrectionis.

Deinde Cleopæ & alteri cum eo Emmauntem euntí Discípulo.

X. Historia secunda in Euangeliis descripta spectat ad Discipulos *Duos*, non tamen ex Duodecim vel Undecim illis præcipuis. Quorum hinc Unus, imo re ipsa & primus, habuit nomen *Cleopæ*, & alter est planè incertus. Neuter utique Apostolus; nec alter ullo modo Petrus, inter Apostolos tantopere excellens. Illi scilicet Duo iverunt in agrum ad vicum quendam, stadiis sexaginta distantem, cui nomen *Emmaus*, colloquentes de rebus Jesu, ex cordis sui plenitudine,

ad

ad mutuam inſtructionem. Quæ immane quantum differunt ab inaniter ſomniata Itione eorum in Galilæam ad Jeſum illic quærendum. Euntibus autem & colloquentibus illis Duobus Jeſus ſe manifeſtavit, ad illos accedens, & cum illis progrediens, retentis tamen illorum oculis ne ſe agnoſcerent. Quin & repetita Rogatione ex illorum ore elicit prolixum ſermonem de Jeſu Nazareno, quem laudibus magnis ornant, cujus opprobria indigniſſima minime tacent, & in quo repoſitam ſed nunc vacillantem ſpem ſuam nequaquam diſſimulant, uti nec novam anxietatem ex Mulierum relatione ortam. Ad quem ſermonem Diſcipulorum ille vocem ſuam extulit; tum redarguendo eorum inſcitiam & incredulitatem, tum erudiendo eos de Neceſſitate Paſſionum Meſſiæ & ſecuturæ hinc demum Gloriæ, atque ea aſſerendo ex Moſe & Prophetis omnibus. Quin & cum prope Emmauntem veniſſent ſic colloquentes, ipſe viſus fuit ulterius iturus, ſed per Duos illos paſſus eſt ſibi perſuaderi, ut cum iis illic maneret ea veſpera. Heic autem dum Jeſus cum Diſcipulis accumbebat, ac panem acceptum & benedictum fractumque illis diſtribuebat, illorum aperiuntur oculi ita ut ipſum perfecte ſatis dignoſcerent. Sed non duravit ex voto hoc illorum gaudium; quando rurſus ab oculis diſcipulorum horum ablatus eſt ipſe ſubito & inexſpectato, ita ut eum non viderent amplius ſecum, nec inter eos ſecundum humanitatem vere adeſſet adeo, aliorſum nempe translatus. Et hoc adeo eos affecit; ut mox quidem ad ſe invicem loquantur de magna vi ſermonum Chriſti, in ipſa etiam via, per quam & Scripturas ſapientiſſime aperuerat, & ipſorum corda cœleſti modo inflammaverat; ſed & abſque mora longiori revertantur ex Emmaus in Jeruſalem, reperiantque Diſcipulos tum Undecim tum & alios ibidem congregatos ſimul plurimos. Qui ipſi prævertunt hos Duos declaratione lætitiæ ſuæ, dum his dicunt primi, Dominum vere reſurrexiſſe, quin & à Simone præcipuo inter ipſos viſum eſſe. Sed & hi ſubjiciunt, ad rei ejuſdem confirmationem, quomodo ſibi in via apparuiſſet ignotus, & quomodo in Fractione Panis Emmauntica tandem innotuiſſet, expoſita hac omni ſua converſatione longiori & familiariori cum Domino. Et hoc omne geſtum ſic fuit ipſo Primo Die Reſurrectionis,

ſed pomeridiano & paulatim magis adveſperaſcente. Quæ hiſtoria adeo eſt notabilis, in re ipſa, & in omni ejus modo, ut plurimum facere debeat ad fidei Chriſtianæ firmamentum.

Tum Apoſtolis ſimul congregatis, abſente tamen Thoma.

XI. Tertia ſequitur hiſtoria Euangelica quam non unus Lucas juxta Marcum, ſed & cum his duobus etiam Johannes deſcripſit, nec poſt hos omnes Paulus tacuit. Quæ quidem ſpectat; non jam ad Mulieres pauciores vel plures; neque ad Diſcipulum unum aut alterum, ſortis communioris, vel præcipuæ; ſed ad Apoſtolicum Cœtum, qui ab initio fuerat & rurſus paulo poſt futurus erat Duodenarius, licet nunc heic nec eſſet præſens ille totus ſimul. Iſte ſcilicet Cœtus Duodenarius erat fraterne & religioſe congregatus ad mutuam in Domino ædificationem; ſed foribus valide clauſis, non tam ob veſpertinam conſuetudinem communem, quam propter Judæorum incredulorum & hoſtilium metum, qui inſidiarentur nec forte à vi abſtinerent omni. Sed non potuit ſic excludi ab iis Jeſus, qui venit & in medio Apoſtolorum ſe ſtitit ſubito, absque magno quidem ſtrepitu præcedente, attamen non abſque apertis ſua virtute foribus per quas intraret, dum de earum penetratione inepta vere nihil legitur in textu; & quidem cum lætiſſimo pacis voto. Ad hæc autem viſa & audita cum illi conturbati eſſent magnopere, putantes ſe ſpiritum aliquem incorporeum videre, à quo quæ ipſis ſuperventura eſſent ignorabant; Jeſus illos ante omnia alia redarguit, non modo de perturbatione iſta, ſed & de ratiocinatione indecenti connexa. Simul etiam confirmat Reſurrectionis ſuæ fidem ampliſſime variis modis. Primum quidem per conceſſum mandatumque ſui & membrorum ſuorum Conſpectum propiorem ſimul & Contactum diligentiorem; qualis equidem ſpiritui non conveniebat, ſed qualis ipſum invicte arguebat. Secundo etiam per Eſum poſtulatum ab ipſis, & ſumptum in omnium conſpectu, quod rurſus ſpiritui non competebat; dum reſuſcitatus ipſe neque illo indigebat, ſed tamen ſumere illum voluit ad præſentem Diſcipulorum videntium uſum. Sed tertio quam maxime per Vaticinia antiquiora, quæ etiam heic & nunc ab ipſo laudata fuere. In qua ſermonis ſui parte præmittit Dominus narrative, quid jam antea ipſos docuiſſet ex Lege Prophetis & Pſalmis de fatis

ſuis,

ſuis, quorum dicta iſthæc prorſus fuerant implenda. Quod inſtitutum etiamnum perſequens, cum apertione mentis eorum ad intelligendum Scripturas, ad eos dixit, & quæ de ſe ac rebus omnibus ſuis ſcripta erant, & ſimul eorum ſenſum ac implementum in ſe. Quæ quando cum fidei gaudio percepiſſent Apoſtoli, & repetitum pacis votum accepiſſent, inſtruxit illos porro Jeſus verbis tam Mandati quam Promiſſi ſui ampliſſimis. Juſſit enim Apoſtolos eſſe ſui Teſtes per orbem, eos ut tales ablegans, ad exemplum ſe mittentis per orbem Patris, per quod diſcrimen magnum ab opere non magis quam à Perſonis tollitur. Et promiſit, ſe miſſurum promiſſum Patris ſuper eos, qui hinc in urbe Jeruſalem manere debebant donec virtute ex alto promiſſa induerentur. Quemadmodum & ad Promiſſionem pertinet, quod ſigno inſufflationis addito ad Spiritum Sanctum dein accipiendum illos monuerit. Imo quod poteſtatem remittendi & retinendi peccata, per annunciationem Euangelii cum Sacramentorum uſu, iis addixerit. Quam miſere detorſerunt dudum Papiſtæ, ad ſuam gloriam æque quam Chriſti ignominiam. Uti vero hæc Hiſtoria tota pertinet certiſſime ad ſeram veſperam ipſius Diei Primi Reſurrectionis Dominicæ; ita illa, ſi quæquam alia, facit ad arguendam hujus Certitudinem irrefragabilem.

XII. Quartam adhuc habent haud diſſimilem *Johannes*, ſed tempore poſteriorem. Illa rurſus ſpectat ad Apoſtolos, quorum congregato Cœtui Jeſus apparuiſſe modo fuit deprehenſus. Et quibus ut denuo appareret heic, occaſio per *Thomam* fuit data, unum ex Apoſtolis Duodecim, cujus plus quam unum vitium ex Johannis Euangelio nobis conſtat. Ille enim abſens fuerat à Diſcipulorum congregatione, quando Jeſus ad eos venerat antea; ex qua occaſione, incertum. Unde hoc eſt conſecutum, quod, licet rem geſtam cum ipſo communicarent Diſcipuli reliqui complures vel omnes, ille tamen non haberet ei fidem ſed contraniteretur omni modo per incredulitatem, hanc etiam duraturam profeſſus, donec ipſe videret & contrectaret Jeſum, uti illis conceſſum fuerat. Interim nec à Fide omni in Jeſum, nec ab Amore in condiſcipulos ita defecit Thomas, ut non his ſeſe rurſus conjunxerit

Iiſdem porro poſt octiduum, cum Thomas eſſet præſens.

rit deinde, cum ipſi intus eſſent ſimul clauſis uti antea foribus, ad uſus religioſos indubie. Atque hinc exſeruit ſe ſingularis illa Domini gratia, per quam in eorum medio etiam tunc conſtitit, & pacis apprecatione communi eos blande ſalutavit. Sed ſingulatim, reliquis audientibus, egit cum Thoma, quem juſſit magis quam conceſſit ſe diligentiſſime contrectare, æque quam intueri, ut bene dignoſcere ſe poſſet. Sed & conſequenter non amplius hærere in Incredulitate, quam profeſſus erat, ſed firmiter omnino credere, quod ipſi divinitus annunciatum, etiam ſenſuum teſtimonio tam valide confirmabatur. Neque enim dubium eſſe poteſt, quin Incredulitas & Fides in hoc Dominico mandato ſpectet ad Chriſti Reſurrectionem ex morte cum connexis; dum tamen conferri poſſunt alii ejus ſenſus, & uſus æque quam abuſus. Sic autem convictus tandem Thomas, in voces illas notabiles erumpit, *Domine mi! & Deus mi!* quibus ille ſummo jure Chriſtum compellat, quorumque vis longe maxima & aptitudo agnoſci prorſus debent. Nec cohibenda heic eſt indignatio in *Socinianas* torſiones, ad quas impietas in Dominum noſtrum homines illos A-Chriſtianos perpulit; quaſi & virtus Thomæ in novam auctamque culpam ejus foret trahenda piè. Longe autem aliter voces eas Thomæ ſpectavit & ſpectare nos juſſit Dominus, quando hunc amice compellans, Fidem ejus ex iis liquentem laudavit nominatim, ad quam per conſpectum præſentem fuerat adductus. Sed non minus ſimul celebravit beatitatem eorum, qui & abſque ſimili viſu eſſent crediturí, deinde potiſſimum. Ex quo Chriſti dicto inaniſſime diſputatur pro fide neceſſaria eorum omnium quæ ab hominibus obtrudantur contra omnem rationem & ſenſum æque quam revelationem. Uti porro hujus rei geſtæ Tempus expreſſum eſt apud Johannem, tanquam Diei Octavi à Reſurrectione Veſpera; ita maximum pro hac argumentum in ea ſe palam prodit, dum obſtinatiſſime incredulus Thomas manus tandem victas præbere & cedere fuit coactus.

Nonnullis porro horum apud Mare Tiberiadis.

XIII. Quintam hiſtoriam perinde apud ſolum reperimus *Johannem*. Qui nos ducit iterum ad Diſcipulos Jeſu, & quidem numero nunc Septem, quorum quatuor fuere Apoſtoli, Petrus, Thomas, Jacobus, Johannes, tres autem reliqui

Ordi-

Ordinis minoris, Nathanaël cum Duobus aliis. Hi nempe erant simul, post suum discessum à Jerusalem in Galilæam, & quidem ad Mare Tiberiados; quando à Petro fuere impulsi ad piscationem instituendam, ad quam in navigium ingressi, & adhibita omni industria, nihil tamen piscium per noctem totam ceperunt retibus suis. Sed mane Christus iis apparuit ad littus maris, visus ab ipsis sed non agnitus tamen; atque etiam de illorum piscatione ex longinquo cepit ita cum ipsis loqui, ut & consuluerit rete projicere in navigii dextras partes cum spe melioris capturæ; quæ etiam adeo successit, ut præ piscium concluforum multitudine rete trahere amplius non possent, erant enim comprehensi centum quinquaginta & tres pisces magni. Ad hæc Johanne primum monente esse Dominum qui videbatur atque utile consilium dederat, Petrus qualicunque indumento nuditatem suam tegens & succinctus in mare se conjecit, ut citius ad Christum in littore perveniret, sed reliqui navigio illuc vecti fuere paulo tardius, etiam ob pleni retis tractum post se. Venientes autem in terram observant mox singularem de se curam, per victum illic decenter paratum. Quando libuit Domino se multo plenius etiam suis Discipulis manifestare ad convictionem sufficientissimam, per dicta pariter & facta sua. Mandavit enim de piscibus modo captis etiam sumere, invitavit eos ad prandium secum habendum, quod & egerunt hi, non amplius dubii quin adesset Dominus, quin & ipse accedens panem accepit & opsonium, quem & Discipulis dedit. Post hæc communius cum Discipulis acta post prandium finitum sequuta est specialis tractatio Domini cum Petro. Hunc nempe suo nomine *Simonis Jona* compellans Dominus, rogat serio admodum, an se diligeret, & quidem præ his, seu aliis se etiam vere diligentibus Discipulis, seu potius forte aliis ab ipso etiam dilectis non immerito. Neque dubium, quin Christus rogaverit eum de Dilectione sui non qualicunque, sed sincera & perfectissima, qualis in se decebat. Petrus autem respondet prompte illi ut Domino, imo vero se ipsum ita diligere non tantum, sed & ipsum id optime nosse. Et ad hoc responsum sibi gratissimum Dominus ipsum jubet agnos suos pascere, seu ea quæ pabloris erant præstare fidelibus aliis. Simul

&

& interrogationem ſuam repetit ad Simonem Jona, an ſe diligeret? eo nempe modo quo antea id dictum fuerat. Ad quam cum ille reſponderet ut antea, næ Domine quod te amem tu noſti, repetitio fit mandati prioris à Domino, paſce oves meas, mutata una & altera voce. Quin & nondum adeo quieſcit Dominus, ut non tertio etiam roget Simonem, an ſe amet? Qui hinc quidem haud parum contriſtatus fuit, tanquam Domino viſus ſuſpectus de amoris defectu & dictorum fraude, attamen non deſiit declarare, quod omnia noſcens Dominus ſatis etiam perſpectum haberet ipſius in ſe amorem. Unde & Dominus tertia repetitione firmavit mandatum ſuum, ut ſuas oves paſceret. Quod vellent quidem multi ad Petrum ſolum ſpectare, cum aliorum omnium præſentium & abſentium excluſione. Sed quod omnino ita datum Petro, ut ad Apoſtolos alios & doctores omnino etiam ſpectet per analogiam. Dum ejus inculcatio apud Petrum, & quidem ter facta, ſpecialem ſuam habuit relationem ad ipſius Trinam Abnegationem fœdam, propter quam non erat ille tamen à Paſtura demandata arcendus, ſuperſtite & reſuſcitata dilectione Domini. Qua occaſione torſiones Papiſtarum inſanas, ad Pontificatum ſuum univerſalem ex hac Domini tractatione cum Petro aſſerendum, redarguere convenit. Neque heic finitur Chriſti tractatio cum Petro, ſed monet ille hunc de Malis ipſi obventuris ad & ob dilectionem ſui & paſtionem ovium ſuarum. Quæ & proceſſura erant ad mortem violentam in provecta ætate, dum aliqui exiſtimarunt dudum, Crucifixionem ipſam heic Petro fuiſſe determinate prædictam. Amplius adhuc Petrum jubet Dominus ſe ſequi; ſive ſequela intelligatur ſpiritualis, in faciendis & patiendis, ſive corporalis potius Domini, ſe ab aliis Diſcipulis nunc ſeparantis. Tandem vero, cum Petrus de Johanne rogaſſet Chriſtum importunius, hic ſerio ſatis à Domino redarguitur, ipſumque ſequi iterum jubetur. Dum verbum Domini ad Petrum, male à Diſcipulis intellectum, occaſionem dedit rumori vano de Johanne non morituro. Uti vero Tempus hujus rei geſtæ ex collatis Johannis locis conſtat fuiſſe, poſtquam bis Diſcipulis fuerat Viſus Die Primo Septimanæ uno & altero, atque antequam appareret in Monte Galilææ; ita illa ipſa per omnes par-

partes ſuas veritatem certam Reſurrectionis Dominicæ nobis commendat.

Tum iisdem una cum Quingentis Fratribus in Monte Galilææ.

XIV. Hiſtoria Sexta ſequitur, ejus quod geſtum fuit in Monte Galilææ, ſecundum narrationem Matthæi, quæ ex Paulo videtur ſupplenda. Euangeliſta ille heic nominavit Undecim Diſcipulos, tanquam omnium præcipuos, reliquis omnibus minime ſic excluſis. Quos & adfuiſſe plures quam Quingentos diſcimus ex Paulo, cujus iſthæc annotatio indubie illuc eſt referenda. A Perſonis illis hoc narratur eſſe factum antecedenter, quod in Galilæam ad Montem quem eis conſtituerat Jeſus iverint alacriter, ubi ſe ſiſtentibus ipſe ex promiſſo magnifice apparuit. Quem & adorarunt communiter religioſiſſime; dum tamen ſuperfuerunt nonnulli dubitantes de Apparitionis ſimul & Reſurrectionis veritate. Jeſus vero apparens cum acceſſu ad eos eſt locutus verba ſignificantiſſima, tum Declarativa, tum Præceptiva, tum Promiſſiva. Declarat ſcilicet ipſe, omnem Poteſtatem in cœlo & in terra ſibi eſſe datam; quæ fundamentum erat Miſſionis Apoſtolorum per orbem ad erigendum ejus regnum; & quæ à vanis quorundam torſionibus minime eſt immunis. Poſt declarationem hanc, Juſſum dat Apoſtolis undecim; quod ſpectat ad Gentes omnes promiſcuè, ad quas eundum erat, ut in diſciplinam Chriſti colligerentur, tum per Baptiſmum, etiam ad parvulos extendendum, qui fieret in nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti, non neceſſario tamen adhibitis his vocibus inter baptizandum, tum per Doctrinam ſervandi omnia quæ Chriſtus præceperat. Cum quibus ſic apud Matthæum lectis feliciter convenit Marci narratio, de mandata Itione in Mundum univerſum, & Prædicatione Euangelii ad omnem creaturam, cujus ſumma ſit mandatum Fidei cum Baptiſmo jungendæ, ſub Promiſſione Salutis, & comminatione oppoſitæ damnationis. Apud Matthæum autem verba Promiſſionis Chriſti ſunt breviora, de Se cum Diſcipulis futuro per omnes dies uſque ad conſummationem ſeculi. Sed apud Marcum multo latiora, de Signis ſecuturis credentes, ſc. dè Dæmoniorum ejectione in nomine Chriſti, de Linguarum Novarum loquela, de Serpentibus tollendis & Veneno bibendo ſine læſione, deque manibus imponendis ſuper Ægros ad ho-

rum Sanationem. Quæ certe cum debita reſtrictione ſunt capienda, ſecundum eventum ipſum, nec pro plane Abſolutis & Univerſalibus haberi poſſunt niſi cum manifeſto rei & fidei Chriſtianæ ludibrio. Uti autem hæc omnium illuſtriſſima Apparitio Chriſti Redivivi contigit etiam poſt illam ad Mare Tiberiados, & ante Bethanienſem ultimam; ita nulla nos magis certos de Domini Reſurrectione præſtare poteſt.

Tandem & iisdem in & apud Jeruſalem in Aſcenſione.

XV. Hiſtoria denique Septima ad Jeruſalem & viciniam ejus nos ex Galilæa reducit, ſecundum ea quæ apud Lucam, partim in Euangelio partim in Actis, occurrunt. Paulus heic nominavit Apoſtolos omnes; in oppoſitione facili adverſus eorundem collegium minus plenum aliis vicibus prioribus Dominicæ Apparitionis apud eos. Id quod his contigit, fuit quod Jeſus illis viſus ſit, etiam cum eis συναλιζόμενος. Quando conſequenter eos eduxit foras uſque in Bethaniam, ſic appellatam domuum viciniam vel & alias jurisdictionem. Atque eodem tempore eos monuit, ne à Jeruſalem diſcederent plane quantocyus, ſed ut Patris Promiſſionem illic exſpectarent quam ab ipſo audiverant; quin & ſimul promiſit, eos in Spiritu Sancto eſſe baptizandos non poſt dies hos multos. Quin & interrogantes ipſos, an hoc tempore Regnum Iſraëli eſſet erigendum vel reſtituendum, ſenſu jam corporali vel ſpirituali forte potius, non tantum redarguit Dominus, tanquam nimis curioſos de iis quæ Deus non revelaverat; ſed & ſolatus eſt & valide erexit per repetitum Promiſſum, de Spiritus Sancti ſuper ipſos ſuperventuri virtute quam acciperent. Quin etiam monuit, ut ſui eſſent Teſtes, tum in Jeruſalem, tum in Judæa terra omni, tum in Samaria, tum & ad Terræ ultimum. Quæ omnia ultima verba reſpexiſſe videtur Lucas, quando Apoſtolis per Spiritum Sanctum mandata dediſſe Dominum refert. Finis autem totius hujus hiſtoriæ fuit, quod Apoſtolis benedixerit Dominus, cum manuum elevatione fervida. Et quis jure dubitet, quin hæc Ultima Chriſti Apparitio, ex iis non tantum quæ in Euangeliis ſunt narratæ, ſed & quæ vere contigerunt, ſit omnino efficax ad fidem Reſurrectionis ipſius immotam?

Quibus Apparitionibus etiam jungi

XVI. Poſt velum autem ingreſſus in Sanctuarium cœleſte Dominus, nondum ita latuit, ut non apparuerit Redivivus ſuis.

ſuis. Neque enim ſe ipſum prætermiſit Paulus in ſerie Teſtium Reſurrectionis ejus, quamquam Ultimum Omnium, qui cæteroquin plenitudinem nominis Apoſtoli in ſe non deprehendiſſet. Qua in re ille quam maxime ſpectaſſe videtur ad tempus ſuæ Converſionis & Vocationis in Damaſci vicinia. Ubi inquiſitione dignus eſt Modus, quo à Paulo videri potuerit, & vere ab eo Viſus ſit Dominus. Illic autem cum dubius ſit admodum ſenſus vocum additarum, ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, quæ plurimis ac diverſiſſimis modis capiuntur ab Interpretibus ab omni tempore retrò, quaſi de Paulo eſſent intelligendæ ut Simili *Abortivo*, ſeu in tempore Seriori ipſius Nati vel Renati, ſeu in Gratiæ collatæ Modo externo, ſeu in Statu Spirituali ante Gratiam præſtitam, &c. videmur per eas aptiſſimè duci ad Terrorem Abortientem quo Paulus Chriſtum videns affectus omnino fuerat; miſſis aliis exegeſibus variis. Sicuti illud quod accedit, *ultimo omnium*, etiam cum reſtrictione neceſſaria, non de ſolo ordine narrationis, ſed & de tempore rei geſtæ eſt capiendum. Dum non male prorſus heic cogitatur quoque à nobis de ea Apparitione Domini Redivivi, quæ longe poſt Stephanum Proto-martyrem contigit Johanni Apoſtolo in Pathmo, etiam cum auditis illis Domini ipſius vocibus, *ne metue, ego ſum primus & ultimus, & vivens & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſecula ſeculorum, Amen, & habeo claves inferni & mortis.*

poſſint, quæ poſt Aſcenſionem contigerunt, tum Paulo, tum Johanni.

XVII. Quæcunque porro in hoc Libro ſunt latius paulo expoſita, cum pendeant omnia ab Apoſtolorum & Euangeliſtarum teſtimonio, de quorum fide credentes Spiritus Dei certos prorſus reddit, non autem perinde Mundum qui hunc non capit; hinc id agendum deinde reſtat, ut eorum teſtimonium oſtendatur omni modo eſſe fide digniſſimum. Et in hanc rem deſtinavimus Librum ſequentem, ſub Divini Spiritus ductu ſanctiſſimo. Nec poſſumus, ut hoc nunc addamus, ſatis deteſtari impietatem *Spinozæ in Epiſt.* XXV. *ad Oldenburgium*, quando, poſtquam præmiſerat *literaliter ſe accipere Paſſionem Mortem & Sepulturam Chriſti, ejus autem Reſurrectionem allegorice*, ſubjecit; *Fateor quidem, hanc etiam ab Euangeliſtis iis narrari circumſtantiis, ut negare non poſſimus ipſos Euangeliſtas credidiſſe, Chriſti Corpus reſurrexiſſe & ad cœ-*

Tranſitus ad Librum ſequentem.

*lum aſcendiſſe &c. In quo tamen ſalva Euangelii doctrina potuerunt decipi, ut aliis etiam Prophetis contigit &c. At Paulus, cui etiam Chriſtus poſtea apparuit, gloriatur quod Chriſtum non ſecundum carnem ſed ſecundum Spiritum noverit &c.* Vah theſin impiam! & quidem cum profana verborum Pauli torſione adhuc junctam, quaſi illa illuc ducerent!

# HISTORIÆ EXALTATIONIS JESU CHRISTI ILLUSTRATÆ

## LIBER SECUNDUS.

*Qui Hiſtoriæ Reſurrectionis ejus expoſitæ Veritatem Certam tradit.*

---

### CAPUT PRIMUM.

*Quo in Hiſtoriæ hujus Veritatem laudatur ejuſdem Argumentum ipſum, cum Scriptoribus, Scriptionis Modo, & Effectis.*

Difficultas notatur in perſuadendis homini veritatibus ſupernaturalibus, ad quarum fidem Deus per Spiritum intus cooperari debet,

Difficile cum ſit ſatis in Naturalibus vel & Artificialibus rebus illarum Fidem hominibus perſuadere, quæ non ſunt communis Experientiæ apud omnes, vel fiunt præter Exſpectationem eorum & Curſum communiorem, inprimis propter frequentiam Deceptionis humanæ, tum Paſſivæ tum & Activæ; multò plus difficultatis deprehenditur in firmandis ad animum hominis rebus Divinis, quæ Naturæ noſtræ corruptæ captum ſuperant, quæque etiam ab arbitrio Dei ſolius liberrimo pendentes antequam fiant non niſi ex ſpeciali ejus Revelatione innoteſcunt. Unde heic dum laboramus nos in

**Hominibus ad Assensum pertrahendis, uti decet ad Dei gloriam & eorum communem nobiscum salutem, quam maxime prospicere & proclamare ad Deum oportet, ut per Spiritum** suum potentissimum intus Intellectum illustrans, ac Voluntatem simul flectens, in Mente Fidem operetur ipse. Sine quo labor noster erit irritus; non minus quam frustraneus est conatus omnis hominem à Peccato ad Virtutem avocandi per argumenta omnia validissima, nisi illum simul Deus intus per gratiam Spiritus sui trahat. Utique, sicut impius, vel cœcitate sua non percipit, vel lethali sopore suo non attendit, vel contumaci malitia sua non movetur, ad audita argumenta Conversionis irrefragabilia prorsus in se; ita nec homo à Fide Euangelii alienus adducetur ad hanc unquam per argumenta ulla, quæ etiam dicantur & sint vere in se Demonstrativa, sed sua semper habebit vel quæret effugia per quæ licet sæpe cum justo pudore elabatur, quamdiu à Deo ipso illi non fuerit datum Credere secundum Euangelii mandatum. Id autem judicavimus heic esse præmonendum, ne quisquam conatum nostrum in persuadenda hominibus Resurrectione Domini nostri interpretetur in præjudicium Divinæ Gratiæ, quæ sola successum optatum dare poterit; vel etiam trahat ad persuasionem vanam de arcenda imposterum ab attendentibus omni Repugnatione longiori externa, si non Incredulitate ipsa interna. Sed est heic nobis non orandum solum, aut laborandum, sed orandum & laborandum simul.

Ad Fidem expositæ Resurrectionis Christi operandam, attendi debet Res hæc ipsa, quatenus omnino illa est Possibilis primum.

II. Ad Fidem Historiæ huic faciendam ante alia omnia ad *Rem* ipsam *Narratam* est attendendum, qualis illa sit, an fide omni Indigna, an vero Digna, & Dignissima ex adverso. Quod posterius nos inculcamus, intuitu triplici, tum *Possibilitatis*, tum *Decentiæ*, tum denique *Necessitatis*, ejus. Resurrectionem Christi in Euangelio narratam quando *fieri potuisse* dicimus, non loquimur jam de Naturæ finitæ Viribus ejusque Ordinario Cursu; quo sensu fieri non posse agnoscimus ut ullus homo vere mortuus vere etiam reviviscat unquam. Sed est Deus infinitus nec dependens à Creaturis finitis in operando, qui omnia potest realia, quæ non modo sunt præter naturam sed & contra eam, ubi ita placet ipsi ad suam gloriam. Ad quod & hoc omnino facere censendum est

eſt magnopere, quod ſuæ ſupra vel & contra Naturam Potentiæ documenta det quandoque inſignia, in iis quæ dici ſic ſolent *Miraculis*; quæ cum non ferant impii homines, ne cogantur Deo cum pudore cedere, ipſi flagitioſiſſime in Naturæ Opera minus explorata, vel alias in Figmenta & Ludibria humana, convertere vellent, non parcentes etiam vel Euangelio, vel antiquiſſimis Moſis & Prophetarum monumentis quæ Judæi nobiscum venerantur merito. Nec poteſt vere de his ipſis omnibus, (procul Additionibus & Figmentis quibusvis humanis, quæ ſeu Judaica ſeu Gentilia ſeu Papiſtica huc aut contra hæc nihil faciunt,) à quoquam dubitari; niſi communiſſimam Dei notionem ex mente ſua deleat, & vel gloriam Omnipotentiæ ejus Independentis, vel hunc ipſum ore ſuo abneget maleſanus. Nec erit jam ſolius Reſurrectio Chriſti, ſed & Hominum omnium, ſeu facta olim, ſeu futura noviſſime, quæ pariter rideri merebitur, ſecundum votum malorum hominum inſanum. Enimvero dic mihi quisquis es in hanc impietatem minus aut magis pronus, quid obſtet? Quo minus idem ille Deus, qui ex nihilo primum creavit omnia ut exiſtentiæ & eſſentiæ ſuæ initium acciperent primum; qui non tantum per Viri & Mulieris oportunum congreſſum naſci arcano & imperſcrutabili modo facit homines, ſed & ex centenarii fere Abrahami corpore jam emortuo & Saræ utero ſimili fecit naſci ſicut aſtra cœli multitudine & quaſi arenam ad littus maris innumerabilem; qui deinde ſingulariter Chriſtum hunc ſuum ex intactæ Virginis utero fecit prodire &c. quo minus, inquam, & illius Virtute à Corruptione ſolita in morte præſervatus Jeſus ex morte prodeat citò Vivus & victurus conſtanter impoſterum. Imo, ſi hoc liceat amplius addere, quis non hoc ut facilius ſpectet ſecundum hominem? quod Chriſti ex Cœlo redux Anima repetat ſuum Corpus magis adhuc integrum & à vita recens, quam quod Corpora noſtra, quaquavorſum diſperſa per omnes plagas & per tot Mundi ſecula, noviſſimè ſint recolligenda ex pulvere, & Animabus noſtris in perpetuum uniенda rurſus. Quæ Chriſtianiſmi capita omnia à nemine huic ſerio adhærente in dubium vocari poſſunt; neque heic aſſerendi locus eſt. Dum natura ipſa Dei Omnipotentiam,

à Ju-

à Judæis ex Scriptura quoque agnitam, Gentiles docuit, non relatam aut comparatam, ſed abſolutiſſimam prorſus.

Quatenus eſt eadem ſecundo Decentiſſima omni modo.

III. Quæ conſideratio Poſſibilitatis rei, ubi illa actu facta fertur, hoc efficit, ut fide admitti queat, quin & accedentibus aliis conſiderationibus debeat, magis vel minus neceſſario. Eſtque hinc Obſervatio noſtra Secunda, quod Res heic tradita, quam Poſſibilem jam eſſe ſupponimus, *nihil* etiam in ſe habeat *Indecentiæ* reſpectu Dei, ſed vere ſit *Decentiſſima*, & Convenientiſſima ipſius Perfectionibus. Utique ſi vel ponamus, ſecundum *Socinianam* blaſphemiam, quod Chriſtus fuerit Homo nudus ſed ſanctus ſine labe ulla peccati, an id magis Deum decet, ut hunc malitia humana fœde trucidatum quaſi ſcelerum graviſſimorum in Deum & Homines reum, linquat in illa morte quaſi à ſe quoque pro tali habitum, ſaltem ex perverſo peccantium hominum judicio? an verò ut hunc abſolvat à culpa omni, per extraordinarium quoquè complacentiæ in eum ſuæ indicium, & vim ſententiæ ab hominibus perperam latæ ſic prorſus infractam? Unde hoc reſpectu & ſenſu ille etiam potuit dici *juſtificatus in Spiritu* 1 *Tim.* III. 16. Sed nunc undique apud attendentes certum eſſe poteſt & debet, non modo ex ipſius Dictis & Factis, ſed & ex Scripturis Propheticis æque quam Apoſtolicis, hunc impiè Crucifixum Divina permiſſione Hominem ſimul eſſe Filium Dei Æternum, Proprium, Unigenitum, & Dilectiſſimum, qui pro noſtris peccatis in ſe ſuſceptis luit, imo uſque ad ultimum quadrantem ſatisfecit, ſe ipſum ſic etiam promiſſo antea præmio ſeu laboris mercede dignum præſtans. Et quid jam decentius cogitetur? quam ut idem ille Dei Filius, poſt toleratam eo modò Dei iram, à vinculis omnibus mortis liberetur, & fruatur mercede ſibi Propoſita, per Reſurrectionem oportunam. In hoc ſane conſpirant cum Potentia Dei, Sapientia ejus, & Sanctitas, & Juſtitia, & Bonitas, & Conſtantia; quarum & perfectionum gloria hinc ad Deum redit. Quin & cum reſpectu ad Chriſtum ipſum dici debet, quod decuerit, ut ὁ ἀρχηγὸς τ ζωῆς occiſus iniquiſſimè reſuſcitaretur potentiſſimè *Act.* III. 15. quemadmodum decuerat τ ἀρχηγὸν τ σωτηρίας διὰ παθημάτων *conſummari Hebr.* II. 10. Quorſum etiam conferri poteſt illud Pauli *Phil.* II. 7 — 11.

Ἀλλ'

Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε &c. διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε &c.

IV. Imo cum rei Poſſibilitate & Decentia jungimus quoque ejus *Neceſſitatem*, reſpectu hominum Salvandorum à peccatis & Beandorum. In quem finem potuiſſe perveniri à nobis non videmus nos, niſi idem, qui mortuus eſſet Mediator noſter θεάνθρωπος ſecundum humanitatem, etiam oportune vitam reaſſumeret in eadem natura. Neceſſum erat nempe, ut moreretur ipſe, quo pro peccatis noſtris ſatisfieret Juſtitiæ Divinæ, peccata non ferenti aut remittenti impunita ſemper & plane. Sed non minus neceſſum erat, ut reſurgeret ex morte ocyus; quo non tantum conſtaret ab ipſo pro nobis ſatisfactum eſſe, & ſic nos cum Deo reconciliatos ſeu in gratiam ejus adductos; ſed & nobis acquiſitam ſalutem potentiſſime applicaret ipſe, & nos ad vitæ ſuæ beatæ communionem pertraheret, in gratia primum hujus & in gloria dein futuræ vitæ. Quod eſt illud ipſum, quod Chriſtus dixit *Joh.* XIV. 19. ὅτι ἐγὼ ζῶ, καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε &c. & quod Paulus tantopere inculcavit, in primis 1 *Cor.* XV. 14. &c. *quod ſi Chriſtus non eſt ſuſcitatus, vanum igitur præconium noſtrum, vana vero & fides veſtra &c. vana eſt fides veſtra, adhuc eſtis in peccatis veſtris, &c. coll. Hebr.* VII. 15. *unde & ſervare perfectiſſime poteſt eos qui per ipſum ad Deum accedunt, ſemper vivens ad intercedendum pro eis &c.* Sicuti & denuo ipſius Chriſti Majeſtas Divina hoc exigebat pariter, ut in ignominioſa morte non maneret diu, ſed cum novæ vitæ gloria eam permutaret celeriter, *coll. Act.* II. 24. ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ. In quibus hypotheſibus Chriſtianis non conveniunt quidem nobiscum Increduli, ſed ad quas in Scripturis traditas attendere debent, ut videant quam ſint illæ ſolidæ & neceſſariæ ad noſtram ſalutem.

Quatenus & tertio eſt iſta prorſus Neceſſaria ad hominum Salutem.

V. Poſt iſta tria obſervata de ipſa Chriſti Reſurrectione, ad fidem huic merito habendam, intuitu Poſſibilitatis, Decentiæ, & Neceſſitatis, attendi velimus ad *Hiſtoriæ* hujus *Autores*. Quem nos quidem ſupremum & principalem credimus eſſe Deum ipſum ſapientiſſimum & veraciſſimum, qui per ſe fidem meretur promptam & firmam, & à cujus Spiritu non minus Apoſtolos agnoſcimus ſerius impulſos quam Prophetas

Ad fidem ejuſdem merito laudantur & Scriptores ejus Hiſtoriæ, tanquam Paulo qui Sapientia excelluit

& Luca forte excepto, Vulgares, Modesti, Candidi, minime Stolidi, Familiares Christo, in Fidem ab initio ipsi tardiores, Ἀυτόπται vel horum Socii intimi.

olim. Sed ut & hoc credatur ab aliis nobiscum, spectare oportet Euangeliorum & Euangelicorum Librorum Scriptores humanos, quos Deus ad hoc adhibuit pro sua sapientia tanquam Ministros, in quibus ille tanquam talibus ipse loquens dignosci haud difficulter posset. Et hi fuerunt communiter *Apostoli*, seu Apostolici Viri, nominatim heic præ aliis, *Petrus* quidem, sed magis *Matthæus*, *Johannes*, & *Paulus*, cum *Marco & Luca*. Apostolos cum dicimus Jesu, monemus eo ipso, illos complures fuisse homines *Vulgares*, *Plebejos*, & *Rudiores*, qui etiam nomine *Galilæorum* depressi *Act.* 11. 7. in Scholis minime enutriti ad sapientiam aut eloquentiam humanam, manuum operi ad victum acquirendum sese dederant; si excipias præcipue *Paulum*, qui in sapientia sua mundana furens contra Christum redivivum, non nisi hac abnegata & cum simplicitate Christiana permutata Euangelium recepit & recipere suasit mundo, & juxta Paulum forte *Lucam*. Monemus porro, eos simul fuisse homines æque *Modestos*, nec ad mundi hujus fastigia superbè aspirantes; quam *Candidos*, & à Fraude omni facienda secundum Magistri doctrinam & exemplum alienos, quos neque hinc accusare potuit ipsorum Ætas nisi de una culpa Christianismi illa. Monemus amplius, fuisse eos minime equidem Stolidos & Ineptos, sed *Mentis* plene satis *Compotes*, testantibus id illorum dictis & factis, *coll. Act.* XXVI. 25. ἀ φαίνομαι ἀλλ' ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι &c. unde nulla eos ambitio illuc pellere potuit, ut mendacium pro veritate obtruderent orbi, à quo nulla ipsis boni, sed ex adverso omnis mali, fuisset exspectatio certa. Monemus præterea, eos fuisse Christi *Familiares*, qui ipsum de aspectu, voce, & moribus omnibus, habebant intime notum; sic ut ab alio sub ejus qualicunque specie decipi minime possent ullo. Monemus adhuc, eos non cum imprudenti & festinato impetu ruisse in Euangelii sui *Fidem*, sed ad hanc fuisse omnino *Tardos*, atque hinc in omnia omnibus modis *curatissime Inquirentes*, priusquam ipsi crederent; id quod dein *firmiter* adeo *tenebant*, ut nullis minis vel periculis præsentissimis & perpetuis ad ejus seu abnegationem seu reticentiam adduci possent, ex metu offendendi Christum redivivum. Monemus denique, hos ipsos fuisse re-

rerum heic gestarum, quas scripserunt in nostrum quoque usum, seu *Testes αὐτόπτας, καὶ αὐτηκόους, καὶ αὐτόχειρας*, veritatis à se annunciatæ plenissime sic conscios, seu Testium istorum *Socios* intimos, quorum fides prudentia & candor erant apud ipsos dudum exploratissima. Quod dicimus cum respectu; tum ad ipsos Apostolos, qui omnes omnia non viderunt vel audiverunt ipsi; tum ad Viros Apostolicos, quales Emmauntici illi, Cleopas cum Socio altero, etiam Nathanaël cum aliis Duobus, & deinde Marcus & Lucas, Scriptores ipsi qui à singulari adhæsione Petri & Pauli in Antiquitate celebrantur passim. Præter quæ omnia quid etiamnum exiges ad fidem Scriptoribus ullis unquam habendam? Isthæc autem à nobis capita, in Scriptoribus Euangelii meritò observanda, heic latissime diduci opus non est; quod dudum factum ab aliis, & novissime etiam à Viro Doct. *Humphrydo Ditton in Discursu de Resurrectione Jesu Christi*, Anglice edito Londini, quo magnum hoc mysterium Christianæ fidei valdissime undecunque astruitur, atque probationes ejus proponuntur, examinantur, & clare demonstrantur contra Deistas impios.

VI. Facit vero & hoc ad Fidei ejusdem de Christi Resurrectione persuasionem pleniorem, quod non modò Rem ipsam tradiderint Apostoli & Apostolici Viri illi, sed & *Rei Modum* addiderint curatissime, cum exiguis quoque Circumstantiis nonnullis, variis quidem sed non adversis inter se; idque eo tempore primo rerum nuperrimè gestarum, quando in iis uno vel altero modo capi potuissent, si deceptio, vel activa vel passiva, subfuisset ulla. Non loquimur jam de *Modo & Circumstantiis latentibus*, quas observare Discipuli non potuerunt ipsi, adeoque nec probare aliis id exigentibus. Uti sic res se habet in ipsissimo *Momento* Resurrectionis Christi, hinc non annotato; item in *Modo* Vitæ ab eo Receptæ, & Egressus ex monumento, & Progressus ejus egressi ulterioris, &c. de quibus hinc nihil legimus, adeoque temere conjiciemus. Sed spectamus ad alia plurima, quæ observari potuerant & explorata erant scriptoribus nostris Euangelicis; quod Diei Primi Mane alto resurrexerit Dominus noster; quod ad Saxum de Sepulchro Removendum Terra valide fuerit commota, per Descendentem Angelum, cum quo uno plures alii adfuerint;

Urgetur in rem eandem Modus rei Descriptæ quoad omnes etiam minutiores Circumstantiis quæ sciri potuere & doceri.

qua ſpecie perſonæ & veſtitus, quo ſitu corporis, & quo loco, hi ſint conſpecti; quæ vox ab iis audita; quis terror hinc conſecutus apud Cuſtodes, vera aliis nunciantes primum ſed dein corruptos; quo affectu correptæ Mulieres, & inter eas potiſſimum Maria Magdalene; quo cum diſcrimine Petrus & Johannes cucurrerint ad Sepulchrum, & in illud ſint ingreſſi; quam diſtincte in illo fuerint reperta Linteamina ſepulchralia atque Sudarium funerale; per quos gradus ipſe Jeſus ſe his & illis Manifeſtaverit mox & deinde variis temporibus; quo modo cum Diſcipulis Emmaunticis locutus ſit & egerit ſucceſſive; quo modo prima Veſpera abfuerit à Diſcipulis congregatis & videntibus Dominum Thomas, hinc incredulus nimium, ſed deinde poſt octiduum præſens & ad Fidem pertractus valide; quæ verba & quo cum fructu habuerit Dominus ad Diſcipulos in Mari piſcantes, ubi ipſe etiam determinatiſſimus numerus Piſcium captorum eſt expreſſus, cum Apoſtolorum errore ex male intellectis Chriſti verbis orto; quam palam plusquam Quingentis Fratribus notis ſatis ſimul ille viſus ſit in monte Galilææ; quo modo tandem ipſe Apoſtolos eduxerit ſecum in Bethaniam, inde in cœlum aſcenſurus, neque id egerit ante ſolennem Benedictionem per Manuum Protenſionem. Scilicet qui una vel alia ratione mentiuntur, hi tutius in generalibus hærent, minus ſic convincendi; dum ex Circumſtantiis additis veritas narrationis indagari & ſic magis conſtare poteſt. Quod ſi dicas, Circumſtantias etiam cum Re ipſa poſſe fingi; id quidem non negaverim ſæpius etiam inter homines fieri, ſed cum fit majus adeſt periculum fraudis deprehendendæ, & minus id tutum eſt iisdem rei geſtæ temporibus & locis, & apud plures ſimul, & à pluribus etiam qui nec eadem omnia referunt omnes. Quod poſtremum prorſus habendum eſt pro ratione magna, ob quam Deus ſapientiſſime voluerit & effecerit per Spiritum, ut non eodem per omnia modo heic ſcriberent Apoſtoli, quaſi ex compacto & inſtructione mutua ſola, ſed ut notabilis eſſet in quibusdam diverſitas, ſimul cum reali conſenſu pleno absque ulla prorſus adverſitate, quæ ab attendentibus pie nulla heic deprehenditur, ſecundum ea quæ antea ſuo loco à nobis dicta ſunt.

Quin tandem Effe-

VII. Quartum denique, quod ad Reſurrectionis Chriſti

Fidem, ex ipsa Rei Narratæ historia firmandam facere debet magnopere, est illud, quod eam prædicantes ore & calamo Apostoli, non fuerint ad Silentium adacti, aut de Errore vel Falsitate convicti, sed Fidem meruerint & repererint per orbem totum, apud Judæos pariter & Gentes quasvis, magnos & parvos, sapientesque & insipientes, contra omnem vim & fraudem oppositam Satanæ & Mundi. Habebant utique Hostes sat potentiæ & malitiæ, ad Discipulos paucos perculsos reprimendos, & Mulierculas debiles simul dissipandas, nisi sapientia & vis fortior desuper obstitisset in veritatis patrocinium, secundum illud Gamalielis *Act.* v. 38. 39. ὅτι ἐὰν ᾖ ἐξ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὕτη ἢ τὸ ἔργον τοῦτο, καταλυθήσεται, εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ἐστιν, οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτὸ, μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε. Nec laborassent ea consilii inopia Judæi increduli, ut mendacium ineptissimum spargi voluissent, si non Veritas Resurrectionis fuisset plane explorata. Et quidni ubique inquiri jusserint alias illi in Cadaver Ablatum, etiam per constituta præmia ad illud obtinendum & fures ejus detegendos ac puniendos? quale aut simile quid nihil factum deprehendimus usquam. Ecquid porro potuit mundo annunciari, quod secundum hominem minus fidei merebatur? quam Hominem Mortuum, & quidem probrose adeo, ipsum per Resurrectionem Mortis esse factum Victorem, & ex aperto Sepulchri claustro, intra triduum, cooperantibus ad id Cœlo & Terra, exiisse Vivum; & admirabiliter quidem sed & palpabiliter se exhibuisse suis Discipulis, tam variis temporibus & locis per quadraginta dies. Et ecquid potuit heic prævalere adversus vim omnem totius Mundi & Inferni, quæ se huic fidei opposuit undique, juncta cum propria Carnis sapientia? si non rei ipsius evidens Certitudo, per se & per accedens cœleste lumen Spiritus, id operata est; tum in Judæis primum, paucioribus quidem respectu totius & reliqui populi, sed tamen millibus pluribus, vel ipso Pentecostes die confossis Apostolica prædicatione; tum in Gentilibus deinde, undique cum Divino zelo confluentibus ad Euangelii amplexum lætum, & Idola mortua cum Operibus mortuis projicientibus, sine truculentæ mortis metu ullo. Quomodo se res certissime habuit Primis Christianismi Seculis, antequam ulla species

ctus in orbe toto consecutus plane Admirabilis & Divinus, per hujus apprehensionem communem,

adeſſet, ſeu Tyrannidis externæ, ſeu Retributionis humanæ pro Fide Jeſu Redivivi; quæ ſerius forte ad hanc mundanos homines compellere vel allicere potuit, dum certiſſime iſthæc fuit dudum vel & eſt etiamnum via, per quam, poſt Gentilismum olim, & Muhammedaniſmus & Papiſmus perruperunt ad mundi excæcationem. Et licet heic argumentari à Simili. Sicut Conſenſus facilis hominum & gentium plurimarum, etiam minus politarum, in his & illis veritatibus admittendis quæ illis proponuntur, arguit per modum effectus earum certitudinem propriam apud attendentes, ita & Amplexus Dominicæ Reſurrectionis, ab Apoſtolis traditæ, admirandus omni modo, nos de illa tanquam certa & fide prorſus digna monere poteſt & debet.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### *Quo in Fidem ejuſdem Hiſtoriæ confertur Teſtimonium Pilati Præſidis Romani, alterumque celebre Flavii Joſephi Hiſtorici Judæi.*

Pro fide Hiſtoriæ Reſurrectionis Chriſti confertur ex Tertulliano Epiſtola Pilati Præſidis Romani ad Tiberium, quæ etiam ab *Euſebio* laudatur, atque apud Nicephorum Cedrenum & Oroſium memoratur.

Solent autem ab ævo Chriſtiani pro Domini ſui Reſurrectione glorioſa etiam laudare ipſos Fidei ſuæ Hoſtes, tum Gentiles, tum Judæos; quos hinc intactos prorſus heic prætermittere non poſſumus. Inter Gentiles ſpectamus ad *Pilatum*, Præſidem & Judicem Romanum ex Euangelio ſic ſatis notum. Quem uti expreſſe nominavit *Tertullianus Apol. Cap. XXI. ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nunciavit*; ita dubitari non poteſt quin ad eum ſpectaverit idem *Cap. V. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit*, (*cenſus iſtius diſciplinæ à Tiberio eſt*, legitur *Cap. VII.* ſpectato utrobique non tam Nomine ipſo quam re per illud ſignificata, dum alii aliter conciliant hoc cum textu *Act.* XI. 26.) *annunciatum ſibi ex Syria Palæſtina, quod illic veritatem illius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum, cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non in ſe*, (vel *ipſe*,) *probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtiano-*

*stianorum. Consulite commentarios vestros, &c.* Ad quæ *Tertulliani* provocat *Eusebius in Chronico Canone*, πιλάτου τιβερίῳ τὰ κατὰ τὸν σωτῆρα ἀναγαγόντος καὶ τοῦ χριστιανῶν δόγματος, τιβέριος πρὸς τὴν σύγκλητον ἐκοινολογήσατο περὶ τῆς εἰς χριστὸν πίστεως, τῆς δὲ μὴ πειθομένης, ὁ αὐτὸς θάνατον ἐψηφίσατο κατὰ τῶν διωκτῶν τὸν χριστιανῶν, ὡς τερτυλλιανὸς ἱστορεῖ ἐν τῇ ὑπὲρ χριστιανῶν ἀπολογίᾳ. Pro quibus legitur in *Temp. Epitome*; Πόντιος Πιλάτος περὶ τοῦ χριστιανῶν δόγματος ἐκοινώσατο τῷ Τιβερίῳ καίσαρι, κἀκεῖνος τῇ συγκλήτῳ ῥώμης, τῆς δὲ μὴ προσιεμένης Τιβέριος θάνατον ἠπείλησεν τοῖς χριστιανοκατηγόροις, ὡς ἱστορεῖ Τερτυλλιανὸς ὁ ῥωμαῖος. Et pro quibus *Hieronymus* scripsit; *Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera sacra reciperetur, verum quum ex consulto Patrum Christianos eliminari Urbe placuisset, Tiberius per Edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem.* Atque idem *Eusebius Hist. Eccl. Lib. II. Cap.* 2. paulo latius habet; Καὶ δὴ τῆς παραδόξου τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀναστάσεώς τε καὶ εἰς οὐρανοὺς ἀναλήψεως τοῖς πλείστοις ἤδη περιβοήτου κατεστώσης, παλαιοῦ κεκρατηκότος ἔθους τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχουσι τὰ παρὰ σφίσι καινοτομούμενα τῷ τὴν βασίλειον ἀρχὴν ἐπικρατοῦντι σημαίνειν, ὡς ἂν μηδὲν αὐτὸν διαδιδράσκοι τῶν γινομένων, τὰ περὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς πάντας ἤδη καθ' ὅλης παλαιστίνης βεβοημένα πιλάτος τιβερίῳ βασιλεῖ κοινοῦται, ὡς τάς τε ἄλλας αὐτοῦ πυθόμενος τερατείας, καὶ ὡς ὅτι μετὰ θάνατον ἐκ νεκρῶν ἀναστὰς, ἤδη θεὸς εἶναι παρὰ τοῖς πολλοῖς ἐπεπίστευτο. Τὸν δὲ τιβέριον ἀνενεγκεῖν μὲν τῇ συγκλήτῳ, ἐκείνην τ' ἀπώσασθαι φασὶ τὸν λόγον, τῷ μὲν δοκεῖν, ὅτι μὴ πρότερον αὕτη τοῦτο δοκιμάσασα ἦν, παλαιοῦ νόμου κεκρατηκότος, μὴ ἄλλως τινὰ παρὰ ῥωμαίοις θεοποιεῖσθαι, μὴ οὐχὶ ψήφῳ καὶ δόγματι συγκλήτου, τῇ δ' ἀληθείᾳ ὅτι μὴ δὲ τῆς ἐξ ἀνθρώπων ἐπικρίσεώς τε καὶ συστάσεως ἡ σωτήρικος τοῦ θείου κηρύγματος ἐδεῖτο διδασκαλία. Ταύτης δ' οὖν ἀπωσαμένης τὸν προσαγγελθέντα περὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν λόγον τῆς ῥωμαίων βουλῆς, τὸν τιβέριον ἣν καὶ πρότερον εἶχε γνώμην τηρήσαντα, μηδὲν ἄτοπον κατὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ διδασκαλίας ἐπινοῆσαι. Quando subjicit *Tertulliani* laudem; Ταῦτα τερτυλλιανὸς τοὺς ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκὼς ἀνήρ, τάτε ἄλλα ἔνδοξος, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ ῥώμης λαμπρῶν, ἐν τῇ γραφείσῃ μὲν αὐτῷ τῇ ῥωμαίων φωνῇ, μεταβληθείσῃ δὲ καὶ ἐπὶ τὴν ἑλλάδα γλώτταν, ὑπὲρ τῶν χριστιανῶν ἀπολογίᾳ, τίθησι κατὰ λέξιν τοῦτον ἱστορῶν τὸν τρόπον &c. Atque de re ipsa addit; τῆς οὐρα-

νίου

νίȣ προνοίας κατ' οἰκονομίαν τȣ̃τ' αὐτῷ πρὸς νȣ̃ν βαλλομένης, ὡς ἂν ἀπαραδοπίςως ἀρχὰς ἔχων ὁ τȣ̃ ἐυαγγελίȣ λόγος πανταχόσε γῆς διδρόμοι. Ad quæ verba *Henr. Valesius* annotavit, dissentiens ab aliis pluribus; *Ex hoc loco quosdam suspicatos esse, Tertullianum illum, qui inter Ecclesiasticos Scriptores celebris habetur, Jurisconsultum fuisse. Certe in indice Pandectarum, inter Juris Auctores ex quibus opus illud collectum est, recensetur Tertullianus, qui Libros Octo Quæstionum scripsit, & de Castrensi Peculio Librum singularem. Sed non dubitare se, quin hic diversus sit ab illo Presbytero Carthaginensi, neque vero Eusebius illum Jurisconsultum fuisse dicit, sed tantum ait eum Leges Romanas accuratissime calluisse. Quod quidem vel ex uno ejus Apologetico licet cognoscere, in quo Legum Romanarum sæpissime meminit, &c.* Dum illa *Eusebii* eundem fere in modum leguntur apud *Nicephorum Lib. II. Cap.* 8. nec minus late, & quidem bis apud *Georg. Cedrenum in Hist. Comp.* Rem vero eandem uti *Chrysostomus* etiam tradit *Hom.* XXVI. *in* 2 *Cor.* XII. καὶ γὰρ ἡ σύγκλητος ῥωμαίων ταύτην εἶχε τὴν ἀξίαν χειροτονεῖν καὶ ἐγκρίνειν θεȣ̀ς, ὅτε γȣ̃ν τὰ κατὰ Χριςὸν ἀπηγγέλη πάντα, ἔπεμψεν ὁ τȣ̃ ἔθνȣς ἄρχων πυνθανόμενος, εἰ δοκεῖ αὐτοῖς καὶ αὐτὸν χειροτονῆσαι θεὸν, οἱ δὲ ȣ̓κ ἐπένευσαν, ὀργιζόμενοι καὶ ἀγανακτȣ̃ντες ὅτι πρὸ τȣ̃ αὐτῶν ψήφȣ καὶ γνώμης ἡ δύναμις τȣ̃ ςαυρωθέντος ἐκλάμψȣσα εἰς τὸ οἰκεῖον εἰσεπεσπάσατο σέβας τὴν οἰκȣμένην ἅπασαν, &c. sic & habet latius *Paulus Orosius*, Presbyter Hispanus Seculi V. *Hist. Lib. VII. Cap.* 4. qui Latine sic scripsit; *At postquam passus est Dominus Christus, atque à mortuis resurrexit, & Discipulos suos ad prædicandum dimisit, Pilatus Præses Palæstinæ Provinciæ ad Tiberium Imperatorem atque ad Senatum retulit de Passione & Resurrectione Christi consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per Discipulos ipsius in nomine ejus fiebant, ut de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatum esset, ut de suspiciendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoque constituit exterminandos esse urbe Christianos; præcipue cum & Sejanus Præfectus Tiberii suspiciendæ religioni obstinatissime contradiceret. Tiberius tamen Edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est, &c.*

II.

II. Ut tanto plenius rem hanc habeas omnem, en *Exemplum* quoddam *Epiſtolæ Pilati*, quam poſitam in *Monum. Orthodoxographis Patrum*, nec multo aliter lectam quoque in *Anacephalæoſi Egeſippi*, (ubi *Claudii* nomen pro illo Tiberii ſubſtitutum non fert *Cel. Spanhemius*, licet & Tiberius dictus fuerit Claudius ſicuti notum eſt,) ex *Vetuſtis Bibliothecæ Vaticanæ Monumentis* exhibuit inter alios *Sixtus Senenſis Lib. II. Bibl. S. Pontius Pilatus Cl. Tiberio Neroni Imp. S. Nuper contigit, cujus rei ipſe teſtis eſſe poſſum, Judæos ſeſe ipſos poſterioresque ſuos univerſos per invidiam crudeli damnatione perdidiſſe. Cum enim ex oraculorum promiſſis, majorum ipſorum authoritate receptis, hoc expectarent, ut Deus illorum per Virginem juvenculam mitteret qui jure Rex eorum diceretur, hunc me præſente miſit in Judæam. Is, quod omnibus notum eſt, cæcis viſum reſtituebat, leproſos mundabat, reſolutos nervis curabat, viderunt quoque ipſum dæmonia abegiſſe, atque obſeſſos ſpiritibus immundis liberaſſe, mortuos item ex ſepulchris ipſis reſuſcitavit, obediebant ipſi ventorum turbines, ſiccis pedibus mare inambulabat, fecit alia quoque permulta miracula, ut vulgo etiam inter Judæos & plebem Dei Filius diceretur. Principes vero Sacerdotum æmulatione & livore inſtincti, adverſabantur illi, captumque illum mihi tradiderunt, ementitis ſceleribus eum reum facientes, Magum appellabant, atque Legis eorum Deſertorem & Contradictorem. Quibus perſuaſionibus ſeductus ipſe, fidem querelis eorum adhibui, flagellatumque ipſis tradidi, ut pro arbitrio in eum animadverterent. Crucifixerunt igitur illum, & ſepulchro quo conditus erat cuſtodias adhibuerunt, inter quos etiam ex meis militibus nonnulli erant, qui tertio die ipſum à mortuis reſurgentem viderunt. Nequitia autem Judæorum magis hoc facto exarſit, numeraruntque magnam pecuniarum vim ipſis militibus, quatenus Diſcipulos ipſius noctu corpus rapuiſſe prædicarent, acceperuntque hi quidem pecunias, nihilominus tamen publice ubique profeſſi ſunt, atque teſtantur, ſe viſiones Angelorum vidiſſe, ac Jeſum illum à mortuis vere reſurrexiſſe. Hæc autem ideo ſcripſi, ne quis nugis ac mendaciis Judæorum, ſi de re geſta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale.* Sed iſta Epiſtola, (cum multa verborum varietate ex *Codice Colbertino* edita à *Cel. Fabricio in Cod. Apocr. Novi Teſt.* qui & alias complures ejus editiones contulit, ex *Martino Polono*, *Ivone Carnutenſi*, *Pſeudo-*

Exemplum Epiſtolæ talis ex Sixto Senenſi, quod Chriſtianum magis quam Gentile eſt; dum & conficti certe ſunt Dialogi Chriſti & Pilati in Chriſti opprobrium manifeſtum dein ſcripti.

*Marcello*, *Lambecio*, quin & *Xaverii Hiſt. Perſ.* nec non *Pſeudo-Nicodemi Euangelium* prolixius, quod cum aliis ſolide & late exploſit notter *Cel. Hoornbeekius in Miſc. Sacr.*) longe magis ſapit Chriſtianum Autorem ejus quod ſcribi potuiſſet & debuiſſet plurima ex parte, quam Pilatum Gentilem ejus quod in illa legitur. Quo non obſtante, etiam *Ill. Mornæus Cap. XXX. de Ver. Relig. Chr.* laudat *Pilati Epiſtolam ad Claudium, qua teſtificetur Chriſtum reſurrexiſſe.* Dum nec ab altera parte dubitari poteſt, quin conficti ſint contra Chriſtum, *Dialogi Chriſti & Pilati, qui à pueris memoriter ediſcerentur, impietatibus & blaſphemiis referti, quibus nomen Jeſu conſpurcaretur & omnibus invidioſum odioſumqve à teneris unguiculis redderetur*; quos & idem *Mornæus* nominavit. Cum reſpectu, ut videtur, ad illud quod habet *Euſebius Lib. IX. Cap. 5.* Πλασάμενοι δῆτα πιλάτε καὶ τῆ σωτῆρος ἡμῶν ὑπομνήματα, πάσης ἐμπλεα καὶ τῆ Χριστῦ βλασφημίας, γνώμη τῆ μείζονος ἐπὶ πᾶσαν ἀφαπέμποντας ὑπ' αὐτὸν ἀρχὴν, ἀφ' γραμμάτων φοιτακελευόμενοι καὶ πάντα τόπον, ἀγρός τε καὶ πόλις, ἐν ἐκφανεῖ ταῦτα τοῖς πᾶσιν ἐκθεῖναι, τοῖς τε παισὶ τὰς γραμματοδιδασκάλους ἀντὶ μαθημάτων ταῦτα μελετᾶν καὶ ἀφ' μνήμης κατέχειν παραδιδόναι. Ad quæ digna lectu ſunt *Henr. Valeſii* annotata. Et conferatur etiam meritò illud *Euſebii Lib. I. Cap. 9.* Οὐκοῦν καφῶς ἀπελήλεγκται τὸ πλάσμα τῶν καὶ τῆ σωτῆρος ἡμῶν ὑπομνήματα χθὲς καὶ πρώην ἀφανισθέντων· ἐν οἷς πρῶτος αὐτὸς ὁ τῆς παρασημειώσεως χρόνος τῶν πεπλακότων ἀπελέγχει τὸ ψεῦδος, ἐπὶ τῆς τετάρτης καὶ ὑπατείας Τιβερίε ἣ γέγονεν ἔτος ἑβδόμε τῆς βασιλείας αὐτῦ τὰ περὶ τὸ σωτήριον αὐτοῖς πάθος τολμηθέντα φιλέχει &c.

Attamen merito valet Teſtimonium Tertulliani, ad probandum Pilati ſcriptionem de Chriſto ad Tiberium aliquam ſimilem.

III. De re ipſa, ab & ex *Tertulliano* tradita, nulla eſt ſolida ratio dubitandi, quin ita geſta ſit, ubi tam libere & audacter illam laudat ipſe, atque moribus illa ſic ſatis convenit, imò etiam ad τὰ ἐπὶ ποντίε πιλάτε γενόμενα ἄκτα in cauſa Chriſti provocavit *Juſtinus Mart. in Apol. II.* dicta, plusquam ſemel, ſive ea tota tranſmiſſa ſive per Epiſtolam contracta magis fuerint; ut hinc *Rev. Pearſonius* minus ſolide neget ex *Actis Pilati*, tanquam *in Palæſtina geſtorum*, non potuiſſe ſua habere *Tertullianum* de iis quæ conſequenter à Tiberio & Senatu Romæ facta ſunt, quod utique nemo ſomniaverit facile. Unde & *Clar. Joh. Alb. Fabricius*, *haud dubium eſſe monuit*, *Pilatum ad Tiberium*

*berium Imp. referre debuisse, atque adeo retulisse quæ circa Christum gesta fuerunt, is enim mos Præsidum Provinciarum, ut vel ex Plinii ad Trajanum Epistolis & multis aliis antiquis monumentis constat.* Et nostro *Cel. Spanhemio* perinde, *nullum dubium est, Pilatum pro more Præsidum in provinciis retulisse ad Tiberium quæ tunc circa Christum gesta & de illo prædicata, &c. Quæ verba Tertulliani,* inquit hic alio loco, *Apologetico inserta, historiæ non absona, Veterum suffragiis munita, & narrata tanquam quæ ex Actis Senatus confirmari possent, nescio cur Tanaquillus Faber Epist. ad Bocherell. Lib. II. sarcastice exagitavit.* Dum & ipse inter *Pseudepigrapha* refert simul superiora illa *Pilati Scripta* & *Acta*; etiam alia quæ *Quartadecimani* apud *Epiphanium* urgebant in suam causam, quæque memoravit *Gregorius Turonensis Lib. I. Hist. Franc. Cap.* 21. & 24. post Autorem *Hom. VII. in Pasch. apud Chrysostomum.* Et certe, si hæc fuerit Præsidum consuetudo, sive ex Lege, sive ex decentia & æquitate fluens, ut notabilia perscriberent ad Imperatorem, quis hunc publicatum Christi Eventum non numeret inter illa? Ut non mirer, scripsisse & heic *Cedrenum*; Ὅτι τῆς παραδόξου τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀναστάσεώος τε καὶ εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀναλήψεως τοῖς πλείστοις ἤδη περιβοήτου καθεστώσης, πιλάτος ἀγωνιάσας ὡς μὴ ἀνενέγκος τῷ βασιλεῖ τοιαῦτα γενόμενα θαύματα τέλος ἀναγκασθεὶς, ὡς μὴ λάθῃ, ἀνεκοινώσατο τῷ βασιλεῖ τιβερίῳ τὰ περὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τάς τε ἄλλας τερατουργίας αὐτοῦ, καὶ ὡς μετὰ θάνατον ἐκ νεκρῶν ἀναστὰς, θεὸς ἤδη παρὰ πολλοῖς εἶναι πιστεύεται &c. Et quis dubitet consequenter cum fundamento, quin per illa perscripta significaverit sic Pilatus, communiori fama se satis esse affectum; ut hinc affici potuerit ipse Imperator, ad Divinos honores huic à Vita Recepta celebrato Homini tribuendos, in quos tamen Senatus non concurrerit, *quia non in se probaverat.* Quod exponit *Cel. Spanhemius*; *nempe oblatam sibi Divinitatem, Templa, Sacerdotia, &c. respuerat,* & hinc *respuit Senatus, ne quem Tiberio majorem habere videretur.* Dum communius heic sequuntur paraphrasin *Franc. Zephyri*, ad illa, *detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui; Ad Senatum retulit, non ut ex eorum sententia, quid sibi faciundum super hac re esset, videret, sed ut suæ illi sententiæ subscriberent & assentirentur, &c.* Quod

nempe volunt ægre à Senatu latum fuiſſe, ſecundum illud *Cedreni*, ἡ δὲ σύγκλητος οὐ προσήκατο, πειθαρχεῖν νόμῳ παλαιῷ λέγουσα, μὴ θεότερον θεοποιῆσαί τινα, εἰ μὴ ψήφῳ καὶ δόγματι παρ' αὐτοῖς ἐγκριθείη. Quod & non tantum poſt hunc *Nicephorus*, ſed & longe ante eum *Euſebius* dixit, in verbis ſupra adductis. Qui idem rem præcipuam quoque tradidit in *Canonibus Chronicis*, tam Latine quam Græce à *Joſ. Scaligero* editis. Nec quidquam obſtare putandum eſt ingenium Tiberii, tanquam parci Deorum cultoris, & ſimul verſuti ſatis, quo minus ille nuncio mirabili accepto, ſeu affectus fuerit vere, ſeu affectum ſe oſtenderit apud Senatum, forte cum aliqua imprudentia in rei modo, & hinc vel aliunde cum minori ſucceſſu; dum ex ipſo *Suetonio* etiam conſtat, *quædam adverſus ipſius ſententiam à Senatu decreta fuiſſe*. Sicuti perinde de *Pilato* monuit *Jac. Pamelius*, hoc quod nominetur *cum Herode inter perſecutores Apoſtolorum, nihil tamen obſtare quo minus potuerit Cæſarem certiorem facere de iis quæ in provincia ſibi commiſſa contigerant*. Simul ſolvens illud dubium, quomodo Antiochiæ Diſcipuli primum cognominati ſint Chriſtiani, ſi *nomen Chriſtianum tempore Tiberii in Seculum introivit*, atque hinc *cenſus iſtius diſciplinæ à Tiberio ſit*, ſecundum alteram *Tertulliani* phraſin *Cap. VII.* Unum tamen eſſe monent Eruditi, quod contra hiſtoriam illam Epiſtolæ à Pilato ad Tiberium miſſæ, & facti à Tiberio apud Senatum, objici præcipue ſolet, nempe quod de *Sejani obſtinatiſſima contradictione* habet *Oroſius*; qui ipſe jam biennio vel & triennio ante in ipſo ſuo cum Tiberio Conſulatu oppreſſus fuerat. Unde ad *Euſebii Chronicon*, habens paulo ante hanc Pilati ſcriptionem ad Tiberium, σημαινὸς ἐπάρχου τιβερίου καίσαρος καὶ τελείας ἀπωλείας ἧς ἔθνους τῶν ἰουδαίων πολλὰ συνεβούλευσε τῷ καίσαρι, ὡς φίλων ἰουδαίων ἰσορεῖ ἐν τῷ β. τῶν παρ' αὐτῶν πρεσβείας, *Sejanus Præfectus Tiberii, qui apud eum plurimum poterat, inſtantiſſime cohortatur, ut gentem Judæorum deleat, Philo meminit in Libro Legationis Secundo*, notavit *Ill. Scaliger*; *Sejanus oppreſſus eſt Tiberio Cæſare V. Coſſ. anno ante Conſulatum Arruntii Scriboniani & Domitii Ahenobarbi, ut extat in egregio Lapide Interamnate in Italia, quod tempus congruit numero MMXLVII. Quomodo Sejanus potuit Tiberium ad deletionem Gentis Judaicæ hor-*

*hortari, qui triennio ante extinctus erat? Sed divinat Eusebius, ut solet. Nam tempus quod Philo non designavit quomodo Eusebio exploratum esse potuit? &c.* Sed quidquid de istis fuerit, illud de *Sejani* contradictione non est apud alios, quam *Orosium*, scriptorem multo posteriorem *Tertulliano* & *Eusebio*; quod undecunque ille habuerit, & quam parum forte verum fuerit, id ad rem ipsam principalem stabiliendam vel enervanvandam nihil plane facit, adeoque suo potest relinqui loco. Dum hoc nobis sufficit omnino, quod Resurrectionis Dominicæ fama, nec inepta quidem plane, ad Pilatum Præsidem Romanum, & per hunc post satis curatum examen ad ipsum Tiberium fuerit delata, qui ab ea multum affectus fuit, aliter quam Senatus tamen, quando hæc cum eo communicabatur forte minus decenter aut prudenter. Si scil. *Tertulliano*, aliisque ex eo, fides sit habenda, quam illi heic omnino habendam esse multis etiam ursit *Cl. Le Moine*, *ad Polycarpum*, cum addita laude *Isaaci Vossii*; & quæ cur ei non habeatur, nihil quicquam magnopere obstare video.

IV. Ne quidem post illa, quæ opposuit fervidissimè *Sam. Basnagius in Annal.* de silentio *Justini Mart.* de neutiquam verisimilibus istis Tiberii & Senatus factis, de non visis à quoquam Epistola Pilati & Senatus Decreto, de nunciatione non ad scriptionem sed ad sermonem referenda qui inter Tiberium & Pilatum intercedere non potuerit &c. Nec non *Joan. Clericus in Hist. Eccl.* quando tamen fatetur, *non esse falsum Consuetudinem hanc fuisse veterem Provinciarum Rectoribus ut quidquid novi apud se contigisset Senatui primum, dum Resp. Populi Romani fuit, deinde Imperatoribus, postquam rerum potiti sunt, nunciarent*; laudatis quoque *Commentariis rerum Quotidianarum Alexandria ad Caligulam missis*, secundum *Philonem*, & hinc facta conclusione, *non esse dubium quin ex Judæa talia ad Tiberium tempore Pilati mitterentur.* Interim ille prolixius in adversum, ab initio mollius dein acrius, disputat; *Cum possent multa quasi minoris momenti dissimulare, aut aliter etiam narrare quam gesta erant, nemo satis certo dixerit, an Pilatus quæ de Christo ferebantur in Acta referri jusserit & Romam miserit. Nec Justinus nec Tertullianus ea Acta legisse videntur, sed pro certo sumsisse, si etiam tum exstarent, quæ ad Christum pertine-*

Quod & contra Joh. Clericum defenditur breviter.

*tinebant complexa ea esse. Certe ut fidem facerent Euangelicæ historiæ, nihil opportunius quam ipsa Pilati Acta proferre potuissent, & supinæ negligentiæ insimulati merito essent, si rem tantam prætermisissent, dum omnia studiose corraderent quæ ad stabiliendam fidem Christianam facere videbantur. Eusebius etiam, qui rei meminit, si Acta ejusmodi vidisset quæ fide digna judicasset, nunquam ea prætermisisset &c. Attamen cum Tertullianus Acta vera Pilati fuisse crederet, seu ex consuetudine Præsidum memorata rem colligeret, sive à quopiam audisset, fidem habuit narrationi parum verisimili, & cujus nulla apud Ethnicos qui Tiberii gesta scripserunt mentio &c. Difficile porro est intellectu, à Tiberio non tantum alienarum sed religionum patriarum spretore rem ejusmodi ad Senatum relatam. Noverat Jesum fuisse hominem Judæum, uniusque Dei cultorem, & qui omnes alios Deos quasi hominum figmenta rejiceret, ac proinde religionem qua cum iis conjungeretur summopere improbaturum si in cœlo viveret, & tamen eum una cum Romanis Diis coli voluisset, quo nihil absurdius fingi poterat. Huc accedit, quod apud Romanos Judaica religio invisa admodum erat, quippe quæ cum majorum religione stare non poterat, quam tamen probaverat Jesus & per totam in terris vitam observarat. Poterant Romani non difficulter alios Deos admittere quos sociorum patientes esse putabant, eorumque cultores sibi adjungere qui nec Romanos Deos colere religioni ducebant; sed Judæos aut Christianos quasi ejusdem cultus participes adgregare sibi nequibant, quod ab omni cultu Romanorum utrique abhorrerent &c. Si serio cupiisset Tiberius Christum Deorum numero haberi, nunquam respuisset Senatus. Præterea eo tempore, h. e. paullo post acceptas à Pilato litteras nulli erant Christiani Romæ, nec proinde accusari illic poterant, aut periculum eorum accusatoribus qui nulli erant intentari. Notum est ex Actis Apostolicis, nec ex Judæa quidem exiisse tunc temporis Christianos, nec accusatos fuisse nisi apud Judæos certe religionis violatæ. Eusebius tamen hanc historiam pro vera venditavit, & figmentis auxit, quale hoc est, quod Christus à multis jam Deus haberetur, cum esset hæc Christianorum tantum, qui pauci præ Judæis incredulis ac Ethnicis sine dubio erant, sententia, &c. Hieronymus addidit Senatus Consultum ceteris minus verisimile &c. Verum quid est dogma Christianorum recipi inter cetera sacra? Certe recipi non poterat,*

*reli-*

*reliquis ſacris incolumibus, quæ aperte damnat & cum quibus conſiſtere nequit. Deinde quis credat, ſi in relatione anteceſſiſſet, ut ait Tertullianus, prærogativa ſuffragii Cæſaris, auſum eſſe Senatum Roma Chriſtianos eliminare? Jure Tribunitiæ poteſtatis interceſſiſſet potius Tiberius pro more recepto, quam Edicto contradixiſſet. Denique quis Chriſtianos Romæ nunc fuiſſe ſibi perſuaſerit? Fateor, Euſebium & Hieronymum hæc ad Annum Ultimum ſeu XXII. Tiberii retuliſſe. Sed ne hoc quidem tempore Chriſtiani Romæ erant, triennio poſt Adſcenſionem Chriſti; & præterea cur tam ſero Acta Pilati ad Tiberium perveniſſent? Cur etiam poſt exactum è Procuratione Pilatum hæc contigiſſent, quo tempore nulla homini fides haberi poterat, nulla apud Cæſarem gratia erat? Hæc omnia uſque adeo commentum redolent, ut mirum ſit, inventos fuiſſe qui vera crodere, aut quaſi vera tueri, ſuſtinerent &c.* Ad quæ tam operoſe inculcata, paucis nos modo defungemur. Scilicet, ſi conſtet ea Rectorum quam agnoſcit conſuetudo, quin & ſine dubio ea fuerit à Pilato obſervata, quis hiſtoriam Chriſti dicet tam parvi momenti ut hæc ad Imperatorem non fuerit perſcripta? per quam mox Urbs & Gens Judaica, & poſtea Terra univerſa, tantopere fuit commota; quo magis illa non minus ut Civilis quam ut Religioſa fuerat ſpectata. Et an non fama hujus rei per alios Romam delata in periculum adducere potuiſſet Pilatum tacentem? Nec multum intereſt, an *Tertullianus* ipſe cum reliquis Acta huc ſpectantia viderit, nec ne; cum ſufficiat rem adeo fuiſſe notam ipſi undecunque, ut cum fiducia in gravi ſermone ad eam plusquam ſemel provocare ſit auſus. Et quod ad ſequelas ſcriptionis Pilati ad Tiberium attinet, minus difficile eſt intellectu, Tiberium, licet minus religioſum, dum & patria inſtituta minus curabat, de re magna à Pilato ad ſe ſcripta egiſſe cum Senatu; quam, quod nudo ſuo arbitrio heic ponit *Doct. Clericus*, habuiſſe Tiberium ſic ſatis perſpectam & perſonam & conditionem & doctrinam omnem Chriſti, & exoſam religionem ex Judæis oriundam, ut hinc nihil magni publicè annunciati de eo credere & hinc de ejus cultu ſtatuere poſſet. Quam porro ſerio Tiberius Chriſti venerationem cupiverit apud Senatum, id parum facit ad rem præſentem, cum ille ſaltem id ſerio videretur agere per ſuum ſuffra-

fragium, & tamen ratione politica ab eo recedere Senatus, nec ille hinc urgere amplius, (narrante *Suetonio*, *quod quædam adverſus ſententiam ſuam decerni ne queſtus quidem ſit*,) licet ſententiam ſuam ſervaret atque alio minori modo faveret Chriſtianis. Quod porro ad numerum Chriſtianorum in Urbe Roma attinet, nulla eſt ſane dubitandi ratio, etiam ex iis quæ de τοῖς ἐπιδημοῦσι ῥωμαίοις tempore Pentecoſtes legunatur *Act.* 11. 10. quin fuerint modo Romæ Chriſti fautores, numero aliquo majori vel minori, qui in aliorum etiam plurium incitatorum & mala molientium invidiam facile incurrerent, & adverſus hanc ſerio defendi poterant ab Imperatore. Neque hoc omni carebit exemplo, quod placuerit aliud Imperatori aliud Senatui, quodque ille non id omne egerit ob rationem manifeſtam vel occultam Imperator quod forte potuiſſet alia ratione. Nec de Anno Tiberii iſta agentis habemus adeo quid certi, ut non de Chriſto ocyus à Pilato ad ſe relata ſerius ad animum revocare potuerit Tiberius, ubi ejus fama & æſtimatio in orbe creſcebat, & hinc Chriſti veneratio vere *multis* poterat tribui, quos tamen paucos præ Judæis Incredulis & Gentibus dici lubenter concedimus. Et quod ſi tandem in circumſtantiis rei quibusdam erraverit forte, vel *Tertullianus*, vel ſequaces ejus, hoc rei præcipuæ fidem ſeu ſcriptionem Pilati favorabilem, tollere nequit; ſicuti & hinc *Tob. Pfannerus non totam narrationem ſed partem quandam in dubium vocat.* Ut non habeant profecto *venia concedenda & condonatione opus propter bonum animum*, vel & *propter alia in rem Chriſtianam merita*, qui hanc Pilati ſcriptionem pro cauſa Chriſti ex & cum *Tertulliano* urſerunt; quam illis promittit *Clericus*, *ne quis putet*, ipſum *egregiis Viris qui interdum fucum ſibi fieri paſſi ſunt*, *quidquam de vera quam meriti ſunt laude detrahere*, *aut ſcripta ceteroquin utiliſſima contemptui exponere velle*, contra ipſius mores & propoſitum conſtans; dum ipſe potius ſpectari forte poſſet ut propter bonum animum venia & condonatione dignus in eo quod absque ſatis gravi ratione Pilati Teſtimonium Chriſtianis eripere ſtudeat. Quamquam & eadem fere ante *Clericum* urſerit *Tanaq. Faber Epiſt. XII. Lib.* 2. ad *Tertulliani* autoritatem enervandam adducens & fabulam ex illo *Lib. III. C. Marc. Cap.* 24. *Conſtat enim*

*enim Ethnicis quoque teſtibus, in Judæa per dies quadraginta matutinis momentis Civitatem de cœlo pependiſſe, omni mœniorum habitu evaneſcente de profectu diei, & alias de proximo nullam.* Quæ longe alterius eſt generis; uti & monuit *Ceſtrienſis Epiſcopus*, contra eum diſputans *Lect. IV. in Act. Apoſt.*

V. Sed à Gentilibus ad *Judæos* tranſimus, dum ſcimus omnes quæ heic leguntur apud *Joſephum Antiq. Lib. XVIII. Cap.* IV. Dè quo teſtimonio, poſt ſcripta hinc & inde longe plurima, quorum pleraque etiam deſcripta ſunt in nuperrima *Editione Joſephi* ipſius, adhucdum operoſius in rem Chriſtianam agere decreverant Collegæ mei Clariſſimi *Fredericus Spanhemius Fil. & Jacobus Triglandius Nep.* in ea ſcriptione ne prodiret impediti potiſſimum mutua quadem ſi ita dicere licet æmulatione; dum uterque tamen pro ipſius genuina veritate admodum ſtabat & pugnabat in publicis & privatis prælectionibus. En verba ipſa notiſſima, ut de illis coram viſis rectius judices; Γίνεται δὲ κ᾽ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, vel Ἰησοῦς τις, σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ τ᾽ ἀληθῆ δεχομένων, καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ κ᾽ Ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο. Ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν. Καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ᾽ ἡμῖν σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος Πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵγε πρῶτον αὐτὸν ἀγαπήσαντες. Ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα κ᾽ ἄλλα μύρια περὶ αὐτοῦ θαυμάσια εἰρηκότων· εἰς ἔτι χριστιανῶν τῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον. Quæ in editione noviſſima ſic à *Joan. Hudſono* verſa leguntur; *Eo etiam tempore fuit Jeſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum appellare fas eſt. Fuit enim mirabilium operum effector, magiſter hominum qui veritatem cum voluptate accipiunt, multosque Judæos multos etiam Gentiles ad ſe pellexit. Hic erat Chriſtus. Quem cum Pilatus ab hominum noſtrorum primis delatum Crucis ſupplicio addixiſſet, eum tamen amare non deſierunt qui primum amaverant. Apparuit enim eis tertio die redivivus, Divinis Vatibus hæc & mille alia de eo miranda effatis; atque ab eo denominata Chriſtianorum natio durat uſque ad hunc diem.* Quod & *idem teſtimonium Lib. II. de B. Jud. legi in Codice Petavii*, ſed *auctum pia fraude*, notavit *Cl. Relandus*. Idem vero & hoc loco intruſum eſſe à Chriſtianis, fuit primum ſuſpicio gravis, &

Teſtimonium Fl. Joſephi de Chriſto celebre, & breve de eo Judicium Autoris.

dein assertio multorum fortis, ex eo quod tantopere Christianis favere videretur ut ab homine Judæo satis spectabili inter ipsos proficisci non potuisset. Quod alii rursus ita temerarium & adversum rei Christianæ existimarunt, ut pro hoc testimonio tanquam genuino disputaverint tanquam pro aris & focis. Dum ego dudum judicavi, nec apud auditores meos dissimulavi, vix in eo testimonio, seu defendendo tanquam genuino, seu repudiando tanquam mala fide intruso, vel certe multum corrupto, tantum hærere ponderis; quando illud ex Christiana sententia plenius intellectum secundum verborum vim omnem minus convenire deprehenditur certissime homini Judæo; & quando illud respectu sensus tenuioris, quem Judæus admittere queat, vix quidquam dicet quod non Judæi omnes vel agnoscant vel sine infidelitatis suæ præjudicio magno agnoscere queant.

Argumenta contra illud tanquam minus Genuinum à Cel. Spanhemio nostro in summam contracta.

VI. Summam oppositionis adversus hoc Testimonium *Josephi* tanquam minus Genuinum, & in quod præ aliis impetum declamando magis quam demonstrando fecit *Tan. Faber Epist. ad Chabillium XLIII. Lib. I.* id sibi promittens, *ut nullus imposterum dubitandi locus relinquatur nisi forte iis quibus perpetuo dubitare decretum sit*; nervose admodum, uti omnia solet, proposuit *Cl. Spanhemius* noster *Hist. Christ. Sec. I. Art. V. Ast vero testimonii illius fidem dubiam facere, cum alia nonnulla credita sunt, ut Piarum Fraudum exempla, stylus Josepho insuetus, nexus cum prioribus nullus, variatio Codicum, silentium Justini Martyris, Tertulliani, Clementis Alex. Origenis contra Celsum, dein & Photii &c. Ita cum primis magnifica illa de Jesu, tanquam non viro sed Deo, sic illi, etiam Christo seu Messia, elogia, ejusque Sapientia, Miraculis, Resurrectione, de quo & Prophetæ prædixissent &c. Unde & νοθέυσεως postularunt, non Judæi modo, qui hunc Josephum pro genuino non habent, sed & superiori ac nostra ætate Luc. Osiander, H. Gifanius, Rich. Montacutius, Jac. Salianus, Cappellus uterque, Cloppenburgius, Blondellus, Tanaquillus Faber, & ex iis Recentiores quidam.* Inter quos & *Thomas Ittigius, Vir Doct. in Prolegomenis ad Josephum*; quin & Vernaculi Scriptores varii, qui sic specie majoris sapientiæ se commendantes plebi, an rem Christianam multum juverint tamen valde dubito.

VII.

VII. Ita est; prodere videtur Autor hujus periochæ se dubium circa Jesum, an non potius pro Deo quam pro *Viro* sit habendus; quod, inquiunt, minime convenit Judæo, Pharisæo, Sacerdoti, Præfecto & Imperatori inter eos, sed potius Christiano, se studiose occultanti, hinc Judæis se annumeranti, τῶ πρώτων ἀνδρῶν παρ' ἡμῖν, & à Christianis in tertia persona se distinguenti. Atque hoc deducere, tum ex *Sapientia*, Divina potius quam humana, tum ex *Miraculis*, ab ipso patratis plane divinis. Prodit ille laudans Jesu doctrinam, cum amplexi eam proponantur ut veritatem lubenter recipientes, tam ex Judæis quam ex Græcis; quod illorum videatur esse, qui Christiani post ipsum dudum ablatum vixerunt. Prodit ille proclamans palam, *Christus Hic Erat*; quod qui dicit, is plane Christianus est, professione ilthac Jesum pro Messia habens, quod nequit agere Judæus. Nec tantum ille Tertio Die Amicis *Redivivus apparuisse* fertur, sed & id contigisse additur juxta ipsius Miracula, secundum Divinas de ipso Prophetias; quod neutiquam Judæus, sed solus dicat Christianus. Ad quæ præcipua difficultatis capita merito repudiavit *Ittigius*, quæ *Lambecius in Bibl. Vindebon.* suggessit late; quasi *omnia verba Josephi non ad Christi elogium, sed potius ad ejusdem vituperium & contemptum spectarent, etsi à Josepho, ut neque Judæos neque Christianos neque Gentiles offenderet, ambiguis phrasibus concepta fuerint, imprimis autem ea via Josephum solerter usum dicit, ut nihil suis verbis de Christo scribat, sed tantum propriam Christianorum traditionem ex Trium Euangelistarum scriptis, Joannes enim Euangelium suum nondum ediderat, & Actis Apostolicis hausta referat, sed ita tamen, ni phrases quas adhibet ad irrisionem Christianæ fidei torqueri possint. Cum ergo Josephus Jesum Virum Sapientem dicit, respicere putat Lambecius Josephum ad loca Matt.* XIII. 54. *& Marc.* VI. 2. *& tamen ambiguo sensu Christum* σοφὸν ἄνδρα *appellare, cum vox sapientiæ nonnunquam etiam in malam partem usurpetur. Deinde cum Josephus titulum Viri Sapientis ita restringit aut corrigit,* λίγε ἄνδρα αὐτὸν λίγειν χρή, *Lambecius non eam Josephi mentem fuisse putat, quasi Christus Deus potius quam Vir vel Homo dicendus fuerit, qua ratione Apollo Pythius apud Herodotum &c. quem sensum à Josephi mente alienum fuisse putat, cum Christum ne Prophetam quidem, ne-*

Quæ de Jesu, an Vir sit dicendus, propter Sapientiam & Miracula sua, item de Discipulis ejus Judæis & Græcis tanquam veritatem lubenter recipientibus, tunc de Jesu qui erat Christus, & de ipsius Redivivi Apparitione secundum Vaticinia, hæc dicuntur, male ad Sarcasmum referuntur.

*dum Deum aut Dei Filium, esse existimaverit. Quam ob rem sensum Josephi hunc potius fuisse existimat &c. si modo Virum appellare oportet, & non potius phantasma sive spectrum, siquidem ab ipsis Discipulis suis propter Φάσεις naturalem humanæ potentiæ modum excedentes pro tali fuit habitus, coll. Matt.* XIV. 26. *Marc.* VI. 49. *Luc.* XXIV. 37. *Sequentia apud Josephum verba, erat enim mirabilium operum patrator, alludere putat ad verba populi apud Lucam* V. 26. *Veretur autem Lambecius ne hic etiam anguis in herba lateat, & Josephus forte, per ἔργα παραδόξα, ἔργα ἄπιστα seu incredibilia intellexerit. Porro cum Josephus Christum fuisse dicit doctorem hominum cum voluptate verum suscipientium, his verbis Christum à Josepho perstringi censet, ut Magistrum piscatorum, publicanorum, mulierculorum, aliorumque rudium hominum, quævis paradoxa dogmata simplici credulitate suscipientium, & cum voluptate tanquam vera amplectentium &c. Quod autem Josephus addit, Christus hic erat, à Lambecio sic explicatur, quasi sensus Josephi fuerit, hunc Jesum ad aliorum, qui nomen Jesu tanquam apud Judæos admodum vulgare eodem tempore obtinebant, differentiam Christum vulgo cognominatum fuisse, quoniam à Discipulis & sectatoribus promissus Judæis Messias falso credebatur, &c. Quæ nimis longe petita, & tam coacta* videntur *Ittigio, ut longe satius videatur locum hunc Josephi ut spurium plane rejicere, vel saltem interpolatum agnoscere, quam hoc modo ut genuinum defendere.* Quod non quidem de omnibus, sed de multis, vere dici putem. Dum hoc verè nullam habet veri speciem, quod Historicus gravis, laudes Jesu palam prædicans, tantum non sarcasticè ad ipsius opprobrium loquens sic ex adverso introducatur.

Post alia leviora, objicitur quoque Silentium Veterum de hoc Testimonio Josephi, scil. Justini Martyris, Tertulliani, Chrysostomi, Clementis Alex.

VIII. Minus post hæc gravia sunt, quæ contra hoc testimonium porro à nonnullis dicuntur, tum de *Stylo* alieno *à Josepho*, tum de *Nexu* nullo hujus cum Antecedentibus & Consequentibus, tum de *Codicum Diversitate*, in vocibus pluribus, & quæ sunt id genus alia, etiam de aliis *Fraudibus*, piis. Majorem longe considerationem meretur *Silentium* de hoc ipso *Josephi* testimonio apud *Veteres* adductos, diligentissimos & fidelissimos in rem Christianam. *At si vere*, inquit *Ittigius, ita Josephus scripsit, mirari satis nequeo, quod Antiqui Ecclesiæ Doctores, qui ex instituto Judæos impugnarunt, tela*

*hoc*

*hoc contra Judæos usi non fuerint. Non incognita erant Josephi scripta Justino Martyri, quippe qui in Paræneſi ad Græc. Josephi Antiquitates egregie commendat. Quid ergo oportunius fuisset, quam Tryphoni Judæo Josephum opponere, si Justini ævo illud de Christo testimonium in Josephi Antiquitatibus lectum fuisset. Tertullianus quoque, qui Josephum Antiquitatum Judaicarum vernaculum vindicem appellat in Apol. Cap.* XIX. *etsi peculiari opere contra Judæos disputet, Josephi tamen de Christo testimonium omittit, quod sane fieri vix potuisset, si Tertulliani ætate cognitum fuisset. Chrysostomus in Orat. contra Jud. III. Josephum* μάρτυρα μηλιστα ἀξιόπιστον *appellat, & quid de Daniele scripserit allegat. Qui fieri potuit, ut non etiam quæ de Christo Josephus scripsit allegaret?* Istis tribus jungunt alii; tum *Clementem Alex.* qui *Lib. I. Strom.* meminit *Flavii Josephi* qui historias Judaicas composuit, nec tamen usquam hoc testimonium produxit; tum *Origenem Lib. I. c. Cels. & in Matth. Cap.* XIII. Quo priori loco habet; Ἐβουλόμην δ' ἂν κέλσῳ, προσωποποιήσαντι τὸν ἰουδαῖον παραδεξάμενόν πως ἰωάννην ὡς βαπτιστὴν βαπτίζοντα τὸν Ἰησοῦν, εἰπεῖν, ὅτι τὸ ἰωάννην γεγονέναι βαπιστὴν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτημάτων βαπτίζοντα, ἀνέγραψέ τις τῶν μετ' οὐ πολὺ τοῦ ἰωάννου καὶ τοῦ Ἰησοῦ γεγενημένων· ἐν γὰρ τῷ ὀκτοκαιδεκάτῳ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας ὁ ἰώσιππος μαρτυρεῖ τῷ ἰωάννῃ ὡς βαπτιστῇ γεγενημένῳ καὶ καθάρσιον τοῖς βαπτισαμένοις ἐπαγγελλομένῳ. Ὁ δὲ αὐτὸς, καίτοιγε ἀπιστῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς χριστῷ, ζητῶν τὴν αἰτίαν τῆς τῶν ἱεροσολύμων πτώσεως καὶ τῆς τοῦ ναοῦ καθαιρέσεως, δέον αὐτὸν εἰπεῖν ὅτι ἡ κατὰ τοῦ Ἰησοῦ ἐπιβουλὴ τούτων αἰτία γέγονε τῷ λαῷ, ἐπεὶ ἀπέκτειναν τὸν προφητευόμενον Χριστὸν, ὁ δὲ καὶ ὥσπερ ἄκων οὐ μακρὰν τῆς ἀληθείας γενόμενος, φησὶ ταῦτα συμβεβηκέναι τοῖς ἰουδαίοις κατ' ἐκδίκησιν ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα ἀπέκτειναν, τὸν δὲ ἰακώβον τοῦτον ὁ Ἰησοῦ γνήσιος μαθητὴς παῦλός φησιν ἑωρακέναι ὡς ἀδελφὸν τοῦ κυρίου, οὐ τοσοῦτον διὰ τὸ πρὸς αἵματος συγγενὲς, ἢ τὴν κοινὴν αὐτῶν ἀνατροφὴν, ὅσον διὰ τὸ ἦθος καὶ τὸν λόγον. Εἴπερ οὖν διὰ ἰάκωβον συμβεβηκέναι λέγει τοῖς ἰουδαίοις τὰ κατὰ τὴν ἐρέμωσιν τῆς ἱερουσαλὴμ, πῶς οὐχὶ εὐλογώτερον διὰ Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν τοῦτο φάσκειν γεγονέναι; οὗ τῆς θειότητος μάρτυρες αἱ τοσαῦται τῶν μεταβαλόντων ἀπὸ τῆς χύσεως τῶν κακῶν ἐκκλησίαι, καὶ ἠρτημένων τοῦ δημιουργοῦ καὶ πάντ' ἀναφερόντων ἐπὶ τὴν πρὸς ἐκεῖνον ἀρεσκείαν. Dum alterum locum

Origenis, & Photii ipsius.

ex Græco verſum *Petr. Daniel Huetius* ſic exhibet; *Uſque adeo autem Jacobus hic juſtitia ſua apud populum celeber fuit, ut Flavius Joſephus, qui viginti Libris Judaicam Antiquitatem conſcripſit, rationem reddere volens quare talia perpeſſus fuerit populus, ut templum etiam dirutum fuerit, dicat hæc illis ira Dei contigiſſe propter ea quæ adverſus Jacobum fratrem Ieſu qui Chriſtus dicitur perpetraverunt. Ac mirabile quidem illud eſt, cum Jeſum noſtrum eſſe Chriſtum non crediderit, eum tamen tantam Jacobo Juſtitiam teſtimonio ſuo tribuiſſe. Dicit autem exiſtimaſſe etiam populum ſe hæc Jacobi cauſa ſuſtinuiſſe.* Poſt quæ porro inquit *Ittigius; Sed mitto jam alios, qui contra Judæos ſcripſerunt, & ad Photium Patriarcham Conſtantinopolitanum venio. Is duabus vicibus in ſua Bibliotheca de Joſephi Antiquitatibus agit, ſemel Codice LXXVI. & iterum Codice CCXXXVIII. Sed neutrobi* ἀξιομνημόνευτον *illud de Chriſto teſtimonium excerpit.* Notatque mox, *Aubertum Miræum*, & poſt hunc *Lambecium*, per errorem tradidiſſe, quod *Joſephi* illud teſtimonium à *Photio fuerit lectum & memoratum, cujus ille obſcuram mentionem fecerit; quando in recenſione Operis alicujus, quod* περὶ παντὸς *ſeu de Univerſo inſcriptum fuit, monuit, opus illud à nonnullis Joſepho tributum, ſed rectius Cajo ſeu Gajo Romanæ Eccleſiæ Presbytero tribuendum eſſe, cum in eo opere Servator noſter Chriſtus appelletur, & inenarrabilis ejus è Patre generatio accurate deſcribatur. Cum autem poſtea in recenſendis Joſephi Antiquitatibus Jeſum à Joſepho Chriſtum appellari animadverteret, ne ſibi contradicere cogeretur, totam Joſephi periocham excerpere noluit, ſed tantum Paſſionis Chriſti mentionem fecit his verbis,* καὶ τοῦτον ἦν τὸ σωτήριον ἐγεγόνει πάθος. *Quibus verbis ad Joſephi periocham de Chriſto alludi ſtatuit, cum Joſephus Paſſionis Dominicæ nullibi niſi in decantatiſſimo illo teſtimonio meminerit. Verum Lambecius magno conatu magnas nugas agit. Verba enim de Domini Paſſione Photii ſunt, non Joſephi, ſiquidem Photius ea quæ ex Joſepho excerpit ſuis diſcurſibus illuſtrat, &c. Certum igitur eſt, altum eſſe de periocha Joſephi quæ Chriſti vitam breviter exponit in Photii Bibliotheca ſilentium, ſive in Photiano exemplari plane defuerit, ſive eam pro adulterina habuerit. Sane Librum* περὶ παντὸς *etiam hanc ob cauſam Joſepho abjudicat, quod Jeſus in eo Chriſtus appelletur. Atqui in teſtimonio, quo Joſephus Chriſtum prædicaſſe perhibetur, expreſſe*

legi-

*legitur*, ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν. *Accedit, quod Photius in Cod. XXXIII. ubi de Justo Tiberiensi agit, hoc commune Judæorum vitium esse scribit, quod de Christi Adventu & Miraculis fileant. Si igitur Photius in Josepho tam illustre Christi elogium, quale hodie legitur, invenisset & pro genuino habuisset, dubio procul illud tanquam aliquid singulare, & à communi Iudæorum more prorsus alienum observasset, &c.*

IX. Sed ab altera parte pro Testimonio hoc *Iosephi* tanquam genuino, si non quoad voces singulas utique quoad præcipuam rei summam, disputatur felicius ut puto longe. Ante omnia, ex *Josephi candore, fide, cura, in tradenda historia ejus temporis*; uti loquitur noster *Cel. Spanhemius*. Per quæ *Josephi* elogia, communiter ei tributa, fieri non potuisse videtur, ut de Jesu historia tota vel nihil suo loco prorsus diceret, vel pro encomiis convicia substitueret. Erat enim & historia Jesu, cum sequelis suis, notissima in Judæis non minus quam Gentibus, & vere apud eos maxima, de qua taceri à fido Historico hinc non poterat, & quam mendaciis impiis corrumpere etiam per publica acta, & Discipulorum fidorum multitudinem, non licebat viro prudenti & veraci. Quod argumentum per se validissimum, si stent communes *Josephi* laudes, potissimum in temporibus vere vel fere suis, majus tamen robur acquirit ex collatione eorum, quæ ipse habet de *Johanne Baptista, & dè Jacobo Justo*, illo præcursore illustri, & hoc Discipulo & Apostolo cognato Jesu nostri. De illo *Josephus Lib. XVIII. Cap. 7.* Τισὶ δὲ τῶν ἰουδαίων ἐδόκει ὁλωλέναι τὸν ἡρώδου στρατὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ μάλα δικαίως τιννυμένου τὴν ποίνην ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου βαπτιστοῦ, κτείνει δὲ τοῦτον ἡρώδης, ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ τοῖς ἰουδαίοις κελεύοντα ἀρετὴν ἐπασκοῦντας, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ καὶ πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένους, βαπτισμῷ συνιέναι, οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ φανεῖσθαι, μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ' ἐφ' ἁγνείᾳ τοῦ σώματος ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς δικαιοσύνῃ προεκκεκαθαρμένης. Καὶ τῶν ἄλλων συστρεφομένων, καὶ γὰρ ἤρθησαν ἐπὶ πλεῖστον τῇ ἀκροάσει τῶν λόγων, δεῖσας ἡρώδης τὸ ἐπὶ τοσόνδε πιθανὸν αὐτοῦ τοῖς ἀνθρώποις μὴ ἐπὶ ἀποστάσει τινὶ φέρειν, πάντα γὰρ ἐώκεσαν συμβουλῇ τῇ ἐκείνου πράξαντες, πολὺ κρεῖττον ἡγεῖται, πρίν τι νέωτερον ἐξ αὐτοῦ γενέσθαι προλαβὼν ἀνελεῖν &c. τοῖς δὲ ἰουδαίοις δόξαν ἐπὶ τιμωρίᾳ τῇ ἐκεί-

Dum pro Josepho hujus Testimonii Autore vero facit ejus Candor, etiam ubi agit de Johanne Baptista & Iacobo Iusto cum laude.

ἐκείνῳ τὸ ὄλεθρον ἐπὶ τῷ στρατεύματι γενέσθαι τοῦ θεοῦ κακῶς ἠρώδη θελοντος. De hoc autem *Iosephus* quoque scripsit *Lib. XX. Cap.* 8. ubi de Anano Juniore agit, mortuo Festo & Albino adhuc in itinere agente; Καθίζει συνέδριον κριτῶν καὶ ἀγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰακώβου ὄνομα αὐτῷ, καὶ τινας ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος παρέδωκε λευσθησομένους· ὅσοι δὲ ἐδόκουν ἐπιεικέστατοι τῶν καθ' τὴν πόλιν εἶναι, καὶ περὶ τοὺς νόμους ἀκριβεῖς, βαρέως ἤνεγκαν ἐπὶ τούτῳ &c. Ad quem posteriorem locum videntur spectare quæ antea ex *Origene* adduximus, & quæ perinde habet non modo *Hieronymus in Catal.* sed & *Eusebius Lib. II. Cap.* 23. Οὕτω δὲ ἄρα θαυμάσιός τις ἦν καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἐπὶ δικαιοσύνῃ βεβόητο ὁ Ἰακώβος, ὡς καὶ τοὺς Ἰουδαίων ἐμφρονας δοξάζειν, ταύτην εἶναι τὴν αἰτίαν τοῦ παραχρῆμα μετὰ τὸ μαρτύριον αὐτοῦ πολιορκίας τοῖς Ἱεροσολύμοις, ἣν δι' οὐδὲν ἕτερον αὐτοῖς συμβῆναι, ἢ διὰ τὸ κατ' αὐτοῦ τολμηθὲν ἄγος, ὁ γοῦν Ἰώσηπος οὐκ ἀπώκνησε καὶ τοῦτ' ἐγγράφως ἐπιμαρτύρασθαι, δι' ὧν φησι λέξεων, ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίοις κατ' ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν. Sed quæ nusquam apud *Iosephum* leguntur; (unde *librariorum incuria forte periisse* monuit *Guil. Spencerus ad Orig.* cum aliis,) non magis quam illa quæ tanquam ex *Iosepho* adducit *Joh. Malela*; Εἰρηκὼς καὶ τοῦτο, ὅτι ἐξ ὅτι Ἰουδαῖοι ἐσταύρωσαν Ἰησοῦν, ὃς ἦν ἄνθρωπος ἀγαθὸς, δίκαιος, εἴπερ ἄρα τὸν τοιοῦτον ἄνθρωπον δεῖ λέγειν, καὶ μὴ θεὸν, ἐν οἷς ἐποίησε σημείοις, οὐκ ἐξέλιπεν ὀδύνη ἐκ τῆς Ἰουδαίας χώρας. Imo quæ *Suidas* in Ἰησοῦς post alia multa verè fabulosa habet; Εὕρομεν δὲν, Ἰώσηπον τὸν συγγραφέα τὴν ἀλώσεως Ἱεροσολύμων, ἣ μνήμην πολλὴν εὐσεβῶς ὁ παμφίλος ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ αὐτοῦ ἱστορίᾳ ποιεῖται, Φανερῶς λέγοντα ἐν τοῖς τῆς αἰχμαλωσίας αὐτοῦ ὑπομνήμασιν, ὅτι Ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ μετὰ τῶν ἱερέων ἠγίασε, τοῦτο οὖν εὑρόντες λέγοντα τὸν Ἰώσηπον ἄνδρα ἀρχαῖον ὄντα, καὶ οὐ μετὰ πολὺν χρόνον τῶν ἀποστόλων γενόμενον &c. Interim, cum non potuerit prætermittere *Iosephus* illa quæ longe minora à & de Johanne & Jacobo isto gesta fuere, qui vere fuerunt Ministri Jesu, quomodo tacuerit plane de Jesu ipso? quem etiam Ἰησοῦν τὸν γενόμενον Χριστὸν *Jesum dictum Christum* illic appellat. Imo cum non nisi honestissimum testimonium de illis dederit quomodo illud ipsi Jesu negare potuit? Unde

&

& ipse heic scripsit *Ittigius*; *Si quis objiciat, Josephum de præcursore Christi Johanne Baptista, & de Discipulo Christi Jacobo, nonnulla protulisse, adeoque boni Historici partem implere non potuisse, si de Christo ipso plane siluerit, libenter concedam, Josephum de Christo non plane siluisse; quin & hoc concedam, quod Josephus de Jesu verba faciens, à laudibus ejus non abstinuerit. Neque enim ex inveterato Judæorum qui hodie vivunt erga Christum odio de illorum moribus judicandum est, quibus miracula per Apostolos in Christi nomine quotidie facta sacrum quendam horrorem incusserunt.* Interim est quam maxime admirandum, quod ex collatis his laudibus Johannis & Jacobi, quas à Josepho profectas agnoscit ipse, *Tan. Faber* tentaverit cum aliis etiam contra fidem testimonii de Jesu acriter disputare.

Et perinde Constans ejus Lectio; inde ab Eusebio, & Hieronymo.

X. Ad hoc argumentum unum bimembre accedit alterum istud, quod illud *Josephi* Testimonium absque ulla magni ponderis varietate satis constanter legatur apud eum & laudetur ab antiquissimo tempore. *Et fatendum quidem est*, inquit *Ittigius*, *hoc Josephi testimonium non solum in editis & scriptis Josephi Codicibus constanter legi, verum etiam ab Eusebio tam in Hist. Ecclesiastica quam in Demonstratione Euangelica Josepho tribui.* (Videri ille potest *Hist. Eccl. Lib. I. Cap.* 11. ubi post Testimonium de Johanne Bapt. commendato, illudque præsens de Christo additum, subjunxit; ταῦτα τοῦ ἐξ αὐτῶν ἑβραίων συγγραφέως ἀνέκαθεν τῇ ἑαυτοῦ γραφῇ περί τε τοῦ βαπτιστοῦ ἰωάννου καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν παραδεδωκότος, τίς ἂν ἔτι λείποιτο ἀποφυγὴ, τοῦ μὴ ἀναισχύντους ἀπελέγχεσθαι τοὺς κατ' αὐτῶν πλασαμένους ὑπομνήματα, ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐχέτω τάυτῃ. Et perinde *Dem. Euang. Lib. III.* hac introductione usus; Οὐδὲν δὲ οἷον ἐκ περιουσίας καὶ τῷ ἐξ ἑβραίων ἰωσήπῳ μάρτυρι χρήσασθαι, ὃς ἐν τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ τῆς ἰουδαικῆς ἀρχαλογίας τὰ κατὰ τοὺς πιλάτου χρόνους ἱστορῶν μέμνηται τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐν τούτοις, &c.) *Post Eusebium*, (quem fraudis heic Autorem conjicit, accumulatis in hunc injuriis, *Tan. Faber*,) *ejusdem Testimonii fidem confirmant è Græcis Isidorus Pelusiota Lib. IV. Epist.* 225. *Sozomenus Lib. I. Cap.* 1. *Sophronius, qui Hieronymi Catalogum Græco stylo reddidit, Cedrenus, Suidas, Zonaras, Glycas, Nicephorus, &c. è Latinis Hegesippus, Hieronymus, ut Rufinum Eusebii interpretem, & plures sequentium seculorum scriptores, quorum suffragia*

*ad rerum ſummam parum conferunt, ſilentio prætermittam, &c.* Unde præter rationem gravem à tot ſeculis retro lectum & agnitum teſtimonium *Joſephi* in dubium vocetur, ſine ullo uſu Chriſtianiſmi, quem ſic videri poſſet agnitæ à Judæo gloriæ Chriſti pudere vel tædere indecenter.

Nec eſt in eo, quod Joſephus de Chriſto fert, aliquid ipſi aut Judæo veraci minus conveniens, uti per partes ſingulas oſtenditur breviter.

XI. Neque enim eſt in ipſo illo Teſtimonio *Joſephi* decenter intellecto quidquam, quod non potuerit imo non debuerit ſcribere Judæus, ſincerum Hiſtoricum agens, nec uſquam ſingulare odium ſuum in Jeſum teſtatus. Ut minime ſit neceſſum hoc accipere, quod probari nequit, *Ioſephum in aulæ Veſpaſiani ex converſatione cum T. Flavio Clemente, qui poſtea ſub Domitiano ob fidem Chriſtianam interfectus eſt, & cum Flavia Domitilla ob eandem cauſam in exilium miſſa, bonam de Chriſto opinionem imbibiſſe, quæ Ruperti conjectura fuit; aut quod Banus Ioſephi præceptor Eſſenorum ſectæ addictus, Ioannis Baptiſtæ ſectator fuerit, adeoque de Chriſto inique ſentire non potuerit, ut Voſſius arbitratur Cap. XVII. de Sept. Interpretibus, qui & ipſum Ioh. Baptiſtam Eſſenum fuiſſe ex cibi & veſtitus ſimplicitate, baptiſmo, & reliquarum ſectarum odio, colligit.* Videamus in eam rem ſingulas elogii partes. Prima eſt, ἀνὴρ, vel ἀνήρ τις, ἄγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, quæ in *Ruffini* verſione non leguntur, & quæ quidem *ab aliena manu eſſe* notavit *Relandus*, quod Moſen ipſum ille ſæpe ἄνδρα nuncupet, cui Chriſtum minime prætulerit. Sed per illa verba, uti ſic ſatis oſtenditſe Jeſum vere habere pro Viro ſeu homine aliquo inter alios ſic appellato, ita ejus innuit Excellentiam magnam præ aliis viris, adeo ut haberi poſſet forte & deberet pro plusquam Homine, ſcilicet nudo alio ullo, vel certe alia excellentiore appellatione dignus videretur, etiamſi Deus ipſe ſupremus hoc ipſo non conſtitueretur forte vel verè. Unde illa *Eruditiſſimus Huetius* voluit dicta *oratorio more*, ut prodigiorum à Jeſu patratorum & beneficiorum in homines collatorum magnitudinem extolleret; ac ſi dixiſſet, tanta Chriſtus geſſit, ut Deo quam hominibus propior videretur, collato ad id cum aliis *Matthiæ Corvini Pannoniæ Regis Epitaphio*,

*Corvini brevis hæc urna eſt, quem magna fatentur*
*Facta fuiſſe Deum, fata fuiſſe hominem.*

Neque vere dicunt illæ voces, *Joſephum* pro Deo ſummo Jeſum

ſum vere aut fere habuiſſe; ſed tantum quod ille Jeſum ponat multum præ aliis excelluiſſe, & hinc merito dignius habendum vel appellandum, uti habentur etiam cœleſtes Spiritus. Altera Elogii pars, Jeſum commendans, tum à *Sapientia*, tum à *Miraculis* patratis, minus adhuc ſtringit, pro ejus Deitate heic inculcata, adeoque contra *Joſephum* autorem. Non enim ita ſolus Deus ſupremus eſt Sapiens, & Miracula patrans; ut non ſapientiam magnam cum Hominibus & Angelis pro eorum capacitate communicet, & per eos tanquam Moralia Inſtrumenta operetur Miracula maxima, quod in Moſe & Prophetis paſſim fuit viſum. Tertio loco in illo Teſtimonio commendantur hujus Jeſu Diſcipuli, tanquam ἡδονῇ τ' ἀληθῆ δεχόμενοι, *vera cum voluptate accipientes.* Per quæ verba hoc non liquet exprimi, quod non niſi vera doceret Jeſus, qualia tamen veriſſima plurima ex omnium conſenſu ille docuit, aut non niſi vera admitterent ejus Diſcipuli; ſed iſtud ſignificatur unice, quod potiſſimum à Jeſu ſunt delecti in diſcipulos & huic adhæſerint, qui per inquiſitionem ſeriam rerum ipſarum, procul humana autoritate quæ inter Judæos tantopere vigebat, oſtendebant ſe veritatis amore magno duci ſine vanis præjudiciis majorum aut ſuis; quæ laus Chriſtianis non poterat denegari ab ipſis incredulis. Ubi in *Judæis & Græcis* ſpectari poteſt, ad *Iſraëlitas & Gentiles* iis permixtos, qui ſic nonnulli Chriſtum audiverunt etiam ante mortem & aſcenſionem; vel alias ad *Judæos & Proſelytos* ex Græcis, *coll. Act.* 11. 10. *&c.* vel denique ad Judæos *Hebraizantes & Helleniſtas*, *coll. Act.* VI. 1. IX. 29. XI. 20. *&c.* cæteroqui proſpiciendum ad ſeriora tempora & quæ Jeſus tum in Græcos egit per Apoſtolos ſuos, uti huc tendit *Huetius* diſputans contra *Blondellum.* Quartum & præcipum in ſpeciem eſt illud, *Chriſtus hic erat*, omiſſum à *Cedreno.* Ubi generatim quidem verum eſt, per illud cognomen Jeſum Nazarenum diſtingui à Damnæi & Gamaliëlis filio aliisque idem nomen tum gerentibus, attamen & ſimul ſpectatur ad cognomen illud ſingulariter illi datum, à quo hinc & nomen *Chriſtianorum* fluxiſſe mox additur; cum reſpectu, ſive ad Unctionem præclaram Spiritus unde Sapientia cum Miraculis in eo fluebant, *coll. Act.* X. 38. *&c.* ſive ad Beneficentiam ſingularem per eam,

*coll. Jeſ.* XLV. 1. *&c.* ſive denique ad Meſſiam per Prophetas olim promiſſum, qui *eſſe*, ſeu *fuiſſe* in præterito, dicatur Jeſus hic; non ſecundum fidem *Joſephi* ipſius, ſed illi adhærentium Diſcipulorum, & communiorem famam, vel etiam præſumptionem multorum, quo poſtremo modo ipſe *Joſephus* forte locutus deprehenditur de *Jacobo fratre Jeſu dicti Chriſti*, & legimus *Matt.* XXVII. 17. 22. *&c.* Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστὸν, *coll. Matt.* I. 16. *&c.* heic etiam vertente *Hieronymo*, *credebatur eſſe Chriſtus.* Ut minime neceſſum ſit, vel ex his verbis *Joſephum* habere pro Chriſtiano, quod merito etiam ab *Origene* & *Theodoreto* negatum; vel cum *Montacutio* verba hæc habere pro gloſſemate quodam & marginali Chriſtiani lectoris annotatione ſerius à librariis in textum intruſa; vel pro ἦν & legere αὐτοῖς, quod ex obſervationibus *Sam. Petiti* & *Alex. Mori* urget *Cl. Joh. Melchior Steinbergius in Diſſert. Franequerana.* Qui tamen egregie illic diſputat pro vero ſenſu verbi ἦν *erat* in hoc contextu; *Etſi nec ex ſcopo nec ex circumſtantiis ille ſenſus, credebatur vel habebatur, eliceretur, quis ignoret, pro ſubjecta materia verbum iſtud Eſſe pro Haberi Credi & Reputari ſæpe poſſe ſumi & re ipſa ſumi? idque tam apud Græcos quam Latinos, imo omnium linguarum ſcriptores? Inter alia exempla occurrit inſignis illa Crucis Chriſti* ἐπιγραφὴ, *quæ Joſephi verbis tam quoad phraſin ipſam quam ſenſum figuratum verbi Eſſe apprime reſpondet, &c.* Utique non erat hic locus, quo Judæus præter neceſſitatem fidem ſuam de Jeſu tanquam Meſſia vero inculcaret, ſed quo illius perſonam diſtingueret per Cognomen illi communiter datum, etiam apud *Tacitum*, *Suetonium*, *Plinium*, *Lampridium*, *&c.* notante & hoc *Euſebio*, tum *Dem. Euang. Lib. V.* tum *Lib. I. Hiſt. Eccl. Cap.* 3. Τὸ μόνον αὐτὸν ἐξ ἁπάντων τῶν πώποτε εἰσέτι καὶ νῦν πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις καθ' ὅλης τῆς κόσμου Χριστὸν ἐπιφημίζεσθαι, ἀπολογεῖσθαί τε καὶ μαρτυρεῖσθαι πρὸς ἁπάντων ἐπὶ τῇ προσηγορίᾳ, παρά τε ἕλλησι καὶ βαρβάροις μνημονεύεσθαι, à quo hinc Diſcipuli etiamnum denominabantur, obſervante & hoc *Euſebio*, *coll. Joh.* XIX. 8. 9. & quidem ex fama & præſumptione multorum, à qua aliquem recte denominari etiam ab aliter de re ipſa ſentiente prolixius urget quoque Vir ille Doctus. Quintum denique de *Apparitione Redivivi*, ſecundum Vaticinia vetera, per partes ſuas minus

nus convenit quidem homini Judæo, ſi Reſurrectio Jeſu Vera, eaque à Prophetis vere Prædicta, heic aſſeratur; ſed optime, ſi ille qualicunque modo, quem non determinavit *Joſephus*, aſſeratur ſuis Redivivus *apparuiſſe*, ex illorum traditione communi, cum ipſe *Joſephus* illud factum non vidiſſet, atque ſic Vaticinia in eo impleta hos credidiſſe, de quibus antecedenter & conſequenter textus hic agit. Unde ſubſcribere heic nequeo *Ittigio*; *Addit eum à mortuis tertio Die reſurrexiſſe*, (alia eſt phraſis *Joſephi*,) *quemadmodum hæc & plura alia Prophetæ prædixerant. Quæ verba ita ſane à Joſepho concepta ſunt, ut non ex aliena ſed ex ſua ſententia loqui videatur. Quam ob rem hæc etiam verba vel Joſepho afficta vel interpolata arbitramur.* Eſt utique prior iſte horum verborum intellectus minime tam alienus vel abſurdus, ut eum in his verbis non potius agnoſcamus, quam ut illa in ſenſum alium ſine neceſſitate tracta prorſus repudiemus. Et mirari omnino debeo, quæ heic nuperrime reperi apud *Cl. Perizonium* noſtrum in *Epiſt. ad Cl. Franc. Fabricium*, quam hic in bonum publicum edidit. Nempe poſt diſputationem ſolidam licet breviſſimam contra *Tan. Fabrum* & *Joh. Clericum* pro hujus Teſtimonii Joſephici veritate, ſubjicit tamen; *Quapropter deleverim quidem, ſed hæc tantum verba,* ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα τε καὶ ἄλλα μύρια περὶ αὐτοῦ θαυμάσια προειρηκότων. *Ea enim qui credidit & tradidit de Jeſu Chriſto, ille enimvero hunc etiam verum credidit Meſſiam, quod Joſephus ſi Judæus fuit ut fuit non fecit. Nam quis alius præter Meſſiam quæſo eſt, de quo etiam Judæi talia à Prophetis tradant prædicta? Reliqua autem, quæ iſte locus continet, ejuſmodi fere ſunt, ut ab judicii moderati Judæo, veritatis ſtudium in hiſtoriis ſuis ſcribendis diſerte profeſſo, profecta eſſe potuerint. Habuit ille haud dubie, ut Johannem Baptiſtam, ſic & Jeſum, qui Chriſtus ille fuit, à quo Chriſtiani denominabantur, pro inſigni Propheta, qui homines ad pietatem in Deum excitaverit, ſuamque pietatis doctrinam variis confirmaverit miraculis. Priora ergo, eaque tantum, juſtiſſimis niſi valde fallor de cauſis, ex hoc loco excluſerim ut aliena, licet Euſebius ea quoque exhibeat, quum ſine dubio jam ante Euſebium, vel pia fraude Chriſtianorum, quæ frequens fuit ſæculo ſecundo & tertio, ut ex tot Euangeliis, Epiſtolis, Ἀποκαλύψεσι,*

*Itineribus ſeu Actibus Apoſtolorum, immo & ex Libris Sibyllinis tunc confictis, liquet, vel ex margine, in quem à Chriſtiano quodam conjecta fuerant, reddituro rationem quare etiam poſt ſupplicium Chriſti haud ceſſaverint Diſcipuli ejus eum amare & colere, contextum Joſephi illata pervenerint.* Ad quorum enervationem hoc etiamnum addimus, quod ſi vel ipſe iſtud crediderit & ex ſua fide tradiderit quoque *Joſephus*, Jeſum triduo poſt mortem *Diſcipulis apparuiſſe Vivum*, ne ſic quidem Chriſtianiſmum plene & decenter profeſſus eſſe debeat credi; quando tam apud Judæos quam Gentiles multos paſſim receptæ fuerunt Apparitiones qualescunque Mortuorum apud Vivos, utique ut vivorum, faciente & huc hiſtoria Samuelis perſonati, juxta Euangelicam *Matt.* XIV. 2. XVI. 14. *&c.* Et annon Scriptura habet rerum Admirandarum Prædictiones de aliis præter Chriſtum? aliquando etiam malis hominibus. Unde & hoc minus alienum deberet videri, quod *Joſephus* ipſe agnoſcat, juxta *Apparitionem* iſtam Jeſu redivivi alia multa *Admiranda* de ipſo à Prophetis eſſe prædicta; ſiquidem hunc habuit, uti ponit *Cel. Perizonius*, juxta Joh. Baptiſtam, pro *Inſigni Propheta, qui homines ad pietatem in Deum excitaverit, ſuamque pietatis doctrinam variis confirmaverit miraculis.* Neque enim hoc Spiritu Divino in Vatibus indignum poterat cenſeri, populum in anteceſſum monere de tam Inſigni Propheta ejusque Fatis & Factis Admirandis. Augetur vero admiratio mea de iſtis ſcriptis à *Cl. Perizonio*, acerrimi judicii & lectionis plurimæ atque eruditionis inexhauſtæ Viro, quando video illum iſta tam confidenter aſſerere de illa parte verborum *Joſephi*, ut fraudem vel errorem fortuitum heic *ſine dubio* ponat agnoſci debere.

Ad Autoritates Veterum oppoſitas ſingulas ſuccincte reſpondetur.

XII. Sed ad autoritates Veterum venire adhuc oportet ante *Euſebium*, apud quos nuſquam hoc *Joſephi* Teſtimonium laudatur, quod tamen contra Judæos laudandum fuiſſet, & memorandum à *Juſtino*, *Tertulliano*, *Clemente*, *Origene*, atque *Chryſoſtomo* ſerius, & *Photio* tandem. Sed totum hoc argumentum eſt mere negativum, quod contra poſitivum ſtare nequit; dum potuerunt illi non legiſſe quod vere ſcriptum erat, per varias cauſas, forte deletionem Judæorum, & legentes non ſcripſiſſe perinde. Quod ad *Juſtinum* ſpeciatim attinet, hunc novi-

mus

mus in *Paræneſi ad Græcos* alia occaſione nominaſſe *Joſephum*, non item ex eo cum *Tryphone* diſputaſſe de Jeſu noſtro, ſed magis ex Scripturis ipſis. Quod ad *Tertullianum* ſpectat, hic eodem modo non urſit *Joſephum* contra Judæos, ſed *Apol. Cap. XIX.* in re hiſtorica antiqua commendat *Judæum Joſephum Antiquitatum Judaicarum vernaculum vindicem.* Etiam apud *Clementem Alex. Lib. I. Strom.* reperimus tantum mentionem *Flavii Joſephi Judæi*, ubi tempora à Moſe ad Davidem, & hinc ad Veſpaſianum computat. Et quod petitur argumentum poſitivum ex *Origene*, id certe non eſt magni valoris; dum *Joſephus ἀπιςῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριςῷ*, ſeu *Jeſum noſtrum eſſe Chriſtum non credens*, tanquam Judæus profeſſione, ſcribere tamen omnino potuit, quod Chriſtus cognominaretur propter dicta & facta ſua & hinc ortam aliorum multorum perſuaſionem; in primis ubi de Johanne Baptiſta illum laudabiliter ſenſiſſe & ſcripſiſſe agnoſcitur. Ubi adverſus *Tanaq. Fabrum*, exclamantem, *ſatin' aperte, lector? ſatin' diſerte Origenes? quid magis ἀναμφίβολον? quid magis ἀναντίῤῥητον?* diſputat cum retorſione *Gul. Spencerus*; *Bone Vir. non ſatis aperte, nam hæc verba, καίτοιγε ἀπιςῶν τῷ Ἰησοῦ ὡς Χριςῷ*, oſtendunt *eundem Joſephum quædam de Jeſu Domino ſcripſiſſe, Jeſum vero omnium terrarum regem, quemque Scripturæ Judaicæ prædixerant Meſſiam, non agnoviſſe, etenim haud aliter Jeſu fidem non habuit, niſi prout nonnulli Jeſum pro Chriſto & Meſſia haberi voluerunt. Quæ dixi exinde conſtabilire conabor, quod Joſephus vaticinium de Meſſia, cujus adventum tunc temporis Judæi exſpectabant, non de Jeſu Chriſto interpretatus eſt, ſed ineptiſſime Veſpaſiano poſtquam Judæorum omnia retro ire vidit accommodavit. Audi eum Lib. III. Cap. 14. de B. Jud. &c.* Si porro *Chryſoſtomus* laudavit *Joſephum* in iis quæ de Daniele & in hujus laudem occaſione vaſtationis Judæorum dixit *Antiq. Lib. X. Cap. 12.* tanquam non modo *ἀξιόπιςον* teſtem apud Judæos, ſed & *τὴν τὰς συμφορὰς αὐτῶν τεταγωδήσαντα, καὶ τὴν παλαιὰν διαθήκην διαφράσαντα πᾶσαν, ὃς μετὰ τὴν εἰς Χριςὸν παρρησίαν γενόμενος καὶ τὴν αἰχμαλωσίαν τὴν ὑπ' αὐτῶν προῤῥηθεῖσαν ἐπὶ τούτοις καὶ διὰ ταύτης διελέχθη τὴν αἰχμαλωσίας τὴν γενομένης, &c.* quænam hinc neceſſitas, ut in laudem Chriſti hunc loquentem alias quoque laudare debuerit? quando ille vixit in fine Seculi Quarti,

quan-

quando dudum hanc periocham in *Josepho* fuisse lectam tam ex *Eusebio* quam ex *Hieronymo* & *Ruffino* constat. Et quod tandem ad *Photium* attinet, Doctum & Celebrem Scriptorem Seculi IX. mirum equidem est, quo pacto ille prolixa Excerpta dans ex *Josephi Antiquitatibus*, & quidem bis, potuerit hoc Testimonium certissime dudum in *Josepho* lectum, plane intactum prætermittere non tantum; sed & *Codice XLVIII.* de scripto ὡς ἐκ παντὸς, vel τὸ ἐκ παντὸς, quod tribuatur etiam *Josepho*, seu *Cajo Presbytero*, potius quam *Justino Mart.* vel *Irenæo*, sic loqui; ὡς μέντοι χριστὸν ἐκ ἀληθινῆ θεὸν ἡμῶν ὡς ἔγνωσται θεολογεῖ, καλῶν τε αὐτὴν ἀναφθεγγόμενος χριστὸν, καὶ τὸ ἐκ πατρὸς ἄφραστον γέννησιν ἀμέμφως ἀναγράφων, ὃ τινὰς ἴσως καὶ ἀμφιδοξεῖν, ὡς ἰσωσήπω εἴη τὸ συνταγμάτιον, ἀναπείσειεν, οὐδὲν δὰ τὸ τὸ φράσεως αὐτῷ πρὸς τὰ ὑπόλοιπα ἐκ ἀνδρὸς ἀποδεῖ. Quæ & difficultas augeri quadantenus videtur per hoc quod *Codice XXXIII.* de *Justo Tiberiensi* agens cum exigua laude, etiam in oppositione ad *Josephum* adversarium ejus, tanquam & τὰ πλεῖστα τῶν ἀναγκαιοτάτων παρατρέχοντι, scripsit, ὡς τὰ ἰουδαίων νοσῶν, ἰουδαϊκὸς τε καὶ αὐτὸς ὑπάρχων τὸ γένος, τὸ χριστοῦ παρουσίας, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν τελεσθέντων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τερατουργηθέντων, ὀδενὸς ὅλως μνήμην ἐποιήσατο, &c. Dum tamen de *communi*, nedum universali plane, *Judæorum vitio*, tacendi de rebus Christi, nihil est magnopere in illis, τὰ ἰουδαίων νοσῶν, sed religionis ejus declaratio convenientis nativitati sola; quin & perculpatum illud in *Justo* silentium videri queat ab eo absolvisse *Josephum*, quando illum & ipse dixit κακουργότατον, χρημάτων τε καὶ ἡδονῶν ἥττονα. Sed quid tandem aliud ex illo *Photii* silentio colligas cum ulla specie? quam hunc ipsum periocham hanc *Josephi*, si eam in Codice suo legerit, habuisse suspectam nimis in homine Judæo quam ut illam laudare vel urgere multum auderet. Dum non est, cur nos *Photii* magis quam longe Antiquiorum, Græcorum & Latinorum, judicio heic stemus. *Josephi Gorionidis* silentium, quod & aliqui contulerunt, indignum est quod heic in considerationem veniat ullam.

De Stylo, Nexu, Codicum Varietate.

XIII. Reliqua, quæ objiciuntur cum verborum quandoque pompa, parum habent rei, & hinc sponte fere concidunt. *Stylus* utique periochæ hujus brevissimæ, in qua ille sic distincte

ſtincte eluceſcere vix poteſt, ſi abjudicetur ab his *Joſepho*, ab aliis non minori jure pro hoc urgetur autore; uti perinde pro Paulo Autore Epiſtolæ ad Hebræos ex Stylo feliciſſime diſputant cum *Cel. Spanhemio* noſtro quidam, dum hunc contra Paulum urgent alii. Ad *Nexum* obſervatur, plane hunc fuiſſe locum, ubi *Joſephus* de Chriſti rebus omnibus ſimul agere debebat; quando erat illic in enarrandis Pilati factis Jeroſolymitanis circa Judæos, quorſum ſpectat illud κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον, in aliqua latitudine merito capiendum. Ad *Diverſitatem* Codicum notatur, quod illa parum ſpectet ad Rem præcipuam, Eandem in illis; an ſcil. legatur Ἰησοῦς, vel Ἰησοῦς τις, an χρή, vel ἐχρῆν, an ἡδονῇ, vel σὺν ἡδονῇ, an Ἰουδαίους, vel Ἰουδαίου, vel Ἰουδαίων, & perinde ἑλληνικοὺς, vel ἑλληνικοῦ, vel ἑλληνικῶν, & quæ ſunt plura id genus leviora. Et quod ad Chriſtianorum *Fraudes Pias* complures alias attinet, has quidem optandum foret non eſſe aut fuiſſe olim tam multas, variis ex occaſionibus magis aut minus culpabiles; ſed nec illarum numerus à nobis præter neceſſitatem eſt multiplicandus, per meras quoque ac incertas conjecturas, ubi nec olim heic fraudis ſuſpicio à Judæis ipſis aut Chriſtianis injecta eſſe deprehenditur. Et eſt illa tantò minus heic admittenda, quantò certior eſt res tradita, etiam ex facili & æquiſſimo Judæorum conſenſu; nempe Jeſum noſtrum ſapientia & miraculis de eo traditis fuiſſe illuſtrem in gente illa; multos habuiſſe de illa & aliis immixtis ſectatores, ab eo denominatos, ſatis diu & conſtanter deinde, qui veritatis magis quam traditionum antiquarum & incertarum viderentur atque eſſent ſtudioſi; hunc etiam diſtinctive & commendative fuiſſe appellatum Chriſtum; hunc porrò Crucifixum ad Primorum apud Judæos votum à Pilato, non fuiſſe à ſuis hinc deſertum aut abnegatum, quando hi retulerunt & palam aſſeruerunt, ipſum intra triduum denuo Vivum ſibi apparuiſſe, ſecundum prophetias veteres ab illis ad hunc applicatas; unde manſerit, minime ex voto Judæorum & dein Gentilium quoque deleta, Chriſtianorum gens. Quod eſt totum illud, quod in hac periocha dicitur, & vere ad laudem Jeſu ab Hiſtorico qualicunque fido, licet Judæo & Phariſæo & Sacerdote, dici debuit. Sed quod nobis Chriſtianis tamen tam neceſſarium

Fraudibusque Piis diſſeritur.

non debet judicari, ut *Joſephus* potius totus ſit repudiandus, quam illa Periocha ejicienda. Secundum illud quod *Abrah. Welocus in Epiſt. ad Arnold.* exiſtimat, *totum potius Joſephum è medio & penitus è mundo tollendum, quam ut illam nobiliſſimam de Chriſto periocham à Chriſtiana Eccleſia tolli patiamur.* Pro qua quanti ab ævo Viri pugnaverint, ex *Pontificiis* & *Proteſtantibus* pariter, etiam Literatiſſimi, cum aliis multis docuit *Cel. Spanhemius.* Et liquere poteſt ex prolixiori ſcripto *Caroli Daubuz*, qui & ipſe *in Præf.* fatetur, *ſe olim nimis inconſulto abreptum ac partes accuſatorum ſecutum iniquiſſime de hoc teſtimonio ſenſiſſe &c.* at vero ſedulam ſcriptorum Flavii Joſephi *lectionem, hujusque fortunarum conſiderationem, ſibi planiſſime demonſtraſſe*, monet, *non modo potuiſſe Flavium de Jeſu noſtro Servatore bene ſentire, ſed & iſtud ipſum ſcripſiſſe, quod nunc præ manibus habemus teſtimonium &c.* laudato ſimul *Joſepho Vaſſio, & Joh. Erneſto Grabe.* Eſt autem dignus hic Autor, ut totus legatur una cum *Triginta Epiſtolis Philologicis & Hiſtoricis* de hoc argumento, quas *Chriſtoph. Arnoldus* recenſitas edidit, atque nupera *Editio Joſephi* ſub ductu *Cl. Havercampi* noſtri ſimul junxit.

Petri Danielis Huetii verba præcipua de hoc Joſephi Teſtimonio conferuntur.

XIV. Nec mirum adeo, quod *Petrus Dan. Huetius in Demonſt. Euang.* prolixe hoc teſtimonium contra Objectiones omnes defendens, ſequentem in modum pro eo diſputavit; *Confidenter pronuntio me iis aſſentiri non poſſe, à quibus in dubium vocata eſt teſtimonii hujus γνησιότης. Cur ita ſentiam, facit conſtans & perpetuus Codicum Omnium Ioſephi, ſive exaratorum calamo ſive typis impreſſorum, in eo retinendo conſenſus. Facit & Euſebii auctoritas, qui illud & in Libris Demonſtr. Euang. Lib. IV. & in Eccleſ. Hiſt. Lib. I. Cap.* 11. *tanquam legitimum & genuinum repræſentavit. Expreſſit id quoque Latinè Hieronymus in Libr. de Scriptoribus Eccl. Retulit id ipſum in Epiſtolas ſuas Iſidorus Peluſ. in Hiſtoriis vero ſuis conſecrarunt Hermias Sozomenus, Georg. Cedrenus, & Nicephorus Calliſti, & in Lexico ſuo Suidas; atque hinc porro continua ſerie ad nos uſque propagatum eſt, quod ad probandum ſcriptionis γνησιότητα ſatis eſſe docuimus. Suadet idem præterea & ratio: nec enim probabile eſt, Ioſephum ſcriptorem non indiligentem, cum res Iudæorum perſequeretur, de eo Viro tacuiſſe, qui maximos in ea gente ac per univerſum fere orbem excitavit motus, ſectam de nomine*

*mine ſuo condidit, complures habuit Diſcipulos, & Chriſti ſibi nomen aſſumpſit; quo ille celebrari potuit inter Iudeos, apud quos magna erat Chriſti exſpectatio, quique eorum nomina haudquaquam ſilentio prætermiſerunt in ſuis Hiſtoriis qui titulum hunc ſibi arrogarunt. Quis enim putet elogio dignos cenſuiſſe Iohannem Bapt. & Iacobum ἀδελφόθεον, indignum vero mentione Chriſtum Ieſum exiſtimaſſe, cujus longe clarius nomen fuit? cum præſertim Iacobum laudans, ut notum hunc faceret, Fratrem eſſe ſcripſerit Ieſu qui Meſſias dictus eſt, quem vid. longe notiorem eſſe ſciebat. Tantum certe abeſt, ut locum hunc à Ioſepho profectum mirer, ut potius mirabile mihi videatur, arbitrari potuiſſe quemquam de Ieſu Ioſephum ſiluiſſe &c. Conſentit ad hæc orationis filum, & dictionis color, talis nim. qualis Helleniſtarum eſſe ſolet, locutiones etiam quasdam obſervare licet Ioſepho familiares. Has igitur habeo cauſſas, cur genuinam eſſe cenſeam hanc θεοχὴν, quæ ſunt hujusmodi ut non certioribus vel γνησιώτατον ſcriptoris cujuscunque teſtimonium defendi poſſe putem &c.*

XV. Addamus adhuc clauſulæ loco, quæ ad *Lud. Cappellum* ſcripſit *Ven. Cloppenburgius; Merito ſuſpecta tibi videatur, quæ iſthic de Chriſto dicuntur, & falſo adſcripta Joſepho θεοχὴ illa, cujus nulla eſt cum antecedentibus & ſequentibus connexio. Cogita quæſo accuratius, annon vero ſimile ſit, fuiſſe illo loco à Joſepho factam Chriſti mentionem ejusmodi, quæ ἀναλόγως perfidiæ Judaicæ blaſphemam habuerit connexionem cum ſequenti hiſtoria, quæ magis ἀθεσδιόνυσ& eſt ut jam quidem jacet, quam mentio Chriſti; ut voluerit Joſephus paralleliſmo Paulinæ, ſua opinione à Deo revera à Decio Mundo impregnatæ aut ſtupratæ, ridere fidem Chriſtianam de Conceptione Jeſu Chriſti & Nativitate ex Virgine per operationem Spiritus S. Propter quam blaſphemiam ita ſuſpicor à Chriſtiano aliquo caſtigatum & caſtratum eo loco Joſephum, ut jam illa θεοχὴ ſit ἀσύνδε&.* Ad quæ dici omnino poſſe videtur, quod ſic periocha de Chriſto ex textu non tantum ejiciatur, quam *vi veritatis expreſſam Joſepho* ipſe alias ſcripſit ſimpliciter; ſed & ex iis quæ de Paulina ſequuntur conjicitur præcedens pro illa alia plane de Chriſto narratio quæ nuſquam comparet vel comparuit unquam, & hinc blaſphemus in Chriſtum animus cum ſarcaſtica irriſione fidei Chriſtianæ. Et reſpondit ipſe *Cappellus; Agnoſcere ſe conjecturam*

Cloppenburgii & Cappelli obſervationes ad Nexum rerum apud Ioſephum.

*cturam eam esse acutam atque ingeniosam, sed nescire an satis sit Josephi eo loco menti & scopo adeoque & verbis accommodata.* Ipse aliam connexionem historiæ Paulinæ cum sequenti Fulviæ substituens; *Ante periocham de Christo narrat, quomodo Hierosolymis male excepta fuisset à Pilato clamosa atque in ipsum contumeliosa Judæorum turba; post eam vero, quomodo Romæ pulsi sint Tiberii jussu atque edicto tota Italia Judæi &c. Jam vero quia hæc posterior Judæorum calamitas illis acciderat ob insignem impostoris Judæi, religione sui templi dolo malo abutentis, fraudem; ne quis Romanus impostoram illam Judæis per convitium in os objiceret, præmittere voluit aliam longe graviorem Equitis Romani, religione Sacrorum Templi Isidis ad turpissimum facinus abutentis, impostoram, ut si quis vellet Judæis facinus impostoris illius Doctoris nomen mentientis objicere, haberent illi in promptu quod statim regerere possent. Decii Mundi longe turpissimum factum. Hæc inter se argumenti similitudine atque affinitate cohærent, adeoque aperte à Josepho in historiæ suæ narratione connectuntur, si periocham de Christo &c. Narratio autem de Paulina inserta est ac præmissa narrationi de Fulvia, ob eam quam ante dixi causam, tum etiam ob argumenti similitudinem, quia in utroque facto impostura est hominum religione sua turpiter abutentium, & utrobique Saturninus est, tum Paulinæ tum Fulviæ maritus. Hæc mihi videtur commodissima & συναφείας in Josephi historia ratio.* Sed uti illa sic non male sunt observata de historia Paulinæ, ita non sequitur, ante hanc post male à Pilato in Judæos gesta, & ante illa quæ his à Tiberio Romæ obtigerunt, non potuisse memorari apte, quæ occasione Jesu in Judæa contigerunt illo tempore.

---

## CAPUT TERTIUM.

### *Quo in Veritatem Resurrectionis Christi laudantur ejus Facta insecuta, tum in Suos, tum in Hostes, Judæos potissimum & Romanos.*

Ad Testimonia Realia transi-

Enimverò solent præ Testimoniis Verbalibus quibuscunque, minus vel magis etiam certis, laudari Realia; seu Facta undi-

undique conſtantia, per quæ, ſeu Antecedentia, ſeu Concomitantia, ſeu potiſſimum Conſequentia fuerint, veritas Teſtimonii Verbalis extra omne dubium conſtituitur, adeo ut nec illo opus eſſe multis caſibus judicetur. Unde poſtquam ex Hiſtoria Euangelica ipſa pro Reſurrectionis Chriſti Certiſſima Veritate pugnavimus, quin & ejus Monumenta qualiacunque, Romanum *Pilati* & Judaicum *Joſephi*, produximus; nunc non poſſumus non laudare *Domini noſtri Facta Illuſtria*, quibus ille ad mundi totius non plane excæcati oculos ſe palam Redivivum poſt mortem demonſtravit.

tur, quibus ſe Redivivum vere Chriſtus demonſtravit.

II. Sunt quædam talia, quæ egit ille *in Suos* Apoſtolos, cum aliis, ſed & alia, quæ exſecutus eſt *in Hoſtes*, tum *Judæos*, tum *Romanos*, utrosque præ aliis reos facinoris in ipſum commiſſi ſceleratiſſimi. Inter Facta in Suos primum omnium eſt *Spiritus Sancti* in eos ex cœlo *Immiſſio*, plane Copioſa & Extraordinaria, cum *Signis* ad Viſum & Auditum conjunctis publicis, & cum *Effectis* plane admirandis. Hoc ſcilicet eſt illud, quod poſt Sui Redivivi Aſcenſionem Corpoream ad Patrem ille promiſit jam ante Mortem, *coll. Ioh.* XIV. 16. 17. XV. 26. XVI. 7—14. *&c.* quodque Redivivus ille repetiit ſe prope diem facturum eſſe, *coll. Marc.* XVI. 17. 18. *Luc.* XXIV. 49. *Ioh.* XX. 22. *Act.* I. 4. 5. 8. Et hoc eſt, quod ita in temporis novi progreſſu præſtitit Dominus *Act.* IV. 31. VIII. 15. 17. 18. IX. 17. X. 44. 45. XI. 15. 16. XIII. 52. XV. 8. XIX. 6. 1 *Cor.* XII. 4. 6. *Hebr.* II. 4. *&c.* etiam in Miraculis plurimis, non minoribus ſed & majoribus quam ipſe patraverat *Ioh.* XIV. 12. *Act.* V. 15. XIX. 12. *&c.* ut inprimis & ſolenniſſime id egerit ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντεκοστῆς *Act.* II. 1. *&c.* quando ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, & *repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, cæperuntque loqui aliis linguis ſicuti Spiritus illis dabat eloqui*, poſtquam *extitit repente ex cœlo ſonus tanquam ruentis Flatus vehementis, qui implevit totam domum ubi erant conſidentes, & viſæ fuerunt illis diſtributæ linguæ ſicut Ignis qui ſedit ſuper unumquemque eorum.* Quod & in communem admirationem & ſtuporem abripuit omnes undique accedentes ex quibusvis Judæorum & Proſelytorum Jeroſolymis tum hærentium nationibus; & ad ſalutarem converſionem per Petri & aliorum ſermonem

Tam in Suos, per Miſſionem Extraordinariam & Admirabilem Spiritus ſui.

adduxit uno die Millia plura. Quod cum tam admirabiliter conſecutum ſit, poſt Chriſti Promiſſiones repetitas & ampliſſimas, non aliunde quam ab hoc Redivivo derivari poteſt; ſecundum illa Petri *Act.* II. 32. *hunc Jeſum reſuſcitavit Jeſus, cujus nos omnes ſumus teſtes, dextra igitur Dei ſublatus & promiſſum Sancti Spiritus nactus à Patre, effudit hoc quod nunc vos videtis & auditis &c. Certo ergo agnoſcat omnis domus Iſrael, quod Dominum & Chriſtum eum Deus fecit, hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis &c. Act.* III. 15. 16. *hunc Ducem Vitæ occidiſtis, quem Deus ſuſcitavit ex mortuis, cujus nos teſtes ſumus, & in fide nominis ejus hunc quem videtis & agnoſcitis confirmavit nomen ejus, & fides per ipſum dedit huic integritatem hanc coram omnibus vobis &c. Act.* IV. 10. *notum ſit omnibus vobis & omni populo Iſrael, in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit ex mortuis, in hoc hunc adſtare ſanum coram vobis, &c.* In quibus omnibus equidem publice geſtis apud numeroſiſſimam multitudinem hominum quorumvis, neque hinc in dubium vocatis unquam, aut contradictionem cum aliqua ſpecie admittentibus, fidem meretur certiſſime *Lucas*, ſcriptor fideliſſimus & curatiſſimus, in *Actis* non minus quam in *Euangelio*, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς πράγματων, quin & παρηκολουθηκὼς ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς *Luc.* I. 1, 3.

Et Eccleſiæ Collectionem per orbem omni modo ſtupendam.

III. Quod ex iſta tam admirabili Spiritus Effuſione extraordinaria porro conſecutum eſt Chriſti Redivivi Beneficium in Suos, id conſtituitur per *Eccleſiæ Collectionem* potentiſſimam, tam ex Judæis antea immorigeris, quam ex Gentibus antea derelictis & impuris, per *Verbum* ab indoctis illis prædicatum & *Signa* accedentia in virtute Spiritus conceſſi ſola, contra vim omnem Satanæ & Mundi conjuratam. Nempe & hoc prædixerat Chriſtus ante Mortem, *coll. Matt.* XVI. 18. *ſuper hac petra ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt ei, & dabo tibi claves regni cœlorum, &c. Joh.* X. 16. *alias etiam oves habeo quæ non ſunt ex hac caula, & illas me oportet adducere, audientque meam vocem, & fiet unus grex, unus paſtor Joh.* XII. 32. κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν, hinc etiam vaticinato tum Cajapha ſed inſcio, *fore ut Jeſus pro gente illa moreretur, nec tantum*

*tum pro gente ea ſolum, ſed etiam ut filios Dei diſperſos congregaret in unum Joh.* XI. 51. 52. Atque idem Redivivus repetierat *Matt.* XXVIII. 18–20. *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, profecti ergo Diſcipulos facite omnes gentes, &c. & ecce vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi, amen, coll. Marc.* XVI. 15—18. *Luc.* XXIV. 46–48. *&c.* Cui Erectioni manſuetæ Regni Chriſti, quantopere ſe oppoſuerit ſub Satanæ ductu Mundus univerſus, juxta Domini prædictiones quoque, ſed quam fruſtra fuerit omnis vis & fraus iſta, cum pudore & dolore deſperabundo dudum hic agnoſcere fuit coactus.

IV. Collectioni quin etiam iſti *Eccleſiæ* jungere debemus hujus non minus illuſtrem & admirabilem *Conſervationem*, per Redivivi Chriſti pervigilem Curam & miſſum ab hoc Spiritum. Inſaniunt *Iudæi*, minaciter interminantes, & denunciantes Apoſtolis, τὸ καθόλυ μὴ φθέγγεσθαι μηδὲ διδάσκειν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ, imo nec λαλεῖν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τούτῳ μηδενὶ ἀνθρώπων *Act.* IV. 17. 18. Et exſequuti ſunt minas iſtas, poſt manus injectas & carcerum cuſtodias, etiam δείραντες *Act.* V. 40. & λιθοβολοῦντες *Act.* VII. 59. & mille modis crudeliſſimis ad necem adigentes, cum perſecutionibus de urbe in urbem *Act.* XIV. 6. 19. 20. *&c.* Quin & reliquis prædicationem Apoſtolorum amplexis idem obvenit à Judæis furor, ſecundum id quod de Saulo ſcriptum eſt *Act.* IX. 1. 2. *ſpirante adhuc*, poſt Stephani martyrium, *minas & cædem in Diſcipulos Domini*, & rogante à Pontifice epiſtolas Damaſcum ad Synagogas, *ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros aut mulieres vinctos abduceret in Ieruſalem &c.* Sed à Judæis primum & plurimum impulſi (quod & monuit *Iuſtinus in Tryph.*) *Gentiles* furore eodem in Chriſtianiſmi doctores & profeſſores fuere correpti, excogitatis & adhibitis ſine miſericordia ſuppliciis quibusvis acerbiſſimis, quibus ad abnegationem Fidei in Jeſum Redivivum hi adigerentur per ſeculum plusquam unum; dum idem dein factum à *Barbaris* variis, *Muhammedanis*, atque *Anti-Chriſtianis* nomen Chriſti mentientibus. Sed nihil hi omnes effecerunt omni ſuo niſu, etiam quando inaniter ipſi gloriabantur de deleto Chriſtianorum nomine; dum ex adverſo etiam perſtitit, pervaſit, & ſic confirmata fuit magis Eccleſia. Adeo

Ejuſdemque Conſervationem adverſus Vim omnem & Frandem mundi & Satanæ.

ut

ut huc illud applicari queat etiam Chriſti, quod de ſuo tempore dixit Dominus *Matt.* XI. 12. *à diebus Iohannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cœlorum perrumpit, & violenti rapiunt illud*, quod alias in hunc ſenſum expoſuimus *EXERC. TEXT. XXIX. Parte IV.* Quod rurſus ita factum eſt ſecundum anterius Domini noſtri verbum *Matt.* XVI. 18. *portæ inferni non prævalebunt Eccleſiæ &c.* & poſteriorem conſpectum *Equi Albi*, cum *Inſeſſore* habente Arcum, cui data Corona, exeunti cum Victoria & ut vinceret, quem nec equus rufus, magis quam niger, aut pallidus, impedire potuit, *coll. Apoc.* VI. 2. 4. ſ. 8.

Quin & Martyribus inditam Conſtantiam inauditam.

V. Nec omittere poſſumus in enarranda Chriſti Redivivi Beneficentia in Suos *Inſignem Martyrum Conſtantiam*; per quam ipſi ſinguli ita ad ſalutem ſuam fuere perducti conſummatam, ut ſimul Eccleſiam in his terris conſiſtere & creſcere fecerint illuſtrius, ſanguine ſuo fuſo inter cœleſtes à Chriſto inſpiratos ſermones. Nempe hoc eſt, quod ſignificaverat Dominus noſter, uti alias ſæpe ita & *Ioh.* XVI. 33. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε, ἐν τῷ κόσμῳ θλῖψιν ἕξετε, ἀλλὰ θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον, *verſ.* 20. 22. *amen, amen, dico vobis, quod flebitis vos & lamentabimini, mundus autem gaudebit, vos vero triſtabimini, ſed triſtitia veſtra evadet in gaudium &c. & vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, ſed rurſus videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, &c.* Eſtque heic omnino cogitandum de reſponſo, quod Paulus ad rogationem tertiam contra Satanæ colaphos nactus eſt à Domino 2 *Cor.* XII. 9. *ſufficit tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitate perficitur.* Cujus rei exemplum ſplendidiſſimum in Stephano Proto-Martyre habemus *Act.* VII. 55. *&c.* qui ad Divinam orationem crudeliſſime lapidandus, *cum eſſet plenus Spiritu Sancto, intentus in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei*, ipſe id palam profeſſus, & ad Jeſum clamans, *Domine Ieſu accipe ſpiritum meum, Domine ne ſtatue illis hoc peccatum, &c.* Dum eodem modo magis vel minus ordinario, ſenſum dolorum & metum mortis excutientes, ad intuitum Redivivi Jeſu activum & paſſivum, ſe geſſerunt innumeri homines, ad hoſtium perſequentium furorem & orbis totius ſtuporem, magis vel minus ſalutarem.

VI.

VI. Sed nunc *ad Chriſti Hoſtes* tranſeamus, videamusque quo modo ſe adverſus hos Redivivum ipſe demonſtraverit. Atque hos quidem ſpectare primum poſſumus *Singulares*, deinde ad *Populos* & Regna perrecturi. Pro priorum Exemplo cogita de ipſo Saulo, qui & quando hic inter Hoſtes Domini tantopere excelluit, ut nonniſi minas & cædem in Diſcipulos Domini ſpiraret. Ipſum ſe hinc ille dixit *blaſphemum, & perſecutorem, & contumelioſum, & primum peccatorum* 1 *Tim.* 1. 13. 15. atque latiorem ſui deſcriptionem ad Agrippam dedit *Act.* xxvi. 9. &c. Ἐγὼ μὲν οὖν ἔδοξα ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου δεῖν πολλὰ ἐναντία πρᾶξαι, ὃ καὶ ἐποίησα ἐν Ἰερουσολύμοις, καὶ πολλοὺς τῶν ἁγίων ἐγὼ φυλακαῖς κατέκλεισα, τὴν παρὰ τῶν ἀρχιερέων ἐξουσίαν λαβών, ἀναιρουμένων τε αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον, καὶ κατὰ πάσας τὰς συναγωγὰς πολλάκις τιμωρῶν αὐτοὺς ἠνάγκαζον βλασφημεῖν, περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς, ἐδίωκον ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις &c. Sed vide, admirare, & adora, in hoc Chriſti Redivivi Virtutem cum Severitate Benigniſſimam. Ipſe Saulus in via Damaſcena vidit repente cœlitus lucem ſupra ſolis ſplendorem, circumfulgentem ipſum cum comitibus, ut omnes in terram deciderent, audivitque ſimul vocem ad ſe Hebraice dicentem, *Saul, Saul, quid me perſequeris? durum tibi contra ſtimulos calcitrare*, & ad Sauli rogationem, *quis es Domine*, regerentem, *ego ſum Ieſus ille quem tu perſequeris*; unde Paulus *tremens & pavens dixit, Domine quid me vis facere?* & poſita priori ferocia ex perſecutore Paſtor fuit conſtitutus, ſed & tridui cæcitate externa percuſſus, hinc manu ab aliis Damaſcum deductus, &c. Poſt quod exemplum, æque notum quam magnum & certum in quo eventus ad Chriſtum tam manifeſte refertur, non eſt, ut tragicum exitum contumacium Hoſtium Domini noſtri Singularium cum Veteribus quibusdam & Recentioribus multis conferamus modo late. In quam rem conſiderari poteſt id quod de *Pilato* ipſo legimus apud *Euſebium Hiſt. Eccl. Lib. II. Cap. 7. Neque vero illud prætereundum eſt*, Pilatum *ipſum, qui Servatorem noſtrum morti addixit, poſtmodum Imperante Cajo, cujus nunc tempora proſequimur, in tantas incidiſſe calamitates, ut mortem ſibi conſciſcere, ſuorumque ipſe ſcelerum vindex eſſe coactus fuerit, Divina ſcilicet juſtitia in illum ut par erat ſæviente. Idque à Græcis ſcri-*

Quam in Hoſtes ſuos, non modo Singulares, uti Pilatum, Neronem, Julianum, &c.

*pteribus proditum eſt, qui Olympiadum ſeriem & quæ quibusque temporibus geſta ſunt conſcripſere.* Uti ſic ſe habet verſio *Henr. Valeſii*; qui ibidem monuit, verba Græca ὡς ἐξ ἀνάγκης, poſſe reddi, *præ deſperatione*, ſed *poſſe etiam alium eſſe ſenſum ut ſcil. Pilatus juſſu Principis ſibi mortem conſciverit, ſic enim ſævire tunc ſolebant Principes Romani, ut de Macrone tradit Joſephus, ſed priorem explicationem præferendam eſſe, quippe quæ præcedentibus Euſebii verbis magis congruit, & præterea confirmatur ex Chronico*, in quo legitur, *Anno Tertio Caji Caligulæ Pontius Pilatus, in multas incidens calamitates, propria ſe manu interficit, ſcribunt Romanorum hiſtoriæ.* Ad quæ Pilati fata etiam adjecit *Nicephorus Lib. II. Cap.* 10. Καὶ ἄνναν, καὶ καιάφαν, καὶ ὅσοι τῶν γραμματέων ἦσαν καὶ Φαρισαίων, καὶ αὐτῶν αἰξίαν καὶ διάφορον δεδωκότων δίκην τῷ κῷ Χριστῷ γενομένης φανερᾶς διαχωρίσεως. Dum alii addunt *Herodem Antipam*, ὅτι ὃν ἦν ὁ κὸς τὸ πάθος ὃς σωτὴρ, ad perpetuum exilium damnatum, & *Agrippam*, factum inter alia mala σκωληκόβρωτον, ex *Act.* XII. 23. æque quam ex *Joſepho* & *Euſebio*. Sed & alii quam maxime urgent extrema *Neronis* fata acerbiſſima, ex *Suetonio* æque quam *Eutropio*. Uti minime omnium neceſſum eſt laudari à nobis tanquam ſatis certa, quæ *Juliano* ex vulnere incerto, & *ſalutari toti mundo dicto* à Veteribus, morienti tribuuntur verba apud *Theodoretum Lib. III. Cap.* 25. & alios, νενίκηκας γαλιλαῖε, quibus ille dictus κὸς ταυτὸ τὴν τε νίκην ὁμολογῆσαι καὶ τ βλασφημίαν τολμῆσαι, ὅτως ἐμβρόνταῖος ἦν: dum alia non minus incerta à ſe audita memoravit *Greg. Nazianzenus Orat.* IV. Sed certiora ſunt quæ idem *Theodoretus Cap.* 28. ſubjecit de publica lætitia & feſtivitate Antiochenorum ad Juliani mortem, in qua memorabiles eorum voces memoriæ poſteritatis omnis commendare voluit, πᾶς σε τὸ μαντεῖον, μάξιμε μωρὲ; ἐνίκησεν ὁ θεὸς καὶ ὁ χριστὸς αὐτοῦ. Concluſio noſtra eſt ex iis quæ præmiſimus, certa præ incertis, eum vere ſe Redivivum demonſtraſſe, qui in ſpeciem victus ab hoſtibus per mortem illatam, eo modo potentiſſimo partim per correctionem partim per perditionem ſe illis potentiſſimis longe ſuperiorem oſtendit & potentiorem deinde, hunc vere & certiſſime revixiſſe.

Sed & ſimiliter in Gen.

VII. Sed quid hæremus apud Homines Singulares? Videamus

mus potius & magis deletam ab ipso Redivivo *Gentem totam Judæorum* cum eorum *Civitate*. In quam rem legi inter alios meretur *Eusebius Lib. II. Cap. 6.* ubi ex laudato *Philone & Josepho* refert, quæ sub Tiberio & Cajo contra Judæos fuere gesta primum, & deinceps concludens; ὡς οὐδαμῶς ἐξ ἐκείνου διέλιπον τήν τε πόλιν καὶ τὴν ἰουδαίαν ἅπασαν στάσεις καὶ πόλεμοι καὶ κακῶν ἐπάλληλοι μηχαναὶ, εἰσότε τὸ πανύστατον ἡ κατὰ οὐεσπασιανὸν αὐτοὺς μετῆλθε πολυορκία· ἰουδαίους μὲν οὖν ὧν κατὰ τοῦ Χριστοῦ τε τολμήκασι ταύτη πη τὰ ἐκ τῆς θείας μετήει δίκης. Nec opus est, ut per gradus varios deletam funditus Gentem & Terram Judaicam cum Metropoli sua heic prolixe ex *Josepho*, *Eusebio*, aliis exhibeamus; juxta mala omnia usque in hodiernum diem insecuta, à Flavio Vespasiano & Filio Tito, Trajano dein, & maximè Hadriano; quæ nemo legat absque animadversa in istis Divina Vindicta ob scelera inhumana, quale præ aliis fuit insana crudelitas in Vitæ Autorem ipsum commissa per fœdam illi necem illatam. Graviter loquentem lubet audire *Tertullianum Apol. Cap.* XXI. *Judæis erat apud Deum gratia, ubi & insignis justitia, & fides originalium auctorum, unde illis & generis magnitudo, & regni sublimitas floruit, & tanta felicitas, ut Dei vocibus quibus edocebantur de promerendo Deo & non offendendo præmonerentur. Sed quanta dereliquerint*, (si non, *deliquerint*,) *fiducia patrum inflati ad declinandum derivantes à disciplina in profanum modum, etsi ipsi non confiterentur, probavit exitus hodiernus ipsorum; dispersi, palabundi, & cœli & soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine sine Deo rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. Cum hæc illis sanctæ voces præminarentur, eadem fere semper omnes ingerebant, fore ut sub extimis curriculis seculi ex omni jam gente & populo & loco cultores sibi adlegeret Deus multo fideliores, in quos gratiam transferret pleniorem quidem ob disciplinæ auctoris capacitatem. Venit igitur qui ad reformandam & illuminandam eam venturus à Deo prænunciabatur Christus ille Filius Dei. Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter & magister, illuminator atque deductor generis humani, Filius Dei annunciabatur &c.* Scilicet post Impietatem & Injustitiam omnem aliam diu exercitam, post sanguinem Justorum & Prophetarum dehortantium copiose & diu fusum, ipsum à Patri-

tem Judæorum incredulorum totam, ipsius ira perditam.

bus desideratum Messiam cum adesset conspicuus hi spreverunt, nolentes hunc admittere Regem, imo ad Crucis necem hunc adigentes. Et hoc fuit crimen illud, quod Judicii promeriti moram aut mitigationem ulteriorem non admittebat, sed celerem & plenam vindictam in eos postulabat, Domino justissime præcipiente ut coram ipso jugularentur, hujusque sanguine super eos veniente. Confer 1 *Thess.* II. 15. 16. τ̃ κ̀ τ̀ κύριον ἀποκτεινάντων Ἰησοῦν, κ̀ τοὺς ἰδίους πρ̃φήτας κ̀ ἡμᾶς ἐκδιωξάντων, κ̀ θεῷ μὴ ἀρεσκόντων, κ̀ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων &c. εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας πάντοτε, ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλ⊙. Utique, ut concludamus hoc argumentum, vivit ille post mortem, qui mortem tam acerbam intulit occisoribus suis consequenter, atque sic implevit id quod in parobola ipse præmonuerat agricolas, qui post trucidatos servos complures manus sceleratas à Filio trucidando non abstinuerant *Matt.* XXI. 40. *&c. Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? dicunt illi,* κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτοὺς, κ̀ ἀμπελῶνα ἐκδώσεται ἄλλοις γεωργοῖς &c. Λέγω τοῦτο λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀρθήσηται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τ̃ θεοῦ, κ̀ δοθήσεται ἔθνει ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτ̃ς· κ̀ ὁ πεσὼν ἐπὶ τ̀ λίθον τοῦτον συνθλασθήσεται, ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ λικμήσει αὐτόν. Ut non sit quod miremur, quæ ipse Titus ad Urbem à se occupatam dixisse fertur à *Josepho Lib. VI. de B. Jud. Cap.* 9. παρελθὼν δὲ τίτ⊙ εἴσω, τά τ' ἄλλα τ̃ ὀχυρότητ⊙ τ̀ πόλιν κ̀ τ̃ πύργων ἀπεθαύμασεν, οὓς οἱ τύραννοι κ̃ βρενθυλάβειαν ἀπέλιπον· κατιδὼν γοῦν τό τε ναὸν αὐτῶν ὕψ⊙, κ̀ τὸ μέγεθ⊙ ἑκάστης πέτρας, τήν τε ἀκρίβειαν τ̃ ἁρμονίας, κ̀ ὅσοι μὲν ἦρ⊙, ἡλίκοι δ' ἦσαν τ̀ ἀνάτασιν, σὺν θεῷ γ' ἐπολεμησάμην, ἔφη, κ̀ θεὸς ἦν ὁ τ̃ δὲ τ̃ ἑρυμάτων ἰδαλίας καθελὼν, ἐπεὶ χεῖρες τε ἀνθρώπων ἢ μηχαναί τί πρ̀ς τούτους τοὺς πύργους δύνανται· τότε μὲν οὖν πολλὰ τοιαῦτα διελέχθη πρ̀ς τοὺς φίλους.

Quin & in Imperium Romanorum Gentile, per Constantinum & Successores deletum.

VIII. Si vero pessime de Christo meriti Judæi ejus ex morte Redivivi iram gravem senserint, sentiantque in præsentem diem, annon idem obtinuisse inculcandum & agnoscendum est in Romanis olim rerum dominis? Quid enim non factum est ab his in Christi nomen, post ejus fata? tum per Judæorum impulsum, tum per propriam superstitionem & impietatem, ut illud de seculo deleretur, atque ipsius Vita,

nova

nova poſt mortem non crederetur in mundo. Blaſphemias ſpectamus intolerandas in ipſum, quas eructarunt magni & parvi, à Sapientibus ſuis acceptas; Calamitates omnes hinc à Chriſtianis maligniſſime derivatas; & Perſecutiones porro truculentas in innocuos & benefico» ſine commiſeratione ulla per ſecula continua, cum propoſito & ſpe illorum æque quam Magiſtri & Regis Magni nomen exſtirpandum fore. Quæ omnia adeo ſunt nota, ut non opus ſit vel Hoſtilium cum populis ſuis Imperatorum & Præfectorum nomina inde à Nerone, *execrabili & nocenti Tyranno* apud *Lactantium*, vel Modos & Inſtrumenta ſævitiæ enumerare, vel Martyrum pro Chriſti nomine vere innumerabilium per orbem multitudinem celebrare. Sed, ſi diu duravit Divina in hos longanimitas, ad Chriſtianorum illuſtre exercitium æque quam impiorum convictionem, manifeſtata tamen eſt tandem cœlitus ira laceſſiti Domini ſeveriſſima; quando Gentilibus Tyrannis excuſſum fuit ita Sceptrum, ut Imperium illorum prorſus corruerit, atque Eccleſiæ Chriſtianæ ceſſerit per ſucceſſivos gradus plene, ſecundum veteres etiam Prophetias. Quam rem fuiſſe à Domino noſtro Redivivo peractam, ipſe hic extraordinaria prorſus viſione, una & altera, teſtatus eſt Conſtantino pridie debellationis Maxentii, atque exceptionis ipſius lætæ à Senatu Populoque Romano; ſecundum ea quæ narrantur ab *Euſebio*, *Lactantio*, *Socrate*, *Sozomeno*, *&c.* Ita nempe habet primus ille, ante alios idem dicentes, *Lib. I. de Vita Conſt. Cap.* 28. 29. *&c.* Ἐυχομένῳ δὲ ταῦτα ἅμα λιπαρῶς ἱκετεύοντι τῷ βασιλεῖ θεοσημία τις ἐπιφαίνεται παράδοξοτάτη· ἣν τάχα μὲν ἄλλῳ λέγειν οὐ ῥάδιον ἦν ἀποδέξασθαι, αὐτῷ δὲ τῷ νικητῷ βασιλέως, τοῖς τε γραφὴν διηγουμένοις ἡμῖν μακροῖς ὕστερον χρόνοις, ὅτε ἠξιώθημεν τῆς αὐτοῦ γνώσεως τε καὶ ὁμιλίας ἐξαγγείλαντος, ὅρκοις τε πιστωσαμένου τὸν λόγον, τίς ἂν ἀμφιβάλοι μὴ οὐχὶ πιστεῦσαι τῷ διηγήματι; μάλιστα ὅτε καὶ ὁ μετὰ ταῦτα χρόνος ἀληθῆ τῷ λόγῳ παρέσχε τὴν μαρτυρίαν. Ἀμφὶ μεσημβρινὰς ἤδη τὰς ἡμέρας ἀποκλινούσης, αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν ἔφη ἐν αὐτῷ οὐρανῷ ὑπερκείμενον τοῦ ἡλίου σταυροῦ τρόπαιον ἐκ φωτὸς συνεστάμενον, γραφήν τε αὐτῷ συνῆφθαι, λέγουσαν ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ· θάμβος δ' ἐπὶ τῷ θεάματι κρατῆσαι αὐτόν τε καὶ τὸ στρατιωτικὸν ἅπαν, ὃ δὴ στελλομένῳ οἱ πορείαν συνεῖπετό τε καὶ θεωρὸν ἐγίνετο θαύματος. Καὶ δὴ διαπορεῖν πρὸς ἑαυτὸν ἔλεγε,

ἔλεγε, τί ποτε εἴη τὸ φάσμα· ἐνθυμουμένῳ δ' αὐτῷ, καὶ ἐπὶ πολὺ λογιζομένῳ νὺξ ἐπῄει καταλαβοῦσα, ἐνταῦθα δὴ ὑπνοῦντι αὐτῷ τὸν Χριστὸν τοῦ θεοῦ σὺν τῷ φανέντι κατ' οὐρανὸν σημείῳ ὀφθῆναι τε καὶ παρακελεύσασθαι, μίμημα ποιησάμενον τοῦ κατ' οὐρανὸν ὀφθέντος σημείου, τούτῳ πρὸς τὰς τῶν πολεμίων συμβολὰς ἀλεξήματι χρῆσθαι &c. Ἦν δὲ τοιῷδε σχήματι κατεσκευασμένον &c. Καθ' οὗ τὸν σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον, δύο στοιχεῖα τὸ Χριστοῦ παραδηλοῦντα ὄνομα διὰ τῶν πρώτων ὑπεσήμαινον χαρακτήρων, χιαζομένου τοῦ Ρ, καὶ τὸ μεσαίτατον &c. Τούτῳ μὲν τῷ σωτηρίῳ σημείῳ πάσης ἀντικειμένης καὶ πολεμίας δυνάμεως ἀμυντηρίῳ διαπαντὸς ἐχρῆτο βασιλεὺς, τῶν τε στρατοπέδων ἁπάντων ἡγεῖσθαι τούτου ὁμοιώματα προσέταττεν. Quorum loco cum *Lactantius Cap.* XLIV. *de Mort. Persecut.* breviter scripserit; *Commonitus est in quiete Constantinus, ut cœleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prælium committeret; fecit ut jussus est, & transversa X litera summo capite circumflexo Christo in scutis notat; quo signo armatus exercitus capit ferrum &c.* Non male notavit *Steph. Baluzius, hæc ita intelligenda esse, ut Christi Monogramma circumflexum fuerit in capite labari, ut videmus in Nummis veteribus.* Sed minime capio, quo pacto *Doct. & Ampl. Gisb. Cuperus* heic annotare potuerit; *Lactantium si sequimur, certum est, Constantinum vigilantem hoc signum non vidisse in cœlo.* Qui enim unum memorat factum posterius, is alterum prius, quo hoc etiam nititur, minime eo ipso negat sed potius firmat. Nec satis percipuo, quid aliud heic ab initio voluerit *Ioh. Columbus; Si bona cum pace secus sentientium licebit mihi in hoc aliquid autumare, existimo, Apparitiones Duas secundum loca modum & tempora multum diversas misceri in unam.* Dum aliena magis sunt quæ subjecit proxime idem; *Cum Iulianus cœlestis sacramenti desertor nefarius gregem Dominicum vafritie pariter & crudelitate summa vastaret, inque eum rabiem quoque Iudæorum concitaret, non in vestimentis modo hominum, uti testantur plurimi, sed & in cœlo Signum Crucis & hoc quidem splendidissimam in faciem emicuisse, narrant auctores non levis fidei. Ex quibus audiamus si placet unum, Nazianzenum nempe, notæ sanctitatis & constantiæ patrem. Invectiva in Julianum II. is loquitur;* Ὁ δὲ ἔτι τούτου παραδοξότερον καὶ περιφανεστέρον, ἔστη φῶς ἐν τῷ οὐρανῷ τὸν σταυρὸν περιγράφον, καὶ τὸ πρότερον ἐπὶ γῆς ἀτιμαζόμενον,

ζόμενον, τοῖς ἀθέοις ἢ σχῆμα ἢ ὄνομα νῦν ἐν οὐρανῷ δείκνυται πᾶσιν ἐπίσης, ἢ γίνεται τρόπαιον τῷ θεῷ τ ἢ τ ἀσεβῶν νίκης τροπαίου παντὸς ὑψηλότερον, πρὸς ταῦτα τί φήσουσιν οἱ ξ αἰῶνος τούτου σοφοί; &c. *Hoc ſi reclamante veritate ſcripſiſſet Gregorius, eopſe propemodum tempore quo facta ferebantur, quam male conſuluiſſet pietati Chriſtianæ? Mea igitur opinio eſt, vidiſſe quidem etiam Conſtantinum Crucis figuram, in ſomnio nimirum divinitus profecto. Sin vero vidiſſet etiam in cœlo, vix tacuiſſet hoc loco tam opportuno Nazianzenus, vix omiſiſſet Lactantius, aut certe clarius & magis dilucidè narraſſet. Poſſet etiam dici ſatis viſum Deo, pium Imperatorem & ad fovendam religionem ſanctam impigre omnia facientem apparitione gratioſa per quietem monere atque inſtigare; Paganis vero & Judæis ad diſturbandos impios conatus majore opus fuiſſe terrore. Sed veniam mihi dent altius hæc rimari atque excutere ſoliti, ſi non ſatis perite videor in his verſari.* Quamquam meliora tunc iterum addat; *Euſebium fuſius de viſo iſthoc diſſerentem cum forte legerem, videbar mihi tempus quo contingeret illud Conſtantino videre clarioribus ab Euſebio ipſo verbis deſignatum, quam viſum id eſt Interpretibus Viris me partibus multis doctioribus. Ait Euſebius,* ἀμφὶ μεσημβρινὰς ἡλίου ὥρας, ἤδη τ ἡμέρας ἀποκλινούσης, *hoc Imperatori monſtratum fuiſſe. Nec multo aliter vel Nicephorus, vel Socrates, Zonarasve. Pugnare videntur illis hæc duo, de Meridie, ſive circa Meridianas Horas, & Inclinante in veſperam Die, cum ſint eadem &c. Ex his patet, Euſebium iſthic non ſcripſiſſe pugnantia, ſed Meridiem dici apud Veteres etiam Horas Occaſum ſolis propius antecedentes &c.* Habent utique iſta, uti apud *Euſebium* clare & late deſcripta ſunt, longe majorem certitudinem, quam ſimilia quæ adjecit *Nicephorus Lib. VII. Cap.* XLVII. facta nempe ante pugnam cum *Byzantiis*, quando conſilii inops viderit ille, ſicut Romæ contra Maxentium pugnaturus, γραφὴν δι' ἀστέρων *dicentem, invoca me in die tribulationis tuæ &c.* & mox *Crucem* ἀστράσιν ἐσημειωμένην ἐν οὐρανῷ, ἢ γραφὴν περικύκλῳ ταῦτα λαγορεύουσαν, ἐν τούτῳ τῷ σημείῳ πάντας νικήσεις τοὺς πολεμίους: & perinde *Cap.* XLIX. factum ante *Scytharum* ſubjugationem, ξ σωτηρίου ὅπλου πάλιν φανέντος ἐν οὐρανῷ ἢ τ νίκην μνηστευσαμένου καθὰ ἢ τὸ πρότερον. Dum ad narrationis *Euſebianæ* firmamentum majus conferri merentur

tur quæ ipſe habet *Hiſt. Eccl. Lib. IX. Cap. 9.* de *Statua in celeberrimo Romæ loco*, Conſtantino à Romanis dedicata, quæ *dextra teneret τὸ σωτήριον ξύλον σημεῖον*, & mandata à Conſtantino ſubſcriptione hac Romana, *hoc Salutari Signo, quod veræ virtutis inſigne eſt, veſtram Urbem Tyrannicæ dominationis jugo liberatam ſervavi, Senatui Populoque Romano in libertatem aſſerto priſtinum decus nobilitatis ſplendoremque reſtitui.* Et quod ad Signum à Conſtantino viſum attinet, id etiam ex Labaro ſecundum illud facto conſtat habuiſſe per transverſas lineas quandam Crucis figuram, ſed ſimul & magis Literas Initiales Servatoris noſtri ΧΡ in ſe invicem ductas. Unde voces illæ adjectæ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, vel apud *Socratem* & alios, *ἐν τούτῳ νίκα*, ſive Græce ſive *ῥωμαϊστὶ Φωνῇ*, vel *ῥωμαϊκοῖς στοιχείοις*, *in Hoc vince*, uti notavit cum *Philoſtorgio* etiam *Joh. Zonaras*, nos non tam ducunt ad Signum Viſum, vel Crucis ſolitæ, vel aliud quodcunque de quo in uſum militarem formando nihil utique ab initio dictum fuit, quod Papiſticæ Superſtitioni firmandæ fecit dudum; quam ad Chriſtum Crucifixum ipſum, quem illud Χ & Ρ contractum deſignabat, verius quam vel Regem *Unctum* communiter, vel *χρησμὸν* aut *χρηστήριον* Hammonis Libyci. De quibus vide noſtrum *Cel. Spanhemium*, qui tradit hoc Monogramma à Chriſtianis adhibitum ante Conſtantinum in literis ſignandis tanquam *Ἀλεκτικόν* quoddam. Qui ſic, olim contemptiſſime habitus, commendatus fuit ut Autor Victoriæ contra Infideles obtinendæ, & Romani Imperii Veteris conſequenter delendi, in vindictam impietatis exercitæ. Quod illud ipſum eſt, quod nos heic impræſentiarum ſpectamus, & ab aliis omnibus ſpectari volumus. Et quod perinde inſinuatum fuit, ſi heic legere lubeat *in hoc ſigno vince*; cum illud Signum eſſet Chriſti crucifixi, ad cujus vim principalem illud ducebat.

Exceptio ad hoc Argumentum gemina breviter enervatur.

IX. Alios Hoſtiles Populos complures mittimus, ſive deletos dudum juxta Judæos & Romanos, ſive adhuc delendos ſecundum Vaticinia, à Redivivo Domino noſtro. Et verbo adhuc hujus Argumenti noſtri vim pro Reſtituta ei Vita tuemur. Ad quod *Duo* potiſſimum *excipi* poſſe videntur. *Primum* quod illa, quæ Diſcipulis Domini, hujusque Hoſtibus, Singularibus & Populis, Judæo & Romano, contigerunt poſt Domi-

Domini deceſſum, non ſint Chriſto ut Autori tribuenda, ſed habenda, ſi non pro magis vel minus ſolitis *Naturæ Eventibus & Mundi* rerumque in eo *Viciſſitudinibus*, utique pro directionibus *Divinæ Providentiæ*, quibus ipſe Deus de cœlo teſtatus ſit dè Chriſto impiè trucidato ſine hujus Reſuſcitatione ulla inſecuta Perſonali. *Deinde*, quod & ea *Jeſu* licet in Morte manenti poſſint tribui ut Autori; tum reſpectu *Deitatis* ſuæ, quam nos illi tribuimus, & per quam etiam potentiſſime ſit operatus dum mortuus eſſet illa quæ tunc contigerunt; tum & ratione *Animæ*, quæ immortalis ſupereſſe creditur dum corpus in pulverem converſum eſt, & manet, aliorum quoque hominum. Enimvero, ſi talibus argutiis ſe faſcinari patiatur Mundus cæcus incredulus & impurus, id iſtæ præſtare neutiquam poſſunt in Mentibus Illuminatis per Spiritum Chriſti, & ad Solis hujus radios attendentibus cum veneratione religioſa. Dum enim diſputamus heic de Veritate Reſurrectionis Dominicæ, vix nobis rem eſſe volumus cum hominibus planè Atheis; qui Dei loco Naturam habentes, & hanc ſub Dei nomine obtrudentes, inaniter putant ſe *Deiſtas* potius quam Atheos eſſe dicendos, ad opprobrium hoc apud imperitos à ſe arcendum; & cum quibus tractatio aliter quadantenus eſſet inſtituenda. Dum præter impreſſum mentibus Deitatis ſupremæ Senſum, quotidiana certiſſime Deus dat teſtimonia ſuæ *Providentiæ* in minimis & maximis omnibus mirabilia; atque illuſtri modo hanc conſpicuam facit, in Extraordinariis non tantum caſibus quos ad Miracula neceſſariò referimus, ſed & in Eventibus aliis ſingulariſſimis, quales heic cum prioribus junctos exhibuimus. Quam Providentiam Dei conſequenter & nos heic, in negotio Chriſti Redivivum ſe monſtrantis per Opera ſua in Eccleſiam & Hoſtes ejus, veneramur quam maxime; ſed ita, ut Chriſto tanquam Autori Principali cum Patre, & tanquam Inſtrumento reſpectu ſuæ Humanitatis, (ſi ita ſatis commode dicere liceat,) ſuum tribuamus, ſecundum variam Scripturæ phraſin, in ipſa Reſuſcitatione Paſſiva & Reſurrectione Activa, una cum Glorificatione ulteriori, pariter Chriſto tributa. Cui ut ſatisfiat, non poſſumus heic apud Providentiam Dei Patris ſubſiſtere, ad quam Filius Nudus Homo, & quidem in Morte

nens, ſe mere paſſive habeat juxta cum aliis creaturis communibus. Ex adverſo, quod Pater heic agit, agit & Filius ſimiliter, vi Ejuſdem Eſſentiæ & Perfectionis; quodque Deus per Filium ut Mediatorem Θεάνθρωπον ſe acturum ordinavit, & prædixit, quin & agere incepit oportune, convenienter ſuis perfectionibus, idem & ille ſic exſequitur conſtanter. Quod deinde ſpectat ad Eventus illos adductos, tribuendos ſoli, ſive Deitati Chriſti, ſive ejus Animæ ſeparatæ à Corpore in morte & corruptione manente; hoc utrumque non magis convenit cum hypotheſibus Infidelium propriis, dum noſtras theſes conjunctas divellere à ſe invicem non debent illi, quam cum Euangelica narratione, ad quam nobis attendendum eſt, & contra quam temere ſe opponunt Infideles. Neque enim hi, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive alii etiam ſimiles, agnoſcunt; vel veram Chriſti Mediatoris Deitatem, qua admiſſa non forent ipſi amplius admodum difficiles in admittenda ejus Reſurrectione ſecundum Humanitatem; vel illam ſolius Animæ ejus ſeparatæ Virtutem in ſuos Diſcipulos & Hoſtes, quæ in Eventibus adductis eſt exercita. Atque illos ipſos, ſi vel in ſe ſpectati poſſent non incommode deduci ſive à Deitate ſive ab immortali Anima ipſius, videmus tamen ſeu explicite ſeu implicite repeti ab ipſo, non tantum ut Deo, aut ut Homine Mortuo, ſed omnino ut Theanthropo, ſecundum Humanitatem totam quoque Redivivo, cui ſic aptiſſime ad Dei gloriam ipſiusque decus decens conveniunt. Quod hinc non rejiciendum erat ſimpliciter per Incredulitatem, ſed falſitatis convincendum, ſi fieri poſſet unquam per Satanæ & Mundi qualemcunque aſtum, dum id hactenus minime factum deprehenditur.

## CAPUT QUARTUM.

### *Quo tranſitur ad Reſurrectionis Dominicæ Veritatem amplius aſſerendam ex ejus Prædictionibus Antiquis.*

Uti Vaticinia per Hiſtorias, ſic

Interim ad mutuum Firmamentum valent plurimum *Vaticinia* de Futuris & *Hiſtoriæ* de Factis. Quid enim magis

gis certum reddat hominem de Vaticiniorum Divina Origine & Veritate Infallibili? quam quandò ex Eventu palam cernit, res minimè in se neceſſarias ſed contingentes admodum & plane liberas, in quarum Præſcientiam ſatis certam nulla mens creata penetret, ita fieri ſuo tempore, etiam quoad modum & circumſtantias omnes, uti antea erant prædictæ. Et quid majorem in homine operetur Certitudinem de Eventu potiſſimum maximo atque etiam incredibili ſecundum Naturæ Curſum ſolitum? quam quod adſint Vaticinia præcedentia de illo etiam extra ordinem operando à Deo, quæ fallere nequeant, quæque hinc non minus ſint ab omnibus admittenda, quam alias facta ordinaria ſimilia ſolent. Quæ obſervatio in primis locum habet in negotio Euangelii, de Chriſto, tum Exinanito, tum & Exaltato. Prius caput nempe fidem facile reperit in mundo Incredulo, reſpectu Rei ipſius, uti eſt Nativitas ejus tanquam hominis egena, Vita ærumnoſa, & Mors acerba, cum Sepultura ſolita ad corruptionem ducente alias certo; ſed non capit Mundus ille, hæc convenire Perſonæ Divinæ, ad communem Electorum ſalutem temporalem & æternam operandam deſtinatæ, in quam hinc cum fiducia debita ſit credendum ut talem, atque eadem Chriſtianis objicit non ſine illuſione fidei horum multiplice. Hinc ad ejus Convictionem adducuntur Prædictiones, ſecundum quas *oportuit hæc pati Chriſtum.* Verum poſterius Caput Euangelii ipſum rejicit Incredulitas, eum Hominem, & quidem Miſerum, Vilem, Afflictum, & Oppreſſum ad mortem & ſepulchrum, Revixiſſe ſatis celeriter, & Exaltatum eſſe conſequenter ad ſummam Sedem æque quam gloriam. Hinc ut illud credatur, eundum fuit, & itum eſt ab Apoſtolis, ad Prædictiones Veteres, quæ dudum antea ſignificaverant ſimul, *oportuiſſe Chriſtum ingredi in gloriam ſuam*, atque ita non minus *ſecundum Scripturas eſſe* Jeſum *ſuſcitatum*, quam mortuum pro peccatis noſtris. Quo pacto & mox egit Petrus in die Pentecoſtes, tam reſpectu Effuſi Spiritus, quam Domini Redivivi, *Act.* 11. 16–18. 24. 25. *&c.*

& Hiſtoriæ per Vaticinia maximè firmantur, quod & in Hiſtoria Reſurrectionis Chriſti obtinet,

II. Apoſtolicum nunc ergo ſequimur Exemplum illud, & laudamus pro Veritate Reſurrectionis Chriſti *Vaticinia*, quæ ante Eventum de hac præceſſerunt, tum *Verbalia*, tum & *Rea-*

Ubi nunc ſpectamus, non tam ad ipſas Chriſti

prædictiones, quàm istas Veterum antiquiores.

*Realia*, quæ sub nomine *Typorum* venire communiter solent. *Vaticinia* verbalia cum dicimus, non jam spectamus adeo ad illa *Christi ipsius*, ante mortem prolata ab ipso, quæ ab Euangelistis & Apostolis nobis exhibentur in suis scriptis, quam ad illa quæ alii Vates ante ipsum nobis dederunt. Quemadmodum priora jam adduximus antea ex *Matt.* XVI. 21. XVII. 23. XX. 19. *Luc.* XXIV. 6. 7. *&c.* Atque ista in disputatione contra Judæos, Gentiles, & alios Incredulos, non quidem videntur plane negligenda, quatenus arguunt ipsius Domini Præscientiam, & Lubentiam in Malis omnibus subeundis cum hujus argumento ex felici Eventu, secundum *Hebr.* XII. 2. ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν, ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρὸν, αἰσχύνης καταφρονήσας, *&c.* sed nec validissime, nedum primo aut unice, urgenda in rem præsentem, ob rationem geminam. Quarum una est, quod ipsius Jesu Autoritas infallibilis, seu jam Humana tanquam Prophetæ à Deo missi, seu & magis Divina, sit quidem explorata & agnita apud Christianos, qui hinc & ob hanc Resurrectionem ejus credere debent præ aliis, & actu ipso credunt; sed neutiquam perinde apud Incredulos, qui ipsum minime habent pro Propheta vero, nedum pro Deo ipso, sed pro Homine deceptore, qui hinc inani spe & voce, tum se ipsum, tum & Discipulos suos, fallere equidem potuerit. Altera deinde, quod & heic ipsa Domini Prædictio de sua Resurrectione nobis non constet nisi ex Discipulorum Fide, qui nobis ipsam Resurrectionem ejus heic confirmandam perinde tradiderunt, & de quorum Veracitate est cum Incredulis maxima controversia, dum hi illos pro deceptoribus quoque vel certe pro deceptis habent. Ex quo eodem fundamento minus solida est Demonstratio Veritatis Narrationum Euangelicarum quarumvis ex Circumstantiis quæ illic additæ leguntur, quam diu Divina Euangelistarum & Infallibilis Autoritas in ipsorum Scriptis non est plane demonstrata; siquidem illæ aliunde non constant, & qui decepti fuerint aut deceperint in re ipsa, etiam in his decipi vel decipere potuerint satis facile.

Non jam quæ ut Prophetica

III. Vaticinia autem ista Christi ipsius uti non valent apud Incredulos à Christiano nomine alienos; sic neque apud Christianos

ſtianos ipſos magis quam apud Incredulos valere poſſunt quæcunque ſub horum nomine minus vel magis verè circumferuntur *Oracula*, non profecta à Deo, ſed vel à Satana, vel ab Humana Fraude, antiquiori aut recentiori, vel etiam à Traditione vana & fallaci. In iſtis enim omnibus deeſt Fidei Fundamentum certum & neceſſarium, quod conſtituit Infallibilis & Abſoluta Dei loquentis Autoritas. Atque hinc eſt, quod valere heic jubemus Traditiones omnes Judæorum Incertæ Originis, & ſæpe etiam Significationis, quas pro ſe laudant Chriſtiani haud infrequenter, ſed vel non agnoſcunt vel aliter longe capiunt Judæi, nunquam à nobis convincendi ſatis feliciter. Et perinde mittimus Gentilibus tributa Oracula, quæ ad longe aliud quam ad Euangelium ab illis fuere relata, vel & illis obtruſa per Chriſtianorum ſic appellatam piam fraudem. Quo alterutro modo, judicandum eſt de *Cumæo Carmine* apud *Virgilium Ecloga IV.*

apud Gentiles fuere celebratæ, & plurimum confictæ, vel ex incerta traditione hauſtæ.

*Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,*
*Irrita perpetua ſolvent formidine terras.*
*Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit*
*Permiſtos heroas, & ipſe videbitur illis,*
*Pacatumque reget Patriis virtutibus orbem &c.*
*Aggredere ô magnos, aderit jam tempus, honores,*
*Cara Deum ſoboles, magnum Jovis incrementum, &c.*

Nec non de *Sibyllinis Oraculis* plurimis, quorum & *Lib. VIII.* poſt expoſitam Chriſti Vitam & Mortem leguntur Verſus iſti;

Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας,
Καὶ τότ' ἀποφθιμένων ἀναλύσας εἰς φάος ἥξει,
Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας,
Ἀθανάτου πηγῆς ἀπολουσάμενοι ὑδάτεσσι
Τὰς πρότερον κακίας, ἀναγενηθέντες ἄνωθεν,
Μηκέτι δουλεύουσιν ἀθέσμοις ἤθεσι κόσμου.
Πρῶτα δὲ τοῖς ἰδίοις φανερὸς τότε κύριος ἔσται,
Σάρκινος, ὡς πάρος ἦν, χερσίν τε ποσίν τ' ἐπιδείξει
Τέσσαρα τοῖς ἰδίοις ἴχνη πηχθέντα μέλεσσιν,
Ἀντολίην, δύσιν τε, μεσημβρίαν τε, καὶ ἄρκτον,
Τοσσαῖδε γὰρ κόσμου βασιλήϊδες ἐκτελέσουσι
Πρᾶξιν τὴν ἀθέμιτον ἐπίψογον εἰς τύπον ἡμῶν, &c.

Αὐτὸν σε γινώσκειν θεὸν, θεοῦ υἱὸν ὄντα,
Αὐτὸν δοξάζουσα, ἣν ἐν στέρνοισιν ἔχουσα &c.

Etiamsi enim ista, & ex istis etiam *Acrostichis* nota, ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΩΣ ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ, magnopere laudentur à *Veteribus* nonnullis, ipso quam maxime *Constantino M.* apud *Eusebium Cap. XVIII. &c.* disputante, quod Deus Sibyllam Erythræam elegerit *Prophetissam suæ in nos providentiæ*, quodque veritas hæc in propatulo sit ex temporum serie, quando constet, *Ciceronem* ἐντετυχηκότα τῷ ποιήματι μετενεγκεῖν τε αὐτὸ εἰς τὴν ἰωμαίων διάλεκτον, ἢ συντάξαι αὐτὸ τοῖς ἑαυτῶ συντάγμασι, *&c.* ex ipsa tamen lectione satis clarum est, illa non posse vere tribui Gentilibus Vatibus, tanquam multo clariora iis quæ apud Vates ipsos Hebræos leguntur, minime autem Christianismum *ex parte* tantum firmare, atque ἐγγὺς εἶναι δοκεῖν τὴν τῶν προφητῶν διδασκαλίας, uti *Justinus M.* scripsit *in Paræn. ad Græc.* imo ex ipsa Historia Euangelica plane videri transsumpta. Quod argumentum post alios plenius olim sumus & nos persecuti in *Dispp. Acad. de Sibyllinis Carminibus*, editis A. 1682. quas vide si libet.

Sed quæ Judæis in Vet. Test. Scripturis fuere olim traditæ à Deo ipso.

IV. Sed Vaticinia nos heic urgemus, quæ *Judaicis Veteris Fœderis Scripturis* continentur. Habuit enim illa Gens, inde ab Abrahamo & Mose, quibus antiquiora scripta nulla habemus nos, hoc privilegium, quod Deus, ex illa daturus Principem salutis, per missos à se Vates hunc descripserit illi, à Persona sua non tantum, sed & à Factis & Fatis omnibus, dimittens gentes alias usque ad tempus Novi Test. Habent hinc illa Sacra Judæorum Scripta emicantes undique & validè Divinitatis radios, quos agnoscant attendentes non prorsus cæci, atque commonstrant alias Christiani juxta Judæos, ad convictionem minus vel magis salutarem Gentilium. Quin etiam sunt illa Vaticinia constituta extra omnem fraudis Christianæ suspicionem; ubi Judæi Christianismi & Christianorum jurati hostes ita eadem amplectuntur, ut & nobis in manus tradiderint primum, & commendent etiamnum ampliſſime. Quod inter Veteres alios *Eusebius* etiam & *Augustinus* jam olim merito ursérunt latius.

Quæ variè rursus discriminati

V. Horum porrò Vaticiniorum, quæ ad Resurrectionem quoque Christi firmandam faciunt atque urgentur à Christianis,

nis, multiplex notari poteſt diſcrimen. Quale eſt ante omnia, quod quædam pauciora ſint nominatim laudata in eam rem ab ipſis Scriptoribus Novi Teſt. per quos ſic Chriſtianis invicte conſtat, eadem illuc omnino ſpectare; dum alia plura forte non minus deprehenduntur clara, quæ ſine laudatione ſimili θεοπνεύστῳ nos agnoſcere hinc debemus illuc omnino etiam eſſe referenda. Uti eodem modo ſe res habet in plurimis Euangelii capitibus, quæ Chriſtus & Apoſtoli firmarunt ex Moſe & Prophetis, ſed & ex aliis eorundem locis firmari validiſſime poſſunt, quæ illi non citarunt tamen, ſed propriæ noſtræ attentioni & induſtriæ ſapienter reliquerunt. Quale diſcrimen eſt deinde, quod quædam Vaticinia Reſurrectionem Meſſiæ exponant terminis Explicitis, hinc minorem contradictionem admittentia; dum alia eandem continent magis Implicite, ut per conſequentiam ex eis elici debeat, attamen non minus vere & ſolide, uti ſic Patrum piorum Reſurrectionem adſtruxit Chriſtus ipſe ex appellatione fœderali *Dei Abrahami, Dei Iſaaci, & Dei Jacobi Matt.* XXII. 31. 32. Quale diſcrimen eſt & tertio, quod quædam nos doceant Rem ipſam ſolam, absque Circumſtantiis quæ in Eventu obſervantur in Euangelio; dum alia etiam forte addunt Rei Circumſtantias has aut illas ſatis notabiles, ut ex harum collatione tanto magis Vaticinii & Hiſtoriæ veritas nobis conſtaret. Quale diſcrimen eſt & tandem, quod Vaticinia omnia etiam, laudata prò Chriſti Reſurrectione, vix æque ſint certa & ſolida in eam rem, ſed quædam non tantum communius ſed & rectius adducta, præ aliis quæ nec omnibus æque placent, nec forte cuiquam placere deberent, hinc nec urgenda nimium, niſi cum quodam fidei communis periculo, ubi illa fundamentis ſuperſtruitur minus aptis, ad quæ multiplicanda temere nihil eſt quod nos cogat equidem.

Hæc poſſunt & debent.

VI. Vaticiniis iſtis Verbalibus jungimus merito *Typos*, tanquam Vaticinia Realia ad confirmationem verbalium facientia. Ubi hinc in *Typorum* nomine ſpectamus ad hujus notionem non tam Latiorem & Scripturariam, quam Strictiorem & Theologicam; ſecundum ea quæ olim latius monſtravimus *EXERC. TEXT. XLII. Parte V.* Scilicet *Typi* prioris generis ſunt quævis Imagines, vel Similitudines, vel

Et quibus jungendi Typi, ſtrictius dicti, tanquam Prophetiæ Reales, varii rurſum generis,

Exem-

Exempla, vel Emblemata, qualia Deus, vel dedit unquam & dat etiamnum in Natura, vel potiſſimum dedit olim in populo ſuo diverſiſſimi generis, absque certa ulla Præſignificatione rerum perinde gerendarum ſub N. Teſt. in Chriſto & Eccleſia. Quali ſenſu v. g. eſt hodieque Sol per ſuas qualitates & operationes & apparitiones varias Typus Chriſti, & Luna Eccleſiæ, & Stellæ, ſeu Miniſtrorum ejus, ſeu & Fidelium quorumvis. Imo quali ſenſu ipſe Adam in Reatu per ipſius tranſgreſſionem inducto in omnes poſteros naturales eſt & dicitur Typus Chriſti; adducturi in credentes omnes juſtitiam pleniſſimam, cujus gratiæ tantæ Præſignificatio utique nec in ſtatu Integritatis, nec in ipſo Lapſus actu, ante Euangelicam promiſſionem locum habuit. Quod enim ad iſtos & ſimiles Typos attinet omnes, hi non ad probandum ſed ad illuſtrandum id quod probatum eſt aliud valent plurimum; & præterea rem qualicunque modo arguunt poſſibilem, ſed non perinde actu futuram vel factam eſſe, nec ulterius in hac cauſa conſiderari debent, quando conferri ſolent complures paſſim à Theologis. Dum alia longe ratio eſt Typorum, quos Deus jam olim ad tempora illa promiſſionis dedit & ordinavit in populo ſuo ad delineationem & confirmationem eorum quæ de Chriſto ipſiusque beneficentia promiſerat; eum in modum, quo Ritus Sacramentales nobis dedit ad gratiæ ſuæ obſignationem, quam præſtare nequeunt eidem plane extra Sacramentum, licet convenientia illic ſit eadem cæteroquin. Quales Typos certiſſime agnoſcere oportet, in Perſonis, Rebus, & Ritibus, Legalibus ſeu Ceremonialibus, inſtar Umbrarum ante Corpus præcurrentium conſiderandis, ſecundum Paulum *Col.* II. 17. *Hebr.* VIII. 5. X. 1. *&c.* etiam ut in & ex his conſtet Divina Sapientia & Bonitas infinita. Sed quales præterea in Rebus nonnullis, Perſonisque, & Eventibus ſingularibus, dedit olim in populo ſuo Deus; ſive id ſimul ſignificaverit clare & irrefragabiliter in Verbo ſuo, Prophetico vel Euangelico; ſive per prorſus inſolitum & ſupernaturale id nobis inquirendum, & ſi ita loqui licet conjiciendum ſatis veriſimiliter, reliquerit, in quibus eadem demonſtrationis vis non deprehenditur quæ in prioribus adeſt certiſſime, propter Dei potentiſſimi & conſtantiſſi-

tiſſimi abſolutiſſimam Infallibilitatem, in factis pariter & dictis ſuis.

## CAPUT QUINTUM.

*Quo pro Reſurrectionis Dominicæ Veritate diſputatur ex Pſalmo XVI. Verſſ. 8——11. ad exemplum Petri Actor. Cap. II. Verſſ. 25——32. & Pauli Actor. XIII. Verſſ. 34——37.*

Inter Vaticinia de Chriſti Reſurrectione, uti nullum eſt illuſtrius, quam illud Davidis in *Pſalmi XVI. Parte Ultima*, ita nec magis laudatum ullum in eam rem in Scriptis ſacris Novi Teſt. non jam à Viro aliquo uno Apoſtolico, ſeu Apoſtolorum Cooperario, ſed ab Apoſtolo gemino, inter alios excellente utroque, Petro & Paulo. Qui poſterior, cum ex Spiritus Sancti juſſu per Prophetas & Doctores Antiochenos juxta Barnabam ſeparatus eſſet, & advocatus ad opus ſuum, atque cum jejunio oratione & manuum impoſitione à Spiritu Sancto emiſſus, in gravi illa oratione publica apud Antiochenos Piſidiæ, & cum antea dixiſſet *Act.* XIII. 30. ὁ δὲ θεὸς ἤγειρεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, *&c.* ſubjecit *verſ.* 34. *&c.* ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, μήτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθορὰν *&c.* διὸ καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει, οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν, Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη, καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ, καὶ εἶδε διαφθοράν, ὃν δὲ ὁ θεὸς ἤγειρεν οὐκ εἶδε διαφθοράν. Dum prior, ipſo Die Pentecoſtes Spiritum Sanctum tam illuſtri & plane admirabili modo cum reliquis Apoſtolis nactus, & cum iis conſiſtens, ad congregatam Judæorum multitudinem magnam elata voce dixit poſt alia præmiſſa *Act.* II. *verſ.* 22. *&c. Viri Iſraëlitæ, audite verba hæc; Jeſum Nazarenum, virum à Deo demonſtratum in vobis virtutibus & prodigiis & ſignis, quæ per eum fecit Deus in medio veſtrum, ſicut & ipſi noſtis, hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditam accipientes,* διὰ χειρῶν

Præclariſſimum de Chriſti Reſurrectione Vaticinium in Pſalmo XVI. in hanc rem laudatum in Novo Teſt.

ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε, ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ, subjungens apertiſſime *verſ.* 25. Δαβὶδ γὰρ λέγει εἰς αὐτὸν, προορώμην τὸν κύριον, *&c.* & mox progreſſus addidit *verſ.* 29. ἄνδρες ἀδελφοὶ, ἐξὸν εἰπεῖν μετὰ παρρησίας πρὸς ὑμᾶς περὶ τοῦ πατριάρχου Δαβὶδ, ὅτι καὶ ἐτελεύτησε καὶ ἐτάφη, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης. Προφήτης οὖν ὑπάρχων, καὶ εἰδὼς ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ θεὸς ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστῆσαι τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, προϊδὼν ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ, ὅτι οὐ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν. Τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ θεὸς, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες.

Cujus exhibetur Analyſis breviſſima; nos ducens ad Gloriationem, tum de Præſenti, tum de Futuro verſ. 9. 10. 11.

II. Nempe *Pſalmus* ille *Sextus & Decimus* pro Inſcriptione ſua dicitur לדוד מכתם / *Davidis*, tanquam Autoris, etiam ab Apoſtolis agniti ut talis, *Aureum* carmen, ſive ob rerum & verborum excellentiam magnam, ſive & ob ejus in auro ſcripturam factam vel decentem. Et habet ille, ſecundum *Analyſin* ejus olim à nobis datam *EXERC. TEXT. XVII. Parte III.* tum *Precationem verſ.* 1——4. tum *Gloriationem*, partim *generaliorem verſ.* 5. 6. partim *ſpecialiorem*, unam *verſ.* 7. & alteram *verſ.* 8. & tandem tertiam *verſ.* 9. 10. 11. A qua altera cum incipiat citationem ſuam *Petrus*, cum applicatione εἰς αὐτὸν, *ad eum*, Meſſiam Jeſum Nazarenum, verborum iſtorum, προορώμην τὸν κύριον ἐνώπιόν μου διὰ παντὸς, ὅτι ἐκ δεξιῶν μού ἐστιν, ἵνα μὴ σαλευθῶ, aut uti Hebraice leguntur, *poſui Jehovam coram me jugiter, quia à dextra mea, non dimovebor*, hic breviter videtur eſſe ſenſus; quod *Sapientiam* cœleſtem à Jehovah nactus *verſ.* 7. *Sanctitate* immutabili huic quoque adhæreret, non modo in præſenti ſed & in futuro, per ſuum ad Jehovam proſpectum jugem, cum fiducia, reverentia, amore, & obſequio, atque per dextræ ſuæ apprehenſionem Divinam validam. Poſt quam Sapientiam & Sanctitatem, ex Dei communione fluentem, ſequitur *Gloriationis ſpecialis Pars Tertia*, eaque principalis, & principaliter heic à nobis ſpectanda; quam conſtituit *Lætitia* ex prioribus fluens, reſpectu *Præſentis* quidem *verſ.* 9. ſed & magis *Futuri*, in Reſurrectione ſcilicet certa *verſ.* 9—11. & *Beatitate* eam comitante vel conſequente *verſ.* 11. Ad præſens ſpectant

ſtant illa, in præterito propoſita recte, tanquam & ante vera, *verſ.* 9. *propterea lætatum eſt cor meum, & exultavit gloria mea,* Διὰ τοῦτο εὐφράνθη ἡ καρδία μου, καὶ ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσά μου, apud LXX. & *Lucam.* Quæ optime videntur accipi de Lætitia, non corporali ſed ſpirituali, interna ſimul & externa, eaque vere maxima, quæ in hac vita jam obtinet, atque nititur omninò illis, quæ præceſſerunt de Dei Communione, deque Sapientia & Sanctitate ex ea fluente; ſecundum illud לכן / Διὰ τοῦτο, *propterea*, quod tamen alii vellent potius referre ad illa quæ non præceſſerunt, ſed ſequuntur tanquam conſecutura aliquando ad vitæ hujus terreſtris finem, & quæ vere etiam ſunt magnum lætitiæ argumentum, *coll. Prov.* x. 28. *&c.*

III. Sunt utique Futura illa, quæ mox in *Futuro* tempore ſubjiciuntur cuncta, *poſitive* primum, dein *negative*, & tandem rurſus *poſitive*. Sic enim dicitur adhuc *verſ.* 9. *Etiam Caro mea morabitur in fiducia,* ἔτι δὲ καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι, apud LXX. & *Lucam.* In quibus nequit eſſe dubium, quin *mea*, gloriantis perſonæ, *Caro*, dicat ſynecdochicè Corpus ejus univerſum, cujus eſt pars magna, & mollior, hinc facilius diffluens; in oppoſitione ad animam incoream, non autem ad oſſa, nervos, cutim, vel & ſanguinem & ſuccum omnem. Quo modo & de *Carne* ſua locutus eſt Jobus *Cap.* xix. 26. *&c.* Et hæc Caro quando dicitur *moratura* per Hebræum verbum שכן / reſpectus eſt ſatis manifeſtus ad ejus manſionem, non equidem in Terræ hujus ſuperficie à vivis habitata ex Dei ordinatione ſapientiſſima, *coll. Act.* xvii. 26. *Pſal.* cxv. 16. *&c.* neque in Cœlo ſupremo, ad quod & ipſa illa Caro piorum erit olim verè aſſumenda, tanquam ad οἰκοδομὴν ἐκ θεοῦ, οἰκίαν ἀχειροποίητον αἰώνιον, atque τὰς αἰωνίας σκηνὰς, *coll.* 2 *Cor.* v. 1. *Luc.* xvi. 9. *&c.* ſed in Sepulchro, *domo conventas omnis vivi Job.* xxx. 23. *& domo ſeculi Eccl.* xii. 5. *&c.* Quin & aptum eſt illud verbum, ut nos ducat ad Manſionis ſeu Morationis iſtius, tum Quietem inactuoſam, oppoſitam vitæ hujus moleſtiis prioribus cunctis, tum maxime Durationem minime perpetuam ſed temporariam, poſt quam adeo ſerius vel ocyus exitus ex ea ſequetur certiſſime, *coll. Pſal.* xlix. 15. 16. *&c.*

Tum per verba illa; Etiam Caro mea morabitur in fiducia.

Unde & ad Morationem iſtam Carnis heic accedit; לבטח / ἐπ' ἐλπίδι, *in ſpe*. Quod ante alia dicit ſpei & fiduciæ fundamentum ſufficiens, ſeu ſtatum Tutum à perditione omni, externa vel interna quin & injuria hoſtili. Deinde vero quam maxime Securitatem hinc fluentem adverſus illa mala, atque Exſpectationem Vitæ novæ Carni tribuendæ; quæ proprie quidem magis competit Animæ, tanquam omnino conſciæ & cupidæ boni hujus ſociæ partis ſuæ, ſed & improprie ad Carnem ipſam referri poteſt, ad notandum immotam rei certitudinem, quæ ante mortem quoque toti competit homini. Hoc ipſum vero quandò per אף / ἔτι δὲ καί, *etiam*, vel *inſuper*, connectitur prioribus; non tantum valide ſic aſſeveratur; ſed & deſignat progreſſum à præcedentibus vitæ hujus bonis, ad quæ hoc erat conſecuturum; ſi non ſimul tacitam contineat relationem ad illud quod Anima exſpectandum habebat & exſpectabat, & per quod ſolum bonum exſpectatum non exhauriebatur ita ut partem nullam in eo haberet Caro.

Tum per ſequentia; Non derelinques animam meam in inferno.

IV. Quod non minor nec levior ſit ſenſus phraſios hujus poſitivæ, docent etiam negativæ duæ quæ ſubjiciuntur *verſ.* 10. Quarum prior eſt; *Non derelinques animam meam in inferno*. Ubi reperiri equidem poſſet etiam Reſurrectionis aſſertio, ſi ad Animam Rationalem heic ſpectaretur, tanquam ex inferno qualicunque reducendam, utique ad novam cum Carne unionem. Attamen à vero ſenſu multum divagari nobis quidem videntur, qui de ea cogitant heic Anima, quæ conſtituenda foret ſcil. ad tempus, ſeu in doloribus Inferni heic, ſeu in ipſo Inferno damnatorum, aut in hujus qualicunque vicinia, aut in communi aliquo mortuorum loco vel ſtatu, poſthac. Neque enim heic redit Pſaltes à Morte & Sepultura ad Vitæ præcedentis calamitates graviſſimas; neque vel Infernus damnatorum, vel aliquis hujus Limbus, vel commune aliquod Receptaculum inferius eſt, quod Animabus Piorum, nedum Chriſti ipſius, tribuere queamus aut debeamus, ſecundum ea quæ alias latius diſputantur, nec ad præſentem ſcopum noſtrum multum faciunt. Omnino interim rectior & tutior & contextui antecedenti ac conſequenti convenientior eſt interpretatio impropria *Animæ meæ*; non de Vita, aut Halitu, aut Sanguine; ſed vel de *Perſona* ipſa, que per נפש, ſimpliciter,

citer, & cum omnibus Affixis, apud Hebræos ſolet deſignari, *coll. Gen.* XLVI. 27. &c. quæque tunc heic intelligenda de ea parte cui prædicata vere competunt, ſeu de Carne & Corpore, uti quando de hominibus etiamnum dici ſolet, eos pingi, tangi, varie lædi, ſepeliri, &c. in quibus Anima proprie partem nullam tamen habet; vel de *Corpore*, tanquam naturali ſede Animæ, non Vivo jam, *coll. Pſal.* XXXV. 13. cv. 18. &c. niſi ad redditam jam in ſepulchro vitam ſpectaveris, ſed Mortuo potius, *coll. Lev.* XIX. 28. XXI. 1. 11. *Num.* V. 2. IX. 6. 10. &c. Unde conſequenter שאול, ᾅδης, *infernus*, erit heic neceſſario, non locus damnatorum ſpirituum, ſed Sepulchrum, quod ipſum eſt vere inſatiabile, & deſiderari ita his in terris facit hominem, ut & ſit obſcurum ſine luce, in quo corpora mortuorum deponi ſolent, & quod tanquam intra ac infra terræ ſuperficiem exteriorem etiam Latinum nomen Inferni meretur. Uti iſte vocis Hebrææ uſus negari alias nequit in plurimus locis *Gen.* XXXXVII. 35. XLII. 38. *Num.* XVI. 30. *Pſal.* CXLI. 7. *&c.* etiam cum reſpectu ad ſimul memoratam uti heic Animam *Pſal.* XXX. 4. LXXXIX. 49. In iſto autem Inferno Sepulchrali quando *non derelinquenda* dicitur anima, jam manifeſtè ſupponitur vel ponitur, eam illic verè aliquando futuram, tanquam in morationis ſuæ loco, per Dei ſpecialem & hominum communem curam, quod certum mortis ſignum foret. Et quando Jehovah, in hac Gloriatione jam compellatus, poſt ejus nominationem in tertia perſona *verſ.* 5. 7. 8. dicitur Animam illic *non derelicturus*, id bifariam capi poteſt, ita ut in eundem reſuſcitationis ſenſum redeamus tamen. Nempe in ipſo illo Inferno cum Anima eſſet depoſita, ne tunc quidem Jehovah ſe ſeparaturus erat ab ea, reſpectu curæ ſingularis, protegentis, atque iterum educentis, *coll. Jeſ.* XLIII. 2. *Pſal.* XXIII. 4. XXXIV. 21. &c. qui ſenſus eſt prior. Præ quo tamen alterum longe communiorem ſequimur, Animam illic ita futuram aliquando, ut non maneret tamen illic, ſed ex adverſo inde educeretur certo viva rurſus, & quidem ipſius Jehovæ virtute potentiſſima & optima, quem invocaverat moriturus & reſurrecturus, & in quo ut parte ſua magna & æterna ipſe conſtanter gloriabatur. Quod cum non modo eſſet in ſe & in conſcientia gloriantis,

heic certiſſimum, ſed & fundamentum verum Carnis Moraturæ in Fiducia; hinc per præmiſſum כי, ὅτι, *quoniam*, annectitur optime verbis præcedentibus. Niſi mavelis, hanc voculam, referendo ad alteram phraſin inſequentem, capere tanquam rationem certam ejus quod in reliqua parte Verſus hujus dicitur.

Et præcipue illa; Non dabis Benignum tuum videre corruptionem.

V. Illic nempe occurrit phraſis poſterior negativa iſthæc; *Non dabis Benignum tuum videre corruptionem.* Pro Carnis meæ, & Animæ meæ, nominibus, heic jam eſt magis directe perſonale aliud *Benigni tui*, חסידך, vel חסיך, ſecundum diſcrimen Cethibh & Keri, ϗ ὁσίου σου, *Sancti tui.* In quo pronomen Affixum ſecundæ perſonæ plane ſpectat ad Jehovam, cujus hinc continuatur compellatio. Et notat חסיד, ex origine ſua ac uſu, in pleniſſimo ſenſu, eum in quem Deus ita eſt benignus, prono affectu & huic conveniente effectu omni, ſecundum celebratas paſſim Jehovæ benignitates; ut & ipſe viciſſim benigno & propenſo affectu feratur, tum in Deum & ejus Legem totam, tum in Proximum ex hujus præſcripto. Quales homines recte etiam à Jehovah denominantur, tanquam ejus poſſeſſio ſingularis, & ſingulariter ab ipſo amata & curata. Hunc autem *Benignum tuum*, licet is alter eſſe poſſet à loquente perſona, hæc ipſa tamen rectiſſime conſtituit; prout de ſe in tertia perſona per deſcriptionem aptam in Scripturis Sacris æque quam aliis omnibus loquutio eſt ſatis ſolita. Atque ſic de Benigno Jehovæ fert modo Pſaltes, hunc *corruptionem non viſurum*, ipſo Jehovah id *non daturo*. Ubi Hebræum שחת alias adhibitum quoque ad *foveam* corruptionis ſignificandam, *coll. Job* XXXIII. 23. 24. rectius poſitum videtur pro *corruptione* ipſa, uti & διαφθορὰν cum LXX. habet *Lucas*. Et hanc videre eſt per familiarem Hebraiſmum eandem ſubire & experiri in ſepulchro, per partium corporearum diſſolutionem & reditum Carnis in pulverem, *coll. Pſal.* XLIX. 10. LXXXIX. 49. &c. dum ab hoc diſtinctiſſima eſt ἀπώλεια ſeu *perditio* hominum impiorum, futura noviſſime, 2 *Petr.* III. 7. de qua heic non agitur. Unde eandem *non videre*, eſt ab ea liberari, vel immunem ſervari in ipſo loco corruptionis poſt mortem; niſi mavelis corruptionem ſic longiſſime arceri, quaſi extra ejus conſpectum omnem vicinum

num vel longinquum. Quod deducitur à Jehovah, qui animam in inferno non derelinqueret, & corruptionem in eo potentiſſime arceret, nec permittendo illam, nec rem illuc in ſanctiſſima providentia dirigendo. Absque quo cum obtinere non poſſet corruptio, hæc ipſa etiam manifeſte ſic negatur, licet negatio per *non* directe ad dationem Divinam ſecundum conſtructionem referatur; & quidem tanto validius, ſi agnoſcas heic ſpeciem μειώσεως, ut *non* dicat *nequaquam*, & oppoſitam ponat conſervationem. Eſt vero fundamentum, vel argumentum ſolidum, Corruptionis arcendæ, in ipſo textu nomen *Benigni Tui*, ſive paſſive ſive active ſpectatum, ſenſu Benignitatis à Deo fluentis, & hinc porro in Deum tendentis, per quam utramque non erat admittenda ſed omnino arcenda Corruptio.

VI. Atque hinc tandem reditur ad phraſin poſitivam *verſ.* 11. *Oſtendes mihi ſemitam vitarum.* Ubi idem vere per Affixum primæ perſonæ, *mihi*, deſignatur, qui modo dictus Benignus Jehovæ. Atque חיים non heic adeo *vivi* in concreto, quam *vitæ* in abſtracto, plurali terminatione uſurpatum ut ſolet paſſim, cum reſpectu non ad diverſa ſubjecta vitæ, ſed ad ejus ſucceſſivam per varia momenta continuationem, actus complures, quin & præſtantiam magnam, unde per ζωὴν *vitam* ſingulariter verterunt LXX. & *Vulgatus*, deſignat non jam animalem ſeu naturalem, neque etiam ſpiritualem hujus temporis, ſed omnino æternam vitam quæ poſthac exſpectatur, non reſpectu animæ ſolius, ſed & ſimul corporis reſtituti, *coll.* 2 *Tim.* 1. 1. 10. &c. Quæ uti conſiſtit in conſummata, ſancta, læta, glorioſa, & cœleſti fruitione Dei ipſius; perfectiſſime præ aliis omnibus meretur nomen *vitæ*, & ſi placet *vitarum*, ob unionem cum fonte vitæ arctiſſimam, & fluentem hinc actuoſitatem bonam, abſque ulla morte aut mortalitate nova. Atque hujus Vitæ נתיב / ὁδοὶ, *viæ*, pluraliter apud LXX. & *Vulgatum*, excellentiæ cauſa, ſcu *ſemita*, licet non male etiam referri poſſet ad ejus acquiſitæ uſum & rationem agendi in ea ac per eam, quemadmodum ſic in his terris obtinet *via juſtitiæ*, *pacis*, *veritatis*, &c. communiter tamen nec minus recte refertur ad modum illuc perveniendi, quo ſenſu heic locum habet *via ſalutis*, & *ad vitam* du-

Tum & per juncta; Oſtendes mihi ſemitam vitarum.

*ducens &c.* atque tandem illuc facit ipſa actualis Reſuſcitatio ex morte. Eſtque conſequenter eam *oſtendere*, הודיע / ſeu γνωρίσαι, *notam facere*; non equidem ejus obtinendæ rationem qualicunque modo docere, per inſtructionem & ſanctificationem ſalutarem, quod in gratia hujus præſentis vitæ jam obtinet; ſed longe verius ad eam actu poſſidendam præſentiſſime advocare & in eam introducere, quo pacto illa demum pleniſſime innoteſcit, antea minus explorata ſemper longe. Sicuti & cum reſpectu ad gratiam hujus vitæ *docere* & *ducere* nonnunquam ſe invicem declarant *Pſal.* XXVII. II. CXLIII. I0. &c. atque *oſtendere* ad ipſam *dationem* refertur *Pſal.* LXXXV. 8. &c. Quod ipſum vere eſt opus Dei heic compellati; idque futurum præ præſenti in hac vita; quin & promiſſum atque præſtandum Benigno Jehovæ.

Tandem & per ultima, Satietas lætitiarum cum facie tua, Amœnitates in dextra tua æternum.

VII. Enimvero quanta eſſet exſpectatæ iſtius Vitæ Beatitas, id dignum erat ut adjiceretur, uti fit adhuc *verſ.* II. *Satietas lætitiarum cum facie tua, amænitates in dextra tua æternum.* Pro quibus legimus apud *Lucam*, πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σου, uti etiam eſt apud LXX. ſed cum additione ulteriori, τερπνότητες ἐν τῇ δεξιᾷ σου εἰς τέλος, imitante id *Vulgato*, *adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextra tua uſque in finem.* Ita nempe ex שבע Nomine illi fecerunt Verbum, addito Affixo; dum tamen ſic in ſenſum eundem reditur, quem nobis exhibet Hebræus textus, ſive reddatur in nominativo, *ſatietas lætitiarum &c.* ſcilicet *erit*, vel *continget*, vel *dabitur*, mihi, ſive etiam in Accuſativo cum *Hieronymo*, *plenitudinem lætitiarum &c.* ſcilicet *oſtendes mihi*, quod heic δὸς τοῦ κοινοῦ ſubintelligatur. Ducit utique illud את פנין / *cum tua*, Jehovæ compellati, *facie*, nos ad proximam ejus præſentiam, & intimam cognitionem, & gratiſſimum ſervitium, & maximum favorem; prout alterum, בימינך / *in tua*, Jehovæ ejuſdem, *dextra*, ad fruitionem intimam gloriæ ejus, & amicitiæ, & ductionis, & defenſionis, & donationis, ad quam omnem dextra adhiberi ſolet. Nec aliud eſt *lætitiarum* משמחות / ſeu argumentorum & actuum gaudii multiplicis maximi & indefinentis, *ſatietas*, שבע / πλησμονὴ apud *Aquilam & Theodotionem*, (dum per aliam punctationem *Symmachus* ſubſtituit ἐπτὰ,) quam plenitudo ſumma

cum

cum acquiescentia perfecta in eadem. Uti *amœnitates* נעמות / apud quam vocem ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repeti potest vox *satietas*, dicunt certissime oblectationes maximas & plurimas, tum objectivas tum subjectivas, easque non vanas sed solidas; quæ una cum lætitiarum satietate protenduntur in *æternum* נצח / neutiquam restricte, sed absolutissime. Quæ descriptio futuræ post Resurrectionem Beatitatis est certe non minus vera, quam gloriosa, & gloriandi dans argumentum, & simul quam incitans ad industriam ejus quæstionem, cum malorum omnium præcedentium tolerantia constanti.

VIII. Si jam omnes istas junxeris phrases à Davide adhibitas, positivas & negativas, vide an ullæ potuerint adhiberi aptiores & clariores ad exprimendam Beatissimam ex morte Resurrectionem, quæ ex Dei Communione post Sapientiam Sanctitatem & Gloriationem priorem consequitur; nempe Carnem in fiducia moraturam, animam in inferno non derelinquendam, benignum non dandum ut videat corruptionem, semitam vitarum ei ostendendam, satietatem lætitiarum futuram cum facie Jehovæ, & amœnitatum vel amœnitates in dextra ejus æternum. Utique à proprio & pleno harum omnium significatu ad qualemcunque metaphoricum & leviorem transire nullo modo licet, nisi argumenta sint justa istius transitus, quæ heic nulla comparent, vel in re asserta, vel in contextu, vel in locis aliis ullis parallelis. Nec temere obstrepentem contra Dei perfectiones & promissa carnem insanam audire decet hominem vere rationalem ullum.

Quæ omnia juncta beatissimam dicunt Resurrectionem.

IX. Sed hoc dignum magis & necessarium est ut inquiramus diligenter, de quo homine hæc dixerit David, aut cujus nomine ille sic loquatur gloriabundus? ut & hinc liqueat, num apud Resurrectionem istam simpliciter sit subsistendum, vel ejus species magis determinata & peculiaris agnoscenda heic. An de Se Ipso, sive jam cum sive præ aliis Piis & Fidelibus? An potius de Christo, vel Messia, Ipsius Filio, & Fidelium omnium Capite supremo? quod ab Apostolis per Spiritum asseri scimus ex locis adductis *Actorum Apostolicorum*. Interim id minime negari posse vel debere videtur, quod non tantum verba nonnulla antecedentia *Psalmi* hujus etiam & forte magis conveniant Davidi cum Piis aliis, sed & hæc ipsa po-

Qualis & vere competit Piis, sine Corruptione perpetua.

ſtrema modo illuſtrata illi optime competant, ſi unicam exceperis aut cum reſtrictione aliqua acceperis. Quid enim quæſo per Scripturas omnes certius eſt? quam fidelium omnium, exceptis eis qui noviſſimo die ſupererunt, adeoque & Davidis inter eos prorſus numerandi, Carnem ita moraturam aliquando in ſepulchro, ut tamen pulvis diſperſus diligenter à Deo ſervetur, & lætiſſimè aliquando ſit reſtituendus, quod morationem iſtam facit tutam & ſecuram in fiducia. Quid minus dubium hinc? quam Animam eorum in inferno non relinquendam ſemper, ſed inde ex adverſo potentiſſime educendam, ſi non ocyus, utique ad auditum vocis Chriſti cum ultima tuba. Quid conſequenter promptius admittendum, & firmius tenendum? quam tunc Vitarum Semitam illis ipſo actu eſſe oſtendendam, ut in Corporibus æque quam Animabus ſuis fruantur apud Dominum Lætitiarum Satietate cum Amœnitatibus Æternis. Quæ vero eſt heic difficultas, uti videtur, non jam in nomine *Benigni Tui*, quod egregio ſenſu piis omnibus ita competit, ut & cum ſingulari emphaſi conveniat Davidi, ſed unica fere in *Non Videnda Corruptione*, ea non incommode prorſus tolli poſſe videatur. Non equidem per reſtrictionem ad manus crudeles Saulis perſequentis, aut aliorum Hoſtium; nec per relationem ad æternum Exitium Gehennæ, quod heic in conſiderationem neutiquam venit, dum de Sepultura & Eductione ex Sepulchro agitur; ſed per additionem voculæ ſubintelligendæ ex contextu & ſcopo, *ſemper*, aut in perpetuum, absque reſtitutione ulla unquam ſubſecutura, quæ heic ei opponitur manifeſte, vel etiam poſt reſtitutionem conceſſam. Atque illa ſunt, quæ nos movere queant, ut iſtam Davidis & Piorum omnium felicitatem, quæ verum conſequens eſt Gloriæ Dominicæ, non plane aut totaliter à ſenſu hujus loci excludamus; in primis ſi in hoc Pſalmo reliquo ſpectari Davidem velimus cum Theologis Doctiſſimis ut Typum Illuſtriſſimum Domini noſtri, quod tamen fieri quoque poſſet, etiamſi quædam in eo eſſent Chriſto prorſus peculiaria, *coll.* 2 *Sam.* VII. 12. & *Pſal.* XLI. *&c.* de quo textu utroque latius egimus *EXERCC. TEXT. VII. & X. Parte VI.*

Sed qualis celerrima

X. Enimvero non tantum ſuadet, ſed & cogit, autoritas Apo-

Apoſtolica, tam Pauli quam Petri, Chriſtianos nos omnes, ut ultra Davidem & Pios quosvis heic proſpiciamus ad Davidis Filium & Fidelium Caput commune, ſeu Meſſiam; non per modum Accommodationis, ſed Senſus veri & à Davide ſpectati, ſeu unici, ſeu longe plenioris. Adeo, ut *non videre corruptionem* tam abſolute intelligatur, quam ſonat; absque ulla reſtrictione temporis, aut gradus, quando nempe ille de quo agitur in Sepulchro foret depoſitus, magis quam antea quidem dum pateretur, vel & poſt Reſtitutionem ſuam, quando conſequenter Corruptio omnis longiſſime remota fuit ab eo. De quibus poſterioribus temporibus ut & heic eo modo cogitemus, facit Paulus; dicens *Act.* XIII. 37. *quem Deus excitavit*, οὐκ εἶδε διαφθοράν, *non vidit corruptionem*, poſtquam antea dixerat *verſ.* 34. *quod ſuſcitaverit eum ex mortuis*, μήτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, *non amplius reverſurum in corruptionem*, ſecundum *Bezam*, qualem ſcilicet patiendo & moriendo antea ſubierat; pro quo *Beza* ſubſtituit *in ſepulchrum*, ad tollendum ita dubium quod ex negata & aſſerta ſimul ejuſdem hominis corruptione naſci videbatur. Niſi potius placeat illud μήτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν vertere *nequaquam reverſurum ad corruptionem*, cum reſpectu antecedenti ad reſuſcitationem, qua reverſio illa fuerit averſa, *coll. Pſal.* XC. 3. CXLVI. 4. *Job.* XXXIV. 15. *&c.* quod forte præſtat. Unde ex plene ſic negato Corruptionis Viſu æſtimandæ ſunt phraſes aliæ, potius quam ille ex his; adeoque Carnis Moratio ſepulchralis in fiducia intelligenda longe brevior quam in aliis obtinet, absque periculo ullo aut metu corruptionis; ac Animæ negata Derelictio in inferno longior, uſque ad Corruptionem illic videndam cum aliis hominibus; nec non lætitiarum & amœnitatum æternarum ſatietas apud Jehovæ faciem plane ſingularis & pleniſſima, quæ in comparationem cum ea quæ aliis contingit venire nequeat ullam. Quaſi dictum foret; moriar quidem & in ſepulchrum deſcendam, ſed æque brevis quam tuta erit mea manſio in ſepulchro, dum & illic me tam diu minimè relinques, ut corruptionem carnis ullam ſubeam, ſed ad ſumma apud te gaudia citiſſime reſuſcitabis. Quo pacto feliciſſime argumentantur Apoſtoli, hæc à Davide ſic dicta in ipſum non convenire

ſine Corruptione ulla competeret Meſſiæ,

Davidem, ſed omnino in Meſſiam promiſſum de quo hinc ſint intelligenda, atque in Jeſu Nazareno ſuum reperiſſe implementum. *Nam David quidem*, inquit *Paulus*, ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη, καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ, καὶ εἶδε διαφθοράν. Dum *Petrus* dixit; *Viri fratres, libere apud vos licet dicere de Patriarcha David*, ὅτι καὶ ἐτελεύτησε, καὶ ἐτάφη, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν ἄχρι τῆς ἡμέρας ταύτης. Expreſſe ſic non loquens equidem de *Viſa* ab eo *Corruptione*, ſed eandem apud μνῆμα ſeu *monumentum* ejus ſepulchrale reliquum, cum vel ſine reliquiis corporis ipſius, ſubintelligens manifeſte, ne vis argumenti ejus cadat. Dum ad iſta non immerito obſervavit *Beza*; *Prodigioſum eſt, tot barbaros & crudeliſſimos hoſtes, qui urbem poſtea everterunt, regio ſepulchro pepercisſe; & fortaſſis non vana eſt eorum conjectura, qui inſtaurata urbe putant fuiſſe quoque Regum monumenta renovata. Sed quod ſcribit Joſephus de immenſis theſauris tot ſeculis poſt ſepultum Davidem & toties everſam urbem, primum ab Hyrcano, deinde ab Herode, ex illius ſepulchro erutis, mihi ne veri ſimile quidem videtur.* Dum ab altera parte aſſerit *Paulus*; *Deus eum*, Chriſtum in monumento poſitum, *ſuſcitavit è mortuis, qui conſpectus eſt per dies multos eis qui ſimul cum eo aſcenderunt à Galilæa in Jeruſalem*, οἵτινές εἰσι μάρτυρες αὐτοῦ πρὸς τὸν λαὸν &c. ὃν δὲ ὁ θεὸς ἤγειρεν, οὐκ εἶδε διαφθοράν &c. Et perinde *Petrus* inculcat; *Quem Deus ſuſcitavit, &c. David enim dicit in eum &c.* Προφήτης οὖν ὑπάρχων, καὶ εἰδὼς ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ θεὸς ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, *prævidens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti, quod non derelicta ſit anima illius in inferno, neque Caro ejus viderit corruptionem, hunc Jeſum ſuſcitavit Deus, cujus omnes nos ſumus teſtes.*

Qui quo pacto hæc de-noretur, diſtinctius inquiritur.

XI. Si ſcire aves porrò, quem in modum hæc εἰς αὐτὸν, *in Meſſiam*, dixerit David, is varie traditur. Sunt enim, quibus placet, conſtanter unum in hoc Pſalmo loqui Davidem ſuo nomine, ita ut Meſſiam per nomina adhibita deſignet à ſe ipſo loquente diſtinctum. Hic ſcilicet dici tum putatur ſolus *Benignus Jehovæ* non modo, qualis eſt certiſſime præ aliis omnibus, ſed & *Caro Davidis*, tanquam qui ſecundum Carnem foret ortus ex Davide, quin &

*Ani-*

*Anima Davidis*, tanquam intimè ab hoc amatus, omnisque vitæ ejus, ſpiritualis potiſſimum & æternæ, autor verus. In quo revicturo uti exultabat merito David, ita & Semitam Vitæ ac Gaudii omnis monſtratam ſibi ipſe intuebatur. Verum iſta interpretatio, rei reſpectu facillima, mihi ratione phraſios & connexionis omnis durior videtur; ut nempe qui de ſe ipſo loquitur, antecedenter & conſequenter, & in *corde ſuo* & in *gloria ſua* ſpectat plane ad ſe ipſum, is in *carne ſua* & in *anima ſua*, æque quam in *Benigno Jehovæ*, non jam ſe ipſum ſed alterum à ſe diſtinctiſſimum notet. Sunt alii complures, qui Meſſiam ipſum ſolum credunt heic per os Davidis loquentem introduci, quemadmodum alibi forte ſæpius, *coll. Pſal.* II. 7. 8. *&c.* & inprimis *Pſal.* XXII. 2. *&c. Deus mî, Deus mî, in quid me dereliquiſti? &c.* Quæ ſententia magis placere queat, ut innuatur, venturum aliquem olim qui ita dicat ad Deum, apud animam ſuam, & apud alios quoque homines ſuos, quoad rem ſi non verba ſingula. Attamen lubentius adhuc me illis jungo, qui Davidem conſiderantes ut Patrem ſimul & Typum ſingulariſſimum Meſſiæ, illum exiſtimant de Se ipſo quidem locutum eſſe, ſed cum præcipuo reſpectu ad Filium ſuum iſtum excellentiſſimum, verumque Antitypum, in quo hæc ipſi pleno ſenſu convenirent demum; quo & ſenſu promiſſionis inſignis de Meſſia Filio ipſi factæ toties, *coll. Jer.* XXIII. 5. *&c.* ille quam maxime *Benignus Jehovæ* dici meretur omnino. In quam locutionem conferri quoque poſſunt illa ad Abrahamum *Gen.* XII. 2. 3. *& faciam te in gentem magnam &c. & eſto benedictio &c. & benedicentur in te omnes familiæ terræ*, atque *Gen.* XVIII. 18. *& erit omnino Abraham in gentem magnam ac fortem, & benedicentur in eo omnes gentes terræ &c.* ex collatione cum aliis de *Semine* Abrahami ſic dictis *Gen.* XXII. 17. 18. *coll. Gen.* XXVI. 4. XXVIII. 14. *Pſal.* LXXII. 17. *Act.* III. 25. *Gal.* III. 16. *&c.*

XII. Verum, quod ſic per Apoſtolos conſtat Chriſtianis, quomodo perſuadeatur Infidelibus Judæis & Gentilibus, qui eorum autoritatem non agnoſcunt? Utique hoc debere poſſe fieri ponunt Apoſtoli, qui noverant ſuam autoritatem apud eos non valere, dum ita apud eos magis quam Chriſtianos ar- Quod & contra Incredulos monſtratur.

gumentabantur. Ut conſiſtat adeo vis omnis hujus argumenti ex phraſibus pluribus iſtis à Davide accumulatis, in harum pleno & proprio ſignificatu, qui temere non ſit minuendus; inprimis, poſt earum implementum præſens in iſthoc ſenſu conſpicuum, quod nunc aderat in Jeſu Nazareno. Non debebat enim à Davide Corruptio ulla heic videri in ipſo ſepulchro reſpectu Filii & Antitypi ſui, ſed erat Caro ejus illic moratura ad breve tantum tempus in fiducia, nec cadaver illic diu præter neceſſitatem relinquendum, verum ipſe ad vitam lætiſſimam & beatiſſimam in ſempiternum potentiſſime revocandus à Jehovah. Quod longe aliud & majus eſt, quam quod in Davidis perſona ipſa juxta pios alios obtineret, ut cum fiducia Reſurrectionis beatæ olim futuræ in terræ gremio quieſcant, poſt corruptionem ſatis plenam & longam inde ad lætam beatitatem demum reſtituendi. Et quando ita vis verborum nos ad Meſſiam cogit, quid impedit, quo minus apud Morationem Carnis *in Fiducia* etiam cogitemus? tum de Miſtura myrrhæ & aloës tam inſigni copia adducta ad arcendam Corruptionem omnem; tum de Clauſo valide Sepulchro, & addita Cuſtodia militari, quin & ulteriori forte Obſignatione, ad impediendam injuriam & ablationem furtivam cunctam; tanquam mediis Divinæ conſervationis, & fiduciæ argumentis. Non male certe ſcripſit heic non tantum *Galatinus Lib. VIII. Cap. 22. Prophetam de corporis Chriſti Incorruptione, deque ejus reſurrectione, aperte loqui*; ſed & cum aliis laudavit illud ex *Midrash ad h. l. exultavit gloria mea, in Rege ſcilicet Meſſia, qui egreſſurus erat de ipſo David*, ut & ad hunc ſpectari heic agnoverint jam olim Judæi.

## CAPUT SEXTUM.

### *Quo ejuſdem Reſurrectionis Dominicæ Veritas aſſeritur ex Jeſ.* LV. 3. *quem & Textum ante illum Pſalmi modo tractatum laudavit Paulus Act.* XIII. 34.

Vaticinium alterum in Novo Teſt.

Alterum ſubjicimus Vaticinium, quod ad Reſurrectionem Chriſti aſſerendam, non jam uterque Apoſtolus ille, ſed eorum

unus, Paulus ſcil. laudavit; quodque rem eam implicite magis quam explicite tradit, ſed ſufficiens & clarum ſatis ad hoc eſſe conſtat vel ex eo, quod hoc etiam priori ante illud loco ſit adductum *Act.* XIII. 34. ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, οὕτως εἴρηκεν, ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια δαβὶδ τὰ πιστά. Quæ manifeſte petita ſunt ex *Jeſ.* LV. 3. ubi brevius hæc in fine leguntur verba Hebræa, חסדי דוד הנאמנים / τὰ ὅσια δαβὶδ, vel δαυὶδ, τὰ πιστά, apud LXX. *miſericordias David fideles*, apud *Vulgatum*, &c. Et quæ ut rite à nobis intelligantur primum, ac deinde in rem præſentem recte ab Apoſtolo adducta eſſe monſtrentur, ſunt antecedenter in & cum proximo contextu ſuo *verſ.* 1. 2. 3. 4. 5. à nobis inſpicienda breviter quidem pro argumenti pondere maximo, attamen cum attentione & circumſpectione juſta.

quoquo laudatum ex Jeſ. LV. 3.

II. Quamquam ipſum argumentum totum *verſ.* 1. 2. 3. nos ſatis manifeſte abducat à Jeſaia Vate, illique ſimilibus omnibus Prophetis, tam ſerioribus quam antiquioribus aliis, (etiam *Jeremia*, de quo *Grotius* inepte ſomniat,) ad *loquentem* iſta Prophetarum maximum ipſum *Meſſiam*; clarius tamen & certius ille heic ſignificari cenſendus eſt per *verba Patris* quæ ſubjiciuntur, tum *ad alios* audientes *verſ.* 4. tum *ad ipſum* illam Meſſiam *verſ.* 5. Ut generalis adeo ſit ſenſus; veniet olim qui ita prædicabit, & quidem à me Jehovah juſſus, & cum mea ſingulari benedictione. Quod non minus apte ſubjicitur poſt verba loquentis præmiſſa, quam ſi ante hæc poneretur. Patris ergo ſunt iſtæ *voces* de illo *ad mundum* auditurum *verſ.* 4. *Ecce*, הן / ἴδε, rem certam, magnam, & bene attendendam! *illum*, ita uti dictum erat *verſ.* 1. 2. 3. locuturum, *dedi*, ego ſeu ordinavi in conſilio æterno & benevolo in electos, & ſecundum illud ſuo tempore mittam in mundum ac donis neceſſariis inſtruam, quam maxime ad dextram meam conſtitutum; tum *Teſtem*, עד / etiam apud *Vulgatum*, potius quam μαρτύριον apud LXX ſeu Doctorem veritatis neceſſariæ & ſalutaris, certiſſimum & fide omni digniſſimum, in nomine meo, *coll. Apoc.* I. 5. III. 14. &c. tum *Ducem* ſimul, ſeu Principem, & *Præcipientem*, hinc actu ſicuti Princeps, illa quæ docebit, נגיד ומצוה / ἄρχοντα καὶ προστάσσοντα, *Ducem & Præceptorem*, apud LXX. & *Vulgatum*; & quidem

Ubi de Meſſia agi, liquet ex verbis Jehovæ ad alios verſ. 4. & ad Meſſiam verſ. 5.

/ לאומים

לאומים / ſeu *populorum*, ſeu *populis*, totis, & quibuſvis, & plurimis, non omnibus plane, ſimul vel ſucceſſivè, apud quos teſtabitur, & Ducem ac Præcipientem ſe præſtabit. Quod non intellige de ſolis populis Iſraël, ſed vel de Gentilibus in oppoſitione ad eos *coll. verſ.* 5. vel de illis & his ſimul, *coll. verſ.* 1. Dum repetitio hujus nominis *populorum*, deinde ſcripti לאמים brevius, vel poteſt diſtributionem facere inter Iſraëlitas & Gentiles, vel diſcrimen omne populorum tollere amplius, vel etiam rem eandem validius aſſerere. Et ducit illuc hæc Divina Teſtis & Ducis Præcipientis Datio, ut cum attentione, fide, & obedientia, admitteretur in mundo. Quod & ſecuturum eſſe iluſtri modo, arguunt ſequentes *voces Patris ad Meſſiam* ipſum *verſ.* 5. *Ecce*, הן / quod temere prætermiſerunt heic LXX. (non minus magnam certam & notabilem rem!) *gentem*, alienam antea & impuram, non unam aliquam, ſed multiplicem & quamvis, לא תדע / quam (quod ex familiari conſuetitudine Hebræorum heic omittitur,) *non agnoveris*, hactenus vel antea, non tam theoretice quam practice, & ſimul pro tua, nec adeo curaveris aut vocaveris, ſed neglexeris ex adverſo, *coll. Matth.* VII. 23. &c. imo *gentem*, quæ hinc *te non agnoverint* viciſſim pro ſuo Doctore & Duce, ſed vel ignoraverint prorſus, vel non curaverint aut quæſiverint, ſed ſpreverint plane, tu *vocabis*, ad te & ſalutarem tuæ doctrinæ & gratiæ omnis communionem, tum verbo tum & Spiritu tuo potentiſſimo, pro quo Græce legitur ἐπικαλεσονταί σε; ita ut ſic tracti hinc ipſi *ad te* etiam *currant*, ſeu veniant, lubenter, fervidè, & feſtinanter, poſita priori averſione & mora omni, *coll. Cant.* I. 4. *Jeſ.* XL. 31. *&c.* καταφεύξονται apud LXX. Quod & additur eſſe futurum, *propter Jehovam Deum tuum*, ſeu mei ſupremi & ſufficientiſſimi, tecum ſingulariter fœderati tui gubernatoris & auxiliatoris, atque à te cum fiducia culti, venerationem & gloriam; & *ad*, vel *propter*, *Iſraëlis ſanctum*, ſeu me, qui in me ipſo ſanctiſſimus omni modo non obſtantibus mundi opprobiis variis, in populo illo, tum literaliter tum & ſpiritualiter ſic dicto, me ipſum ſanctifico & ab illo ſanctificor, *coll. Jeſ.* XLIII. 15. &c. כי פארך / ὃς ἐδόξασέ σε, *quia* hic Iſraëlis Sanctus *te glorificavit*, dictis factiſque ſuis, extollens te

&

& constituens in Doctorem & Ducem, populosque tibi exaltato ad dextram suam subjectos reddens, *coll. Psal.* VIII. 6. CX. 1. *Jes.* LII. 13. *Joh.* XII. 28. XVII. 5. *Phil.* II. 9. 10. 11. Nec est nisi somnium ineptum Judæorum quorundam, hoc Jehovæ alloquium, manifeste relatum ad Testem & Ducem populorum, hinc & omninò factum in Genere Masculino, fieri ad Urbem, Terram, vel Gentem Judæorum. Quorum tamen vestigia male premere heic lubuit *Grotio*, postquam *Testem* datum exposuisset de *Jeremia*, *cujus prophetiæ adeo definitæ certum dabunt meæ providentiæ testimonium apud populos omnes*, subjicienti temere; *Tu ô Judæa gentes antea tibi incognitas amice compellabis*, *venient ut in Templi ambitu gentibus piis destinato Deum verum invocent*, *venient illi exciti fama beneficiorum magnorum quæ Deus tibi præstitit.*

III. Est ex adverso Testis ille & Dux populorum, vocans gentes alienas ad se ut accurrant undique, & à Jehovah Deo suo Sancto Israëlis glorificatus, non alius quam Messias, verissime sic descriptus. Atque ille prodit ab ipso Capitis hujus initio, tanquam blande *Invitans vers.* 1. amice seu *Dehortans* seu *Redarguens vers.* 2. fideliter *Monens vers.* 2. 3. & tandem liberaliter *Promittens vers.* 3. Invitatoriæ præcedunt voces istæ *vers.* 1. *Heus omnis sitiens*, *accedite ad aquas*, *& cui non argentum*, *accedite*, *emite*, *& edite*, *& accedite*, *emite absque argento & absque pretio*, *vinum & lac.* In quibus attendere oportet primum, ad *Personas* compellatas, dein ad *Bona* oblata, tum ad *Opera* præscripta, & tandem ad *Modum* quo hæc urgentur. Personæ designantur per *sitientem*, singulariter quidem sed collectivo vel distributivo sensu, hinc *omem*, *& cui non argentum*, est scilicet. Et est heic *sitiens*, quem simul ut esurientem spectari notant ex ipso officio præscripto iisque quæ mox consequuntur *vers.* 1. 2. atque ursit recte *Gatakerus*, siti ob affectus vehementiam nominata præ esurie, non capiendus corporaliter, sed spiritualiter, *coll. Jes.* XLIV. 3. *Ham.* VIII. 11. *Matth.* V. 6. *Joh.* VII. 37. &c. ut dicat adeo eum qui destitutus est animæ refocillatione necessaria ad vitæ conservationem, & per hunc defectum magnopere affligitur non tantum, sed & eam desiderat fervidè, *coll. Psal.* XLII. 3. LXIII. 2. &c. Qui idem potius quam alius heic spectatur ut *argentum non habens*, quo potum necessarium vel commo-

Et ex ipsis quoque quæ profert ille, ante omnia liberalissime Invitantis vers. 1. Heus omnis sitiens, accedite &c.

dum acquirat, locis & temporibus difficilioribus. Quod perinde ſenſu ſpirituali, potius quam corporaliter pauperis, eſt referendum ad eum qui apud ſe inſtructus minime eſt aptitudine, dignitate, vel merito ullo, ad refocillationem illam ſpiritualem obtinendam, quin & hujus indignitatis ſuæ ſibi eſt conſcius cum ſubmiſſione decenti, *coll. Matth.* v. 3. &c. Ad utramque hanc Perſonæ deſcriptionem, quæ cur ad alios & alios diſtincte nos ducat nulla eſt ratio, ex æquo putamus pertinere vocem *omnis*; quæ omnem ita tollit diſtinctionem ætatis, ſexus, conditionis mundanæ, graduum ſitis, &c. & inprimis gentium, ut nec ullus dictis modis ſitiens & pauper excludatur ob unam aut aliam cauſam, *coll. Matth.* XI. 28. &c. Quamobrem & pluraliter iſta reddiderunt LXX. & *Vulgatus*, οἱ διψῶντες καὶ ὅσοι μὴ ἔχετε ἀργύριον, *omnes ſitientes & qui non habetis argentum.* Niſi forte, ſecundum Externæ Vocationis modum, placeat hanc invitationem multo adhuc latius extendere ad quosvis Euangelium audientes, quales hi ſunt naturaliter; ut *ſitis* dicat ſolum Defectum Refocillationis, etiam abſque ejus ſenſu magno aut deſiderio potus, *coll. Jeſ.* XLVIII. 21. XLIX. 10. *Joh.* IV. 14. VI. 35. &c. quæ tamen ab obtinendam refocillationem accedere debent. Habebat jam Meſſias Bona, quæ his afflictis offerret, aptiſſima & præſtantiſſima; *Aquas* nempe primum, limpidas & ſuaves, quibus ſitis reſtingui maxime, & refocillatio grata adduci ſolet, *coll. Jeſ.* XXI. 14. &c. ſatis copioſas; deinde etiam præter has *Vinum*, tanquam potum generoſiorem, magiſque corroborantem & exhilarantem, *coll. Pſal.* CIV. 15. *Prov.* XXXI. 6. *Eccl.* X. 19. &c. *atque Lac*, tanquam potum non modo ſed & cibum nutrientem pinguiſſimum & molliſſimum, *coll. Jud.* V. 25. *Jeſ.* V. 11. 22. &c. Ubi mirum mihi obvenit, quod *Doct. Gatakerus Adverſ. Miſcell. Poſth. Cap.* XXIV. ipſe monens id *leviuſculum eſſe*, urget, *aquas* heic non dicere bonum oblatum, ſed locum quorſum veniendum eſſet ad bona acquirenda, q. d. *ad rivum, ad amnem, quo modo Gedeon ex Dei præcepto dicitur milites ſuos ad aquas deduxiſſe Jud.* VII. 4. 5. *ſiquidem non ad aquam ſed ad lac vinumque emendum advocantur, nec in aqua ſed apud aquas, coëmenda illa inventuri erant*, ut ſit *imago ab illorum ritu petita, qui juxta amnem ſita oppida pagoſve cum incolant, per amnem vecta ubi navigiis ap-*

*appulſa fuerint mercimonia, eò ſigno jam adeſſe dato ſe confeſtim conferunt, mercibus quibus uſus eſt neceſſariis ſe inſtruant, ac indigentiam ſuam ſuppleant.* Quaſi vix alibi quam apud aquas proſtarent vinum & lac; nec ſitientibus aquæ ad potum eſſent neceſſariæ prorſus. Interim ubi ſitis cum pecuniæ defectu notatur ſpiritualis, ibi & aquas has cum vino & lacte ſpiritualiter capere oportet. Ut notent omnia externe & interne neceſſaria Bona, ad animæ deficientis & deſiderantis reſtitutionem, ſuſtentationem, corroborationem, exhilarationem, & ſalutem poſt hæc ipſam, quæ ſub iſtis ſymbolis paſſim venire ſolent, *coll. Jeſ.* XII. 3. XXXV. 6. 7. *Joel.* III. 18. *Gen.* XLIX. 12. &c. quorum eſt apud Chriſtum copia ſufficientiſſima, in omnium ſitientium uſus abundantiſſimos. Volebat porro idem hic, ea à ſitientibus minime negligi; hinc exigens, ut *accederent*, ad aquas has à ſe celebratas, & dandas, cupide ſimul & libere, utque eas bibendo ſumerent, quod ad ſitim extinguendam erat utique neceſſarium, & hinc manifeſte ſubintelligitur, *coll. Ioh.* VII. 37. &c. ut *accederent* ſecundo, quin & *emerent*, per verbum שבר *fractionem* proprie notans, de quo differens videri poteſt *Gatakerus*, ſeu partem ſibi juſto titulo acquirerent, (quod ad aquas applicari poteſt, nonnunquam in penuria aut aliquorum poſſeſſione peculiari emendas, *coll. Thren.* V. 4. &c. vel alias ad ſequens vinum & lac unice referri,) & *ederent* de emptis, ea in uſus ſuos tranferendo cum voluptate, in quo heic bibere comprehenditur certiſſime cum reſpectu ad vinum; ut *accederent* tertio, *emerentque*, ſed etiam vel tantum ſingulari hoc modo, ut fieret *abſque argento & abſque pretio*, qualicunque ſoluto ab ipſis aut promiſſo, ſeu ſufficienti ſeu ullo, δωρεὰν, *gratis*, *Rom.* III. 24. *Apoc.* XXII. 17. *abſque ulla commutatione* apud *Vulgatum*. Ubi multus admodum eſt inter alios *Gatakerus* in ſolvendo nodo, quomodo queat proponi emendum quod gratis datur; nempe licet proprie non ematur quidquam abſque pretio, poſſe tamen aliquid exigi præſtandum loco pretii, atque illud heic eſſe multiplex; nihil exigi heic Meſſiæ proficuum, ſed unice emptori, cujus & hoc ſit officium, à Meſſia in eo productum, nec comparationem admittens cum emptis, quin & rediturum cum fœnore; imò tandem no-

tionem Emptionis heic obtinere laxiorem, *coll. Prov.* XXIII. 23. *Apoc.* III. 18. *&c.* Dum breviter dici poteſt, etiam in Emptione communi nonnunquam remitti pretium à venditore; atque eam nihil heic notare aliud, quam Acquiſitionem juſtam & certam ſimul, ex deſiderio emptoris, cum lubenti traditione venditoris, qualis heic obtinet omnino. Sunt vero & iſta, non minus quam Sitis, & Bona oblata, accipienda ſenſu ſpirituali, & notant ſic Acceſſum ad Meſſiam per Fidem ſinceram, cum Reſipiſcentia vera hujusque & illius fructibus jungendam, per quam & illius Bona omnia amplectimur avide, & applicamus nobis lætè, *coll. Joh.* VI. 29. 40. 47. 53. VII. 37. 38. *&c.* Ad Modum tandem Invitationis ſpectat manifeſte; tum *Repetitio* illa præſcripti *Acceſſus*, non ſemel ſed bis & ter, quæ non tam ad diverſas perſonas, aut loca, & tempora, nos ducit, quam quidem ad rei neceſſarium, ſubitaneum, perpetuum, & progreſſivum, atque ad invitantis zelum maximum, cum hujus duratione continuata; tum præmiſſa vocula הוֹי / *heus!* quæ à LXX. & *Vulgato* eſt prætermiſſa, ſed vim habet advocandi, & incitandi, cum commiſeratione & affectu, vere maximam, atque ſic etiam per *O*, & *eheu* non male reddi poteſt. Confer cum iſtis *Grotii* gloſſas multo leviores; *Continuatur idem ſermo, monenturque populi, ut doctrinam de uno vero Deo à Jeremia hauriant. Qui verum diſcere cupitis ad hunc Doctorem venite. Ita Chaldæus. Etiam pauperes ſine ulla impenſa ab ipſo diſcere potuerunt. Vera doctrina & potui & cibo comparatur, quia animum paſcit & recreat. Vid. Jer.* XV. 16. *Ezech.* III. 3. *Prov.* IX. 5. *Eccleſ.* XV. 3. & XXIV. 19. *Philo*, τὸ φαγεῖν σύμβολόν ἐϛι τροφῆς ψυχικῆς. *Adde Maimonidem Duct. Dub. I.* 30. *Sumite gratis. Et ſolatium animis & alimentum.*

Tum Dehortantia quóque verſ. 2. ad quid appenditis argentum pro non-pane &c.

IV. Sequitur proxime Dehortatio Redargutoria *verſ.* 2. *Ad quid appenditis argentum pro non-pane? & laborem veſtrum pro non-ſatiante?* In quibus attendendum ad *Merces* vere ſpernendas & à Meſſia ſpretas, ac dein ad *Factum* Sitientium indecens & inutile circa iſtas. Merces conſtituuntur per לוֹא לחם / *non panem*, & לא לשבעה / *non ſatians*, ſeu *non ad ſatietatem* faciens; dum prius vocabulum prætermiſerunt LXX. poſte-

posteriori loco habentes ἐκ εἰς πλησμονὴν, & *Vulgatus* substituit, *non in panibus, non in saturitate*, minus recte collocato utrobique Adverbio negandi. Est utique *Non-Panis* illud omne, quod cibi apti habet quidem speciem aliquam externam, sed non ejus veritatem, & hinc nutrire hominem indigum adeo nequit, *coll. Psal.* civ. 14. 15. *&c.* ut ex adverso sinat, quin & faciat nonnunquam, ineptitudine noxia perire hominis vitam. Et perinde est *Non-Satians* istud omne, quod famelici defectum & desiderium decenter implere nequit, sed & ex adverso ad perditionem augeat. In quorum numero censeri queunt equidem omnia Corporalia hujus Vitæ Bona, tum comparate cum spiritualibus, tum absolute, quatenus hæc minimè sufficiunt ad veram animæ vitam, nec etiam veram satietatem pariunt unquam, *coll. Luc.* xii. 19. 21. *Matt.* xvi. 26. *&c.* sed possidentes magis perdunt, *coll. Luc.* xvi. 19. 1 *Tim.* vi. 9. 10. *&c.* Sed apud hæc non est subsistendum in istis appellationibus generalibus. Ex adverso etiam & fortè magis cogitandum est; tum de Sapientia & Voluptate omni Mundana, quæ animam minime beat aut tranquillat; tum de Doctrinis Vanis, tam Judæorum quam Gentilium, circa vitæ & salutis viam; tum de Bonis Levibus vel Imaginariis per eas consequendis, in hac vita vel & post eam, uti est & ipsa nominis celebritas & hominis totalis abolitio. *Pro* quibus, & similibus pluribus, consequendis, quod per præfixa ב heic designatur, *argentum & laborem* suum, h. e. quicquid possidemus etiamnum ex labore nostro, vel alias quicquid habemus virium ac donorum corporis ac animi, & quicquid per has agimus & patimur, etiam cum magno studio, *appendere*, secundum Veterum in Emptione & Solutione morem, *coll. Exod.* xxii. 17. 1 *Reg.* xxii. 39. *&c.* nihil aliud dicit, quam ea adhibere & impendere, ut hoc ipso aliis magis decentibus & necessariis se dare non liceret. Quo pacto cum agerent à Messia & Accessu ab eo ad emendum ipsius bona alieni, tam Judæi, qui plurimi per ceremonias justitiæ suæ studebant, quam Gentiles, qui potissimum idololatriis & superstitionibus suis incumbebant, merito dicturus erat Messias, *ad quid*, seu qua ratione, fine, & fructu, ita agitis, vel & agetis, aut ageretis, porro aut diu-

tius? inaniter equidem & peſſime. Dum nimis leviter etiam heic ſcribere exegetice pergit *Grotius*; *Cur magno ſtudio & impendio diſcitis ματαιοτεχνίαν Chaldaicam, unde nullus fructus ad animum redit?*

Tum Monentia ex adverſo verſ. 2. 3. audite audiendo ad me, & edite bonum &c.

V. Fideliter dehinc moniturus erat populos ſitientes Meſſias *verſ.* 2. 3. *Audite audiendo ad me, & edite bonum, & delectetur in pinguedine anima veſtra; inclinate aurem veſtram, & venite ad me, & accedite ad me, audite, & vivat anima veſtra.* Ita *Se* ipſum cum bonis ſuis celebratis commendaturus ex adverſo erat Meſſias, ut *ad* eum *audiendo audirent*, ſeu cito & ſerio & conſtanter attenderent, atque obſequenter ſe componerent, per fidem & reſipiſcentiam veram; *atque* ſic *bonum*, verum & animam ſatians omne quod ab ipſo offerebatur, *ederent*, non tantum, ſed & *in pinguedine*, בדשן/ (pro qua *in craſſitudine* dixit *Vulgatus*, & LXX. ἐν ἀγαθοῖς,) ſeu exhibenda & à ſe accipienda, ſeu hinc in ipſis oritura, *anima* eorum, præ corpore ſolo, *delectaretur*, ſeu ea cum ſatietate & gaudio frueretur. Quin & reſumpto mox ſermone ob humanam tarditatem dicturus erat ille; *Veſtram aurem*, non unam ſed utramque qua Vocatio percipienda erat utiliſſima una cum anima, *ad me*, invitantem & dehortantem, *inclinate*, ſtudioſe & aſſiduo, & *venite*, in eam rem, imo *audite* venientes, & *veſtra anima* ſic audiendo *vivat*, ſeu vita vera ſpirituali & æterna fruatur heic & poſthac ſine mortis periculo & metu ullo, quorſum auditus ille ducet. Quæ ſatis ſunt plana, nec longiori illuſtratione aut aſſertione opus habent. Dum aberrare pergit, quibusdam tamen immixtis quæ minus male ſe habent, *Grotius*; *Audite me loquentem per Jeremiam. Diſcite ſalutaria. Pinguibus cibis multum delectabantur gentes iſtæ Pſal.* XXXVI. 8. LXIII. 5. *Job.* XXXVI. 11. *Habebitis pacem conſcientiæ. Longa vita fruemini.*

Tum Promittentia tandem verſ. 3. & cædam vobiscum Fœdus Seculi.

VI. Tandem ſequuntur verba Promiſſiva, quorum partem conſtituunt illa quæ Paulus citavit, & quæ, etiam cum proxime præcedentibus *verſ.* 1. *inclinate aurem veſtram &c.* cur ad Deum Patrem referamus nos juxta alios multos, nulla comparet ratio ſolida; *Et cædam vobis*, vel *vobiscum*, *fœdus ſeculi*, *benignitates Davidis fideles*, καὶ διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον, τὰ ὅσια δαυὶδ τὰ πιστά, & *feriam vobiscum pactum ſempiter-*

*piternum*, *miſericordias David fideles*, apud LXX. & *Vulgatum*. Ubi *Fœdus Seculi*, abſolute omnino & neutiquam reſtricte de longiori tempore aliquo definito vel indefinito intelligendi, ſine ulla neceſſitatis ſpecie, dicit Conventionem cum ſitientibus qui accederent & audirent dictis antea modis firmam & inviolabilem prorſus; tum quæ ipſa duraret ſemper, tum quæ & æternitatem lætam promitteret & præſtaret per viam in ea præſcriptam, *coll. Pſal.* cv. 10. *Jeſ.* xxiv. 5. lxi. 8. *Jer.* xxxii. 40. *Ezech.* xvi. 60. xxxvii. 26. *&c.* Quæ notiones עולם *æternitatis*, vel *ſeculi*, heic videntur longe aptiores, quam ut vocem eam referamus ad Fœderis *Antiquitatem* retro, ſive inde à Davide, ſive à Moſe, ſive ab Abrahamo, ſive etiam à Noacho ipſo, quod renovaturus foret Meſſias ſcilicet, vel ad Gentes extenſurus. Ad quod poſtremum tamen tempus nos heic ducere vellet cum magna promiſſi extenuatione *Grotius*, ſcribens paraphraſtice; *Recipiam vos in illud fœdus, quod cum Noa ejusque poſteris feci Gen.* ix. 9. *quod & ſempiternum dicitur ibidem verſ.* 16. Et eſt verbum illud כרת / *cædendi*, quod & aliquando ſolum adhibetur absque Fœderis nomine addito ad hoc ſignificandum *Pſal.* cv. 9. *Hagg.* ii. 6. *&c.* ita petitum ex veteri apud Fœdera ineunda ritu externo in animalium diſſectione, *coll. Jer.* xxxiv. 18. 19. & *Gen.* xv. 18. (de quo textu latius diximus olim *EXERC. TEXT. III. Parte V.*) per quam fœdera validiſſime confirmabantur; ut & per illud Fœderis hujus conſummatio & firmitas immota clariſſime ſignificetur, poſtquam interveniſſet heic, non modo vetus ſanguis hircorum & taurorum, ſed & ille Chriſti ipſius, dictus hinc *Fœderis Novi* ſimul & *Æterni*, *Matt.* xxvi. 28. *Hebr.* xiii. 20. *coll. Pſal.* l. 5. Quod dum cogito, miror magis, cur Interpretes quidam hæc verba, *cædam vobis Fœdus Seculi*, malint Patri quam Filio tribuere; in quo tamen & antiquum Fœdus cæſum ponitur *Hagg.* ii. 6. & per quem quam maxime promiſſa, quæ heic in Fœdere potiſſimum ſpectantur, ſub Novo Teſt. facta ſunt & fiunt à Patre credentibus *Hebr.* i. 1. ii. 3. *&c.*

VII. Atque ſic pervenimus ad Verba illa noſtra præſentia, חסדי דוד הנאמנים / quæ tantum non uno halitu cum Fœdere Seculi cædendo cohærent, & ſola à Paulo ſunt citata ad confir-

Ad quæ ſequitur iſtud, Benignita-

ces Davidis fideles.

firmandam Christi Resurrectionem. Quamquam cum additione illa ab initio, ὅτι δώσω ὑμῖν, cui nihil est quod respondeat in Hebræo, magis quam apud LXX. & *Vulgatum*, quin & *Jonathanem*; sed quod tamen esse conveniens sensui & scopo Vatis, dubitari nequit, vel à Christianis ob Apostolicam autoritatem, vel à Judæis ob Propheticæ dictionis plenitudinem majorem. Quæ tamen consistere suo modo posset forte, si verba hæc Vatis absolute reddantur, *Benignitates Davidis fideles*, sunt nempe; & consistit optime, si Præpositio sæpius alias subintellecta apud Hebræos suppleatur, *secundum benignitates Davidis fideles*, aut *in* his, aut *de* his, vel etiam si Conjunctio addatur, *quoniam*, *quia*, *enim*, sive causali sive ratiocinativo sensu. Sed quæcunque ex istis interpretationibus accipiatur, implicite semper eorum à Messia prædicationem promissivam & præstationem actualem in iis contineri ex Fœderis æterni sectione promissa nemo non videt, ad quam illa *dabo vobis* explicite spectant.

In quibus inquiritur in significatum nominis Davidis.

VIII. In ipsis illis verbis tribus *Jesaiæ* ante omnia agendum de *Davide*, deinde de ejus *Benignitatibus*, tandem de harum *Fidelitate*. Uti vero dubitari nequit, quin primum illud Nomen *David* sit heic æque quam alibi satis constanter, non Appellativum, notione *Dilecti*, sed Proprium omnino; ita æque certum est, per illud designari, vel celeberrimum & laudatissimum Regem illum Judæ & Israëlis, quem Deus loco Saulis reprobati constituit ipse per Samuelem, & qui illud solus legitur gessisse, vel ex illo nasciturum olim & dein natum Messiam, Regem spiritualem veri Israëlis, ad quem in Vaticiniis nonnunquam transfertur, *coll. Jer.* XXX. 9. *Ezech.* XXXIV. 23. 24. XXXVII. 24. 25. *Hos.* III. 5. dum idem illud nomen *Psal.* LXXXIX. 4. 21. 36. 50. CXXXII. 1. 9. 11. 17. æque quam in his *Jesaiæ* verbis magis controversum est quorsum directè spectet. Scilicet, ut magis stringat non tantum argumentum Apostoli pro non Davidis sed ipsius Christi Resurrectione ex hoc loco, verum etiam ut Benignitates ejus heic reperiantur ampliores, qualis certe est Resuscitatio sine Corruptione admissa, maluerunt heic dudum multi reperire Messiam, Davidis Filium, Successorem, & Antitypum, qui illius pleniſſime exprimeret nomen, studia, fata adversa & prosperri-

perrima, facta denique illuſtria plurima. Quod per nos ſequantur, quibus ita placet. Interim alii, conſiderantes non conſtare ſatis de hoc nomine Davidis, vel apud Jeſaiam uſquam, vel apud alios Scriptores ad hæc uſque tempora adhibito pro illo Meſſiæ, nec eſſe à ſolito aut proprio uſu Nominum recedendum ſine neceſſitate quam heic non reperiunt magnam, apud antiquum illum Regem Iſraëlis ſic dictum ſubſtiterunt potius. Quod fieri ſatis commodè poteſt, dum modo de hoc *Davide* dicta referamus nec unicè nec præcipue ad ejus Perſonam ſolam, ſed extendamus ad ejus Semen, *coll. Pſal.* XVIII. 51. & præcipue quidem magnum & illuſtre illud quod ipſi ſingulariter promiſſum erat à Deo. Quem ad modum fere judicavimus alias *EXERC. TEXT. XI. & XII. Parte VI.* de illius nominis uſu & ſenſu *Pſal.* LXXXIX. 4. 21. 36. 50. CXXXII. 1. 9. 11. 17. ad quæ loca heic reſpectus manifeſtus agnoſci poteſt. Atque ſic quod de Davide heic dicitur, erit de ipſo intelligendum quam maxime in Filio ejus Meſſia; eodem fere modo quo ille loqui *Pſal.* XVI. 9–11. nobis viſus eſt *Cap. V. præc.*

IX. Hujus ergo Davidis, iſto modo ſpectati, nominantur heic חסדים / τὰ ὀικτιρμὰ, *miſericordiæ*, apud LXX. & *Vulgatum &c.* ſed propriiſſime *benignitates* ſeu *beneficentiæ*, ſive immeritæ ſive & meritæ. Plane uti fit etiam in Salomonis ſolenni oratione 2 *Chron.* VI. 42. *memento benignitatum Davidis ſervi tui*, poſtquam præceſſerat, *Jehovah Deus, ne avertas faciem Uncti tui.* An vero tribuantur hæ Davidi active, an paſſivè, an utroque forte modo, uti ſic *benigni*, חסדים/ vocantur alias paſſim homines fideles, videndum eſt proprius. Activus utique erit ſenſus magis & prius quam paſſivus, ſi *benignitates Davidis* intelligantur, quæ ab eo ſunt celebratæ vere & relictæ ſcriptis per eum poſteris. Quo modo ſunt dudum qui heic ſpectarunt ad argumentum *Pſalmi* LXXXIX. & CXXXII. in quo poſteriori ita celelebrantur Benignitates Domini in Davidem, ut incipiat quoque à verbis, חסדי יהוה / *benignitates Jehovæ æternum canam*; unde & conjectura eſt *Caſp. Sanctii*, hunc *Pſalmum* more Hebræorum dictum *Miſericordias Davidis.* Dum tamen hoc minime exploratum eſt, quod à Davide ut autore ſit profectus ille Pſalmus, qui inſcribitur

Et Benignitatum ejus ſimul.

*Ethanis Hezrachitæ*; & ſæpius citiusque res denominantur aliunde quam ab eas tantum celebrante. Activus deinde erit ſenſus certiſſime, ſi *benignitates Davidis* ſint, quas ille in Deum & proximum præſtitit, *coll. Pſal.* CXXXII. 1——5. longe utique maximas in Meſſia ad populi electi & alias perituri ſalutem Patriſque gloriam, uti ſic paſſim de *benignitatibus Jehovæ agitur Jeſ.* LXIII. 7. *&c.* Sed ſolet Interpretibus non immeritò magis heic placere ſenſus paſſivus, ſecundum quem *benignitates Davidis* erunt illæ, quæ à Deo olim erant promiſſæ, & conſequenter præſtandæ Davidi, *coll. Pſal.* XVIII. 51. 1 *Reg.* III. 6. *&c.* atque multum commendantur in Pſalmis Duobus adductis. Inter quas omnino numerandum & plurimum æſtimandum venit Regnum illud ampliſſimum & æternum, quod ex Davide ortus Meſſias erat habiturus per orbem omnem, ſecundum principale argumentum promiſſionis lectæ 2 *Sam.* VII. 11——16. & 1 *Chron.* XVII. 10——14. quam cum aliis locis illuc ſpectantibus olim prolixius illuſtravimus *EXERC. TEXT. VII. Parte VI.* nec non latiſſime inculcatæ *Pſal.* LXXXIX. 21——38.

Et Fidelitatis de his prædicatæ.

X. Et hæ Davidis Benignitates dicuntur נאמנים / quod ſive vertas, per *veras*, *firmas*, *certas*, *conſtantes*, in ſe, ſive per *fidas* vel *fideles* à parte Dei, ſive per *fide dignas* & firmiter *credendas* à parte hominum, non multum intereſt, cum unum eorum ex altero fluat, vel cum altero plane cohæreat. In qua firmitate, fidelitate, & fide, illarum Benignitatum illuſtranda aſſerenda & celebranda, plurimis phraſibus negativis & poſitivis, conſiſtit magna pars prolixi illius *Pſalmi* LXXXIX. *verſ.* 4. 5. 21. 22. *&c.* ubi etiam legas *verſ.* 36-38. *ſemel juravi per ſanctitatem meam, ſi Davidi mentiar! ſemen ejus in æternum erit, & thronus ejus ſicut ſol coram me, ſicut luna firmabitur æternum, & teſtis in cœlo fidelis!* Unde & Petrus inter alia dixit *Act.* II. 30. *Davidem ſciviſſe*, ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ θεὸς ἐκ καρπῦ τῆ ὀσφύος αὐτῦ τὸ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνυ αὐτοῦ *&c.* Sicut porro Benignitates hæ Fideles Davidis optimè reſpondent Fœderi Seculi cædendo, quod eſt in Verſus hujus initio; ita licet collationem facere inter *ſeculum*, ſeu æternitatem illic memoratam, & *fidelitatem* heic aſſertam. Illic nempe monuimus meritò reſpici, non tantum

ad

ad Fœderis Durationem, ſed etiam ad Bonum in eo promiſſum, quod potiſſimum eſt læta Æternitas. Atque ita heic monemus, Fidelitatem heic æque referri poſſe & debere ad Benignitates promiſſas & præſtandas in ſe, quam ad earum promiſſionem & præſtationem Divinam, ut ſic omni modo hæ tales dici queant.

Quas & Daturus ſuis erat Meſſias.

XI. Enimverò, qualis eſt illa *Datio*, quam Meſſias ſibi cum reſpectu ad audientes ſe tribuit, ὅτι δώσω ὑμῖν; ſecundum Pauli ſupplementum, quod jam ſupra monuimus eſſe ſatis aptum, nec certe à Chriſtianis ob autoritatem Apoſtoli repudiari poteſt. In ea equidem ego cogitari poſſe putem; primò dè *Datione* per doctrinam explicantem illas Benignitates clarius quam antea à quoquam factum fuerat; deinde dè earundem *Datione* per implementum, præſens, præteritum, aut ex parte quoque futurum, *coll.* 2 *Cor.* 1. 20. *&c.* ſed tandem de earundem etiam *Datione*, per communicatos cum fidelibus ipſis fructus lætos tanquam ſuam partem. Qualis Datio cenſeri ſimul poteſt, ut vim argumenti Apoſtolici non leviter adaugens.

Vis argumenti ex his verbis pro Chriſti Reſurrectione monſtratur tandem.

XII. Et quænam, inquis, eſt illa tandem? Dicam paucis id quod res eſt. Benignitates Davidis Regis in Filio Meſſia, quas ille celebraverat cum fiducia in iis conſtituta, quibusque Reſurrectio continebatur, erant quidem minime evanidæ aut fallaces, ſed fideliſſimæ. Benignitates ejuſdem, quas præſtaret Deo Patri & Eccleſiæ, per ipſam quoque Mortis acerbæ paſſionem, erant perinde integerrimæ, & ut tales agnoſcendæ ac coronandæ per Vitæ ſubitam Reſtitutionem Divinam. Verum quod heic præcipuum & forte unicum eſt, Benignitates ejuſdem objectivæ & paſſivæ de Regno Æterno in Filio, quod ille poſt & per Paſſiones acquireret, erant fideliſſimæ; nec aliter obtineri poterant, quam ſi ex morte tolerata quantocyus Meſſias reviviſceret, aliis virtute ſua oportune vitam reſtituturus etiam. Et, qui hoc ipſum, tanquam Teſtis & Dux populorum, erat proclamaturus, imo & partem ſuam ſuis daturus, is in morte ad corruptionem non poterat manere. Quæ videri ſic ſatis debent apodictica. Quod ſi etiamnum roges, an non apertiora alia ſint Vaticinia de hac re, quæ felicius urgere potuerit Apoſtolus; idem di-

cam quod ad probationem Vitæ Beatæ & Reſurrectionis Mortuorum contra Tſadducæos ex appellatione Dei Abrahami Iſaaci & Jacobi dici ſolet. Imo eſſe & alia Vaticinia expreſſiora, quale ex *Pſalmo XVI.* etiam Paulus ipſe poſt Petrum adduxit; uti pro Vita & Reſurrectione Mortuorum beata non deerant Servatori alia loca & argumenta. Sed voluiſſe Paulum nobis ſic ſignificare; tum vim & Senſum Pleniorem Verbi Divini, non facile exhauriendum; tum Officium noſtrum, non tam legendi quam ſerutandi Scripturas cum omni attentione, ad verba omnia, & res, & tam harum quam illorum nexum etiam latentem; tum maxime Rei probandæ Pondus & Neceſſitatem, tanquam quæ in Promiſſis Antiquiſſimis & Fœderalibus, ipſi Davidi olim factis, etiam contineretur, ut non poſſet vel deberet amplius ullo modo eſſe incognita vel dubia. Ob quam rationem ad ipſam Formulam Fœderis Patriarchalis Chriſtus contra Tſadducæos diſputans nos attendere potiſſimum juſſit.

---

## CAPUT SEPTIMUM.

### *Quo inquiritur, an & quo modo dictum Pſalmi* II. *verſ.* 7. *Tu es Filius meus, hodie genui te, ad Reſurrectionem Chriſti confirmandam faciat.*

Dictum Pſalmi II. 7. ter à Paulo adductum in Novo Teſt.

NOn ſemel, ſed ter adduxit Paulus Apoſtolus in Novo Teſt. verba Deo Patri ad Meſſiam tributa *Pſalm* II. non illa quæ conſequuntur *verſ.* 8. 9. *poſtula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam fines terræ, confringes eos in virga ferri, ſicut vas figuli diſperges eos*; ſed illa quæ ante hæc ſunt proxime præmiſſa *verſ.* 7. *Filius meus tu, ego hodie genui te*, quæ à Patre *ad ſe dicta narraturus* dicitur Meſſias *ad ſtatutum*; poſtquam præmiſerat Pater, *atque ego unxi Regem meum ſuper Tſion montem ſanctitatis meæ verſ.* 6. Scilicet notavit ille *Hebr.* 1. 3. 4. 5. *Filium conſediſſe ad dextram majeſtatis in excelſis, tanto præſtantiorem factum Angelis, quanto excellentius præ illis* κεκληρονόμηκεν ὄνομα, *cui enim unquam Angelorum dixit?*

*dixit? Filius meus es Tu, ego hodie genui te.* Et ſcripſit haud multo aliter magnus idem Apoſtolus *Hebr.* v. 4. 5. 6. *neque ſibi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron; ita & Chriſtus non glorificavit ſe ipſum ut eſſet Pontifex, ſed is qui dixit ad ipſum, Filius meus es Tu, ego hodie hodie genui te.* Quo utroque notiſſimo loco cum ad Chriſti prius Exinaniti Glorificationem cœleſtem, tanquam *Pſalmo* 11. *verſ.* 7. prædictam, planiſſime ſpectari videatur; tertius hic eſt *Act.* XIII. 32. 33. qui nos in illis Pſalmi verbis determinate queat videri ad Chriſti Reſurrectionem ducere. Sic enim dixiſſe heic Paulus fertur à Luca; *Et nos euangelizamus vobis ad Patres factam promiſſionem, quod hanc Deus implevit nobis liberis ipſorum, ἀναςήσας Ἰησοῦν, ſicut & in Pſalmo Secundo ſcriptum eſt,* υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε; uti in Hebræo textu apud Davidem eſt בני אתה אני היום ילדתיך.

II. Facit verborum iſtorum explicatio dicam an applicatio Apoſtolica repetita, ut de Meſſia in iis, præ Davide patre, cogitare debeamus omnino, miſſis ineptiis Pſeudo-Chriſtianorum quorundam, voluntariò heic cæcutientium & alios excæcare ſtudentium. Dum Pſalmus ipſe per Nomen *Meſſiæ* cum illo *Jehovæ* arctiſſime junctum, & per *Prædicata omnia*, ab initio tantum non ad finem, paſſiva & activa, nos adeo à Davide abducit ad Servatorem noſtrum θεάνθρωπον, ut *Iudæi* nonnulli Veteres & Recentiores id diffiteri neutiquam potuerint; ſecundum ea, quæ de hac re diximus dudum *EXERC. TEXT. XV. Parte III.* Sed an ejus Reſurrectio ex Morte heic deſignetur in illis vocibus Paternis de Filio, id eſt quod magis in controverſiam venire queat. Pro ſententia affirmante laudatur non abſque ratione Pauli illud verbum, *promiſſionem Deus implevit, ἀναςήσας Ἰησοῦν, reſuſcitans Jeſum*, uti habet *Vulgatus*, vel *ſuſcitato Jeſu* ſecundum *Bezam*, *ſicut & in Pſalmo Secundo ſcriptum eſt &c.* Dum Excitatio ex morte, quæ in Chriſto locum omnino habuit, per illud verbum æque quam ἐγείρειν aptiſſime ſignificata, ſic alias venire prorſus ſolet, *coll. verſ.* 34. juxta *Act.* II. 24. 32. ὃν ὁ θεὸς ἀνέςησε, λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ &c. τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέςησεν ὁ θεὸς, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες, & *Act.* III. 26. ὁ θεὸς ἀναςήσας τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν,

Quod ad Meſſiam ſpectat, & refertur non ad Reſurrectionem ex Morte directe, ſed ad ejus Exhibitionem & Exaltationem.

& *Act.* XVII. 31. πίσιν παρασχὼν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, &c. Unde hæc verbi ſignificatio in præſenti textu à multis ſuppoſita fere fuit dudum. Dum ab altera parte in ſententiam oppoſitam negantem urgetur ab aliis, quod poſt ſimpliciter adhibitum verbum ἀναστήσας cum reſpectu ad hunc *Pſalmum verſ.* 32. 33. tranſeat demum Apoſtolus ad Reſuſcitationem ex morte, ex aliis locis afferendam *verſ.* 34. 35. ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, μήτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, οὕτως εἴρηκεν, ὅτι δώσω &c. διὸ καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει, οὐ δώσεις &c. Unde apud verbum nudum ἀναστήσας, abſque additione ἐκ νεκρῶν potius ſit cogitandum, vel de ejus Adventu in mundum per Nativitatem Miraculoſam, vel de ejus Inſtructione & Miſſione Divina ad prædicandum inſecuta, vel de ejus Exaltatione ad regnum à dextra Patris in cœlis gerendum, ſi non ad plura iſthæc ſimul. Quo pacto uno & altero legimus *Act.* II. 30. ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ τοῦ κατὰ σάρκα ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, *Act.* III. 22. VII. 37. ὅτι προφήτην ἀναστήσει ὑμῖν ὁ κύριος ὑμῶν ἐκ τῶν ἀδελφῶν ὑμῶν, *Act.* XIII. 22. 23. ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαβὶδ εἰς βασιλέα &c. τούτου ὁ Θεὸς ἀπὸ τοῦ σπέρματος κατ' ἐπαγγελίαν ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν, &c. Et in quem ſenſum nos trahere fortè poteſt etiam, quod non tantum heic non ſit additum ἐκ νεκρῶν, ſicuti *verſ.* 30. & 34. ſed quod agatur de euangelizata impletione *Promiſſionis* Patribus factæ, quæ generalior eſt de Meſſia Venturo, Prædicaturo, & Regnaturo, potius quam determinate de ejus Reſuſcitatione ex mortuis. Dum ad principale argumentum, de progreſſu ad Reſuſcitationem ex mortuis *verſ.* 34. demum facto, vix ſolide ſatis dici poteſt, illic ſpectari magis ad negatam *Reverſionem in corruptionem*, quam ad Reſuſcitationem; ſiquidem iſta duo omnino ſunt connexa, nec divellenda à ſe invicem. Unde cum iis ego etiam facio potius, qui illud ἀναστήσας Ἰησοῦν unice vel directe non putant adeo ſpectare ad Reſuſcitationem ex mortuis, quam ad Jeſu Exhibitionem & Exaltationem omnem inſecutam. Attamen, cum Exhibiti Meſſiæ Exaltatio ſit facta etiam per Reſuſcitationem ex mortuis, quæ fuit Gradus ejusdem Primus quidem ſed vere Magnus, & ad eam plane Neceſſarius, poteſt & debet ad illum quam maxime ex adverſo referri.

Ut

Ut à *ſuſcitatione* generalius ſic dicta, & variis modis facta *verſ.* 32. 33. tranſeat Apoſtolus *verſ.* 34. 35. ad Reſuſcitationem ex mortuis ſpecialius aſſerendam.

III. Enimvero, quo modo verba illa Patris ad Filium iter à Paulo citari potuerunt iſto ſenſu, ſine everſione dicam an læſione magna Myſterii Chriſtiani de verè Æterna Filiatione & Generatione Filii à Patre? Siquidem ſic declarare queat videri ipſe Apoſtolus in illis, *Tu es Filius meus, ego hodie genui te*, minime iſtud Myſterium contineri aut declarari, ſed unice ſpectari, ſi non Filii Reſuſcitationem ex mortuis, utique Exhibitionem ejus in Carne temporariam cum ſecuta Glorificatione omni. Qui ſenſus temporarius, & uti dici ſolet Oeconomicus, ſi obtineat in hoc loco palmario, ubi de Filio & ejus Generatione adeo expreſſè agitur; in reliquis omnibus haud difficulter idem invenietur, qui vel agunt de Filio aut Generatione tantum, vel etiam per Acquiſitionem, Egreſſionem, Formationem, & Vitam Datam creduntur communiter exponere Generationem Hyperphyſicam. Quod ipſum tantò magis avertendum eſt, poſtquam *Socinianorum* & *Sociniantium* veſtigia hodie tantopere ſecuti ſunt, qui ex *Roëllii* diſciplina prodierunt aut ejus doctrinam male ſanam ſequuntur, non quidem in negata Filii Deitate, ſed ejus Generatione Vera & Æterna, per quam ipſe conſtituatur Filius Dei, & quidem ſolam, in oppoſitione ad cauſas omnes alias temporarias. Sed quod heic brevius à nobis abſolvi poterit, poſtquam olim de hac re diſtincte ſatis egimus *EXERC. TEXT. XV. Parte II.* quin & *Analyſin* dedimus *Exegeticam* totius hujus *Pſalmi EXERC. TEXT. XV. Parte III.* Ita ut in illo tanquam Prophetico-Doctrinali repererimus Davidicam 1. *Increpationem Hoſtium* Eccleſiæ, poſt quorum α. *Conatum* inſanum *verſ.* 1. 3. β. *Oppoſitio* contra eum deſcribitur futura *Jehovæ* ſimul *& Filii ejus*, *verſ.* 4-9. 2. *Inſtructionem* eorundem ſalutarem α. Communius *propoſitam verſ.* 10. β. Diſtinctiuſque reſpectu Jehovæ & Filii *expoſitam verſ.* 11. 12. Et ut ſimul ſpectaverimus in *oppoſitione* illa. 1. Jehovam tanquam *ſedentem in cælis*, qui ad molimina hoſtium *ridebit*, & *loquetur ad eos in ira ſua*, *ego unxi Regem meum ſuper Tſion montem ſanctitatis meæ.* 2. Filium Meſſiam, ut

Abſque minima Læſione Æternæ Generationis tamen & Filiationis ejus.

*Do-*

*Dominum, ſubſannaturum & perterrefacturum eos in æſtu ſuo; & narrantem porro ad ſtatutum Jehovæ ad ſe dicta*, quæ ſpectarent tum ad *Perſonam* ſuam, *Filius meus Tu, ego hodie genui Te verſ.* 7. tum ad *Regnum* ſuum *verſ.* 8. tum denique ad *Hoſtes* ſuos *verſ.* 9. Quam analyſin ex verbis ipſis adſtructam vide loco citato.

Dum diſtinguenda Res dicta, quæ eſt Æterna, ab ejus Dictione, quæ facta in Tempore.

IV. In iſtis jam Jehovæ verbis ad Unctum ſuum, quæ hic primo memoravit loco, diſtinguenda prorſus eſt *Res* ipſa aſſerta, ab ejuſdem *Dictione* narrata. Per quam obſervationem, magis quam per alia omnia heic ab Interpretibus notata, tollitur facillime omnis quæ heic movetur difficultas; & ſalvum ita eſt heic Myſterium Æternæ Filiationis ac Generationis, ut tamen Filii illius Exhibitio & Exaltatio Temporaria heic omnino reperiatur etiam, atque hinc ſolide aſtruatur ab Apoſtolo. *Res* ſcilicet ipſa eſt, quod Meſſias reſpectu Perſonæ ſuæ eſſet *Jehovæ Filius*, Singularis, Proprius, & vere Unicus, adeoque plane Æqualis Patri, tanquam à Jehovah *Genitus*, non per qualemcunque demum analogiam, quæ in Creaturis quibusvis, vel Rationalibus, vel Fidelibus hominibus, locum habet. Sed per veram proprieque dictam Communicationem Ejuſdem numero etiam Eſſentiæ Divinæ; ſive ad hanc ipſam ſpectet illud *hodie* additum, noteteque adeo Æternitatem ſemper præſentem, ſive ex adverſo hoc ad Tempus manifeſtationis rei potius retuleris. Et hæc res conſtituit magnum illud Chriſtianiſmi Myſterium, quod nemini vere pio vel impetere profanè vel ridere impie licet; quodque qui heic contumaciter renuit invenire, is de non credita re ipſa ſe ſuſpectum manifeſte reddit. Sed ab hac Re ipſa differt plurimum ejuſdem *Dictio* Divina ad Filium, & per Filium ad nos. Quæ eſt iſtius Rei ſcil. Declaratio à Jehovah facta, adeoque Paterna Agnitio verbalis & realis, quin & Proclamatio magnifica, per modum fundamenti Regni collati, & argumenti ob quod hoſtes ſibi metuendum à ſpreto & impetito hoc Rege haberent plurimum. Uti ſic legimus, *propter* Generationem ex Virgine per intervenientem Operationem Spiritus Sancti eum, non quidem futurum demum, ſed *appellandum* eſſe *Dei Filium Luc.* 1. 35. h. e. uti vere erat, ita & demonſtrandum & agnoſcendum

ſcendum pro tali initialiter. Uti ſic porro apud ejus Baptiſmum à Johanne factum Pater ex cœlis dixit, *hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacet Matt.* III. 17. idemque fere repetiit in Monte *Matt.* XVII. 5. Uti ſic quoque in omni curſu Miniſterii terreſtris *Pater mittens ipſe teſtatus eſt de illo Joh.* v. 37. Uti ſic amplius in Reſurrectione ex mortuis eſt *determinatus*, ſeu peremptorie demonſtratus, *Dei Filius in potentia ſecundum Spiritum Sanctitatis Rom.* I. 4. Uti ſic ampliſſime tandem in cœleſti Exaltatione ad throni Paterni conſortium admiſſus, fuit ut Filius veri nominis *glorificatus ea gloria apud Patrem, quam habuerat antequam mundus eſſet apud eum Joh.* XVII. 5. nec minus declaratus Deus quam Dominus & Chriſtus, *coll. Pſal.* LXVIII. 19. *Act.* II. 36. *&c.* Atque hoc eſt illud *dicere* Jehovæ ad Meſſiam, quod cum Datione actuali Regni hoſtiumque promiſſa ſubactione plane in re & in tempore eſt connexum. Quemadmodum ſi Rex Filium ſuum in dignitatem Regni poſt ſe, vel ſub ſe aliam minorem, immiſſurus dicat, Hic eſt Filius meus, à me genitus, cui hinc hanc aut illam poteſtatem tribuo, ab omnibus agnoſcendam, non ſic primum illum ut Filium generat, ſed honore conveniente Filio ſuo eundem coronat, ad obedientiam in eum promovendam.

V. Atque iſtam ſic intelligendam *Dictionem* Jehovæ ſpectavit conſtanter Apoſtolus, ubi *Pſalmi* hoc dictum ad ἀνάστασιν & Glorificationem Jeſu in tempore factam retulit, verba Alloquii adducens, quin & *Nomen* urgens, addensque εἶπε *Hebr.* I. 5. & λαλήσας πρὸς αὐτὸν *Hebr.* v. 5. ſolidiſſime ſic oſtendens utique, Promiſſionem hanc de eò proclamando Filio ſuo eſſe impletam. Quo pacto & nos lubenter meritoque Reſuſcitationem Filii ex mortuis, tanquam in Exaltatione comprehenſam & ad eam ſpectantem, heic à Davide prædictam reperimus, & celebramus. Plura de his vide citatis antea locis, quibus de iis egimus prolixius.

Quæ poſterior à Paulo in citatis uibus dicti hujus urgetur.

## CAPUT OCTAVUM.

### *Quo alia pro Chriſti Reſurrectione Vaticinia laudantur ex Pſalmorum Libro eodem.*

Reſurrectio Chriſti etiam aliis plurimis locis olim fuit prædicta, quæ in Novo Teſt. in eam rem non laudantur.

Alia jam ante monuimus eſſe ſatis manifeſta Vaticinia complura de Chriſti Reſurrectione ex mortuis, quæ non perinde omnia tamen in Novo Teſt. per Apoſtolos laudantur pro ea, ſed noſtræ induſtriæ inquirenda multa ab ejus Scriptoribus ſunt relicta. Ad quæ etiam Paulus generalius reſpexiſſe recte creditur, ubi illum *ſuſcitatum*, non minus quam mortuum & ſepultum, prædicat κατὰ τὰς γραφάς, *ſecundum Scripturas* 1 *Cor.* xv. 4. indefinite quidem ſed & in plurali numero. Quia vero de *Pſalmorum* loco uno & altero egimus modo, lubet in eodem Libro luſtrare alia quædam; ſive de Chriſti Mortui Exaltatione conſequenti illa generalius agant ſimul, ſive etiam ad Reſurrectionem directe magis reſpicere ipſam credi queant.

Quorſum referre licet ex Pſalmis Octavum.

II. Enimvero inter alia prioris generis excellit *Pſalmus Octavus*, in quo de Meſſia agi docet, juxta ejus Argumentum ipſum, etiam Scriptura Novi Teſt. tum *Matt.* xxi. 16. tum 1 *Cor.* xv. 27. & potiſſimum *Hebr.* 11. 6–8. Διεμαρτύρατο δὲ πού τις, λέγων, τί ἐστιν ἄνθρωπος, ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ, ὁ υἱὸς ἀνθρώπου, ὅτι ἐπισκέπτῃ αὐτόν; ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφάνωσας αὐτόν, καὶ κατέστησας αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου, πάντα ὑπέταξας ὑποκάτω τῶν ποδῶν αὐτοῦ &c. τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον βλέπομεν Ἰησοῦν διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, ὅπως χάριτι θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Licet enim haud illubenter agnoſcam, citationem dictorum Vet. Teſt. in Novo aliquando fieri, non tantum ſecundum ſenſum Myſticum, ſed & per Accommodationem ad aliud ſubjectum; nolim tamen huc venire niſi urgente neceſſitate, quæ heic nulla obtinet, dum modo agnoſcamus in phraſibus ad Primi Hominis hiſtoriam & Naturæ Opus heic quadantenus alludi, dum Gratia Euangelica de Meſſia vere prædicitur. Et hujus Pſalmi Analyſin Exegeticam noſtram reperies *EXERC. TEXT. XVI.*

*XVI. Parte III.* Secundum quam reperitur in eo *verſ.* 4 — 9. amplior Diductio Gratiæ in Fideles per Chriſtum, & nominatim hujus, tum *Exinanitio* præcedens maxima, ſed מעט / βραχύ τι, *parumper*, ad breve tantum tempus duratura, tum *Exaltatio* conſequens, quando *gloria & decore coronatus* idem fertur, atque *Dominatio ampliſſima* ipſi tribuitur. En primum ergo Meſſiæ Mortem acerbam, in qua Exinanitio fuit ejus maxima! ſed & en, poſt brevem ejus Durationem, multo latius deſcriptam ejus Gloriam, quæ Redivivum ipſum manifeſtè ponit, & à morte omni liberatum pleniſſime! præeunte ſic Paulo ipſo, nec contradictionem ullam admittente apud pie & ſedulo attendentes.

Nec non Pſalmum Decimum & Octavum.

III. Neſcio, an prætermittere heic queam *Pſalmum Decimum & Octavum*, qui etiam legitur 2 *Sam.* XXII. In quo quidem Davidem agnoſco loquentem de Se ipſo, fatisque ſuis externis, *coll. verſ.* 1. attamen & de *Semine* ſuo, ſi non in omnibus, utique in quibusdam, ſecundum clauſulam illam *verſ.* 50. 51. *propterea confitebor tibi in gentibus Jehovah, & nomini tuo pſallam, magnificanti ſalutes Regis ſui, & facienti benignitatem Uncto ſuo, Davidi & Semini ejus uſque in ſeculum.* Dum ad locum *Samuelis* notavit *Lud. Cappellus in Crit. S. vanitatem obſervationis iſtius Maſſorethicæ, qua ſollicitatur lectio* ℔ *Cetib*, (in מגדיל / *magnificans*, pro quo legi volunt per *Keri* מגדול *turrim*) *non modo ſine neceſſitate, ſed & contra ipſam Scripturam, & antiquas Verſiones* ∓ *LXX. & Vulgat. adeoque & adverſus Paraphraſin Chaldaicam quæ ipſis eſt quaſi authentica.* Meſſiæ utique quam maxime conveniunt illa *verſ.* 5—7. *circumdederunt me funes mortis, & valles*, vel *torrentes, Belial terruerunt me, funes inferni circumdederunt me, occurrerunt mihi laquei mortis, in anguſtia mea invocabo Jehovam, & ad Deum meum clamabo, audiet de palatio ſuo vocem meam, & clamor meus coram eo intrabit in aures ejus &c.* non tantum ſenſu Anxietatis ſpiritualis, ſed & Depreſſionis corporalis, à qua Deus exaudiens liberaret, & ad quam nos heic etiam duxiſſe queat videri Petrus *Act.* II. 24. quando Deum reſuſcitantem Chriſtum ex morte deſcribit ut λύσαντα τὰς ὠδῖνας ℔ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτου. Nec minus illa quæ ſequuntur *verſ.* 19. 20. *occurrerunt mihi in die contritionis meæ,*

*& fuit Jehovah in fulcrum mihi, & eduxit me in latitudinem, eruit me, quoniam complacuit in me &c.* item *verſ.* 29. *quoniam tu illuminabis lucernam meam Jehovah, Deus meus illuminabit tenebras meas &c.* Et quæ ſunt illic plura ſimilia, quæ cur ad emblematicum ſenſum unice trahi debeant, cum excluſione literalis, vel etiam ad ſolum Davidem, cum excluſione ſeminis ejus Principalis referri, ego equidem nullus video. Nec permittit Chriſtianis hoc Paulus *Hebr.* 11. 13. ubi iſthæc *Pſalmi* hujus verba *verſ.* 3. אחסה בו / *ſperabo in eum*, ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, urget expreſſe ut à Meſſia dicta.

Item Pſalmum Viceſimum Primum & Secundum.

IV. Dum vero in conſiderationem heic magnam venire etiam forte poſſet *Pſalmus Vigeſimus & Primus*, inde ab initio ipſo *verſ.* 2. *&c. Jehovah, in robore tuo lætabitur Rex, & in ſalute tua quam exultabit valde? Deſiderium cordis ejus dediſti ei, & prolationem labiorum ejus non prohibuiſti, Selah! quoniam occurres ei benedictionibus boni, imponis capiti ejus coronam obrizi, vitas petiit à te, ei dediſti longitudinem dierum in ſeculum & perpetuum, magna gloria ejus in ſalute tua, gloriam & decus diſponis ſuper eum, quoniam pones eum benedictiones in perpetuum, exhilaras eum in lætitia cum facie tua, &c.* tanquam præ Davide Meſſiæ conveniens omnino, quod nunc urgere nolim; utique prætermitti minime poteſt *Pſalmus Vigeſimus & Secundus*, à nobis expoſitus *EXERC. TEXT. XVI. Parte II.* Qui in prima parte latiſſime deſcribit Meſſiæ Paſſionem ipſam, non tacita illius Crucifixione, hujusque Circumſtantiis quibusdam notabilibus; deinde potiſſimum à *Verſu* 23. ad ejus Exaltationem tranſit, *enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te, &c.* quæ etiam citavit Paulus tanquam in quibus fideles dignaretur Meſſias nomine *fratrum* ſuorum *Hebr.* 11. 12. uti ille hoc ſuum in eos opus, poſt *propoſitionem* illam *declaratum verſ.* 24. 25. *timentes Jehovam laudate eum &c. quia non ſprevit, nec abominatus eſt afflictionem afflicti, neque abſcondit faciem ſuam ab ipſo, ſed cum clamaret ipſe ad eum exaudivit*, & *confirmatum verſ.* 26. claudit per *Fructus* hinc ſecuturos, propoſitos non modo, ſed & deſcriptos ab Extenſione latiſſima, ſine ullo etiam diſcrimine *verſ.* 28–30. & à Protenſione ad longiſſime poſt futura tempora *verſ.* 31. 32. Quæ omnia manifeſte Reſurrectionem ex morte involvunt, vel ſupponunt. V. In-

V. Illuſtris quin etiam in rem eandem eſt *Pſalmus Quadrageſimus*, quem Analyſi Exegetica decenter illuſtravimus *EXERC. TEXT. XXIII. Parte V.* & quem prorſus ad Perſonam Meſſiæ pertinere docuit iterum Paulus *Hebr.* x. 5–10. διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον λέγει, θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, ὁλοκαυτώματα καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ εὐδόκησας, τότε εἶπον, ἰδοὺ ἥκω, ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπταί περὶ ἐμοῦ, τοῦ ποιῆσαι ὁ θεὸς τὸ θέλημά σου &c. ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμὲν διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐφάπαξ. Quemadmodum pro Paulo contra Infideles omnes faciunt iſta ex Pſalmo ipſo adducta ſatis irrefragabiliter. Quis vero hujus pro peccatis noſtris in morte oblati non cogitet heic Vitam novam quoque ex morte? ubi ex hujus ore audit *verſ.* 2–4. *Exſpectando exſpectavi Jehovam, & inclinavit ad me, & audivit clamorem meum, & aſcendere me fecit ex fovea ſtrepitus, ex cœno luti, & ſtare fecit ſuper petram pedes meos, firmavit greſſus meos, deditque in ore meo canticum novum, laudationem Deo noſtro, videbunt multi & timebunt & confident in Jehovah &c.* quin & ubi *Clauſulam* hanc *Pſalmi* totius conſiderat *verſ.* 18. *atque ego afflictus & egenus, Dominus pro me cogitat, tu meum auxilium & meus ereptor, mi Deus, ne moreris:* quibus concluditur Meſſiæ Precatio in præteritis adverſitatibus ejus. Dein Pſalmum Quadrageſimum.

VI. Minus interim certum ego me profiteor de *Pſalmo Quadrageſimo Primo*, quem declaravimus *EXERC. TEXT. XI. Parte VI.* an & ille ad Chriſti Reſuſcitationem nos ducat; dum aliquid tamen eſt in eo, quod ad Meſſiam applicatur *Joh.* xiii. 18. ubi Chriſtus inquit, *non de omnibus vobis loquor, ego novi quos elegerim, ſed ut Scriptura impleatur,* ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ, ἀπ' ἄρτι λέγω ὑμῖν πρὸ τοῦ γενέσθαι, ἵνα ὅταν γένηται πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι, in quibus manifeſte reſpicitur ad illa in hoc *Pſalmo verſ.* 10. *etiam vir pacis meæ, in quo confidebam, panem meum edens, ſuper me calcaneum magnificavit.* Sed in eo hæreri poſſet, an ad Meſſiam ex morte Reſuſcitandum ſpectent omnino etiam, atque referre oporteat determinate illa quæ leguntur *verſ.* 2–4. tum nomen דל *attenuati*, ſeu *ægri*, absque *He* deſignativo, quod alii potius capiunt communiter de quovis tali, tum illa quæ, Forte & Pſalmum Quadrageſimum Primum.

ſeu de intelligenter agente in attenuatum iſtum, ſeu de Attenuato potius ipſo ſubjiciuntur; *In die mali eripiet illum Jehovah, Jehovah ſervabit illum, & vivificabit illum, beatificabitur in terra, & ne tradas illum in animam inimicorum ejus, Jehovah ſuſtentabit illum ſuper lecto languoris, omnem decubitum illius convertis in infirmitate illius.* Quod dubito admodum an ſolide probari poſſit.

Certius Pſalmum Sexageſimum & Octavum.

VII. Sed longe certior ſum de ſpectante huc directe *Pſalmo Sexageſimo & Octavo*, quem illuſtratum dedimus *EXERC. TEXT. XVIII. Parte III.* Et quo ita clare & late à Davide deſcriptus eſt Meſſias, non tantum à Gratia & Juſtitia ejus perpetua *verſ.* 6. 7. atque à Veteri in Iſraëlem Beneficentia *verſ.* 8——17. Gloriaque Cœleſti *verſ.* 18. ſed & à ſua glorioſa Aſcenſione cum fructibus & ſequelis ſuis *verſ.* 18. 19. *&c. aſcendiſti in altum, captivaſti captivitatem, accepiſti dona in homine, atque etiam refractariis, ad habitandum Jah Deus, &c.* ut & Paulus declaraverit illa huc pertinere *Eph.* IV. 8-10. διὸ λέγει, ἀναβὰς εἰς ὕψος, ἠχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις, τὸ δὲ ἀνέβη τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς; ὁ καταβὰς αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν ἀποστόλους, τοὺς δὲ προφήτας, *&c.* Nec poſſunt ad Meſſiæ deſcriptionem dari verba clariora iis quæ præter alia occurrunt *verſ.* 20. 21. *&c. benedictus Dominus, die die onerat nos, Deus hic ſalus noſtra, Selah, Deus hic Deus nobis ad ſalutes, & Jehovæ Domino ad mortem exitus, verum tamen Deus franget caput inimicorum ſuorum, verticem pili ambulantis in reatibus ſuis &c.* De illo autem Meſſia quando heic canit ante omnia David *verſ.* 2——5. *ſurget Deus, diſpergentur inimici ejus, & fugient oſores ejus à facie ejus, ſicut diſpellitur fumus diſpelles, ſicut liqueſit cera à facie ignis, peribunt improbi à facie Dei; & juſti lætabuntur, exſultabunt ad faciem Dei, & gaudebunt in lætitia, cantate Deo, pſallite nomini ejus, exaltate equitanti in campeſtribus in Jah nomine ejus, & exultate ad faciem ejus &c.* non ignoro equidem, voces illas primas magnopere convenire cum iis quæ precative à Moſe proferebantur ad Dominum apud Arcæ Profectionem *Num.* X. 35. per נוּסָה *ſurge*, & poſſe heic etiam Futurum יָקוּם *opta-*

optative reddi *ſurgat*, quando nec prædictio hinc excludetur, ſed eadem cum deſiderio rei prædictæ jungetur. Enimverò, quamquam illic nullus ſit reſpectus, in voce *ſurgendi* ad Jehovam relata, ad Reſurrectionem ex morte (ſive literalis ſive etiam myſticus, qui ſatis commodus ſit,) ſed potius ad loci mutationem in deſerto una cum ſui compoſitione ad robur adverſus populi perdendos hoſtes exſerendum; id minime obſtat, quo minus heic de Reſurrectione ex ſepulchro & morte intelligatur illa, ubi de Deo Filio & Meſſia manifeſte agitur, eſtque Aſcenſio proprie dicta in cœlum, quæ illi deinde tribuitur. Quæ cum literaliter omnino de ipſo ſecundum Humanitatem ſit intelligenda; nulla datur ratio, cur apud *Surrectionem* ipſi tributam antecedenter prætermittamus ipſius ex Morte & Sepulchro Exitum per vitam receptam, & quidem propria ejus virtute, atque unice cogitemus, ſeu demonſtrationem potentiæ & juſtitiæ Divinæ contra hoſtes & pro populo, *coll. Pſal.* 111.8. xxxv. 2. *&c.* ſeu exaltationem ex depreſſiore ad altiorem ſtatum, *coll. Jeſ.* xxxiii. 10. *Mich.* vii. 8. *&c.* Cujus quidem Reſurrectionis ſequela foret, non modo Statio æterna, absque ſimili quiete Chriſti aut lapſu per mortem ullo; ſed & Surrectio omnis ulterior, ſeu exaltatio, & operatio, tam ad hoſtium perditionem quam ad populi ſui vivificationem. Secundum ea quæ heic ſequuntur; ab una parte, *diſpergentur inimici ejus &c.* & ab altera, *juſti lætabuntur &c.* quæque ad literam ſuum etiam implementum habuerunt apud Domini Reſurrectionem, tum in Sepulchri Cuſtodibus impiis, tum in Fœminis & Diſcipulis piis, uti antea vidimus in hiſtoria ipſa.

Quin & Sexageſimum & Nonum,

VIII. Quin etiam loquitur *Pſalmus Sexageſimus & Nonus*, tractatus à nobis *EXERC. TEXT. XXIV. Parte V.* clariſſime de Meſſia, ad quem cum iis quæ ad eum ſpectant & dicta ejus varia referuntur in Novo Teſt. *Joh.* 11. 17. xv. 25. xix. 28. 29. *Rom.* xi. 9. xv. 3. *Act.* i. 20. Is autem in eo non tantum *Precatur* liberationem ex paſſionibus graviſſimis, exaudiendus certiſſime à Patre ſecundum ſervidiſſima vota ipſius; ſed & declarat *Fiduciam* ſuam ſolidam de Exauditione illa, adeoque & Reſuſcitatione ex morte oportuna, cum lætiſſimis ſequelis ſuis, inde à *verſ.* 30. *&c. Atque ego afflictus & dolens*,

*lens, me Deus tua ſalus extollet*, (etiam ex mortis & ſepulchri depreſſione) *laudabo nomen Dei in cantico, & magnificabo eum in confeſſione, & bona erit Jehovæ præ bove juvenco cornuto ungulam dividente, &c.* Qualis Dei Celebratio à Meſſia futura eum arguit Redivivum omnino, æque quam Fidelium hinc fluens Lætitia *verſ.* 33. *&c. manſueti videbunt, lætabuntur Deum quærentes, & vivet cor veſtrum &c.*

Utique præ aliis Pſalmum Centeſimum & Decimum.

IX. Dum nolumus heic urgere pro Reſurrectione ipſius Meſſiæ & Regni ejus Gloriam ampliſſimam repertam *Pſalmo LXXII.* quem expoſitum dedimus *EXERC. TEXT. XXII. Parte IV.* neque repetimus, quæ ad *Jeſ.* LV. 3. ſunt dicta de Benignitatibus Fidelibus Davidis quæ celebrantur *Pſalmo LXXXIX.* à nobis tractato *EXERC. TEXT. XI. Parte VI.* & perinde *Pſalmo CXXXII.* à nobis declarato *EXERC. TEXT. XII. Parte VI. &c.* venire decet ad *PSALMUM CENTESIMUM & DECIMUM*, quem explicuimus *EXERC. TEXT. XVIII. Parte II.* & qui etiam in Novo Teſt. adducitur tanquam ad Meſſiam omninò ſpectans, Filium Davidis ſimul & Dominum ejus, *Matt.* XXII. 43. 44. *Act.* II. 34. 35. I *Cor.* XV. 25. *Hebr.* V. 6. VII. 17. 21. Atque ille quidem heic deſcribitur, non modo ut glorioſiſſime ſeſſurus & regnaturus, ſed & aliquando Sacerdos æternus apud Patrem futurus, præ morientibus Sacerdotibus Leviticis, atque in clauſula *verſ.* 7. *de torrente bibiturus in via, propterea exaltaturus caput.* Ubi, miſſis aliis exegeſibus plurimis minus ſolidis, in *via* reperimus vitam Chriſti in his terris notam, in *torrente* mala quæ ipſi in ea obvenerunt plurima & graviſſima uſque ad mortem, in *bibitione de* eo eorundem paſſionem cum ſenſu lubentia ac depreſſione maxima, in futura propterea denique *capitis exaltatione*, tum felicem ex malis illis eluctationem, tum ſummæ gloriæ oppoſitam collationem, hujusque publicam & lætam oſtenſionem, ad quam nequit dubitari quin & vere pertineat ipſius ex morte Reſurrectio cum inſecuta Aſcenſione, tanquam in qua etiam ad literam caput ejus, antea in ſepulchrum depreſſum, fuit ab ipſo vere exaltatum.

Juxta Pſalmum Centeſimum

X. Unum etiamnum lubet addere *PSALMUM CENTESIMUM DECIMUM & OCTAVUM*, cujus *Verſus*

22.

22. & 23. (ut de aliis nunc nihil dicamus,) reperimus toties ad Meſſiam applicatos in Novo Teſt. ab ipſo Domino & ab ejus Apoſtolis, *Matt.* XXI. 42. *Marc.* XII. 10. *Luc.* XX. 17. *Act.* IV. 11. *Eph.* II. 20. I *Petr.* II. 4. 7. Cujus loci alias a nobis non expoſiti illuſtrandæ in rem præſentem voces illæ; *lapis, quem reprobarunt ædificantes, factus eſt in Caput anguli, à Jehovah factum eſt hoc, mirabile illud in oculis noſtris, hic dies quem fecit Jehovah, exſultabimus & lætabimur in eo, &c.* Nempe nomen *Lapidis* metaphoricum heic datur, non præcipue aut unice, ſi ullo forte modo & ſenſu leviori ac umbratico, *Davidi*, ſed hujus Filio & Succeſſori illuſtriſſimo Meſſiæ. Licet enim & nomen *Lapidis* ad illum applicari queat, intuitu maxime firmitatis ipſius in ſtatu ſuo & animo ſimul; licet ille queat dici *reprobatus*, tanquam inidoneus ad munus ipſi à Deo deſtinatum, à familia primum ſua ſed & dein à procerum multitudine adhærente Sauli, qui *ædificantium* nomen ſuſtinere poſſunt; licet ille vere quoque ſpectari poſſit tanquam *caput anguli factus*, cum regnum ipſi deſtinatum in Judam & Iſraelem obtinuit, atque populum hunc omnem ad ſe recepit gubernandum & defendendum cum diuturna firmitate hujus; licet & hoc illi contigerit contra molimina humana à *Jehovah*, per ſupremam & potentiſſimam hujus manum, ad attendentium admirationem juſtam; licet tandem *dies*, quo hoc factum eſt, ut lætiſſimus merito celebraretur antiquitus; quantilla tamen ſunt illa omnia ad exhauriendum vocum adductarum ſenſum? Ex adverſo Chriſtus eſt *Lapis*, omni modo firmiſſimus in ſe, robore infracto & animo, atque æque idoneus ad firmandam Eccleſiam quam confringendos hoſtes in ipſum incurrentes, *coll. Iſ.* VIII. 14. XXVIII. 16. *Dan.* II. 34. 35. *Zach.* III. 9. *&c.* Chriſtus idem ut talis eſt *reprobatus*, cum ignominioſiſſimo contemptu & odio lethali, mortem operato, à populi Iſraëlitici Proceribus Politicis & Eccleſiaſticis, quibus ædificatio ejus erat commiſſa, *coll. Luc.* XIX. 14. *Ioh.* VII. 48. XIX. 6. 15. *Matt.* XXIII. 37. *&c.* Chriſtus idem in *caput anguli* tamen *eſt factus*, tanquam præcipuum fundamentum, munimentum, & ornamentum, Eccleſiæ ſuæ, in quo tum anteriores & poſteriores fidelium, tum & Judæi atque Gentiles unirentur arctiſ-

Decimum & Octavum.

ſime, & conſiſterent ſimul validiſſime, *coll. Matt.* XVI. 18. 1 *Cor.* III. 11. *Eph.* II. 20. 21. *&c.* quod per Reſurrectionem cepit; quam etiam Petrus memoravit proxime ante citatum hoc vaticinium *Act.* IV. 10. 11. & de qua ut cogitemus merito facit idem Apoſtolus 1 *Petr.* II. 4. ipſum appellans *Lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum,* παρὰ δὲ θεῷ ἐκλεκτὸν, ἔντιμον. Chriſtus idem Lapis talis ἀκρογωνιαῖος eſt factus à *Iehovah*, ipſum excitante & hoc omne porro curante ac operante, pro ſapientia, potentia, bonitate, & conſtantia ſua infinita, modo quam maxime *admirabili* apud homines, incredulos & credentes. Et hic Dies eſt ſummæ lætitiæ, qua diſpellatur quicquid mœroris eſt ex Domini hujus Reprobatione iniqua contractum à populo ipſius.

---

## CAPUT NONUM.

### *Quo pro futura Chriſti Reſurrectione ex Jeſaiæ Vaticiniis diſputatur amplius.*

Prædictionem Reſurrectionis Chriſti etiam reperire licet apud Jeſaiam, tum Cap. XXVIII. 16. & Cap. XLIX. 7. 8. 9.

CUm ex *Jeſaia* non minus quam ex Davide Paulus diſputaſſe ſit deprehenſus à nobis pro Domini noſtri Reſurrectione *Capite* VI. etiam ex iſthoc Vate magno & vere Euangelico nos diſputemus nunc ulterius, poſtquam de Pſalmis pluribus actum fuit modo. In quam rem non tangemus jam complura loca, quibus Propheta iſte de Meſſiæ Gloria, etiam poſt ejus Ignominiam ſecutura, per Divinam dationem æquiſſimam, agit cum neceſſaria incluſione Reſurrectionis ipſius. Uti talis judicari debet textus cum poſtremo Pſalmo magnopere conveniens *Jeſ.* XXVIII. 16. *Idcirco ſic dixit Dominus Jehovah, ecce ego fundans in Tſione Lapidem, Lapidem probationis, anguli pretii, fundamenti fundati, credens non feſtinabit.* Quem citans Petrus, cum relatione ad Chriſtum manifeſta, dixit 1 *Petr.* II. 6. διὸ καὶ περιέχει ἐν τῇ γραφῇ, ἰδοὺ τίθημι ἐν σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτὸν, ἔντιμον, καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ: addens etiam, ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσιν, ἀπειθοῦσι δὲ λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος

ὃτ@ ἐγεννήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας ϗ λίθ@ προσκομμάτ@ ϗ πέτρα σκανδάλ8, &c. Nec non Paulus, jungeus etiam locum alterum ex *Jeſ.* VIII. 14. habet *Rom.* IX. 33. καθὼς γέγραπται, ἰδὸ τίθημι ἐν σιὼν λίθον προσκομμάτ@ ϗ πέτραν σκανδάλ8, ϗ πᾶς ὁ πιςεύων ἐπ' αὐτῷ ὐ καταισχυνθήσεται. Uti talis omnino etiam eſt locus *Ieſ.* XLIX. 7.8.9. Vilitatem Meſſiæ apud homines cum Gloria illi à Dei tribuenda arctiſſime connectens; *Sic dicit Jehovah, Redemptor Iſraelis, Sanctus ejus, ad contemptum animæ, ad abominatum gentis, & ad ſervum dominantium, reges videbunt & ſurgent, principes & procumbent, propter Jehovam, quoniam fidelis, Sanctum Iſraelis, & elegit te, ſic dicit Jehovah, in tempore beneplaciti exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te, & ſervabo te & dabo te in fœdus populi, ad erigendam terram, ad hæreditare faciendum hæreditates deſolatas, ad dicendum vinctis, exite, iiſque qui in tenebris, prodite, &c.* Quæ etiam Mortis cum Vita nova permutationem futuram liquidiſſime arguunt.

II. Sed iſtis & ſimilibus nunc miſſis, unice lectorem duco ad *Jeſaiæ Caput LIII.* celebratiſſimum, cujus totius *Analyſin exegelicam* edidi olim *Anno MDCLXXXVII.* ante annos quadraginta. Illud agere certiſſime & unice de Meſſia, loquitur Res ipſa, juxta ejus citationem in Novo Teſt. obviam, *coll. Joh.* XII. 38. *Rom.* X. 16. *Matt.* VIII. 17. 1 *Petr.* II. 24. *Act.* VIII. 32.33. 1 *Petr.* II. 22. *Marc.* XV. 28. *Luc.* XXII. 37. *&c.* Ut in media luce claudant oculos, tam Judæi, quam Chriſtiani nominis homines, qui vel ex parte vel in totum vellent nos heic abducere à Meſſia, ſive ad Abrahamum, ſive ad Moſem, ſive ad Joſiam, ſive ad Jeremiam, ſive ad Populum Judaicum, ineptiſſime equidem, cum ille in textu à Perſona ſanctiſſima ſingulari manifeſtiſſime plusquam ſemel diſtinguatur. Uti & contra Judæos magnopere laudari heic meretur *Jonathan Uzielides*, quando de ſervo Dei Meſſia heic agi pluſquam ſemel agnoſcit, cum multa tamen variorum prædicatorum torſione; uti & *Gemara Sanhedrin Cap. XI.* in qua nomen חוורי / *Leproſi*, inter alia Meſſiæ datum, ex hoc repetitur.

Tum maxime Capite Quinquaſimo & Tertio.

III. In eo *Capite*, poſt *Proœmium*, lectum *verſ.* 1. *quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini ſuper quem revelatum*

Cujus datur breviſſima Analyſis.

*latum eſt* ? ſequitur *Narratio Principalis*, ſpectans ad Meſſiæ primum *Exinanitionem* anteceſſuram *verſ.* 2-10. dein *Exaltionem* conſecuturam *verſ.* 10. 12. Uti in Exinanitione tum reperimus, & *Humilem* ejus *Ortum*, & *Vitam Calamitoſam*, propoſitam & varie declaratam, à Cauſa Impulſiva, à Fine & Fructu, à Cauſa Suprema dirigente, & à Manſuetudine ac Spontaneitate ipſius propria; & poſt iſta, *Mortem* amaram *verſ.* 8. & *Sepulturam*, deſtinatam à Judæis & procuratam à Deo *verſ.* 9. 10. Atque tum in Exaltatione, *Bonum Meſſiæ* promiſſum triplex *verſ.* 10. 11. cum hujus *Fructibus*, tum in Electis *verſ.* 11. tum in Hoſtibus oppoſitis *verſ.* 12.

Ejus Mors illic antecedenter reperta.

IV. Ut de *Morte & Sepultura* verbum præmittamus, qua Vita ejus Calamitoſa erat finienda, hanc unam ante aliam heic prædictam deprehendere licet. *Mortem* quidem *verſ.* 8. obſcurius, cum morientis *Dignitate*. Sed clarius cum mortis *Violentia*, *& Ratione*. *Obſcurius* ſcilicet illa ſignificatur *verſ.* 6. *ex anguſtia & judicio aſſumptus eſt*, *at ætatem ejus quis enarret* ? quibus quo modo conveniant per omnia Græca illa *Act.* VIII. 33. ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη, τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; non eſt neceſſum ut heic oſtendatnr, præter inſtitutum noſtrum. Enimvero licet non deſint complures, qui in iſtis jam reperiant Chriſti Exaltationem, reſurgentis ſcilicet & aſcendentis; ego tamen illorum ſequor partes potius, qui ad probrum ejus patientis & deſcendentis eadem referunt. Adeo ut עצר, *anguſtia*, deſignet optimè angorem tum animi tum corporis omnem, & משפט, *judicium*, judicialem proceſſum, tum Patris irati, tum tribunalium humanorum, unde anguſtia ejus fluxit. Et ut conſequenter *ex* iis לקח, *aſſumptus* eſt, dicat ipſam Mortem, in qua Anima ejus à corpore ita fuit ſeparata, ut ad Deum & lætam ejus fritionem ſit ſimul tranſlata, *coll. Pſal.* LXXIII. 24. *Jer.* XV. 15. *&c.* Et quod ad Interrogationem ſubjectam attinet, *at ætatem ejus quis enarret* ? hanc non video melius exponi, quam de Æterna ipſius ac Independenti plane Vita, quam Generatione hyperphyſica acceptam à Patre, in ipſa morte non depoſuit, utpote Vita ipſe & Vitæ omnis fons verus, ſecundum ſummam perſonæ ejus dignitatem, quam & per alias exegeſes varias heic tamen deprehendere quoque licet. Quaſi diceretur,

tur, per Mortem ex anguſtia & judicio ereptus eſt ille, qui Vivit æternum abſolutiſſime immortalis & incorruptibilis, *coll. Act.* III. 15. ὁ δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε *&c. Clarius* mox eadem Mors Meſſiæ exponitur *verſ.* 8. *exciſus enim eſt de terra viventium, ob defectionem populi mei plaga ei*, pro quibus Græce eſt *Act.* VIII. 33. ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ, manente eodem ſenſu generali. Nempe *terra viventium*, vel *vitæ*, notat inferiorem hanc mundi partem quæ à viventibus incolitur, vel ſi placet viventium ſocietatem ipſam, in oppoſitione, ſive ad cœlum & infernum damnatorum, ſive ad *terram oblivionis*, *umbræ mortis & obſcuritatis*, *foveam*, *ſepulchrum*, *infernum*, *&c.* Et de hac *excidi* deſignat mortem vi illatam, inſtar arborum præciſarum, huic Meſſiæ antea quoque heic conſiderato ut ſurculo & radici ſurgenti ex terra arida. *verſ.* 2. *coll. Luc.* XXIII. 31. Ad quam eandem Exciſionem violentam cum ejus ratione declarandam nos cum plurimis Interpretibus ſimpliciſſime referimus illa multum vexata verba, quibus hic verſus clauditur, למו נגע עמי פשע / *ob defectionem populi mei plaga illi.* Ita ut למו, heic non ſit vertendum pluraliter *illis*, quod tum varie intelligitur magis vel minus incommode, ſed ſingulariter *illi*, nempe Meſſiæ exciſo de quo ſermo omnis eſt antecedens & conſequens; prout למו etiam alibi, ſive per epentheſin ſive per enallagem, poſitum eſt pro לו / *coll. Gen.* IX. 26. 27. *Job.* XX. 23. XXII. 2. XXVII. 23. *Pſal.* XI. 7. *Jeſ.* XLIV. 15. *&c.* obſervantibus illud Chriſtianis Doctiſſimis, poſt *Kimchium* ex Judæis ipſis. Ut conſequenter נגע *plaga*, dicat, ſecundum primum vocis ſenſum, percuſſionem gravem & lethalem, ad exciſionem neceſſariam, factam quidem à populo impio, ſed & ſimul à Deo ut judice ſupremo rem iſtam omnem ordinante & dirigente ſapientiſſimo & ſanctiſſimo modo. Qui nempe ſic voluit ſatisfieri Juſtitiæ ſuæ pro peccatis electorum ſuorum, ſecundum illud quod hæc plaga ejus futura dicitur, *ob mei*, ſeu fidelium, ſeu Vatis, ſeu Dei per eum loquentis, *populi*, non corporalis ſed ſpiritualis, ſeu Eccleſiæ veræ ex Gentibus æque quam Judæis olim vocandæ, *defectionem*, non unam ſed omnem, originalem & actualem, quæ non aliter ipſis remitti poterat, *coll. verſ.* 4. 5. 7. 10. *&c.*

Juxta Sepulturam proxime insecutam.

V. Atque istius Excisionis ac Plagæ consequens foret Sepultura, quæ proponitur non tantum, sed & ratione bimembri illustratur magis *vers.* 9. 10. *Et dederunt*, hæc est propositio, *cum impiis sepulchrum ejus*, *& cum divite monumentum ejus*, vel eum *in morte ejus*. Ubi nulla est ratio, cur post mortem antea clarissime significatam, *ejus*, seu Messiæ descripti, *sepulchrum*, seu cadaveris receptaculum, improprie intelligamus, quod illi etiam ad asserendam mortis certitudinem erat tribuendum. Et tribuitur heic duplex; unum ignobile, *cum impiis*, seu flagitiosis & humano judicio hinc extinctis hominibus in aliqua horum scrobe, in quod ille non quidem erat detrudendus actu, sed quod illi erat *dandum*, ab hostibus trucidantibus, tum destinatione, tum & paratione qualicunque; alterum vero splendidum prorsus, quod & hinc præstantius *monumenti*, seu *excelsorum*, במת/ nomen meretur forte, quodque curaret illi singularis providentia Dei per Josephum Arimthæensem Senatorem *Divitem*, qui corpus Jesu à Pilato petiit & obtinuit & in monumento suo novo diligenter curavit, quo ipso sepultura ejus actualis cum impiis fuit impedita. Quo pacto omnium facillime solvitur nodus, qui ex eventus collatione, variis de his verbis conjecturiis aliis, aptioribus & ineptioribus, occasionem dedit. Sed qui sic solutus commodissime, ostendit simul nexum optimum cum sequenti ratione bimembri; *Quoniam non fecit injuriam, neque dolus in ore ejus, sed Jehovah volens conterere eum infirmitatem immisit.* In prioribus est manifesta assertio Innocentiæ sanctissimæ Messiæ, qui *injuriam*, impiis & facinorosis specialem, vel & ullam minimam quoque in Deum aut proximum, *non fecerat*, actualem, imo & ab omni linguæ transgressione alienus fuerat, *in ejus ore dolo* non reperto ullo. In posterioribus autem est designatio manus superioris in Christi passione agnoscendæ prorsus; *sed Jehovah*, ipse supremus & justissimus, non obstante ipsius Innocentia, *eum*, Messiam mortuum & sepeliendum, *conterere*, plaga & morte illata, *voluit*, ob populi cujus erat Sponsor defectionem scilicet, atque hinc *infirmitatem immisit* ei omnem, quam subiit, *coll. vers.* 5. 6. 7. *&c.* Dum præter connexionem & phrasin & scopum alii heic cogitant de Infirmitate à Jeho-

hovah immissa volenti enervare Messiam Satanæ. Quoniam vero ita res se habitura erat in Messia, hinc Sepulchrum ejus quidem dandum à populo impio cum facinorosis, sed & simul curaturus Deus ne tam ignobiliter post mortem tractaretur, sed ut potius dignissime haberetur.

VI. Non pergit Vates ad tradendam Messiæ Exaltationem, nisi cum repetita & in summam contracta *Mortis* ejus *piacularis* mentione *vers.* 10. *Cum posueris delictum animam ejus*, si non, *cum posuerit delictum anima ejus.* Ubi in *ejus anima*, intelligere potes Messiæ Personam, vel & Vitam, vel & partem ejus Spiritualem, quatenus hæc tum à corpore in morte erat separanda, tum & antecedenter gravissime affligenda per vere infernales dolores & angores. Omni utique modo isto in *delictum* אשם, seu victimam pro delicto expiatoriam, anima illa erat *ponenda*, secundum sed & supra Typos omnes Legales, qui præcesserant dudum & ad usque implementi sui tempus durare debebant, *coll. vers.* 5. *Psal.* XL. 7. *&c.* Quæ quidem positio per verbum שים in tertia persona Fœminina potuit tribui ipsi Animæ Messiæ in Nominativo, subintellecto fere pronomine reciproco *se*, ut ipse simul tanquam Sacerdos & Victima spectetur; sed quæ non minus recte per Verbum idem שים in secunda persona Masculina tribuitur compellato sic Jehovæ, volenti conterere & infirmitatem immittenti, tanquam Judici supremo, *coll.* 2 *Cor.* v. 21. *eum qui non novit peccatum fecit pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, &c.* Et hoc quidem non forte sed necessario præcessurum esse, ante ejus ingressum in gloriam suam, docet Conjunctio אשר cujus non unam esse significationem conditionalem *si*, sed & alias, *quia* & *cum*, undique constat. Et sunt argumenta, pro vera Christi Morte Satisfactoria pro nobis & peccatis nostris, tam multa & valida in omnibus modo ex hoc Euangelico Jesaiæ Capite adductis, ut stupenda sit cæcitas tam *Judæorum* quam *Socinianorum*, istam nondum agnoscentium sed impugnantium.

Mortis piacularis Repetita illic descriptio.

VII. Nunc intellige demum *Bona* Messiæ promissa, quæ potissimum in hac tractatione nostra spectamus, *vers.* 10. *Primum* ex tribus est; *Semen videbit*, positive omnino, & non potentialiter, *semen vidisset* forte. Et hoc de eodem Mes-

Post quam Messias Semen Visurus.

Meſſia morituro & ſepeliendo, atque in victimam piacularem ponendo, prorſus intelligendum eſt, ut res inter ſe cohæreant. Cui quando tribuitur nunc *Semen*, indubie notatur poſteritas, non ſingularis ſed numeroſa, quam acquiſiturus erat ipſe; non utique corporalis, ſed ſpiritualis per regenerationis gratiam, quam conſtituunt ejus Subjecti, per ejus æque quam Patris & Spiritus operationem Divinam, Propheticam, Sacerdotalem, & Regiam, *coll. Pſal.* cx. 3. *Jeſ.* viii. 18. ix. 5. 1 *Joh.* ii. 28. 29. *&c.* Emphaſis verò eſt heic longe maxima in ejus Seminis *Viſione*, utpote quæ egregie exprimit; illius fruitionem certam, cum habeamus illa quæ videmus coram, *coll. Job* vii. 7. *Eccl.* i. 16. *&c.* tum propriam fruentis vitam, absque qua neutiquam videret Semen idem, *coll. Gen.* xlviii. 11. *Pſal.* cxxviii. 6. *&c.* porro delectationem illius in illa ſeminis fruitione, *coll. Pſal.* cxi. 8. xvi. 3. *&c.* & tandem fruentis curam jugem de Semine ſuo, *coll. Pſal.* xxxiii. 13. *Jeſ.* xl. 11. *&c.* Ita autem quando Meſſiæ tribuitur *Seminis Viſio*, & quidem poſt & per Exciſionem ſuam, quæ alias ab Arboribus exciſis omnem ſpem Seminis longiſſime arcet, efficaciſſime Vita illi Reſtituenda declaratur, *coll. Joh.* xii. 24.

Et Dies prolongaturus.

VIII. *Alterum* Bonum Meſſiæ connexum eſt iſtud; *Dies prolongabit*. De quo hoc dicitur? An de Meſſiæ Semine? quod foret μακρόβιον, *longævum*, *diuturnum*, & ſic *prorogaret*, aut *prolongaret dies*, aut *dies longos viveret*, ſecundum interpretationes LXX. *Vulgati*, & Recentiorum multorum? Non puto; ſi vel tranſitive de Meſſia hoc putetur dici, quod *dies* ſeminis ſui *prolongaturus* foret, quando non de Semine ejus, ſed de ipſo heic directe agitur, cui & ſequentia prædicata omnia ſunt tribuenda. Ergo de Meſſia ipſo hoc intellige dictum, quod *dies*, vitæ ipſi poſt exciſionem reddendæ, ſit *prolongaturus*, non ultra terminum aliquem à Deo conſtitutum equidem, ſed poſt mortem ſuam, & communem omnium terminum, & mundi totius durationem, h. e. vitam æternam & immortalem prorſus accepturus, *longitudinem dierum in ſeculum & æternum Pſal.* xxi. 5. *vivens in ſecula ſeculorum Apoc.* i. 18. *&c.* ut ſic Semen ſucceſſive per ſecula omnia obtineret, cum quo beatam æternitatem communicaret. Unde iterum cla-

clariſſime eluceſcit, quod poſt mortem certiſſime & citiſſimè vitam eſſet recepturus.

IX. Quin & tertium hoc additur; *Et per ejus manum Jehovæ beneplacitum proſperabitur.* Iterum ſunt hæc manifeſte referenda ad ipſum Meſſiam, qui Semen videret, & Dies prolongaret; non autem ad hujus Semen, licet & hoc voluntatem Dei vere operaretur, & labor hujus in Domino non foret fruſtra. Ejus autem Meſſiæ *manus* nos ducit ad ipſum, non patientem, ſed potentiſſime operantem in vita nova ipſi conceſſa; id quod *Jehovah* ipſi commiſit exſequendum ad electorum ſalutem & hoſtium perditionem, quodque ſub nomine *beneplaciti* ipſius heic venit, uti illud ſummo jure meretur, tum propter ſummam Dei & prorſus independentem libertatem, tum & propter ejus ſingularem benignitatem in eo eluceſcentem. Et dicit porro hujus beneplaciti *proſper ſucceſſus* per ejus manum; ab una parte Meſſiæ aptitudinem ſummam, actuoſitatem promptiſſimam & conſtantiſſimam, atque hinc ſufficientiam perfectiſſimam; ſed ab altera parte eventum proſperrimum, certiſſime conſecuturum, & hinc cum fiducia immota exſpectandum. Nec poterat aliter fieri ad ſatisfactionem ab ipſo præſtitam pleniſſime, in anima poſita ad peccati expiationem, quæ heic per בְּ/ *ſi*, vel *cum*, præmiſſa fuit. Et ad quam diligenter attendendam rurſus ducimur per annexum illud; *ob laborem animæ ſuæ videbit, & ſatiabitur.* Quod ita referri poteſt ad omnia tria quæ præceſſerunt, ut tamen immediatum nexum habeat cum proſperatione beneplaciti Jehovæ per ejus manum. Ergo iſta, & hoc poſtremum maxime, *viſurus* erat Meſſias, h. e. fruiturus cum ſingulari attentione & voluptate atque acquieſcentia læta; ad quam magis etiam ducit *ſatiatio* addita, q. d. videbit ad ſatietatem, vel videbit ut ſatietur. Quod futurum *ob laborem animæ ſuæ.* In quo intellige laborem omnem moleſtiſſimum, quem tam in anima quam in corpore ſuo ſuſtinuerat, & qui conferri poſſet cum eo qui in parturientibus locum habere maxime ſolet graviſſimus & ſtudioſiſſimus, ſicuti & feminis videndi heic antea facta fuit mentio. Qui non tantum heic ſpectari debet ut antecedens, ſed & ſimul ut omninò meritorius remunerationis hujus lætæ; non tantum ex Pater-

Et Iehovæ Beneplacitum proſpere exſecuturus.

no pacto, ſed & ex intrinſeca laboris iſtius dignitate, *coll. verſ.* 12. *& Jeſ.* XLIX. 4. *Phil.* II. 9. *Hebr.* XII. 2. *&c.* Illa autem cum non poſſent locum habere, ſive quoad rem, ſive quoad ejus perceptionem lætam, niſi in Redivivo, hinc rurſus Vitæ poſt mortem Reſtitutio futura potentiſſime heic nobis ſignificatur.

Fructus hinc ſecuturi deſideratiſſimi.

X. Addamus etiam verbum de hujus rei omnis *Fructibus*, inde fluxuris in Piis & Impiis. Ad *Pios* ſpectat illud *verſ.* 11. *In ſcientia ſui juſtificabit Juſtus Servus meus multos, quia portabit ille iniquitates illorum.* En expreſſiſſime Meſſiam deſignatum, per nomen; tum *Juſti*, *coll. Jer.* XXIII. 5. *Zach.* IX. 9. *Act.* VII. 52. I *Pet.* III. 18. I *Joh.* II. 1. *&c.* quod in pleniſſimo ſenſu, ob communem omnium aliorum hominum corruptionem, ille unus meretur plus quam una ratione; tum *mei*, ſeu Jehovæ Patris, *Servi*, *coll. Jeſ.* XLII. 1. XLIX. 5–7. LII. 15. *Zach.* III. 8. *&c.* quando ille, omnium cum Patre Dominus, ſe ad hujus arbitrium ſanctiſſimum dedit in ſervitutem voluntariam ipſius, ad Eccleſiæ ſuæ ſalutem, hinc & factus ſervus dominantium, fidelium, infidelium, pœnæ, Legis, &c. per quæ & ſingulariter Patri placebat, & in exſequendo beneplacito etiam in gloria erat adhibendus. Unde & illi, tanquam Juſto Servo Dei tribuitur, *multorum*, non omnium abſolute hominum, ſed electorum qui comparate pauci ſed in ſe multi, *coll. Matt.* XX. 28. XXVI. 28. *&c. Juſtificatio*, h. e. abſolutio à morte cum oppoſitæ vitæ adjudicatione heic & poſthac futura ab ipſo; & quidem *in ſui ſcientia*, non jam ſubjectiva adeo quam objectiva, ſeu fide in ipſum vera, quam & ipſe operaretur in illis tanquam inſtrumentum apprehendendæ juſtitiæ ſuæ. De qua heic cogitare etiam cogimur per *iniquitatum illorum portationem* ipſi denuo tributam, *coll. verſ.* 4–6. *&c.* quæ cur ad Interceſſionem potius quam ad Oblationem ejus Sacerdotalem heic referatur, nulla ſane eſt ratio ſolida; dum vere Satisfactio ipſius eſt, ad quam Fides noſtra ita ſpectat, ut fundamentum ſit Juſtificationis hanc conſequentis. Reliqua quæ ſequuntur *verſ.* 12. ad *Impios* referimus; *Propterea impertiar ei multos, & robuſtos diſtribuet ſpolium, pro eo quod in mortem effudit animam ſuam, & cum defectoribus numeratus eſt, & ipſe peccatum mul-*

*multorum tulit, & pro defectoribus interceſſit.* In quibus *multos*, numero, & *robuſtos*, potentia, intelligimus hoſtes Chriſti, Angelos malos & Homines mundanos. Quos Jehovah *impertiturus* erat Meſſiæ, tanquam ſubigendos à ſe, *coll. Pſal.* II. 9. CX. 1. 2. 5. 6. *&c.* ita ut ipſe eos etiam tanquam *ſpolium diſtribueret* rurſus inter ſuos, *coll. Luc.* X. 19. *Marc.* XVI. 17. *Rom.* XVI. 20. 1 *Joh.* V. 4. 5. *&c.* Atque id futurum *propterea*, quod præceſſerat, etiam de Iniquitatum Portatione; imo *pro eo quod* in voluntariam mortem ſe dediſſet, ſic numeratus immerito inter defectores peſſimos, dum ſuorum peccata ſic tulit, atque per manſuetudinem ſingularem pro defectoribus graviſſimis ſimul interceſſit. Quales equidem Fructus, tum in Piis, tum in Impiis, nemo exſpectet ab eo, qui in morte maneret ab hac devictus, ſed omnes referant neceſſario ad ipſum Redivivum.

Reſurrectio Chriſti in iis manifeſte comprehenſa.

XI. Sic dedimus ſummam breviſſimam eorum, quæ olim ſatis late tradidimus, cum ſententiis aliis diverſiſſimis, & præcipuis argumentis, tam verſionum quam expoſitionum realium plurimarum; & quæ ſi deſiderentur illic videri poterunt. Dum id impræſentiarum modo egimus, ut oſtenderemus quam clare & copioſe in hoc Capite Euangelico tradatur, poſt Meſſiæ Mortem vere Expiatoriam pro Peccatis noſtris, ejuſdem Reſuſcitatio læta, non metaphorica ſed proprie dicta, nec communis illa cum aliis hominibus die noviſſimo futura demum, ſed ſingularis prorſus, & celerrima, ad quam effectus per orbem omnem potentiſſimi ſequerentur, hinc in Pios & in Impios omnino diverſiſſimi, ex quibus Vita ei reſtituta conſtaret palam.

---

## CAPUT DECIMUM.

### *Quo in eandem Chriſti Reſurrectionem adferuntur Ezechielis & Danielis Vaticinia illuſtria.*

Transitus ad Ezechielem & Danie-

Dicendum heic omnino etiam videtur nobis de iis quæ in rem noſtram reperimus, apud *Ezechielem* quidem latius

lem, eandem Christi Resurrectionem describentes.

*Capite XVII.* sed & apud *Danielem Capite II.* magnifice satis dicta, sub metaphora una & alia, diversa quidem inter se sed in eundem scopum tendente manifestissime. Ut ex istis collatis cum prioribus appareat, doctrinam de Messiæ Resurrectione ex Morte fuisse valde inculcatam, non tantum circa principia Regni Israëlitici, sub & à Davide ipso, nec tantum in ejus progressu ulteriore, quando vixisse constat Jesaiam, sed & in ejusdem Regni illius Perditione Babelica, ad quæ tempora hos Vates duos pertinere nemo ignorat ex ipsis illorum Vaticiniis.

Ezechielis in Capite XVII. Ænigma Parabolicum de Aquila, in Libanum veniente &c.

II. Ipsum illud Ezechielis *Caput XVII.* habet ab initio hoc *Proœmium* Divini ad ipsum verbi *vers.* 2. *Fili hominis, ænigma dic ænigmatice, & parabolam dic parabolice, ad domum Israel.* Quo ipso significatur, Verbum Dei secuturum, quod ad *Israëlem* spectaret æque quam proferendum erat, minime ad literam esse capiendum, sed ita fore seu metaphoricum seu allegoricum, ut non nisi mystice esset spectandum attente, & intelligendum certo; hinc & Nomine conjuncto cum Verbo radicali, & adhibita duplici phrasi, nisi hæc forte ad distinctas partes sermonis sit referenda distincte cum respectu ad corporalia & spiritualia Israelis fata. Quam omnem ejus vim vix expresserunt LXX. & *Vulgatus*, subst ituentes, διήγησαι διήγημα, καὶ εἰπὸν παραβολήν, *propone ænigma & narra parabolam.* Ænigma Parabolicum incipit ab *Aquila*, ave potentissima & rapacissima; non qualicunque, sed *magna*, præ aliis suæ æque quam alîus cujuslibet speciei, *magna* nominatim *alis*, *longa penna*, in iis alis, *plena* etiam *pluma*, & simul *variegata*; quæ adeo tam robore magno quam specie egregia & ornatu multum excelleret. Et videtur per repetitas literas præpositas נשר הגדול / agi heic de tali Ave, non aliqua indefinite, sed potius designari singularis una & nota satis determinate. De isthac Aquila narrantur multa notabilia prorsus. Primum est, quod *ad Libanum*, montem notissimum ad septentrionem terræ Israëliticæ in quam adjacentem per hunc dabatur ingressus, *venerit*, aliunde ex loco suo volans illuc. Alterum, quod *Cedri*, arboris illic firmiter alte eleganter ac copiose nascentis, & quidem singularis alicujus & eximiæ, ראש / *summitatem*, præcipuam, *abstulerit*, inde secum. Tertium, quod

*ejus*,

*ejus*, cedri impetitæ, *ramuſculorum*, teneriorum, *caput*, ſupremum, tantum non omne ſimul, *avulſerit*, adhibita vi roſtri & unguium non minus quam alarum. Quartum, quod & conſequenter *illud*, caput idem, *ramuſculorum*, avulſum, *ad terram*, non *Canaan* ſenſu proprio, ſed *mercatoris* appellativo, quæ talis eſſet præ Libano & locis aliis, *adduxerit*, ſecum, *illud in negotiatorum*, potius quam *aromatariorum*, *urbe ponens*, ut illic maneret. Quintum, quod *& de terræ*, ſeu Libani ſeu huic adjacentis, *Semine*, illic enato & exiguo in comparatione cum Cedro, ſimul *ſumpſerit*, ad ſe, *illudque*, aſſumptum, *in ſeminis agro*, ad ſemen recipiendum parato & ferendum apto præ aliis & nativo ſolo, *dederit*, ſatione ſua, ita illud *ſumens ſuper*, ſeu apud & juxta, *aquas multas*, incrementum facilius dare ſeminibus & plantis ſolitas, ut & *poneret*, terræ commiſſum iſti, *circumſpectiſſime* prorſus, & cum cura multa. Unde factum eſt, ut feliciter illud ſemen *germinaret*, *fieretque in vitem luxuriantem*, attamen *ſtatura humilem*, *ut ad eam*, aquilam magnam plantantem, *propaginibus ſuis*, germinatione emiſſis, *proſpiceret*, *eſſentque ſub ea*, aquila firmante & protegente, *ejus*, vitis plantatæ & germinantis, *radices* inferius per terram diffuſæ. Quo pacto ſemen illud *factum eſt in Vitem*, *& ramos fecit*, *& ornamenta emiſit*, per quæ ſic fieret Vitis hæc ſatis ſpectabilis.

III. Ænigma Parabolicum continuatur in *Aquila*, non jam illa priori, ſed altera quadam, נשר אחר / ſine *He* deſignativo, quæ perinde tamen ut prior foret *magna*, imo *magna alis*, *& multa pluma*; quæ ſimpliciter dicitur *fuiſſe*, indubie in propinquo conſpectu Vitis illius. Unde contigit, ut *ecce*, rem miram! *Vitis hæc*, antea deſcripta, *ad eam*, aquilam alteram, *ſuas radices*, inferiores, *applicaret*, *& ad eam ſuos ramos*, ſuperiores, *emitteret*, *ut ſe de plantationis ſuæ areolis irrigaret*, adeoque incrementum & decus daret ſibi & illa majus. Quod mirum equidem & indecens valde, cum *ipſa in agro bono ad aquas multas plantata eſſet*, *ad faciendum frondem*, *& ad ferendum fructum*, *ut in vitem magnificam fieret*, vel & *facta eſſet* modo. Unde Malum Viti huic denunciari ſuo nomine vult Deus per Prophetam, interrogative, *an proſperabitur*

Et ſimul Alterum de Aquila altera, cum Vite ad hanc conversa &c.

*bitur*, amplius vel magis, Vitis illa tam ingrate & imprudenter agens? *annon ejus radices*, ulteriores, *evellet*, aquila illa prior male adeo habita, *ejusque fructum ſuccidet*, *ut areſcat*, imo ut *ejus germinis frondes omnes exareſcant?* quæ tamen etiam ut poſitive dicta queunt reddi, manente ſenſu eodem; & *non in brachio magno aut in populo multo*, ſeu exercitu magno, quo nempe opus minime erit, *ad eam à radicibus ſuis tollendam*, ſeu plene ſatis perdendam. Quin & repetitis interrogationibus; *Et ecce*, Vitis illa tam bene, *plantata an proſperabitur? annon dum ventus orientalis eam tanget, exſiccando exſiccabitur? & in ſui germinis areolis exareſcet?* quæ tamen poſtrema etiam poſitive legi in eundem ſenſum omnino poſſunt.

Idem à Deo per Vatem declaratum.

IV. Poſt excitatam attentionem per ænigmatico-paraboli-cum dicendi genus iſtud, ad horum ſignificationem addendam tranſit & tranſiri vult Deus apud compellandam *domum rebellionis*, ſeu jam gentem ſeu familiam rebellem, in regem benefacientem æque quam in Deum. Ubi poſt Interrogationem illam, *annon noſtis quid hæc ſint*, aut *notent?* narrantur primum hinc & inde facta; *Ecce*, attendite ergo, *Babelis Rex*, ſummo prorſus jure per Aquilam Magnam priorem deſignatus, *Jeroſolymam*, in Libano apte repræſentatam, *venit*, cum exercitu ſuo, hoſtiliter, *ejusque Regem & ejus Principes*, in Cedri Libanicæ Summitate & Ramuſculorum ejus Capite ſimul exhibitos, *abſtulit*, de loco illo ſuo, *eosque ad ſe in Babel adduxit*. Quin & idem ille Babelis Rex, *de Regni Semine*, ſeu unum de gente & Regia in ea familia hactenus depreſſum, *aſſumpſit*, benigne ſatis ad ſe, *& cum eo fœdus cecidit*, ſeu ſolenniter iniit in ipſius bonum, *illud* ſimul *in adjurationem* cum exſecratione ſui, in caſu fœdifragii, *adducens*, *coll. Deut.* XXIX. 12. 14. *&c. & terræ Potentes*, inſtar *quercuum* vel *arietum*, & hinc forte denominatos metaphorice, *abſtulit*, ad ſe eos transferens, ſeu ut fidei datæ obſides, ſeu ut metuendos alias ſi cum Semine illo adverſus Regem Babelis conſpirarent aliquando; utique *ut regnum* ſeminis hujus *humile eſſet*, *nec ſe extolleret*, *ſed fœdus ſuum ſervaret ad ſuam ſtationem*. Hoc autem dum factum à parte Regis Babelici, ab altera Rex alter humilis terræ Iiſraëliticæ ab ipſo conſtitutus per fœdus firmatum, *contra ipſum rebellavit*, *ſuos nuncios in*

Ægy-

*Ægyptum mittendo*, cujus Rex per Aquilam alteram deſignabatur, *ut equos & populum multum ipſi daret*, in auxilium ſufficiens adverſus Babelis Regem & ad hujus jugum excutiendum; quod reſpondet iis quæ ſunt parabolice narrata de Vite ſuas radices applicante & ſuos ramos emittente ad Aquilam alteram. Ad quæ narrata ſequitur Denunciatio graviſſimi Judicii Divini ob factum illud prorſus deteſtabile, quod variis phraſibus ita exprimitur, ut & Juramento iterato firmetur; *Num proſperabitur?* ille ita adverſus Babelis Regem agens Rex Iſraëliticus, vel porro, vel magis, vel & ullatenus; *an evadet faciens iſta?* ut effugiat judicium meum iramque Babelici Regis, & conſiſtat; *& an fœdus violabit, & evadet? Vivo ego, dicit Dominus Jehovah*, (heic poſt interrogationes valide negantes eſt prius *juramentum* Dei, totiens ſolitum non tantum in gratia ſed & in ira irrevocabili, *coll. Pſal.* xcv. 11. *&c.*) *ſi non in Regis, ipſum Regem conſtituentis, cujus*, ſeu cui præſtitam, *adjurationem ſprevit, & cujus fœdus violavit, loco*, ſeu Regni ſede, *cum eo*, ſeu *apud eum*, adeoque *in Babelis medio, morietur! Neque Pharaoh*, Ægypti Rex ſic communiter dictus & à Semine terræ advocatus, *in exercitu magno, & in cœtu multo*, quem ſecum iſte adducet, *cum eo*, Semine advocante, *faciet*, quidquam cum exſpectato fructu, *in pugna*, ſeu *bello, in aggere profundendo, in propugnaculo extruendo, ad animas multas excidendum*, quæ ad unam vel alteram vel utramque partem belligerantem referri poſſunt. *Nam ſprevit adjurationem*, Semen illud Terræ, *ad violandum fœdus, & ecce manum ſuam dederat*, in amicam fœderis ſocietatem; *faciensque hæc omnia non evadet.* Quin & repetit Juramentum prius ſuum Deus; *Propterea ſic dicit Dominus Jehovah, vivo ego, ſi non adjurationem meam*, in meo nomine, *quam ſprevit, & fœdus meum*, me teſte & vindice initum, *quod violavit, in ejus caput etiam dedero!* ut pœnam ejus juſtam & gravem ſentiat cum perditione. Imo, *ſuper eum*, tam male agentem, *meum*, ſeu à me potenter ordinatum & adhibitum, *rete expandam*, ut evadere nequeat hoſtium ſuorum manum, *& in mea ſagæna comprehendetur* hinc certo, *eumque in Babel ducti faciam*, terram hoſtilem victoris male habiti, *& cum eo illic judicium inibo de prævaricatione qua in me prævaricatus eſt*, adjura-

jurationis & fœderis violatione dicta. *Ejusque profugi omnes, in ſuis alis omnibus, cadent in gladio*, hoſtili, victi & oppreſſi; *& reſidui in ventum omnem diſpandentur*, miſere disjecti fuga vel deportatione; *& quod ego Jehovah locutus ſim*, iſta cuncta, *ſcietis*, ita per eventum, uti nunc antecedenter illud agnoſcere veſtri eſt officii. Quæ plane conveniunt iis, quæ de Vite perdenda præceſſerunt in parabola. Et quæ illuſtrari magnopere ac firmari queunt ex hiſtoria, non tam Jojakimi, & Jojachini ſeu Jechoniæ, quæ forte ante Ezechielis hoc vaticinium præceſſit, quam Zedekiæ ſeu Mattaniæ, quæ proxime ſecuta fuit, uti illa legitur 2 *Reg.* XXIV. & XXV. *coll.* 2 *Chron.* XXXVI. *Jer.* LII. *&c.* Dum in præſens tantum illud Vaticinium Parabolicum heic ſpectamus ut Occaſionem alterius magis ſpiritualis, quod ſequitur immediate heic *verſ.* 22–24.

Analyſis reliquæ Partis Capitis hujus Promiſſivæ.

V. Uti igitur ſolet Deus, ad fidem & ſpem populi ſui fovendam, deſideriumque ad digniora objecta augendum, poſt graviſſima Judicia Externa ſubjicere Promiſſa ampliſſima Spiritualia, ita & heic agit. Quando. I. *Promiſſum* tale *proponit.* 1. De *Cedri* altiſſimæ *Parte* aliqua notabili. 2. Ejusque *Tractatione* Divina. 3. Et hujus *Succeſſu* læto. II. Addens etiam *Promiſſi* ejus. 1. Tum *Fructum* dignum. 2. Tum *Certitudinem* infallibilem prorſus.

Quæ ſpectat ad tenerum ramuſculum de Summitate Cedri altæ.

VI. Sic ſcilicet ſonant verba Promiſſi Dominici *verſ.* 22. 23. *Et ſumam ego de ſummitate Cedri altæ, & dabo de capite ramuſculorum ejus tenerum, decerpam & plantabo ego ſuper monte excelſo & elevato, in monte ſublimi Iſraëlis plantabo illum, & proferet ramum, & faciet fructum, eritque in Cedrum illuſtrem, & habitabunt ſub ea omnis avis omnis alæ, in umbra ramorum ejus habitabunt.* Ut res, de qua heic cogitare oportet, ſit, tum *Cedrus alta*, tum ejus *ſummitas*, tum de *ramuſculorum ejus capite tener* unus aliquis. Ad *Cedri Sublimis*, הארז הרמה / cum duplici *He*, quæ & ad *Aquilam* addebatur ante, nomen notandum venit, quod talis aliqua heic deſignetur non una communiter, ſed excellens illa, & de qua in parabola priori actum fuit *verſ.* 3. In qua deſignatione ducimur ſic literaliter prorſus, ad Arboris iſtius in Oriente & Libano notiſſimæ, tum Lignum ſolidiſſimum, *coll.* 2 *Sam.* VIII. 2. 7.

1 *Reg.*

1 *Reg.* v. 6. *&c.* tum Frondem gratiſſimam aſpectui tactui & olfactui, *coll. Ezech.* xxxi. 3. *Hoſ.* xiv. 7. *&c.* tum Radicem firmiſſimam, tum præcipue Altitudinem ſummam, *coll.* 2 *Reg.* xix. 23. *Ham.* ii. 9. *&c.* à qua & illa heic ut *ſublimis*, ſeu *alta*, quam maxime commendatur, potius quam à ſublimitate loci nativitatis ſuæ qui ſit Libanus. Sed metaphorice, vel ad Populum Jiſraëliticum aut Judaicum totum, *coll. Num.* xxiv. 6. *&c.* vel ad Tribum Judæ in illo præcipuam, *coll. Gen.* xlix. 8. *&c.* vel ad Davidis in hac Familiam præ aliis conſpicuam & Regiam, *coll. Jeſ.* xi. 1. *&c.* Uti *Cedri* notionem illa Gens Tribus & Familia optime ſuſtinet; per ſuam præ aliis Felicitatem conſtantem Divina virtute, *coll. Num.* xxiii. 21. 22. xxiv. 8. *&c.* per ſuam Pulchritudinem, Umbram, & Odorem gratum late diffuſum, Divina beneficentia corporali & ſpirituali, *coll. Ezech.* xvi. 14. *&c.* per ſuam Firmitatem immotam, *coll. Deut.* xxxiii. 28. *Jeſ.* xvi. 5. *&c.* denique per *Altitudinem* ſuam inſignem uſque in cœlum, *coll. Num.* xxiv. 7. *Pſal.* lxxxvii. 1. *&c.* Cedri hujus altæ *Summitas* צמרת / ἐκλεκτὰ vel ἐπιλεκτὰ apud LXX. *medulla* apud *Vulgatum*, ſeu *cacumen*, vel à *lanugine* molli increſcente vel ab *amputatione* facili in varios uſus ſic dicta, ſignificat conſequenter illius Gentis Tribus vel Familiæ, ſeu Excellentiſſimos, qui regerent & protegerent alios, *coll. Jud.* ix. 18. 11. 13. 15. *Rom.* xiii. 1. 1 *Tim.* ii. 1. *&c.* ſeu ſeros & ultimos Nepotes, cum temporale excidium ultimum inſtaret proventuras ex ea inſtar extremitatum, &c. *De* hac ſummitate Cedri & *ejus* tandem *Ramuſculorum Capite tener* unus aliquis מראש ינקותיו רך / ſingulariter potius quam collectivè, præ aliis minor, infirmior, mollior, vilior, & curæ alienæ indignus, nos ducit ad ſingularem in illa Gente Tribu & Familia Hominem, qui in Excellentibus & Nepotibus ſeris foret talis præ aliis externa conditione ſua. Unde intelligi in eo nequit; vel Rex aliquis in ea gente tribu & familia ante Babylonicam Captivitatem, quo certius eſt hic non rei præteritæ Hiſtoria ſed futuræ Vaticinium; vel Zorobabel poſt captivitatem aut alter quiſquam, qui nec tam ſero ex ea ortus fuit nec tam altecrevit unquam quam heic ſubjicitur *verſ.* 23. Sed intelligi omnino debet in eo Meſſias; qui paſſim ut

Germen & Surculus deſcribitur *Jeſ.* IV. 2. XI. 1. LIII. 2. *&c.* quique oriri debebat ex Præcipuis & Poſtremis Gentis Tribus & Familiæ illius; & qui referret Teneri Ramuſculi Qualitates omnes adductas veriſſimè. Haudquaquam obſtante, quod alibi Meſſias ex Trunco ſucciſo aut Radicibus repetatur *Jeſ.* XI. 1. *&c.* ſiquidem in ea ſimilitudine ſpectatur ad ceſſaturum tum externum Decus Gentis Tribus & Familiæ quæ olim tam illuſtris vere fuerat, uti & Cedrus hæc reliqua præter Tenerum hunc Ramuſculum heic ut emoriens plane ſpectari non male poſſet.

Et declarat ejus Tractationem Divinam, per ejus Sumptionem, Dationem, Avulſionem & Plantationem ſuper Monte excelſo &c.

VII. Quod de homine pio recte dixit Bildad *Job* VIII. 7. *principium* fore *exiguum*, ſed *poſtremum valde excreturum*; id quam maxime locum eſſe habiturum in Meſſia deſcripto, docet *Divina* ejuſdem *Tractatio* heic prædicta, cum *Succeſſu* lætiſſimo. Quam partim ad Jechoniam in præterito, partim ad Meſſiam in futuro, perperam applicat *Cl. Coccejus*, ſecundum dicta à nobis *Anal. Exeg. Jeſ.* LIII. §. *CXXXII. Ego*, inquit per Vatem noſtrum Dominus Jehovah, pro mea potentia, ſapientia, bonitate, & libertate ſuprema, in Ramuſculum illum Tenerrimum ita agam, uti ſequitur, quadrifariam. *Sumam*, illum, ſeu eligam ex aliis, & adhibebo ad mei & populi mei uſus glorioſos & ſalutares, *coll. Pſal.* LXXVIII. 70. *Hagg.* II. 24. *&c.* quod nulli præ Meſſia convenit *Jeſ.* XLII. 1. XLIX. 5. 6. 8. *&c.* Non hoc tantum, ſed *& dabo* illum, ſecundum illam meam ſumptionem, per Nativitatem Humanam ſatis mirabilem, & per Prædicationem inſequentem, *coll. Jeſ.* IX. 6. LV. 4. *Joh.* III. 16. *&c.* Non iſtud tantum, ſed & datum *decerpam* ab iſta cedro ex qua prodiit, per gentis tribus & familiæ illius rejectionem probroſam & mortem acerbam ei ex meo conſilio ſapientiſſimo & ſanctiſſimo illatam, *coll. Pſal.* CXVIII. 22. *Jeſ.* LIII. 8. *&c.* ad quem locum poſteriorem à nobis de hoc etiam textu dicta vide illic §. *CXXXII.* Tandem & decerptum *plantabo* denuo, aptiſſime, & firmiter, cum ſingulari cura. Quæ poſtrema Dei in Ramuſculum hunc Tenerum actio tanquam præcipua & præcipue heic conſideranda, & ad quam priores tres tendunt, bis heic nominatur, *plantabo*, imo *plantabo*; ad certitudinem ejus & aptitudinem ac elegantiam ſignificandam pariter; quin

&

& *describitur à Loco* in quo plantandus, tum generalius paulo, tum & specialius. Generalius, *super monte excelso & elevato*, per naturam & artem plurimum, ut tanto melius crescceret, & tanto latius conspiceretur ejus gloria nempe; specialius autem, *in Jisraëlis monte sublimi*, seu Tsijone, corporaliter vel spiritualiter intelligendo, *coll. Jes.* II. 2. *&c.* Quam Teneri illius Ramusculi decerpti *Plantationem* referunt haud pauci ad Christi Nati, vel Oblationem solitam in Templo post impletos dies Purificationis Mariæ, vel ad ejusdem Educationem in terra Jisraëlitica corporalem, vel ad educati baptizati & tentati Prædicationem in ejusdem terræ montibus, &c. & speciatim quidem ad Mansionem ejus Nazareticam, quam Urbem sitam fuisse super monte observatur ex *Luc.* IV. 16. 29. καὶ ἀναστάντες ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω τῆς πόλεως, καὶ ἤγαγον αὐτὸν ἕως ὀφρύος τοῦ ὄρους ἐφ' οὗ ἡ πόλις αὐτῶν ᾠκοδόμητο εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτον. Unde & in hoc *Ezechielis* loco prædictam sic putarunt aliqui *Appellationem Nazoræi*, quam ab hujus Urbis habitatione ortam, & per Prophetas prædictam, scripsit *Matthæus Cap. II.* 23. uti de ea re alias diximus *EXERC. TEXT. XXVI. Parte IV.* Interim longe planiorem & aptiorem judicamus Plantationis hujus interpretationem de Messiæ, per Mortem decerpti à gente tribu & familia sua, Resuscitatione, cum insecuta ejus, seu Cœlesti Glorificatione personali, seu Prædicatione Terrestri Euangelii ejus per Spiritus virtutem insolitam, quæ primum facta fuit in Tsijone literali, unde Euangelium per orbem totum exiit, *coll. Act.* II. 32. 33. *&c.* & quæ dein continuata fuit in Tsijone spirituali, seu Ecclesia Christiana quaquavorsum diffusa, *coll. Jes.* XI. 10. *Psal.* XXIV. 7. 9. *&c.* In qua Tractatione hujus Ramusculi Teneri, post ejus Sumptionem interveniret quidem multiplex Ministerium Humanum, dum nasceretur ex Virgine, atque occideretur per Judæos & Romanos, imo & prædicaretur per Discipulos; attamen principalis & efficax foret Operatio Domini Jehovah secundum sapientissimam & optimam providentiam suam, *coll. Jes.* VII. 14. LIII. 10. LV. 4. *&c.*

VIII. Ecquis vero futurus erat Plantationis istius *Successus?* Ille describitur equidem *Triplici*, vel *Quadruplici* modo. Primo Per quam ille Ramusculus ramus

proferret, & fructum faceret, fieretque in Cedrum illustrem &c.

mo enim; *Et ramum proferet*, sive emittet validum & in altum surgentem, multiplicem potius collective quam unicum singulariter, uti iste ex tenui ramusculo decerpto post plantationem excresceret. Quod nos optime ducit ad Filios spirituales, *coll. Gen.* XLIX. 22. *Rom.* XI. 16. *&c.* eosque spiritualiter potentes, *coll. Jes.* IX. 13. XVIII. 5. *&c.* per quos & ipse robur suum exereret, *coll. Zach.* X. 3. 5. XII. 8. *&c.* Secundò dein; *Et fructum faciet*, non parcum sed copiosum, multiplicem potius quam unum aliquem, qui valeret ad victum populi credentis per esum vel potum. Quod nos certos omnino reddit de Gratia Christi, spiritualiter sustentante, & roborante, & exhilarante fideles, quam ille offert, & à se petentibus confert, *coll. Ezech.* XLVII. 12. *Apoc.* XXII. 2. *Jes.* LV. 1. 2. Tertio etiam, vel & quarto; *Eritque in Cedrum illustrem*, valde & omni modo, *& sub ea in ejus ramorum umbra, avis omnis alæ omnis habitabunt*, illuc se recipientes alacriter, imo *habitabunt* illic tuto, tranquille, & constanter, *coll. Dan.* IV. 12. 21. *&c.* Nec aliorsum hæc referre licet, quam ad suavissimam Fruitionem & lætissimam Defensionem hominum Fidelium, ex omni gente & conditione, qui ad ipsum confugerent per fidem sinceram & amorem stabilem, *coll. Jes.* XXXII. 2. XLV. 22. *&c.* Quales successus conveniebant Divinæ Plantationi, & quidem ad Dationem & Decerptionem ejus præcedentem.

Unde secutura Agnitio Gloria Dei id operantis.

IX. Magnum adhuc elogium illud, quod Populo Messiæ datur *Jes.* LX. 21. *surculi plantationum mearum, operis manuum mearum, ad me glorificandum, coll. Jes.* LXI. 3. *Psal.* XCII. 13. —16. pleniissimo etiam sensu Messiæ ipsi conveniebat, à Deo plantato & curato ad insignem ejus gloriam. Secundum id quod per modum Fructus ulterioris additur; *Et agnoscent omnes arbores agri, quod ego Jehovah humiliaverim Arborem sublimem, & exaltaverim Arborem humilem, exsiccaverim Arborem viridem, & Arborem aridam germinare fecerim.* Hoc scilicet erat futurum principaliter ab una parte; ut *Arbor sublimis*, qualis præ aliis Cedrus Libani, *humiliaretur*, abscisso & dejecto fastigio ejus, ex parte vel & tandem in totum; atque ut *Arbor viridis*, seu alia à sublimi illa, seu eadem ante suam abscissionem, *exsiccaretur*, seu amitteret decus omne gratum

&

& vitam ſuam, ſeu paulatim ante ſeu tandem plene poſt abſciſſionem. Sed & iſtud futurum ab altera parte principaliter; ut *Arbor humilis*, qualis eſt ſurculus tener plantatus, *exaltaretur*, incremento magno & conſpicuo plane, ſucceſſive quidem ſed tandem plene; atque ut *Arbor aridæ*, ſine fronde aut vigore aut apparente vitæ ſpecie, *germinaret*, accepta vel recepta fronde lætiſſima & præſtantiſſima. Quæ utraque viciſſitudo uti quotidie in natura locum habet, per cauſas occultas vel manifeſtas magis; ita heic emblematice prorſus capienda eſt, ſive jam collective de pluribus Arboribus talibus, ſive ſingulariter potius de una & altera tali; & transferenda, vel ad homines ſingulares, *coll. Pſal.* I. 3. XXXVII. 35. 36. *&c.* vel ad Familias Tribus aut Gentes integras, radicibus & ramis ſe diffundentes, *coll. Gen.* XLIX. 22. *&c.* vel denique ad Gentium integrarum Regna, plures tegentia & alentia, atque in oculos maxime incurrentia, *coll. Dan.* IV. 10-12 *&c.*. Quo poſtremo modo ſpectare heic licet & decet, ab una parte Regnum; non tam Diaboli, quod vere potentiſſimum erat tamen à Chriſto quoque ſubigendum; aut Chaldæorum, vel aliorum Hoſtilium antiquorum, quod nunc aut dein floreret, & gloriam ſuam aliquando certiſſime amitteret; quam Judæorum veterum, valde præ aliis exaltatum & floridum, tum corporaliter tum & olim ſpiritualiter, quodque foret non minus præ aliis deprimendum, & decore omni ſpoliandum, juſtiſſimè quidem ob ingratum proſperitatis ſuæ abuſum, ſed & ſucceſſive per Aſſyrios, Babylonios, Græcos & Syro-Ægyptios, donec tandem per Romanos plene perderetur. Dum ab altera parte heic reperiri poteſt ac debet Regnum; non aliarum Gentium, quod à tenuibus initiis valde increverat, aut increturum erat deinde; neque Judæorum antiquius aut recentius adhuc futurum, quod inclaruerat antea quoque, aut inclareſceret rurſus impoſterum; ſed Meſſiæ ipſius, quod cum hoc Rege ſuo foret ab initio exiguum valde & impotens, ſed extollendum & exornandum ampliſſime, *coll. verſ.* 23. Cujus etiam Eventus Diverſiſſimi, & vere Admirabilis, *Autorem* ſe profitetur Deus ipſe per illud, *Ego Jehovah* faciam hoc; pro meo Jure liberrimo, & Potentia ſuprema, & Juſtitia quoque intaminata, ſive mediate, ſive

immediate magis, *coll. Dan.* 11. 44. Et ad cujus Eventus illuſtrem *Modum* nos ducit, quod dicitur; *Et agri Arbores omnes*, h. e. Orbis totius potius quam unius alicujus regionis, tam inculti quam magis culti, homines familiæ vel regna, quod factum id ſit, imo à me id factum ſit, *cognoſcent*, vel *agnoſcent*, h. e. id agere poterunt, vel & agent actu ipſo aliquando, lubentes vel illubentes, corde ore vel & opere ipſo, *coll. Jeſ.* v. 5. 6. xxv. 2. xxvi. 5. *Pſal.* cxviii. 22. 23. *&c.*

Addita Certitudine hujus rei immota.

X. Poſt quæ omnia clauditur hoc illuſtre Vaticinium per ſignificationem *Certitudinis* ejus, quando non tantum repetitur à Deo ipſo cum Pronomine Nomen illud ipſius independentiam & immutabilitatem declarans, *Ego Jehovah*; ſed & idem ille de ſe declarat, *loquor*, vel *locutus ſum*, iſta per Vatem meum fidum, & non *facio*, aut *feci*, niſi forte in præludiis, ſed *faciam*, ποιήσω apud LXX. rectius quam *Vulgatum*, illa dicta præſtiturus olim ipſo opere, abſque ulla pœnitentiæ aut impotentiæ aut dilationis ſpecie, *coll. Ezech.* xii. 25. 28. xxxvi. 36. *Jer.* i. 12. *&c.* Non obſtante ſcilicet, vel Iſraëlis robore, meoque in eum amore antiquo, vel Meſſiæ vilitate & impotentia, ac mundi contra eum totius conſpiratione cum inferno ipſo.

Unde Meſſiæ Reſurrectio evidenter colligitur.

XI. Ad ſcopum noſtrum ut veniamus modo, quis cæcus etiamum heic eſſe poteſt adeo, ut non venerabundus concidat prorſus coram Redivivo qui heic comparet Meſſia? Ille equidem erat poſt Sumptionem & Dationem Jehovæ tanquam Ramuſculus aridus decerpendus de Gente Tribu & Familia ſua, per indigniſſimam Exciſionem; ſed & idem minime abjiciendus prorſus, ut periret plane in morte, ſed plantandus à Jehovah, fovendusque & curandus ampliſſimè in Vita nova ad omnium conſpectum, cum mirabili incremento illo, & fructu ſtupendo, & accurſu populorum omnium, & uſu horum lætiſſimo, & hoſtium everſione, & Dei Autoris glorificatione æterna.

Ex Daniele confertur ſomnium Nebucadnezaris de

XII. Quod ipſum ſi heic adeo clare ab *Ezechiele* doceamur ſub ſimilitudine Ramuſculi Cedrini tenerrimi, etiam diſcere licet per aliud emblema ex Nebucadnezaris Somnio Divino, quod illi paulò ſerius à *Daniele* fuit in memoriam revoca-

vocatum & expoſitum ſimul *Cap.* 11. 34. 35. 44. 45. Somnium iſtud exhibet, juxta Statuam magnam, ex auro, argento, ære, ferroque & teſta, ſecundum varias ejus partes conſtantem, *Lapidem, de monte abſciſſum, qui non in manibus*, qui percutiebat & comminuebat prorſus imaginem totam, quique ipſe *fiebat in montem magnum, impleretque terram totam.* Ubi non eſt, quod in Statuæ iſtius modum & ſignificationem omnem excurramus modo. Nec etiam ulla decet diſputatio, quorſum iſte *Lapis* ſpectet; quando ſignificationem ejus Daniel tam clare declaravit per ſingularem & certiſſimum Dei ductum, à ſe inculcatum ipſi Regi Babylonio. Ubi enim in interpretatione ſomnii ad Lapidem hunc perventum eſt, ſic inquit; *Et in diebus Regum illorum ſuſcitabit Deus cœlorum Regnum quod in ſecula non corrumpetur, Regnum ejus populo alteri non tradetur, comminuet & conſumet regna iſta omnia, & ipſum ſtabit in ſecula. Propterea vidiſti, quod de Monte abſciſſus ſit Lapis, qui non in manibus, & comminuit ferrum &c. Deus magnus notum fecit Regi, quid futurum ſit poſthac; & firmum ſomnium, & fida interpretatio eſt.* Lapide abſciſſo &c.

XIII. Sic ille in *Lapide* dicto, & antecedenter ac conſequenter deſcripto, nos ducit ad Regem ſimul & *Regnum*, quod ab Autore & Duratione ſua magnopere commendatur. Erat enim hoc Regnum, non inſtar regnorum aliorum ab hominibus aut per homines, ſed ſingulariſſimo prorſus modo ab ipſo *Deo Cœlorum*, horum Domino vero ac ſupremo, qui & in cœlis thronum ſuum haberet, *ſuſcitandum*, his in terris, quod & originem iſtam ſuam optime referret in omnibus. Id Regnum, ſuſcitandum poſt Regna alia deſcripta, erat prævaliturum hinc adverſus omnia Regna Mundana, etiam præcipua illa quæ in Statuæ Partibus variis repræſentabantur; ita ut imminuerentur non tantum, ſed & conciderent plane citius vel ſerius tota. Idque ipſum nunquam erat corrumpendum aut permutandum, ſed diffundendum latiſſime, & protendendum ſtabiliter in ſecula omnia. Quæ quidem prædicata neminem, qui vel leviter attenderit, de alio quam de Rege Meſſia & hujus Regno heic cogitare ſinunt, de quo etiam à ſe aliter præviſo agit *Daniel Cap.* VII. 13. 14. Ut vix aliud quam inſaniæ meræ nomen mereantur, quæ heic Cujus Expoſitio Divina eſt etiam addita.

heic reperimus apud *Grotium*; tum *ad Lapidem verſ.* 34. *exercitus populi qui ſuæ eſſet ſpontis, nullique Regi pareret, cujus populi origo à monte nempe Palatino, vid. Virgilium Lib VIII. Æneid. Livium Lib. I. idem Lapis & Filius hominis &c.* tum *ad Regnum verſ.* 44 *Imperium Romanum perpetuo manſurum, quod ſedes erit Eccleſiæ*; in quem ſenſum vellet etiam trahere *Optatum*, de *Eccleſia in Imperio Romano* loquentem. Quæ ſi quis ſine indignatione legerit promerita, vel & operoſa diſcuſſione digna judicaverit, metuo ne in partem quandam inſaniæ venerit aut veniat. Etiamſi ille addiderit ſatis inepte, *Imperium Romanum geſſiſſe in hac re non obſcurum typum Euangelii, quod ortum de cœlo ab exiguis initiis in immenſum crevit.* Dum longe rectius idem in rem præſentem Autor ipſe habet *Lib. V. de Ver. R. Chr. Cum hac nota temporis congruit altera, de Imperio in omnes nationes dando divinitus, poſtquam Seleuci & Lagi poſteritas regnare deſiiſſet, quarum poſterior in Cleopatra deſiit non multo antequam Jeſus naſceretur.* Ad quæ ipſe annotavit; *Lapidem illum, cujus percuſſu Imago illa Imperiorum figuram habens comminuenda eſſet, Meſſiam eſſe tradidit R. Levi Ben Gerſon, & Regnum illud cætera regna abſumpturum eſſe Regnum Meſſiæ, docent R. Salomo, R. AbenEzra, & R. Saadia.*

Et quæ omnino ad Meſſiæ Mortem ducit.

XIV. Ita omnino ſeſe habere res deprehenditur. *Lapis* ille eſt non tam Eccleſia quam ipſe Meſſias, cujus Regnum cœleſte ſupremum latiſſimum & vere æternum erat futurum, uti heic nobis repræſentatur; quique alias ſub ſimilitudine Lapidis etiam venit, præcipuè ob ſuam ſolidam firmitatem, *coll. Pſal.* CXVIII. 22. *Jeſ.* VIII. 14. XXVIII. 16. *&c.* Is, ad quem hic Lapis refertur, *Mons*, & qui non quidem *verſ.* 34. ſed *verſ.* 45. nominatur, non aliter quam per qualemcunque allegoriam intelligi poteſt; vel de Cœlo, vel de Deo Altiſſimo ipſo, vel & de Maria Virgine, propter gratiarum & virtutum ejus ſublimitatem. Sed ex adverſo exhibet nobis, ſeu Gentem Iſraëliticam, ſeu Judæ Tribum, ſeu Davidis Familiam Regiam, ſicuti & hæc per Cedrum ſublimem apud *Ezechielem* repræſentabatur. Quod de hoc Monte *abſciſſus* ille Lapis dicitur, referri equidem à multis ſolet ad illius ex illa Gente Tribu vel Familia Regia ortum; quem & ſupernatu-

naturalem ſignificari in *Abſciſſione* volunt aliqui, propter ſaxi naturalem ineptitudinem ad generandum, *coll. Jeſ.* LI. 2. *&c.* Ego autem cum aliis facio longe potius, qui Lapidem ut ortum jam ſpectant, quando Monti ſuo adhæret firmiter etiamnum. Unde ejus *de Monte Abſciſſio* referenda eſt ad Separationem ab ea gente tribu & familia, qualis contigit per ejus Rejectionem probroſam & Excidium Lethale, *coll. Dan.* IX. 26. *&c.* ut ſic reſpondeat Ramuſculi Decerptioni apud *Ezechielem.* Sed quomodo hæc facta dici poteſt, *ſine manibus?* ſiquidem ab hominum nefariorum manibus violentis & iniquis ea Lapidi huic omninò obvenit. Et hæc ratio nos, ſecundum hanc exegeſin, cogere poſſet ad aliquid ἐξαίρετον peculiare & Divinum præ humano in illa Morte Chriſti *ſine manibus* intelligendum; æque quam alii tale quid reperiunt in eadem phraſi relata ad Nativitatem ex Virgine, vel ad formam vilem & impolitam, vel ad ſubitaneum adventus ipſius, vel etiam ad Gratiam Dei meram ſine ullo Humano Merito. Interim non habetur illud in textu, quod Lapis de Monte ſit abſciſſus ſine manibus ad abſciſſionem illam adhibitis, quaſi facta illa eſſet, ſive per erumpentem ex fundo interiori vim, ſive per illapſum cœlitus impetum inviſibilem. Sed in textu legimus, primo *verſ.* 34. מחגורת אבן דילא בידין / deinde *verſ.* 45. כטורא אתגזרת אבן ולא בידין / quarum vocum monſtravimus olim *Obſerv. VI. Textuali poſt Analyſin Exegeticam Jeſ.* LIII. hunc eſſe verum ſenſum, quem poſt *Tremellium* & *Junium* tenuit etiam *Cl. Coccejus* noſter; *qui*, abſciſſus Lapis, *non in manibus erat*, à quibus & teneretur, & impelleretur, & dirigeretur, & corroboraretur porro in eo quod ab ipſo prædicatur futurum eſſe. Ut ſenſus ſit ſecundum *Cl. Cocceji* voces, *non fuiſſe illum adjutum per homines, nec hominum auxilio, ope, deſtinatione, impulſu, affixiſſe regna mundi, ut ſuo regno locum faceret.* Quorſum & forte ſpectavit ipſe *Joſephus Antiq. Lib. X. Cap.* 12. cum λίθον dicit ἀπὸ ὄρους ἀποῤῥαγέντα ἐμπεσεῖν τῷ ἀνδριάντι, *lapidem à monte abruptum incidiſſe in ſtatuam*; quod manibus humanis ad hoc adhibitis videtur oppoſitum. Et ſic res hæc erat magis inſolita & admirabilis, quod Lapis qui abſciſſus de monte non erat in manibus ſtatuam tangeret ac comminueret, fieretque in montem magnum,

quam quod idem ſine manibus de monte avelleretur; fruſtra ſe heic opponente noſtro *Doct. de Dieu.*

Ac inſecuturam ejus Reſurrectionem.

XV. Atque hactenus quidem cum depictus ſit Meſſias in ſua Exciſione & Rejectione vili, ſequitur ejuſdem Gloria iſthæc magna, quod percuteret & comminueret non modo Regna potentiſſima alia in Statua præſtanti repræſentata, ſed & creſceret ipſe inſtar Lapidis vivi adeo, ut *in Montem magnum fieret, totamque terram impleret*, ſeu *Regnum*, interprete *Daniele* ipſo, acciperet & conſtitueret vere maximum altiſſimum & diffuſiſſimum per orbem totum, quod & prorſus æternum foret, nec alteri alicui locum faceret unquam. In quo, æque quam in Cedro altiſſima ex Ramuſculo tenero naſcitura, ſi non ſit & agnoſcatur vivida deſcriptio Vitæ Meſſiæ poſt Mortem ſecuturæ Divina virtute, neſcio quantopere fallar. Quod velim mihi oſtendi, antequam hoc Danielis vaticinium derelinquam; ſed quod fiet nunquam.

---

## CAPUT UNDECIMUM.

### *Quo alia quædam producuntur Dicta Sacra, quæ perinde ad Chriſti Reſurrectionem ſpectare minus recte putantur.*

Alia Vaticinia vix æque apta quædam pro Reſurrectione Chriſti adducuntur.

In tanta ſegete Vaticiniorum de Chriſti Reſurrectione certo agentium, non opus eſt alia quædam conferre, in quibus vix eſt eadem ſignificationis aptitudo aut certitudo. Qualia tamen contulerunt complures, tum Antiquiores, tum Recentiores, & quædam digna judicamus, ut ſub qualecunque noſtrum examen breve veniant ἐν παρόδῳ.

Quale eſt Prov. xxx. 18. 19. de Via Serpentis ſuper Petra.

II. Textum ante alios omnes heic notamus *Prov.* xxx. 18. 19. de quo occaſione *Viæ Viri in Virgine* diximus olim quoque *EXERC. TEXT. XIX. Parte II.* Ubi poſt *Viam Aquilæ in cœlis*, & ante *Viam Navis in corde maris*, nec non *Viam Viri in Virgine*, memoratur *Via Serpentis ſuper Petra*, tanquam ex maxime mirabilibus unum. De iſta ſic ſtatuit inter alios *Raimundus Mart. in Pugione*, omnem illic memoratam *Viam* ſpectare ad Chriſtum, qui ut *Aquila* aſcenderit

in

*in Cœlum*, ut *Navis* tranſierit per tempeſtates & amaritudines mundi quaſi *cor Maris*, ut *Vir* prodierit ex *Virgine*, atque ut *Serpens* venenoſus repræſentatus olim in deſerto de Cruce tranſlatus ſit ad Sepulchrum ex quo reſurgeret rurſus in *Petra* exciſo. Uti & *Galatinus Lib. VII. Cap.* 15. in rem eandem citat *R. Jodam*, diſſerentem de *Rege Meſſia*, qui tranſiret per Petram ſepultus, & ex illa egrederetur ſine viſu tranſitus, *coll. Exod.* XXXIII. 21. Atque *R. Salomon* in his reperit, *Regnum Babelis, Medorum, Græcorum, & Romæ.* Dum alii etiam *Veteres* longe aliter illa Mirabilia ad Meſſiam referunt. Quin &, quod mireris, eadem cogitata inculcavit admodum *Cl. Guſſetius*; *Omnia hæc ibidem circumpoſita allegorica ſunt. Via Aquilæ in cœlis eſt via Jeſu Chriſti aſcendentis in cœlos. Via Serpentis in ſaxo notat viam ejuſdem in Saxo, in cujus cavitate ſepultus eſt, in quo nullum fœtorem reliquit, quo deprehenderetur cadaver ibi per aliquot dies jacuiſſe. Via Navis in Mari ejusdem Chriſti Via eſt ambulantis & huc illuc oberrantis per populum inconſtantem, tumultuoſum, vitæ ejus ſæpe minantem, ſæpe ſe è medio illorum proripuit, findens eorum fluctus ut navis marinos, converſatio autem inter illos mirabilis fuit, mirabile etiam quod poſt eam remanſerit corpus populi quale prius, ac ſi Jeſus per eos non oberraſſet docens & hortans, adeo ad indolem proriam redierunt. Via denique Viri in Virgine eſt ejus tranſitus per matris loca illæſa ipſius Virginitate &c. Mirifica ſane ſunt omnia iſta ſic in figuris ſumpta, ſymbolica autem hæc acceptio eorum eo comprobatur quod naturalis & ſimplex nihil mirabile continet, niſi forte primi de Aquilæ Volatu.* A quibus mire quantum heic abiens *Cl. Coccejus* noſter, *explicari* heic vult *admirabilem impudentiam, non tam meretricum vulgarium ſive mœcharum, quam Meretricis illius magnæ toties jam in hoc libro memoratæ, quæ cum ſcortationi ad ſummum uſque indulgeat tamen vult videri ſponſa Chriſti, & pravitatem quæ peccatum ſit non habere &c. Comparat autem Myſterium illud iniquitatis cum tribus aliis rebus quæ homini ſunt imperſcrutabiles &c.* Ita autem variè divagantur, quibus literæ ſimplicitas & moralis ſenſus, in *Proverbiis* ſpectandus quam maxime, plurimum diſplicet præter neceſſitatem & ſpeciem omnem. Dum revera mirum hoc foret Ænigma Propheticum, inter obſervationes complures

naturales & morales, quo unus idemque Chriſtus in fatis ſuis ſucceſſivis repræſentaretur ut Aquila, Serpens, Navis, & Vir, ſenſusque in Cœlis & Petra & Virgine foret proprius, ſed in Maris medio ſolum plane metaphoricus.

Item Pſal. III. 6. ego dormivi & ſoporatus ſum, reſurrexi, &c.

III. Textus addimus alios quosdam, quos idem adduxit *Raimundus* pro Chriſti Reſurrectione alio ſpeciali *Capite XVIII. Partis III. Diſſertat.* 3. Ubi occurrit *Pſalmi III. Verſus 6. ego dormivi & ſoporatus ſum, reſurrexi, quia Dominus ſuſcipiet me*; atque in *Midrash* dicatur, *per manus Regis Meſſiæ*. Quem locum neque plane prætermiſit *Cl. Coccejus Ult. Moſ.* §. 746. *Ego decubui & dormivi, experrectus ſum. Sed hoc teſtimonium, præſuppoſita veritate theſeos, eam magis confirmat, eſt enim ænigma.* Dum ad ipſum *Pſalmum* ſcripſit; *Poteſt Davidis ſecuritas & tranquillitas in fuga his verbis intelligi, quæ mirabilis fuit. Poteſt etiam per metaphoram exaudiri Mors & Reſurrectio Chriſti, per quam glorificavit eum Pater ea gloria quam habuit apud ipſum ante jacta mundi fundamenta &c. Denique mors & reſurrectio teſtium Dei in civitate magna ſive Babylone myſtica &c.* Quin & ab initio; *Aptiſſime Tertius Pſalmus Chriſti* (de quo actum *Pſalmo II.*) *paſſiones & mortem & reſurrectionem ſaltem in ænigmate commemorat.* Laudatis quoque ſequentibus *Auguſtini* verbis; *Hunc Pſalmum ex perſona Chriſti accipiendum perſuadet quod dictum eſt, ego dormivi & ſomnum cepi, & exſurrexi &c.* Magis enim hoc ad *paſſionem & reſurrectionem Domini congruenter ſonat, quam ad illam hiſtoriam, in qua David ſcribitur fugiſſe à facie bellantis adverſum ſe filii ſui.* Tunc iterum ſubjiciens; *Partiemur hunc Pſalmum prout convenit Davidis fugæ, membra autem ſingula alicubi, εἰς γεῦμα videlicet, ad Chriſtum & corpus ejus accommodabimus. Tametſi ad Eccleſiam peculiari analyſi poſſit accommodari.* Ex quibus inter ſe collatis, aliisque nullis probationibus, hoc liquet ſatis, quod *Pſalmus* hic, qui pro Inſcriptione dicitur *Davidis cum fugeret à facie Abſalomi filii ſui*, mere pro arbitrio humano ad Meſſiæ mortem & reſurrectionem trahatur.

Nec non Pſal. XVII. 15. ſatiabor cum reſurrexero

IV. Eſt & inter illos à *Raimundo* ibidem adductos textus *Pſal.* XVII. 15. *Ego in juſtitia videbo faciem tuam, ſatiabor cum reſurrexeris Imago tua*; poſt laudatas gloſſas *AbenEzræ*, *Jarchii*,

*chii, &c.* additis his verbis; *Nota, quod hæc Imago non eſt niſi Filius Dei Meſſias ſecundum Deitatem, qui ſimilis eſt Deo Patri. Et hæc eſt illa figura quam videbat Moyſes Num.* XII. 8. *&c.* Sed illa argumentatio nititur verſione aliena ultimarum vocum, quam & rejecit *Cl. Coccejus*, vertens, *ſatier*, vel *ſatiabor*, *quum evigilavero*, *ſpecie tua*; illasque, poſt repertam in prioribus *demonſtrationem vultus Dei in hac vita*, applicans ad *viſionem Dei in vita futura*, quæ piis continget. Qui nec ullam ſpecialem Meſſiæ inter hos mentionem heic facit, quam facere potuiſſet tamen, ſed loquitur ex ſola illa hypotheſi ab initio præmiſſa; *David cum ſuis ſociis in eadem Dei cauſa intelligendus eſt, ex verſ.* 11. *& inſuper tanquam Typus Chriſti & Eccleſiæ &c. Chriſtus unus eſt. Una cauſa Capitis & membrorum, una vita omnium, unus ſpiritus. Quid igitur mirabimur, ſi unus de illo corpore, pater Chriſti, qui habet promiſſionem, ut Abrahamus, David. inquam nunc pro ſe, nunc pro Chriſto, nunc pro omni Eccleſia loquitur? &c.* rexerit Imago tua.

V. Non prætermiſit idem textum *Pſal.* LVII. 9. *excitare gloria mea, excitare pſalterium & cithara, excitabo auroram*, vel potius *Midrash Pſal.* XXII. ſecundum verba עיירה שחר / ita verſa, pro quibus *Chaldæus* poſuit, *expergiſcar ad precationem matutinam*, & *R. Salomoh*, *ego auroram excitabo, non aurora me.* Quod ipſum in illo *Midras* exponitur, *à ſeculo non venit ſuper me aurora & invenit me dormientem, ſed ego excitavi auroram, coll. Pſal.* CXIX. 63. *&c.* Dum in illa citatione hoc temere ſupponitur, *in Gloria Davidis* intelligi *Meſſiam*, quæ ſcil. foret alto mane olim excitanda. Sed & magis urſit ille duo loca Prophetica *Ham.* IX. 11. & *Tſeph.* III. 8. Quorum prior habet; *In die illo erigam caſulam Davidis prolapſam.* Ubi non modo in *Sanhedrin Meſſias* tanquam *filius cadivus* intelligatur; ſed & *Raimundus* notat, quod *Filius Cadivus ſit Meſſias noſter, & Caſula Davidis Proſtrata Corpus ejus dejectum & proſtratum in paſſione & morte, ſuſcitata vero ſpe erecta à Deo in reſurrectione, quam niſi probaſſet ſufficienter diſcipulis ſuis in multis argumentis nullatenus tam libenter pro eo mori poſtea potuiſſent.* Ad quem ſenſum nos heic etiam reſpicere jubet *Cl. Coccejus ad Ult. M.* §. 754. ſcribens; *excitabo tugurium Davidis jacens, & muniam rupturas eorum, regni & tu-*

Petre Pſal. LVII. 9. excitare gloria mea, &c. & inprimis Ham. IX. 11. ac Tſeph. III. 8.

*tugurii, & deſtructa illius Davidis, h. e. Filium Davidis mortuum erigam, & ædificabo illud tugurium, ut diebus ſeculi.* Sicuti & idem dixit Vir Cel. ad locum Vatis; *Deſtructa Davidis ſunt corpus Chriſti, qui ut Filius Davidis ita & David nuncupatur. Cum hoc tamen etiam diſperſio Diſcipulorum facile intelligi poteſt. Dan.* IX. *exſcindetur Meſſias & non erit ipſe. Erectio deſtructorum Davidis eſt ſecundum analogiam myſterii fidei, prophetiæ, & hiſtoriæ, Reſuſcitatio Chriſti ex mortuis, quam ſequitur recreatio & recollectio Diſcipulorum, & tum aſcenſio in cœlum &c.* Sed nemo non videt, quam quæſita ſit interpretatio illa, per quam *deſtructa Davidis* dicant perſonale Meſſiæ ipſius Corpus mortuum, & ſimul disjectos Diſcipulos ejus; nec convenit illa ſatis cum Apoſtolica applicatione longe alia ad Regnum ejus ſpectante, *Act.* XV. 15-17. De quo vide amplius *noſtrum Commentarium.* Poſterior autem textus *Tſephanjæ* eſt; *Propterea expectate me, ait Dominus, in die Surrectionis meæ* לעד / *in futurum*, ſive *in æternum;* qui & textus in *Talmud* ad Meſſiam referatur. Sicuti rurſus etiam *Cl. Coccejus* habet *Ult. Moſ.* §. 758. *Præſtolamini me uſque ad diem quo ſurgam in perpetuum. Loquitur autem ibi Dominus in medio populi verſans.* Uti ad ipſum Vaticinium illud latius habet; *Dico igitur cum Scripturis, hic repræſentari Chriſti Filii Dei Alloquium ad ſuos, quo jubet eos patienter exſpectare reſurrectionem ſuam à mortuis, in qua reſurrectione accepturus ſit vitam immortalem & incorruptibilem & nulla vi deſtructibilem &c. Hæc explicatio eſt accommodata phraſi, rei, hiſtoriæ Euangelicæ, & experimento Divinæ gubernationis, & harmoniæ prophetiarum, quam in tractatu dè Ultimis Moſis ſuo loco oſtendimus &c.* Poſtquam notaſſet, apud **LXX.** pro לעד eſſe εἰς μαρτύριον, in *Targum* vero *ad judicandum*, apud *R. Salomonem* rurſus, *ad conveniendum vobiscum*, apud *Kimchium* & alios, *ad prædandum, ſiquidem* עד *eſt alicubi præda Gen.* XLIX. 24. *&c.* quod *Rabbinicum Commentum noſtri Interpretes ſequantur;* ſed rectius *AbenEzram* interpretari *in perpetuitatem, coll. Jeſ.* IX. 5. LXV. 18. *&c.* quod & *Abarbenel* ſequatur ex parte, & conveniat cum illo *Hieronymi, Hebræus, qui me in Scripturis inſtituit, aſſerebat* לעד *in præſenti loco magis* εἰς ἔτι *i. e. in futurum debere intelligi quam in teſtimonium;* quin & addidiſſet quoque, impedire *Sheva* ſub ל / pro

*Kamets*

*Kamets* positum, notari *surrectionem perpetuam seu continuatam, sed* לעד *ita sumendum esse ut vita perpetua sit fructus & consequens resurrectionis.* Enimvero, licet dubium minime sit, quin ad Resurrectionem Christi heic spectaverint, cum aliis quoque Veteribus, *Eusebius Dem. Euang. Lib. II. Cap. 2. & Augustinus Lib. XVIII. de Civ. D. Cap.* 33. dubitandum tamen omnino videtur; non modo an de Incarnato Dei Filio heic determinate agatur; sed & an notio Resurrectionis ex morte heic præ alia Judiciali sit intelligenda; & an hic non longe aptior sit significatio illa *ad prædam*, vel *prædationem*, ubi *versu eodem* proxime sequitur, *quoniam judicium meum ad colligendum gentes, ad congregandum me regna, ad effundendum super eos indignationem meam, omnem excandescentiam iræ meæ, quoniam in igne zeli mei consumetur tota terra, &c.* quam illa *ad vitæ æternitatem.* Sed & de his vide latius *nostrum Commentarium.*

VI. Habet autem *Cel. Coccejus* varia adhuc loca alia quæ ad Christi Resurrectionem spectare existimat, & quæ collegit *ad Ultima Mosis.* Illic declarans, quo sensu *Terra Magnitudinem Filio Dei esset datura Deut.* XXXII. 3. h. e. tum *Systema Maris atque Aridæ*, tum *Locus Mortis & Destructionis Cadaverum*, tum *Populus Duodecim Tribuum habitans in terra Israëlis*, tum *totus Mundus sive Gentes in mundo sine discrimine*, tum *denique Ecclesia collecta & ædificata*; & quidem sensu secundo, per *Sanationem morborum ac Resuscitationem mortuorum*, in quo genere *maxime extet Christi ipsius Resurrectio ex mortuis.* Quando porro inter ea *quæ Resurrectionem clarius & propius indicant* enumerat etiam *Mich.* IV. 14. *Hab.* III. 2. *Zach.* IX. 9. *&c.* & maxime *Jer.* XXXI. 26. Apud *Michæam* scilicet *Judici Israëlis* attribuitur *feriri in mala & surgere.* Sed ad illud Vaticinium ipsum nihil ille notavit simile; uti neque in illo est quidquam sive de Morte sive de Resurrectione Messiæ expressum; dum de sensu vero Vaticinii legas *nostrum Commentarium.* Apud *Habakukum* legit ille; *Opus tuum est in medio annorum vita ejus, quem in medio annorum cognoscendum præbes.* Atque addit; *Significat stato die, inter annum servitutis & libertatis, iræ & gratiæ, effluente tempore in Scripturis memorato, in fine visionis, Divina potentia in vitam resuscitatum iri illum*

Præter alia Mich. IV. 14. Hab. III. 2. Zach. IX. 9. & Ier. XXXI. 26.

*illum quem Deus cognoſci vult ab hominibus ut juſtificentur & ſerventur per ipſum.* Quam eandem exegeſin etiam in *Commentario ſuo* latius tradit; uti nos contra eam & verſionem & interpretationem noſtras illic conſiderationes juſtas dedimus dudum. Dum notiſſimum eſt, quam varie illa verba ab ævo fuerint reddita, etiam à Græcis, ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, *in medio duorum animalium cognoſceris &c.* ex quibus fluxit traditio antiqua, de Chriſto in præſepio inter bovem & aſinum poſito apud nativitatem, ibidemque agnito. Dumque eadem ad literam omnino ſonant, *Jehovah opus tuum in medio annorum conſerva illud, in medio annorum notum facies, in ira miſericordiæ recordaberis*; adeoque nihil magis de Chriſti Morte & Reſurrectione, quam dè ejusdem Nativitate, habent. Apud *Zachariam* vero urgetur agi de *Rege Servato, ſcilicet ex paſſionibus & morte.* Uti ad textum illum ipſum notavit; Τὸ *Salvatus dicit* 1. *Paſſiones & peccata noſtra ipſi impoſita, à quibus ſalvetur.* 2. *Ereptionem ipſius è morte & ſervitute, & tranſlationem ex terra in cœlum.* 3. *In ipſo ut Rege noſtram qui ipſius peculium & Fratres ſumus ſalutem.* Verum conſtat omnibus, quo pacto יושׁ non tantum paſſive ſed & active à plurimis vertatur, ſenſu commodiore etiam; & monſtravimus nos, tum in *Commentario noſtro*, tum *EXERC. TEXT. XXIV. Parte I.* præferendum videri, ut ſit Nomen Participiale, dicens *ſalutarem*, vel *ſalute plenum.* Et præterea *ſalvatum* aliquem poſſe dici vario admodum ſenſu, etiamſi is non ſit ex morte reſurrecturus, ſed & à morte præſervandus, vel in ea beandus ipſa.

De quo paulo prolixius agitur.

VII. Præcipuus interim horum textuum eſt *Jer.* XXXI. 26. Ad quem ſcripſit ille *Vir Cel. Ult. Moſ.* §. 752. *Verba Dei iſta ſunt, propter hoc, ſcil. ut irrigarem animam laſſam & omnem animam languentem implerem verſ.* 25. *evigilavi, & vidi, ſcil. laſſitudinem animæ & ſitim, ut in Apoſtolis, vel reviſi laſſos anima, & ſomnus meus dulcis mihi fuit. Quæ nihil aliud ſignificant, quam Filium Dei reſurgentem à mortuis ſitim Diſcipulorum & fidelium ſuorum libenter vidiſſe, & eos reviſendo eorum ſitim ſedaſſe, & ſic ſibi mortem ſuam fuiſſe ut ſuavis ſomnus ſolet eſſe evigilanti.* Uti eadem latius in *Commentario* ejus leguntur, repetita etiam *ad Quæſt.* LXXXIII. *Sunt verba Jehovæ, loquen-*

*quentis in nomine Jehovæ, ejus qui Angelus Jehovæ ſolet dici, cujus hic eſt perpetua oratio, interpolata tantum recitatione dictorum Patris. Dicit igitur, per iſtam cauſam, quia impleturus erat animam tabeſcentem, & irrigaturus animam laſſam, ſibi ſomnum ſuum ſuavem fuiſſe, cum evigilavit & vidit, hoc eſt, ſibi & mori dulce fuiſſe, & ſe non pœnituiſſe mortis ac paſſionum ſuarum, cum reſurrexiſſet & primitias electorum ex Judæis, nempe diſcipulos ſuos, reviſit, atque eos reperit adhuc amantes ſui, atque ita Deum adhuc in ipſis per gratiam ſuam efficacem &c.* Uti & hunc locum tantum non unum ex Prophetis adduxit eo ſenſu apud Chriſti Reſurrectionem *Sum. Theol. Cap.* LXII. *Evigilans viſit amicos ſuos, ut irrigaret animam linquentem, & omnem animam ægram impleret, & ſomnus ſuus fuit ſuavis ipſi. Quippe invenit ipſos, utut triſtes, tamen ſui cupidos, & in amore ſui conſtantes, per Dei gratiam conſervatos.* Conveniunt iſta maxima ex parte cum iis, quæ *Calovius* ex *Joh. Bugenhagio* adduxit, atque *pia nec injucunda* vocavit, quin & *eruditam ac piam ſententiam*, quam *temere ſugillandam haud duxerit.* Uti & eadem fere leguntur apud *Iſidorum Clarium*; *Ut hæc contingerent hominibus, exſurrexi. Somnus meus nempe in ſepulchro. Hæc enim in perſona Chriſti dicit Propheta.* Alii tamen heic cogitant alio ſenſu de Deo loquente, *coll. Pſal.* LXXVIII. 65. XLII. 24. *&c.* uti *Lucas Oſiander*, hoc quoque nomine à *Calovio* laudatus; *Ideo quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum, & vidi populi mei miſerias, & ſomnus meus dulcis mihi fuerat, diu admodum indulſeram ſomno, i. e. ego quidem longo tempore viſus ſum populum meum parum curare, quando nimirum poſt ultimos Prophetas qui poſt reditum ex Babylone ſunt vaticinati nullum amplius Prophetam illis miſi. Itaque miſeræ animæ propemodum defecerunt ex inopia puræ doctrinæ cœleſtis, non enim ex Phariſæorum concionibus ſolidas conſolationes petere potuere. Quare quaſi de ſomno evigilans, reſpexi Eccleſiam meam, ac perturbatas conſcientias Euangelio meo de remiſſione peccatorum largiter & ſuaviſſime reficio.* Verterunt quin etiam iſta *Tremellius & Junius*; *In hoc invigilo & inſpicio, etiam ſomnus meus ſuavis eſt mihi*; & expoſuerunt, *oculis fero, quod aiunt, Eccleſiam, ut Eſa.* XLIX. 15. & 16. *vigili & dormienti mihi ſemper obverſatur recordatio & ſtudium illius, humanitus dictum.*

Quam & exegeſin, ut ſolet paſſim, laudavit *Thomas Malvenda*. Alia rurſus mente & connexione legimus apud *Hieronymum* ad Populum hæc referentem; *Inebriati autem atque ſaturati hi, qui laſſi fuerant atque eſurierant, agunt gratias, reſpondentes, expergefactus ſum & vidi Dominum, ſcilicet ſuſcitantem atque dicentem, ſurge qui dormis &c. & ſomnus meus dulcis fuit mihi, ut imitarer Domini mei verba dicentis, ego dormivi & ſoporatus ſum, & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me.* Sed communiſſime dictum hoc, neque Chriſto, aut Deo, neque ejus Populo tribuitur, ſed Vati *Jeremiæ* ipſi, qui ita inter verba Dei ſuo nomine interloquitur, & ex ipſo verborum argumento ſatis dignoſcatur. Ita nempe, ut *ad* & *per* maxima Dei & vere Euangelica promiſſa, quale etiam fuerat omnino illud poſtremum *verſ.* 25. *de inebrianda anima laſſa, atque omni anima dolente implenda*, ille ſe ferat *expergefactum*, de ſomno; ſeu triſtitiæ, ob mala populi, culpabilia vel pœnalia, qualia heic etiam præceſſerant ante; ſeu torporis & ſegnitiei majoris, quo fuerat prius obrutus; ſeu potiſſimum raptus Prophetici, in quo promiſſa magna iſthæc ipſe à Deo acceperat, *coll. Zach.* IV. 1. *Dan.* VIII. 18. X. 9. *&c.* prout ſolent inſomnia, ſingulariter vel terrifica vel exhilarantia, dormientes tam valide afficere, ut hinc expergiſcantur citius. Quo pacto & expergefactus Vates noſter, *vidit*, oculis corporis æque quam mentis apertis circumſpiciens, & attendens læte ad id quod in ſomno ipſi exhibitum fuerat; vel alias cernens idem dum evigilaveram, quod dormienti occurrerat prius; vel etiam nova ulteriori Viſione Divina in ſomno exhibita percipiens ea, quæ de *Diebus venientibus* annunciantur lætiſſima ad Capitis finem uſque. Additque tum adhuc, *ſuum ſomnum ſibi dulcem fuiſſe*; ſive antecedenter, in quo & quatenus in eo priora promiſſa à Deo maxima acceperat, dum per inſomnia triſtia ſomnus illi fuiſſet, vel & alias fuerat, gravis & acerbus; ſive & conſequenter, in quem poſt excitationem breviorem inciderit denuo, percepturus etiamnum latius magna illa bona quæ dein in textu ſubjiciuntur *verſ.* 27. *&c.* De quo ut cogitemus, facit *Jonathan*, expreſſe *Prophetam* nominans, & iteratam dormitionem memorans. Lubet appingere, quæ ad hunc textum habet *Jac. Altingius*; *Aſſeſſus Prophetæ verſ.* 26. *Si continuetur oratio, Dei ſermo eſt, qui*

*pro-*

*propterea ſe dicat evigilaſſe, uti quando poſt diuturniorem dilationem ad vindicandos ſuos ſe accingit Pſal.* LXXVIII. 65. *quo pertinent preces Pſal.* XLIV. 24. *Eſa.* LI. 9. *&c. Et quod additur, & vidi, poſtquam ſomnus meus ſuavis mihi fuit, quatenus Deus delectationem habet in caſtigatione ſuorum & neglectu quaſi, Eſa.* I. 24. *ſed poſtea longe majorem in ejus reſtitutione habiturus Deut.* XXXII. 26. *&c. Verum quod phraſis illa de ſomno durior videatur, hæc ab Interpretibus referuntur ad Prophetam, qui per parentheſin de ſuo affectu teſtatur, ſuper hæc evigilavi, ſignificans ſibi hæc in ſomnio fuiſſe revelata, juxta Num.* XII. 6. *quamquam nullum ejus rei indicium ſit Jer.* XXX. 2. *&c. Super hæc evigilavi poſtquam vidiſſem, & ſomnus meus mihi ſuavis fuit, ut ſimilia viderem, quæ mox ſibi revelata recitet. Somnia Abimelechi Gen.* XX. *Pharaonis Cap.* XLI. *Nebucadnezaris Dan.* II. 4. *Uxoris Pilati Matt.* XXVII. *turbarunt eos quibus advigerant, quia ad extremum quid mali portendebant, aſt hoc ſuaviſſimum, utpote mera habens Euangelia pacis & boni pro Iſraële &c.*

VIII. Apparet autem ſic ſatis, quam minime certa ſit *Cl. Cocceji*, aliorumque ex vel cum quibus hic ſapit, Interpretatio illa verborum *Jeremiæ* de Chriſti Reſurrectione cum connexis. Quam nec ego ſatis firmatam video; vel per ſermonem Chriſti antecedenter & conſequenter heic repertum, cum hoc tantum ſupponatur, nec excludat interlocutionem propheticam ſi verba ipſa ad eam nos ducant; vel per Promiſſa Euangelica in hoc Capite lecta, etiam de Meſſia naſcituro ex Virgine *verſ.* 22. æque quam de ipſius quæſtione ad mortem *verſ.* 15. quæ hoc minime efficiunt, ut omnia, etiam quæ hoc verſu leguntur, de Meſſiæ perſona ſint dicta, cum excluſione interloquentis Vatis, dum nec de ejus Nativitate ex Virgine heic quidquam vere vel certo legi nos olim oſtendimus latius *EXERC. TEXT. XXI. Parte II.* nec Fletum Bethlehemiticum heic depingi, perinde diſputavimus *EXERC. TEXT. XX. Parte I.* vel per ipſa Verba Textus, quæ alium ſenſum ſatis commodum in ſe & contextu hoc admittunt, uti modo vidimus. Et ſi liceat addere id quod cum longe plurimis judico, putem ego, verba illa Interloquenti cum gaudio Vati longe aptius applicari, quam Meſſiæ, tanquam enarranti non modo Mortem & Reſurrectionem ſuam

Et judicatur hinc candide.

corporalem, ſed & Vilum mali & boni in Diſcipulis ſuis, quando poſt Reſurrectionem ſe illis conſpiciendum dedit, quæ nobis quidem duriora & nimium quæſita videntur. Utique non audemus ex hoc loco illum in modum urgere Incredulos, ad agnoſcendam Domini noſtri Reſurrectionem, quem in hac non pœnituerit ſuæ etiam mortis.

---

## CAPUT DUODECIMUM.

### *Quo ad ſignificatam & creditam antiquiſſimo tempore Meſſiæ Reſurrectionem aſcenditur.*

De Prot-Euangelio Paradiſiaco monetur, in eo etiam Meſſiæ Reſurrectionem comprehendi.

Poſt iſta, magis vel minus recte aut ſolide, laudata Vaticinia Vetera pro Domini noſtri Reſurrectione, notandum hoc omnino judicamus, quod ejus Declaratio & Fides non demum ſit repetenda à diebus Davidis & ſerioribus inſecutis, ad quos Vaticinia illa laudata referri debent, ſed & ab antiquioribus longe. Ubi tuto nominare poſſemus & urgere *Prot-Euangelium* ipſum *Paradiſiacum* ex *Gen.* III. 15. Prout & hunc locum ante alia omnia nominavit *Cl. Coccejus ad Ult. Moſis* §. 745. addens, *mortis guſtu mortem vincendam*, ſed argumentum ex eo vix aliter illic urgens. Sed non lubet nunc in iſtius loci conſiderationim latius excurrere, poſtquam olim eum *in Hiſtor. Parad. Lib. IV* prolixius tractavimus, atque etiam monuimus *Cap. VI. Mediatorem* heic reperiri in præcipuo illo Semine Mulieris; cujus *Natura Humana* ex hoc nomine, *& Divina* ex magno opere conterendi Serpentis conſtare poteſt; cujus *Exinanitio* per calcanei contritionem paſſivam, & *Exaltatio* per capitis Serpentini contritionem activam exponitur, & cujus *Munus* omne, potiſſimum Sacerdotale & Regium, hoc ipſo haud obſcure innuitur.

Pro Antiquitate hujus prædictæ & creditæ laudatur locus

II. Enimverò eſt Fides & Spes *Jobi*, quam ille adeo clariſſime expreſſit *Job.* XIX. 25–27. de qua olim non niſi breviſſime diximus *EXERC. TEXT. XII. Parte I.* & quæ heic digniſſima eſt ut attentius conſideretur in rem noſtram. Is

ita

ita ſonat ad literam; *Et ego novi, Redemptor meus vivet, & ſurget ultimo ſuper pulverem, & poſtquam pellem meam contriverint hanc, & è carne mea videbo Deum, quem ego videbo mihi, & oculi mei aſpicient, & non alieni, conſumuntur renes mei in ſinu meo.* In quibus illuſtrandis præmittemus *Rem* ipſam, tum ad ejus *Scientiam* tranſituri. Res ſpectat ad *Redemptorem meum*, qui dein ſub *Dei* nomine venit, & conſiſtit in ejus *Vita*, ac *Surrectione* ſuper pulverem, cum ejus *Fructu* læto & deſiderato apud Pios. Nomen *Redemptoris* Hebræum eſt גאל *Goël*, ὁ ἐκλύειν μέλλων apud LXX. Idem, nec ſenſu Legali nos heic ad nudum Hominem aliquem propinquum ducit, *coll. Lev.* XXV. 25. 26. *Ruth.* II. 20. *&c.* nec ad Creaturam ullam, minus potentem ad hoc opus omnem; ſed omnino ad *Deum*, אלוה uti deinde nominatur & intelligitur verus. Qui neque heic intelligendus, vel Eſſentialiter Triunus, vel Perſonaliter Pater aut Spiritus, ſi quidem his non convenit ex carne per oculos corporeos videri; ſed certiſſime Filius, qui ipſe Carnem humanam erat aſſumpturus, & in ea ſe mundo toti olim conſpiciendum daturus. Et de hoc oportet nomen illud, non modo *Dei* in propriiſſimo & pleniſſimo ſenſu capere, tanquam vere θεανθρώπῳ in Unitate Perſonæ, & talem ſe demonſtraturo per ſurrectionem ſuper pulverem cum connexis; ſed & alterum *Redemptoris* perinde, ut dicat eum, qui, interveniente etiam proximo ſanguinis ejuſdem humani nexu, liberaret homines alios miſeros, non tam à malis his aut illis immiſſis, quam à Satanæ, Peccati, & Perditionis, hinc fluente Servitute triſtiſſima, valida quidem manu, attamen & per ſufficiens lytrum quod pro iis perſolveret, *coll. Gen.* XLVIII. 16. *Pſal.* CIII. 4. *Jeſ.* XLI. 14. LIX. 20. *Hab.* XXXIII. 24. *&c.* Ut aberrent toto cœlo, tum Judæi, tum Chriſtiani, qui heic antiquius vel ſerius cogitarunt de Deo ſimpliciter, tanquam ex præſenti graviſſima afflictione Jobum feliciter reſtituturo in his terris cum victoria de adverſariis ſuis, uti ex maximis malis ille nonnunquam homines reſtituere benevolo arbitrio ſolet, & factum heic præter exſpectationem omnem diſcimus ex *Job.* XLII. 6. *&c.* Quibus, præter *Nominis* hujus participialis *Vim* Pleniorem, & magnificum illud *Proœmium verſ.* 23. 24. *utinam nunc & ſcriberentur*

cus Job. XIX. 25. 26. 27. in quo attendendum nomen Goëlis ſeu Redemptoris mei, etiam mox appellati Dei.

*verba mea! utinam & imprimerentur in libro! in ſtylo ferri & plumbo, in perpetuum in petra ſculperentur!* plane repugnat, tum *Calamitas* viri deſperatiſſima, abſque relicta illi ulla ſpe reſtitutionis talis *Job.* XVIII. XIX. 10. *&c.* tum *Certitudo Fidei* immota, quam hic ex adverſo declarat; tum proſpectus ad *Ultimum* Diem; tum aſſerta *Carnis* ſuæ prius corrumpendæ *Reſuſcitatio*; cum *Beatitate* tum concedenda, ſecundum præſens deſiderium; & quæ plura talia, nullis exceptionibus quæſitis enervanda impie vel imprudenter. Qualem Redemptorem quando afflictiſſimo ſibi tribuit Jobus, per pronomen *mei*, jam alios ab eadem gratia minime equidem excludit, magis quam David de *Jehovah Paſtore ſuo* gloriatus *Pſal.* XXIII. 1. *&c.* vel Thomas, Jeſum vocans *Dominum ſuum & Deum ſuum Joh.* XX. 28. vel Paulus, Filium Dei proclamans *ipſum dilexiſſe & pro ipſo ſe dediſſe Gal.* II. 20. *&c.* Sed Redemptorem illum ejusque Agnitionem per fidem ita communem facit, iis qui ante adventum ejus in ipſum proſpexerant credentibus, cum iis qui ipſius adventum ſunt ſecuti, ut eundem ſibi ſecundum Divini Verbi & Spiritus ductum ſingulatim quoque applicet; non modò ſuum in hunc affectum fidei ſpei & charitatis ſinceræ declarans, ſed & affectum hujus in ſe fervidiſſimum & efficaciſſimum agnoſcens ſimul.

Quod Humanitatem ejus, & Mortem in ea ſubeundam includit.

III. In ipſo illo autem *Redemptoris Mei* nomine magno, ſecundum ea quæ jam diximus, continentur ceritiſſime plura de ipſo prædicata, quæ omnia heic non enarramus nos modo, ſed illa tantum nominamus, quæ ad ſcopum noſtrum præſentem faciunt. Uti eſt ipſius, futuri veri Dei, ut valorem & vim operi ſuo daret, *Humanitas* ſimul vera & perfecta, per quam à ſe aſſumptam tanquam ἀγχιστεὺς poſſet eſſe legitimus noſter Goël, *coll. Hebr.* II. 11. 14. 15. *&c.* Atque uti eſt deinde potiſſimum ipſius Hominis futuri *Mors* ſecundum eam Naturam, per quam actu ſatisfaceret pro ſuorum peccatis, Divinæ Juſtitiæ rigidiſſimæ, ſic ea expiaturus pleniſſime, per כפר *pretium* datum, & ab exitio promerito adeoque & Satanæ & Peccati ſervitio ſuos liberaturus. In quo ipſo ſic graviores longe Paſſiones obtinerent, quam quas tulerat hactenus, vel laturus erat, vel & ferre ſimiliter poterat Jobus unquam. Quod notamus, ne quis excipiat, heic

quidem Vitam, ſed non perinde Mortem, tribui Redemptori Jobi. Eſt enim Vita non ſine morte, nec tam ante Mortem, vel in Morte, quam ex Morte, quam heic agnoſcere oportet; eo ipſo quod ille *Redemptor* Mortem promeritorum hominum vocatur verus, alias nec ullum jus habiturus ad illos ab æterna morte immunes præſtandos, vel & ex morte temporali ad beatam vitam revocandos, adeoque actu ipſo plenè redimendos. Ut ſit re ipſa, quaſi heic plenius dictum foret; Ille Meus Redemptor, & Deus, qui in aſſumenda ad ſalutem meam Humanitate Vitam ſuam deponet aliquando, & Mortem ſubibit acerbiſſimam ad mei Redemptionem. Quod eſt omnino primum veri ſolatii fundamentum in graviſſimis quæ hominem premunt adverſitatibus; & absque quo admiſſo reliqua concidunt.

IV. Expreſſius autem Prædicatum primum de hoc Redemptore Meo, eſt חי (ex qua voce forte cum ſequenti juncta LXX. fecerunt ἀένναός ἐστιν,) *vivus*, h. e. ſubintellecto facile Verbo Subſtantivo *eſt*, ſi id neceſſum, ſive *vivit*, nunc ab æterno & ſemper, ſive *vivet*, olim potius quam *vixit* in præterito, niſi hoc certitudinis cauſæ prophetice intelligatur uſurpatum. Quamvis verò minime ſit dubium apud nos, quin huic *Redemptori* potentiſſimo, etiam mox appellato *Deo*, verè conveniret & recte tribueretur *Vita* prorſus Divina, immortalis & independens, & quin hæc ſolatium maximum afflicto præbere poſſet & deberet; non magis tamen dubitandum nobis videtur, quin Vita heic ſpectata, vel unice vel præcipue, ſit Humana, quam ad neceſſariam propinquitatem Goëlis accepturus, & ad conditionem Goëlis implendam depoſiturus erat olim, & in qua oculis corporeis à Jobo erat videndus etiam ſerius. Quando non quidem excludenda eſt iſtius Vitæ Acceptio prima in Nativitate conceptionem ſecutura ex Virgine; & Fruitio potens & conſpicua in ipſius Prædicatione cum Miraculis maximis & plurimis, uſque ad mortem illi breviorem inferendam; attamen magis ſpectanda Vitæ ejuſdem Receptio poſt mortem quaſi momentaneam, quæ foret non tantum longe perfectior & glorioſior & lætior, ſed & plane æterna nec unquam ulla morte altera ei eripienda, *coll. Apoc.* 1. 18. *Pſal.* LXXII. 15. *&c.* Ut ſit adeo, *vivet*,

Poſt quam Vivus idem denuo foret.

*vet*, tantandem vere quam, *reviviſcet*; pro conſuetudine ſolita *Job.* XIV. 14. *Jeſ.* XXVI. 14. *&c.* etiam in Græco ζάειν pro ἀναζάειν, *Marc.* XVI. 11. *Luc.* XXIV. 23. *Act.* XXV. 19. *Rom.* VI. 10 *&c.* Quod & arguit ſubjectum præcedens *Redemptoris*, qui nempe & quando ut talis Vitam ſuam depoſuerit prius, & deinde eam reaſſumet, partam à ſe vitam & ſalutem mihi & ſuis omnibus potenter applicaturus, absque quo ſolatium omne vanum foret. Secundum ea quæ mox annectuntur, nec à manente in morte ullatenus exſpectari poſſent.

Et aliquando ſurrecturus ſuper pulverem.

V. Heic enim occurit Redemptor idem Jobi, mortuus & redivivus, tanquam qui אחרון על עפר יקום / *ſurgeret ultimo ſuper pulverem.* Ubi per verbum Hebræum יקום / *ſurget*, manifeſte ſatis ducimur ad Redemporem redivivum; & præſcriptum eſt adeo contra *Vulgatum* heic habentem in prima perſona, *ſurrecturus ſum*; dum pro perſona Redemptoris in *Targum* ſubſtituitur *Redemptio ejus*, apud alios Corpus Jobi, apud alios אחרון / *ultimus*, intellectus tum, vel de Deo æterno, vel de homine quovis ſuſcitato ex morte, vel de homine etiam noviſſimo aut viliſſimo, vel denique etiam de Chriſto tanquam ἰσχάτῳ, *Adamo*, I *Cor.* XV. 45. Atque ille ipſe Redemptor fertur, non jam *excitaturus* tranſitive, vel *inſurrecturus* hoſtiliter, vel *ſtaturus*, *conſtiturus*, aut *perſtiturus*, ſed *ſurrecturus*. Sed quo ſenſu? An vitam ex morte recipiendo? Id jam antea per *vivendi* verbum erat ſignificatum, neque iis quæ huic verbo heic junguntur apte ſatis cohærere deprehenditur. An potius vitam illam à ſe receptam declarando, novo & potentiſſimo opere? Id omninò aptum & neceſſarium puto, cum reſpectu non ad iram ſed ad gratiam ſuam exſerendam, poſt præcedentem quaſi quietem ſimilem, *coll. Pſal.* III. 8. VII. 7. XLIV. 27. CII. 14. *Dan.* XII. 1. *&c.* Et ducit conſequenter poſitivè illud *ſuper pulverem*, non ad Pugnæ campum, nec ad inferiorem Terræ noſtræ globum, nec ad Terrenum hominem omnem, ſed ad Cadaver in pulverem plane converſum, tum aliorum Defunctorum dudum, tum & Jobi inter eos futuri, *coll. Gen.* III. 19. *Pſal.* XXX. 10. *Eccl.* III. 20. *&c.* *Super* quem pulverem *ſurgere*, non eſt operari potenter contra illum, ſed *in* illum, & ſimul *ob* illum. Ut adeo ſurrectio ſuper pulverem ſit hominum in pulverem redacto-

dactorum potentiſſima reſtitutio ex illo pulvere, à Redemtore redivivo recte exſpectata, ſecundum illud *Joh.* xiv. 19. *Apoc.* i. 18. *&c.* Quod ne putaretur ocyſſime futurum prorſus ad Chriſti ipſius Reſurrectionem, ſecundum ejus forte exemplum in plurimis perinde non corrumpendis, accedit vox אחרון / capienda, ſive nominaliter *ultimus*, non tamen tum referenda ad Redemptoris perſonam, ſive potius adverbialiter, cum vel ſine Ellipſi, *ultimo*, referenda ſic omnino, non ad verbum ſciendi, ſed ad ſequens ſurget. Ut per illam liquidiſſime ducamur ad ultimum tempus, non Oeconomiæ Veteris aut Judaicæ Civitatis, ſed mundi totius, quo Mortui vere demum à Redemptore ſuſcitabuntur, & hinc implenda erat Jobi exſpectatio læta.

VI. Quam ille *differt* primum, hinc *nominat*, & *deſcribit* latius, & ut lætiſſimam tandem *commendat*. Differt per illa prima, אחר עורי נקפו זאת / quæ ineptiſſime vertit *Vulgatus*, *& rurſum circumdabor pelle mea*. Verti autem poſſunt, *cum poſt pellem meam tranſfixerint*, vel *contriverint*, *hæc*, reliquas corporis mei partes; vel *poſtquam pellem transfixerint hæc*, mala & incommoda me prementia; vel *poſtquam pellem meam transfixerint hanc*, una cum reliquis corporis partibus mollioribus & durioribus; vel *poſtquam pellem meam tranfixerint*, *hoc* erit vel fiet, quod ſequitur, uti ſic *Chaldæus* habet, והי דא / quod forte ſimpliciſſimum. Dum omni modo ſic notatur mortem comitans & conſequens corruptio, quam merito cum aliis omnibus exſpectabat Jobus, nec effugere inaniter ſtudebat; adhibita phraſi imperſonali, propter varios modos corruptionis humanæ ſub ductu Divinæ providentiæ, quos huic ſic relinquebat. Quid vero deinde futurum erat Ultimo die? *Et Deum*, Redemptorem Redivivum ac ex pulvere me Vivificantem, *videbo*, non mente ſolum cognoſcente clarius, ſed & corpore etiam, ſeu *è mea carne*, quæ ex pulvere erit reſtituta tum, cum reliquis corporis mei partibus, attamen & tum aderit quoad ſubſtantiam ſuam, depoſitis tantum ejus infirmitatibus culpabilibus & miſerabilibus, *coll.* 1 *Cor.* xv. 53. *&c.* De quo ne dubitare ullo modo videretur, addidit; *Quem*, Deum Redemptorem meum θεάνθρωπον, in Humanitate glorioſa, אני אחזה לי / *ego videbo*, ſeu *ipſe*, ſeu *mihi*,

Cujus Recollectio ſerior cum ſequelis beatis à Jobo annectitur.

*mihi*, h. e. coram me præſentem omnino, vel in me propenſiſſime affectum, vel in ſalutem meam conſummatiſſimam, & ſecundum votum meum enixiſſimum; & *mei oculi*, corporis potius quam mentis tanquam ad carnem ſpectantes, non viderunt jam in præterito, ſed *videbunt*, ſeu intuebuntur cum ſingulari & plena aſſiduaque lætitia, tum in judicio, tum & magis in gloria inſecutura, & *non alienus*, vel homo quiſquam à Fœdere & Fide excluſus, qui & tum ab illo læto Redemptoris conſpectu erit æternum excluſus, vel ipſe per afflictiones non amplius tunc ut talis ſpectandus aut tractandus, vel denique oculus pro præſentibus mihi tunc tribuendus. Et quantum tandem foret hoc bonum? *Mei renes*, ut præcipuæ ſedes affectus ſoliti ſpectari, in *meo ſinu*, interiori magis quam os ipſum prodit aut prodere poteſt, *conſumuntur*, non jam dolore præſenti, *coll. Job.* XVI. 13. *Pſal.* LXXIII. 21. *Thren.* III. 13. *&c.* ſed deſiderii vehementia, *coll. Pſal.* LXXXIV. 3. CXIX. 81. 82. *&c.* & ſimul exultationis magnitudine, *coll. Prov.* XXIII. 16. *&c.*

Scientia horum certa in Jobo.

VII. Ad iſta cuncta, de Redemptore dicta & ab ipſo exſpectata, referre oportet id quod ab initio præmittitur, *Ego novi*, ואני ידעתי / ſive conſequentia גואלי חי / in Accuſativo reddideris, *Redemptorem meum vivum &c.* ſive ſubintelligas conjunctionom כי, *quod*, ſive abſque hoc facias enunciationes diſtinctas. Significatur autem ea phraſi *ſcientia* rei; non Naturalis, ex propriæ menti inſita vi per ratiocinia qualiacunque, aut ex hominum aliorum doctrina, hauſta, ſed Supernaturalis plane, ex Divina Revelatione magis vel minus mediata; nec adeò Conjecturalis mere & hinc incertior in ſe, ſive quoad rem ſive quoad ejus ſingularem applicationem, ſed Demonſtrativa prorſus & certiſſima, qualis eſt illa fidei Divinæ, & hinc unice apta ad animum conſtanter in omnibus adverſis erigendum, *coll. Joh.* VI. 69. *Rom.* VIII. 28. 2 *Cor.* IV. 1. *&c.* Quod tamen minime obſtat, quo minus fidei infirmitatibus æque ſubjectus fuerit Jobus, quam fuerunt ſemper & ſunt hodieque alii omnes fideles, hinc merito rogantes cum Diſcipulis, *adauge nobis fidem Luc.* XVII. 5. & cum Patre Euangelico, *credo Domine, ſuccurre incredulitati meæ, Marc.* IX. 24. *&c.*

VIII. Ut

VIII. Ut tandem ad præsentem noſtrum veniamus ſcopum, de *Antiquitate* ſumma traditæ & creditæ *Reſurrectionis* futuræ *Meſſiæ*, attendere oportet ad loquentem ita de Goële ſuo *Jobum*, ipſiuſque non tam Genus unde ortus, quam Ætatem qua vixit. De quo utroque doctiſſime & ſolidiſſime, cum & præ aliis, egit pro more ſuo *Cel. Spanhemius* noſter *Hiſt. Jobi Cap.* VII. VIII. IX. Unde ex eo diſcere licet; non fuiſſe hunc utique gente *Cananæum*, adeoque ex Chamo ortum, quod aliqui voluere *Magiſtri*; non etiam Semitam per *Aramum* filium Utz *Gen.* x. 23. ſeu *Aramæum*, quod antiquiores & recentiores Chriſtiani ſtatuere complures; nec perinde *Idumæum*, ſeu Eſavitam ex Abrahamo & Iſaaco, quod voluit turba Interpretum, Jobum cum Jobabo temere confundentium, *coll. Gen.* XXXVI. 33. *&c.* nec tandem *Iſraëlitam*, quod ſomniantes inepte non defuere vel Judæi vel Chriſtiani. Sed tenenda ex adverſo longe potius tanquam multo probabilior ſententia alterutra, minime etiam nova. Arceſcendum eſſe Jobum; vel ex *Nachore* fratre Abrahami, cui filii Utz, Buz, Cheſed, &c. *Gen.* XXII. 21. 22. vel ex *Abrahamo* ipſo, non per Agarem, aut *Saram*, ſed *Kethuram*, cujus filii hinc & nepotes recenſentur *Gen* XXV. 2. 3. Uti prius illud, quod etiam inter Veteres *Hieronymus*, & inter Pontificios tenuit *Bellarminus*, firmatur potiſſimum, ex ſede Jobi in *terra Utz*, qui fuit Nachoris primogenitus & familiæ princeps, ſeu Auſitide Arabica; dein ex *Buz*, fratre iſtius Utzi, *Gen.* XXII. 22. à quo ortus Elihu Buzites, *Job.* XXII. 2. inter Jobi Amicos; tum ex altero Utzi fratre *Cheſed*, *Gen.* XXII. 21. à quo *Chaſdim* vicini Jobi *Cap.* I. 17. &c. quin & ex Jobi vicinia cum *Charan* auſtralis Meſopotamiæ, priſtina Nachoris ſede, *coll. Gen.* XXIV. 10. XXVIII. 10. *&c.* Atque uti poſterius, quod cum plurimis Britannis placuit *Uſſerio* Armachano, & noſtro etiam *Walæo*, arguitur ex Amico Jobi *Bildado Suchite*, orto ex *Suacho* vel *Suche Gen.* XXV. 2. item ex *Seba* vel *Scheba*, à quo orti Sabæi *Job.* I. 15. rurſus ex Kethuræis Abrahami filiis vel nepotibus, *Medan*, *Madian*, *Dedan*, contermini, etiam ex Kethuræis ad *Orientem* conſtitutis, *Gen.* XXV. 6. *coll. Job.* I. *&c.* præter alia quæ ad fidem & pietatem Jobi ſpectant, & facilius longe deducantur ab Abrahamo iſthac ratione avo

Cujus ætas & titur Genus, maxime probabile ex Abrahami familia.

vel procavo Jobi. Quam & utramque ſententiam adeo veriſimilem reperit Vir Magnus, ut *arduum* ſtatuat *definire*, *utra ſit eligenda*.

Atque Ætas, paulo anterior Iſraelitarum Exitu ex Ægypto.

IX. Connexa autem tractatio altera de *Ætate* qua vixit *Jobus* cum Amicis ſuis, quæ heic præ ipſius Genere conſiderari meretur, ita inſtituitur à *Magno Spanhemio*; ut diſputet, primum contra eos, qui Jobum ponunt poſteriorem Moſe, dein contra alios, qui eum faciunt Moſi coævum, & tandem pro eis, qui eum conſtituunt Moſe anteriorem. Minime quidem urget eſſe probabile primum illud; ſive nominent Autores ejus tempus Judicum, ſive Davidis, & Salomonis illud, ſive Babylonicæ Captivitatis, ſive Regis Ahaſſueri. Addit ſimul vaniſſima eſſe argumenaa omnia, quibus illi pugnent, ſeu pro tempore Judicum, ex *Job* XXVI. 12. XV. 18. 19. XXVIII. 28. *&c.* ſeu pro illo Davidis aut Salomonis, ex *Job.* XII. 21. I. 15. *&c.* ſeu pro iſto Babylonicæ Captivitatis, ex *Ezech.* XIV. 14. *&c.* ſeu denique pro poſtremo Ahaſſueri, ex *Job.* XLII. 15. *&c.* Sed nec valere urget, quæ pro ipſo Moſis tempore in ætate Jobi agnoſcendo adduxerunt alii plures; potiſſimum ex *Job.* XXVI. 12. quaſi in illis verbis, *vi ſua ſcidit mare & prudentia ſua percuſſit Rahab*, ſpectaretur ad recentem tranſitum Maris Rubri & Ægyptiorum in eo ſtragem; atque ex *Job.* XXI. 29. quaſi *tranſeuntes per viam* eſſent illic Iſraëlitæ peregrinantes in deſerto, nec non ex *Job.* XXXIV. 19. 20. quaſi illic judicia Dei in Pharaonem & Ægyptios deſignarentur. Quo magis ſcriptio hiſtoriæ Jobi in hac forma facta potuit eſſe à Divino Spiritu, adhibitis phraſibus recentioribus quandoque longe poſt ipſam Jobi Ætatem. Tandem vero concludit Jobum Moſe ſeu Lege ab hoc lata eſſe omnino vetuſtiorem; non quidem *σύγχρονον* Abrahamo & Iſaaco, aut æqualem Jacobo, ſed coævum potius Iſraëlitarum Servituti in Ægypto. Et in rem iſtam laudat, non modo Veterum in iis diſſentientium varie communiorem Traditionem, ſed & Genus Jobi ac Amicorum, Facultatum ejus modum, Sacrificiorum ejus rationem, Silentium eorum quæ per Moſen fuere geſta, Idololatriæ antiquiſſimæ genus ex adverſo memoratum, Revelationum Divinarum frequentiam & modum antiquum, Vitam

Jobi

Jobi longiſſimam, præter alia minoris forte ponderis. Atque adeo vult, *Hiſtoriam Jobi mediam eſſe inter res Libro Geneſios & Exodi memoratas, id eſt, inter Joſephi noviſſima & eductionem populi &c.* dum *& vanitatis illi poſtulentur, qui præciſe Annum cum Nativitatis Jobi tum Mortis definire ſuſtinent.*

X. Utcunque autem magis vel minus ſolida ſit iſta determinatio Generis & Ætatis Jobi, & ſi vel ille Moſi coætaneus aut paulo ſerior conſtituatur, id manebit æque certum, quod Tempora ejus Davidicis & inſecutis aliis ſint longe ſuperiora. Adeo, ut tum jam Deus revelaverit ſuis, ad ſolatium & ſalutarem eorundem inſtructionem, in maximis etiam adverſitatibus hujus mundi, Meſſiæ, ſeu Dei venturi olim in humana carne, tum Mortem, tum Reſurrectionem ex ea celerem, per quam ſalutem acquiſitam ſuis applicaret potenter, tandem etiam ſuorum pulverem omnem recollecturus, & ſe in nubibus exhibiturus eis coram. Quæ dubito, an hodie poſt Goëlis Exaltationem factam multo clarius credentes exponere poſſent, quam heic à Jobo factum eſt. Uti non diſſimili claritate de Meſſia locutum deprehendimus ex Jobi Amicis Elihu *Job.* XXXIII. 23. 24. *Si fuerit apud illum Angelus Interpres, primus ex mille, ad indicandum homini rectitudinem ejus, & prò eo deprecatus fuerit, dixeritque, redime illum à deſcenſu in foveam, invenī pretium redemptionis.* De quo loco ſuccincte quidem ſed dilucide olim & nos egimus *Obſerv. Text. III. poſt Analyſin Exeg. Jeſ. LIII.* Quin & conſiderationem heic ſimul ſuam meretur Jobi illud ex Dei revelatione profitentis Genus, ex Abrahamo aut cognatione ejus proxima quidem deducendum, ſed minime Iſraëliticum; quo pacto curaverit omnino Deus, ut, ante ſuam Eccleſiam plenius intra Iſraelem concluſam Moſaico Fœdere inito & mox confirmato per populi introductionem in terram Cananæam, jam tum etiam aliarum gentium reliquiis piis conſtaret, quid de Meſſia & ab eo exſpectandum foret. Quæ communior rei præſignificatio id jure meritoque efficere debet, ut de Reſurrectione ejus non liceat dubitare poſt facti hiſtoriam Euangelicam, quam admirabilis & hinc incredibilis cæteroquin orbi poſſit videri eadem.

Unde Antiquitas hujus fidei monſtratur, præter alia.

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

### *Quo inquiritur, an non & Tempus Moduſque Reſurrectionis Dominicæ in Vaticiniis ſint ſatis Determinata.*

Quæſtio an etiam Tertio die Reſurrecturum Chriſtum, olim fuerit prædictum.

VIx poterit dubitari, quin ad Fidem Reſurrectionis Chriſti, prout hæc in Euangelio traditur, multum ponderis ſit additurum, ſi in Vaticiniis veteribus ſit Determinatum Tempus idem rei futuræ, quod heic annotatum eſt adeo curate; etiam præ aliis circumſtantiis ad Modum rei ſpectantibus. Quo magis de Tempore aliquid tale innuiſſe videtur Apoſtolus ipſe 1 *Cor.* XV. 4. κ) ὅτι ἐτάφη, κ) ὅτι ἐγήγερται τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, κ) τὰς γραφάς. Cum & præ quo etiam urgeatur commode illud Chriſti ipſius *Luc.* XXIV. 46. ὅτι οὕτω γέγραπται, κ) οὕτως ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, κ) ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Niſi forte defectus oraculorum talium de Tertio Die nos cogat, ut vel ad Typos ſeu Reales Prædictiones ſolas heic recurramus, vel Scripturarum dicta ad Chriſti Paſſionem Sepulturamque & Reſurrectionem ipſam reſtringamus, ad quam poſtremam Tertii Diei determinatio ex eventu tantum adjiciatur à Paulo & Domino ipſo; ut nihil addam modo de *Scripturis* Novi Teſt. heic intelligendis apud Paulum. Unde eſt illud, quod *Cl. Coccejus* noſter ſcripſit ad illa Pauli verba; *Quod Chriſtus tertia die debuerit reſurgere, non tam aperte in Vet. Teſt. prædictum fuit. Reſervatum id fuit Chriſto, ut ad hoc ſignum provocaret, & eo ſe veracem Prophetam & Filium Dei probaret, & veracem Interpretem verborum & ænigmatum Dei. Nam & præceſſerunt ænigmata, quibus Chriſti prædictio & res geſta ita congruit, ut appareat conſilium Dei fuiſſe, ut & tres dies duraret poteſtas tenebrarum, & tertio die Chriſtus reſurgeret. Illud enim in ſigno Jonæ præfiguratum eſt &c.* Dum vix intelligo, quorſum ſpectet & tendat *Grotius*, ſcribens *h. l. Nam & hoc Eſaias & Daniel prædixerant, & præfiguraverat Jonas.*

II. Enimvero, licet ſic ſit ſalva ſatis fides noſtra & veritas dictorum à Paulo & Chriſto, ſi illud de Scripturarum prædictione, vel reſtringatur ad Reſurrectionem ipſam magis quam ad Diem Tertium quo hæc fieret, vel referatur ad Typos in Scripturis deſcriptos ſolos; vix tamen dubium eſt, quin verba pleniorem accipiant ſenſum, utilioremque ad hominum fidem, & magis apte inter ſe cohæreant, ſi & *Tertius dies* Reſurrectionis Chriſti in Vaticiniis deprehendatur fuiſſe fixus, ſeu jam explicite, ſeu implicite ſolum. Et in hanc rem dudum eſt, quod laudata fuerunt verba illa *Hoſ.* VI. 2. *Vivificabit nos poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabit nos, & vivemus coram eo*, quæ non tantum tractavimus nos in *Commentario noſtro*, ſed & latius cum reſpectu in rem præſentem *EXERC. TEXT. XXII. Parte I.* Enimvero iſta non pertinere ad Chriſti ex morte Reſurrectionem futuram Die Tertio, haud pauci docti piique viri monuerunt. Inter quos ipſe *Calvinus* noſter, cui *ſenſus ille videtur nimium argutus*; monenti ſimul, *hoc ſemper ſpectandum eſſe nobis, ne volitemus in aëre.* Nec rationibus hi deſtituuntur, ſeu negativis, ſeu poſitivis. Priores ſunt, quod nulla heic fiat mentio Meſſiæ, quodque nec Chriſtus ipſe, Jonæ ſignum laudans, nec Scriptor ullus Novi Teſt. hunc textum ad Chriſtum ſuſcitandum retulerit. Et poſteriores, quod de Perſonis pluribus heic agatur ita loquentibus, quodque nec earundem deſcriptio antecedens & conſequens apte Chriſto conveniat, tanquam quæ ob peccata à Deo derelinquendæ & ſeveriſſimè puniendæ eſſent *Hoſ.* V. 13. 14. & ſe mutuo ad converſionem hortarentur laceratæ & percuſſæ à Deo *Hoſ.* VI. 1. & vitæ etiam correctionem cum perſeverantia in Dei Agnitione pollicerentur *verſ.* 3. Quibus prædicatis convenienter Vivificatio & Suſcitatio ſint metaphoricè potius quam proprie heic capiendæ, & tertius dies accipiendus de tempore gratiæ præſtandæ populo, ſeu longiore ſeu breviore, utique certo determinato apud Deum. Qualia apud ipſum *Pareum* & *Rivetum* noſtrum legas. Sed & argumenta habent alii, quibus nos ad Chriſti Reſurrectionem pelli exiſtimant. Hoc nempe facit quam maxime *Prædicatum*, proprie quantum pote capiendum; tum in Verbis *vivificandi & ſuſcitandi*, cum *Vita* inſecutura *coram Jehovah*; tum

Quod à plurimis factum creditur Hoſ. VI. 2. textum illum tamen variè ad Chriſtum referentibus.

tum in *Tertio Die poſt Duos Dies* futuro determinatè. Quæ Chriſto veriſſime per eventum, & nulli alii ſic competunt. Huc facit deinde, quod ad *Subjectum* attinet, intima *Chriſti Unio cum Eccleſia* ſua, per quam, uti Chriſtus ſibi tribuit quæ fiunt Eccleſiæ ſuæ ſui cauſa *Act.* IX. 4 5. *&c.* ita Eccleſia de ſe ferat quæ Chriſto contingunt, hinc & pro illa Suſcitato 2 *Cor.* v. 15. *&c.* Huc facit tertio *Fidei & Reſipiſcentiæ* facta in hac enunciatione declaratio, *coll. Cap.* v. 15. VI. 1. ad quam omnino pertinet Agnitio Reſurrectionis Chriſti, *coll. Rom.* X. 9. XIV. 9. *&c.* etiam ut typi noſtræ reſurrectionis ſpiritualis. Huc faciunt denique non minus connexa in textu Beneficia; *Et agnoſcamus, perſequamur agnoſcere Jehovam, ſicut aurora paratus eſt egreſſus ejus, & veniet ſicut imber nobis, ſicut ſerotina tempeſtiva pluvia terræ.* Quæ optime cum Reſurrectione Chriſti memorata cohærere videntur. Unde non tantum ita ſtatuunt Recentiores Viri Doct. ſed & Antiquorum multi & celeberrimi; inter quos ipſe *Auguſtinus* ſcripſit *Lib. XVIII. de Civ. D. Cap.* 28. *prænunciavit iſte Propheta etiam, Tertio die Chriſti Reſurrectionem futuram, ſicut eam prophetica altitudine prænunciari oportebat &c.* Quorum tamen diſſenſus magnus & multiplex eſt in deſignando modo, quo hoc dictum ad Chriſtum ſit referendum. Dum præ aliis mirus mihi obvenit *Commentarius Cl. Cocceji*, quando ſcribit; ab una parte, *non poſſe fieri, ut ad Chriſti reſurrectionem non ſit hoc loco reſpectum*; & ab altera, *non longum eſſe ut ſurgant & iterum non cadant*, ut à *duobus diebus* ſit brevi, &c. eandem & phraſin ſignificare *ultra duos dies*, q. d. longius durabit Eccleſia, & *regnum Chriſti quam ut una vel altera emicatione finiatur* &c. *diem tertium* pertinere ad *Reſuſcitationem tertio iterandam, q. d. luctaturos cum regno Anti-Chriſti poſt primum caſum tribus vicibus, reſuſcitabit, & una vivemus coram ipſo &c.* quæ & ipſæ tres vices enumerantur *ſuſcitationis Eccleſiæ oppreſſæ, in Waldenſibus, Wicleſi & Huſſi Diſcipulis, & Reformatoribus ultimis, Luthero, Melanthone, Calvino, & collegis ipſorum comprobatæ.* Quæ quo pacto feliciter etiam ſatis cohæreant inter ſe, ego equidem nondum video.

Dum ſimpliciſſime heic intelligi-

III. Mihi vero etiamnum idem heic videtur quod olim. Ita diſplicet hoc extremum unum quidem, quod ſub nomi-

ne

ne *nostrum* intelligatur Christus, vel solus, vel cum fidelibus membris suis; ubi longe facilius est solos intelligere fideles resipiscentes & in benignitate Domini sperantes. Ut nec placeat alterum, quod *Vivificatio* ad temporalem felicitatem unice vel præcipue referatur, quæ tot junctis verbis vix erat ut significaretur; quodque hinc *Triduum* indeterminate potius de longiori vel breviori tempore quam determinate capiatur, ubi tamen *Tertius Dies* duplici phrasi notatus commodissime sensu proprio capitur. Ex adverso post Sanationem & Colligationem magis corporaliter intellectam, putem ego heic fieri progressum aptissimum ad *Vivificationem* & *Suscitationem Fidelium* Resipiscentium, tum spiritualem, inchoatam & promotam, tum æternam simul, & animæ & corporis, quæ illam posthac sequetur. Quæ utraque futura dicatur *post biduum*, non prius, & *die tertio*, non serius. Quam temporis determinationem caperem quidem indefinite de spatio longiori vel breviori, si ad ipsum effectum Divini operis in fidelibus esset heic necessario spectandum, & si non esset aliquis determinate Dies Tertius cui Vivificatio illa sui à Fidelibus recte tribui posset, respectu operis unde flueret hic effectus. Cujus contrarium ex eventu Resurrectionis Christi Triduanæ constat nobis, nec minus forte aliunde & ex Typis variis olim constare poterat Patribus. Unde concludo, in litera heic potius esse hærendum; ita ut spiritualis & æterna Vivificatio fidelium sola innuatur in prædicato principali; sed *Tertius Dies* post *Biduum* nos ducat ad solam Vitam tum Messiæ restituendam ex morte, quæ foret tam Pignus quam Causa Vivificationis fidelium vera & unica, *coll. Job.* XIX. 25. *&c.* In quam sententiam egregie etiam conveniunt, quæ apud Vatem tam de Populo resipiscente quam de Domino ipso proxime sequuntur. Sicuti & illuc spectat, quod cum Veteribus aliis adjecit loco citato *Augustinus* ipse; *Secundum enim hoc dicit nobis Apostolus, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Dum alia loca, directe de Christi Resurrectione agentia, cum respectu ad Tertium Diem hactenus ego ignoro; sed ex ipso *Mechilta* laudavit *Galatinus* hunc, *coll. Psal.* XXX. 6.

gitur Vivificatio Fidelium virtute Christi Tertio Die surrecturi.

IV. Interim implicite etiam Davidem nos jussisse heic cogitare

Confertur & in rem

etiam Corruptio à Benigno Dei omnino arcenda, ſecundum Davidem.

de *Tertio Die* Reſurrectionis Dominicæ *Pſalmo* XVI. 10. obſervatum eſt à Viris Doctis non immerito, per illa verba, *non dabis Benignum tuum videre corruptionem.* Siquidem verba illa pleniſſime intellecta arcent corruptionem à mortuo & ſepulto Domino, non ſolum totalem, aut qualemcunque majorem, ſed & omnem prorſus, inchoatam quoque vel certe ſenſibilem factam apud homines. Quod addimus ad retundendas omnes cavillationes philoſophicas pro corruptione ad mortem mox ſequente per gradus, ſed ſerius ad fœtorem promota demum; quæ utique Divina virtute vel minima à Domino nihilominus arceri facile potuit, ſed ad quam ſi recurramus, nulla hinc temporis determinatio intelligi poterit, dum cadaver incorruptum eadem tam ad menſes & annos quam ad dies plures ſervare equidem potuit. Sed naturaliter vix ad dies plures ſenſibilis corruptio aliqua à cadavere arcebitur, etiamſi ars & induſtria humana ei opponantur. Unde & conferri ſolet illud Euangelicum Marthæ de Lazaro fratre mortuo *Joh.* XI. 39. κύριε ἤδη ὄζει, τεταρταῖος γάρ ἐστι. Apud me autem illud facile valet, quod Pſaltes ſic loquens ſignificaverit, non diu eſſe differendam Chriſti Reſurrectionem, quod nec eſt factum ubi ille Tertio Die Reſurrexit. Sed vix auſim Diem Tertium conſiderare, tanquam unice heic deſignatum, propter variam cadaverum conſtitutionem & curam, tam loci quam aromatum & unguentorum adductorum reſpectu; quæ heic videtur Corruptionem ſenſibilem poſſe tam accelerare ab una, quam differre aliquantulum ab altera parte. Et dubito, an ea etiam ſit Euangelici dicti mens, fœtorem ex cadaveribus percipi nunquam, vel ante diem quartum, vel demum poſt eundem lapſum.

Et ſunt in Prædictionibus Veteribus quædam quæ ad Matutinum Dici tempus in Chriſti Reſurrectione ducere apte poſſunt.

V. Annon vero & dici poteſt debetque, licet hoc non dixerit Paulus, etiam à Vatibus fuiſſe olim determinatum *Tempus Matutinum* Diei Tertii, quo Dominus reſurgeret, quod tam clare tamque multis phraſibus deſcripſerunt Euangeliſtæ? Ita quidem traditum & creditum fuit ab ævo, cum reſpectu ad varia omnino loca, ſed quæ omnia vix æqualis in hanc rem ſunt valoris vel ponderis. Clariſſimus utique foret heic locus *Pſal.* LVII. 9. ſive ille vertatur, *excitabo auroram*, ſecundum dicta *Cap. XI.* §. 5. ſive cum *Vulgato*, *exurgam diluculo*, ſive

ſive etiam cum aliis, *excitabo*, vel *expergefaciam mane*, &c. ſi conſtaret prius, Pſalmum hunc, qui in Inſcriptione tribuitur *Davidi*, *fugienti à facie Saulis in ſpeluncam*, agere in verbis citatis de Meſſia, & dein Evigilationem heic ex morte potius quam ex ſomno proprie dicto deſignari, ad quem contextus longe magis ducit. Ab altera parte certiſſimum eſt, *Pſalmo* XXII. agi de Meſſia, tam in conſequente ſtatu Glorificationis ejus, quam in antecedente Exinanitionis. Sed ejus Inſcriptionem illam, על אילת השחר / vertendam eſſe, *ſuper Cerva Auroræ*, cum reſpectu ad ejus argumentum, ſive deſcriptum in eo Meſſiam, qui talis foret ſeu huic ſimilis, & quidem determinatè in ſua ex mortuis Reſuſcitatione, id necdum videtur adeo certum; licet neque nos illud rejicere admodum velimus, ſecundum dicta olim *EXERC. TEXT. XVI. Parte II.* Sed & tertio loco heic in conſiderationem veniunt non immerito equidem ſimilia, ſub quibus Meſſias plusquam ſemel venit, ad Matutinum Tempus ejus nos ducentia. Ubi dicere nunc late nolo de nomine *Stellæ progreſſuræ* ex Jacobo, ſecundum Bilhami vaticinium *Num.* XXIV. 7. de quo dixi *ad Pentat.* quaſi illa nos neceſſario & determinate duceret ad *Stellam ſplendidam & Matutinam Apoc.* XXII. 16. & hæc in tempore ortus ſui primi ex ſepulchro heic eſſet ſimul conſideranda. Neque etiam de *Sole Juſtitiæ orituro* timentibus nomen Jehovæ, ex *Mal.* IV. 2. quem textum à nobis expoſitum vide in *Comment. Proph.* & dè collato à multis textu *Jeſ.* XLIX. 6. de *Luce Gentium uſque ad terræ extremitates &c.* Sed prætermitti vix poteſt deſcriptio Meſſiæ, tanquam *Lucis Matutinæ*, *oriente ſole*, *mane non nubium* 2 *Sam.* XXIII. 4. de quo egimus *EXERC. TEXT. VIII. Parte VI.* Qualis etiam legitur *Hoſ.* VI. 3. *ſicut Aurora*, (niſi & mavelis, *ſecundum auroram*,) *paratus eſt egreſſus ejus*, expoſita in *Comment. noſtro.* Quibus tamen locis principaliter magis ſpectari videtur ad Gratiam Meſſiæ actu ipſo Fidelibus præſtandam poſt ſpiſſas & horridas ipſorum tenebras, & quidem cum lætiori in dies progreſſu; cujus rei emblema quoddam ſpectari poterit in tempore etiam Reſurrectionis ipſius matutino. Mittimus autem plane locum *Pſal.* XLIX. 15. *dominabuntur in eos recti mane*, לבקר / tanquam ubi non tam ad matutinum tempus Diei Reſurrectionis Chriſti,

quam ad gratiſſimum tempus Reſurrectionis Fidelium ipſorum noviſſimæ ſpectari omnino videtur, *coll. Pſal.* XVII. 15. *&c.*

Dum ad Sepulchrum Saxeum Chriſti, & quærentes eum Mulieres, alii loca alia temere trahunt.

VI. Quemadmodum porro temere nonnulli ad Locum Reſurrectionis Dominicæ Saxoſum propheticè traxerunt verba Aguris, de *Via Serpentis ſuper Petram*, ex *Prov.* XXX. 19. ſecundum dicta *Cap. XI.* §. *II.* pro quibus facilius adduci poſſent illa *Pſal.* XL. 3. *&c.* ſimiliter & omnino à ſcopo Prophetico vero *Hoſeæ* V. 15. aberraſſe judicamus *Tertullianum*, tum *Cap. XIII. adv. Ind.* ubi vitioſe tamen legitur nomen *Eſaiæ*, tum *Lib. IV. adv. Marcinon. Cap.* 43. *Si nec Mulierum illarum officium præterit prophetia, quæ ante lucem venerunt ad ſepulchrum cum odorum paratura, de hoc enim per Oſee, ut quærant, inquit, faciem meam, ante lucem ad me vigilabunt, dicentes, eamus & convertamur, &c. Quis enim hæc non credat in recogitatu Mulierum illarum volutata inter dolorem præſentis deſtitutionis, qua percuſſæ ſibi videbantur à Domino, & ſpem reſurrectionis ipſius, qua reſtitui rite arbitrantur?* Nec minus in iis quæ ex *Iſ.* XXVII. 11. ſubjecit; *Revertentes quoque à ſepulchro Mulieres & ab illa Angelorum Viſione proſpiciebat Eſaias, Mulieres, inquit, venientes à Viſione, venite, ad renunciandam ſcilicet Domini Reſurrectionem.* Quo pacto autem ſic à textu Hebræo & ſcopo omni illic recedatur, videri poteſt *EXERC. TEXT. XX. Parte VI.*

Sed nec deſunt, qui rectius Angelorum Præſentiam, & Terræ Motum, & Diſcipulorum præ aliis Viſitationem, in vaticiniis reperiunt; & clariſſime de Hoſtium Confuſione & Diſcipulorum lætitia apud Pſalten legitur.

VII. Nos longe potius cum Angelorum in Chriſti Reſurrectione Deſcenſu conferimus, quod de his legitur *Pſal.* XCVII. 7. *procumbite coram eo omnes Dii*; quod LXX. tranſtulerunt, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ, quodque Paulus, à ſe verſum, προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ, refert ipſe ad ☞ πρωτοτόκε πάλιν εἰσαγωγὴν εἰς ☜ οἰκεμένην. Nos perinde eundem Angelorum Deſcenſum una cum facto per ipſos Terræ Motu complexum reperimus facillime in vaticinio *Haggæi Cap.* II. 7. de *concutiendis cœlis & terra*; prout hanc concuſſionem optime referri ad portentoſa majeſtatis ſigna in omni parte creatæ molis tempore Chriſti edenda, ad quæ cum Euangelio juncta ſtuperet totus orbis, monſtravimus dudum in *Commentario noſtro*, nequaquam repugnante Paulo *Hebr.* XII. 26. 27. Nos ſimiliter putamus ad Chriſti Apparitio-

ritones apud ſuos, & potiſſimum in Galilæa, non male cogitari de *converſione manus* Dominicæ *ſuper parvulos*, poſt paſtorem percuſſum gladio, & cum paſtore percuſſo gregem diſpertum, ex *Zach.* XIII. 7. deque *Tentoriis Jehudæ ſalvandis primum* à Jehovah in oppoſitione ad Domum Davidis & Jeroſolymæ incolas, ex *Zach.* XII. 7. quamquam illa ad hanc hiſtoriam minime ſint reſtringenda. Quin & nos maxime omnium illa quæ in Militibus impiis ab una parte, & in Mulieribus & Diſcipulis piis ab altera parte, occurrunt apud Domini Reſurrectionem, credimus ut implementi initium comprehendi in illuſtri illo Vaticinio *Pſal.* LXVIII. 1. 2. quod ad Reſurrectionem illam quoque pertinere monuimus *Cap. VIII. §. VII. Surget Deus; diſpergentur inimici ejus, & fugient oſores ejus à facie ejus, ſicut diſpellitur fumus diſpelles, ſicut liquefit cera à facie ignis, peribunt improbi à facie Dei; & juſti lætabuntur, exultabunt ad faciem Dei, & gaudebunt in lætitia &c.*

VIII. Per ſpeciem Corollarii do conſiderandum, an non Primo Die Septimanæ poſſit conjici conſtitutum fuiſſe Tempus Dominicæ Reſurrectionis, quando *Pſal.* CXVIII. 22–24. *Lapis quem reprobarunt ædificantes factus eſt in caput anguli, à Jehovah factum eſt illud, hoc mirabile in oculis noſtris, hunc diem fecit Jehovah, exſultemus & lætemur in eo!* Quatenus nempe conſtitueretur ſic propheticè Dies Idem, quo Chriſtus per Reſurrectionem fieret Caput Anguli, & quo coram Jehovah hoc nomine lætarentur ſolennius Chriſtiani, uti hoc Primo Die eam ob cauſam factum eſſe ab ipſa Ætate Apoſtolica, norunt omnes. Ad quod ipſum factum ſic per Spiritum Propheticum illi ducti eſſe ſimul cenſeantur. Conjectura de Primo Septimanæ Die Reſurrectione Chriſti adſcripta additur.

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

*Quo agitur de Typis Dominicæ Reſurrectionis, generalius non tantum ſed & ſtrictius ſic dici ſolitis.*

Quamquam vero Vaticinia Dei Verbalia apud cordatos omnes ſufficere poſſint ad certitudinem Reſurrectionis Prædictionibus Viſibilibus jungi

debent Reales in Typis Resurrectionis Dominicæ deprehensi.

Dominicæ olim exspectandæ, & hinc Veritatem ejus post eorum implementum asserendam; lubuit tamen addere Vaticinia Realia, quæ in *Typis* illuc similiter tendentibus quæri nec infeliciter inveniri solent. Prout cum Verbo Euangelii, ad firmandam ejus fidem, Deus conjunxit Sacramenta realia, in omni Ecclesiæ suæ œconomia, etiam sub Novo Test. Nec possunt illi Typi heic plane intacti à nobis prætermitti.

Quales sunt aliqui sic dicti Latius, seu Similitudines, etiam hodie in Natura repertæ.

II. Hoc interim probe tenendum est, quod *Typorum* nomen, tum in se, tum in Scripturarum usu, sit sensus latioris omnino; secundum illa quæ diximus olim nos *EXERC. TEXT. XLII. Parte V.* Adeo ut notet, non tam Rem aut Personam Præsignificativam alterius secuturæ, ex Dei sapientissimo consilio; quam simplicius Rem aut Personam qualemcunque Similem alteri, *coll. Rom.* v. 14. *&c.* Atque hoc sensu latiori nequit dubitari, quin innumeri fere queant enumerari *Typi* Dominicæ Resurrectionis, quos & pro strictius sic dictis habendos esse difficilioris longe feret probationis, quam maxime apud rem ipsam de Christo negantes. Prout sunt aliqui tales Communes in Natura', Temporis tam nostri quam Veteris ante Christum; aliqui ex adverso Speciales illi Veteris. Ad priores refer v. g. meritò; tum *Solem* in cœlo, quando hic post occasum vespertinum, & latitationem nocturnam, lætissime rursus super horizontem oritur; tum *Semen* & *Radicem* in terra absconditam, quando hæc juxta illud cum virore grato iterum prodit, vel & si vis *Surculum* abscissum ab arbore qui plantatus recrescit. Et si vis potius Personas, cogitabis recte; tum de *Dormientibus*, sive clam magis sive etiam palam, ubi hi evigilantes alacriter se sistunt proximo; tum dè *Lethaliter Ægris*, vel *Saucils*, qui restituti renovatis viribus surgunt de calamitate sua; tum &, si gesta quandoque supra Naturam jungere lubet, de *Mortuis* ipsis, qui Divina virtute ad vitam revocati fuere non jam fabulose aut metonymice aut metaphorice, sed vere & personaliter, secundum Scripturas Testamenti Utriusque, *coll.* 1 *Reg.* XVII. 19. 23. 2 *Reg.* IV. 25. XIII. 21. *Matth.* XI. 5. *Marc.* V. 41. *Luc.* VII. 12. 15. VIII. 54. 55. *Joh.* XI. 43. 44. *Act* IX. 40. 41. XX. 9. 10. *Matth.* XXVII. 53. *&c.* Sed, ut verum dicamus, non est in istis omnibus quidquam præter similitudinem quandam

dam leviorem plurimum ſi non in omnibus; quam à Deo ad hoc fuiſſe ordinatam, ut veritatem Reſurrectionie Dominicæ ex ea diſceremus, neutiquam liquet; nec ſit admodum veriſimile, vel ex eo quod ſub iſtis ſimilitudinibus nonnunquam veniat Chriſtus, ſed ob varias rationes alias longè certiores. Nec inde quidquam concluſeris ſolidè adeo, quam meram rei Poſſibilitatem.

III. Sic inter Speciales Temporis Veteris Typos, & quidem Reales, nominari ſatis communiter heic ſolet *Aharonis Virga*; quæ, una ex Duodecim Aridis (de quibus ab Una Arbore abſciſſis nihil eſt in textu,) in Tabernaculo repoſitis coram Jehovah, mirabiliter admodum nocte una adeo revixit, ut gemmam non modo & florem ſed & amygdalas proferret, *Num.* XVII. 8. *Hebr.* IX. 4. In quo Miraculo æque, quam in Virgæ illius repetita collocatione & aſſervatione in Tabernaculo, deprehendetur facile convenientia magna cum Chriſto in morte abſciſſo a Gente ſua & exarefacto, qui Divina ipſius virtute vitam recepit citiſſime, ad fructus ferendos ampliſſimos & utiliſſimos, quin & per hoc publice declaratus fuit Sacerdos Verus, non obſtantibus hoſtilibus Iſraëlitarum incredulorum obmurmurationibus diuturnis & amaris. Attamen de eo Miraculi hujus ſcopo, quem alium fuiſſe ad Aharonis Sacerdotium confirmandum, ex textu conſtat, nihil plane habet Moſes vel Paulus; nec ad illud alluſum eſſe *Ezech.* XVII. 24. conſtat ſatis; dum Aharon quidem ut Pontifex fuit Typus Chriſtri illuſtris, non tamen propterea ejus Virga Arida; dumque Sacerdotium ſervandum & agnoſcendum in ſola familia Aharonis per illud tempus parum videtur facere ad Decus Veri Pontificatus olim ad Judæ tribum & Davidis familiam transferendum, niſi & heic meram ſimilitudinem quandam aliunde cogitare velis.

Quin etiam fuerunt olim ſub œconomia priore hujus Rei Imagines quædam Veteres, non modo Reales, uti erat Virga Frondens Aharonis.

IV. Enimvero magnus admodum heic prodire ſolet apud Theologos, ſeu Veteres ſeu Recentiores, numerus Virorum in Eccleſia antiqua verè Illuſtrium, quos pro Typis Domini noſtri, etiam in ipſius Reſurrectione, habendos eſſe inculcatur. Ipſe *Adam*, homo omnium primus, quem cum Chriſto ut Adamo & Altero ſeu Homine Secundo contulit Paulus ipſe, heic ut primus laudatur; quatenus ex Somno gravi im-

Sed & Viri olim Illuſtres, Adam, Noach, Iacob, Ioſeph, Moſes, Simſon, David, Hizkias, Ieremias, Daniel,

quin & ipſe Populus Iſrael.

immiſſo, dum ex ipſius coſta formabatur Eva vitæ ſocia jucunda, ipſe fuit excitatus ut illa frueretur cum gaudio. In his enim, licet ante Lapſum adeoque Mediatorem promiſſum geſtis, Imago quædam cernitur Chriſti; qui ut Eccleſiam ſibi in dilectam conjugem acciperet, Morti fuit traditus ad tempus, ſed & reſurrexit brevi, fructum laboris ſui lethalis accepturus æternum in vita nova ſua, *coll. Eph.* v. 25. 32. & cujus hoc factum & fatum poſt lapſum & auditum tunc Euangelium etiam hinc diſci potuerit. Pro ſecundo Typo inter alios excellente etiam adducitur nonnunquam Alter Parens mundi poſt Diluvium, *Noach*, quem & in multis aliis cum Chriſto recte poſſe conferri nullum eſt dubium; ſiquidem & hic ſpectari poteſt quaſi Mortuus & ſepultus, dum cum ſuis incluſus Arcæ anguſtiis, & per immenſos furentis Diluvii fluctus jactitatus ſine humana ſalutis ſpe ulla, in ea tamen fuit ſapientiſſime à Deo ac potentiſſime ſervatus, & ex ea tandem ſoſpes ſanuſque evaſit, adeoque Chriſto ex Sepulchro ſurgenti ſimilis fuit, in quod malitia orbis electi ipſum vere mortuum detruſerat. Pro tertio Typo ſimili habeatur tertius ab Abrahamo *Jacob*, communis Iſraëliticæ gentis & Chriſti pater; quando illum contemplamur, tum in Evigilatione è ſomno Bethelico, tum in anguſtiſſima illa nocte, qua ſolus ille relictus cum Angelo Jehovah ipſo accerrimam habuit luctam, ex qua licet videretur neutiquam evaſurus, ipſe tamen feliciſſime eluctatus fuit, cum victoria ab hoſte agnita, dum aurora primum & dehinc ſol ipſe ſurgeret. Quartus ſit Typus, minime diſſimilior, hujus Jacobi Filius ex dilecta Rachele eximius præ aliis pluribus, *Joſeph*; in cujus fatis prioribus & poſterioribus pictura vivida Exinanitionis ſimul & Exaltationis Chriſti ab ævo tantum non omni reperta eſt. Qui à Morte quidem ſingulari providentia Dei ſervatus, cujus illi inferendæ conſilium peſſimum iniverant fratres invidi, attamen in Foveam Lethalem detruſus ubi periret ipſe, ſed hinc iterum eductus Vivus; quique poſtea rurſum in carcerem iniquum Ægyptiarum incluſus, inde evaſit & ad ſummam dignitatem hinc aſcendit. Quod tamen poſterius ejus fatum, ne bis ſucceſſive Mors & Reſurrectio Chriſti heic delineata reperiretur, *Cl. Vitringa Obſ. Sacr. Lib. VI. Cap.* 21.

retu-

retulit potius ad *Christianos*, *in quibus Christus vivit*, *ex Diocletianea afflictione tandem liberatos vindicatosque per Constantinum Imperatorem Romanum*, *& evectos ab ipso in summam dignitatem per universum Imperium Romanum*, *omnia illorum curis & præfecturis subjiciente.* Quintus nominari potest ipse *Moses*, Dux magnus Israelitici populi ex Ægypto; quatenus hic & Edicto Regio communi ad Mortem damnatus, & à matre in cista viminea undis fluvii magni expositus, utroque tamen modo ab ipsa Morte ereptus fuit, hinc etiam nomen *Mosis* nactus, in magnam populi salutem & Ægyptiorum perditionem, ut de aliis serioribus hujus fatis nunc non dicamus. Sextus sequitur *Simson*, celebratissimus & singulariter à Deo datus populi vindex; quatenus hic ineunte nocte à Gazitis conclusus media nocte surrexit, atque ab illorum manu effugit, portæ urbis fores & postes duos apprehendens, cum vecte dimovens, & super humeros suos ad montis culmen adducens. Septimus constituitur *David*, illustrissimus Pater & Præcursor Christi, à quo & hic denominari solet; quatenus & ipse tum ab ore Leonis & Ursi, tum à manu Goliathi, tum à persecutionibus Saulis aliorumque hostium variis, in quibus & ad speluncas confugit, tum à morbis gravissimis, tum ab omni gravissimorum malorum genere, feliciter à Deo fuit eductus. Pro octavo memoratur *Hizkias*, pius Rex de Davidis familia serius secutus; quatenus ad mortem præsentissimam æger ipse, secundum Divinam denunciationem, Vitæ longioris promissum à Deo per Vatem accepit singularissimum, atque eam felici restitutione nactus, Tertio etiam Die in Domum Jehovæ ascendit. Nonus additur *Jeremias*, Vates magnus & fidus; quatenus & hic ad Carceris profundi & cœnosi angustias adactus inde vivus evasit. Decimus tandem *Daniel*, Vir ille Dei desideratissimus; quatenus & ipse ex leonum fovea per singularissimam Dei virtutem, à Dario ipso agnitam, sospes evasit, alto etiam mane. Ad cujus historiam illam heic adeo respexit ipse *Grotius ad Matt.* XXVII. 66. ut ex Pilati annulo & lapidis signatione connexa concluserit, *Deum hoc egisse*, *ut res ante se actæ res Christi undique adumbrarent.* Et si omnis ille numerus Typorum singularium forte non sufficiat, ut talis addi adhuc poterit ipse Populus

*Iſraël*, quem Deus ad Pharaonem voluit *Filium* & *Primogenitum* ſuum dici *Exod.* IV. 22. quique ut ſingularis Typus Meſſiæ, à multis etiam Theologis alias ſpectatur, ex *Hoſ.* XI. 1. *coll. Matt.* II 15. quatenus idem nempe non tam à Deo ex Ægypto, quam dein ex Maris profundo & Jardenis alveo, eſt potentiſſime eductus.

Quos omnes præſignificaſſe Futuram Chriſti Reſurrectionem ex Dei conſilio, vix adeo certum eſt.

V. Interim non efficit iſta major aut minor convenientia eorum cum Chriſto in Reſurrectione ſua, ut eos ſeu aliquos ſeu omnes dicere audeam Typos Præſignificativos Chriſti, ſeu in aliis pluribus, ſeu in Reſurrectione ſua; quando hoc nuſquam ſatis perſpicue docuit Spiritus, & collationes etiam quædam ſatis videntur conquiſitæ attendentibus. Unde de aliter ſtatuentibus & agentibus dudum cum prudentioribus Viris ſcripſit *Cl. Voſſius Harm. Lib. III. Cap.* 4. *Quamquam propterea probari non multum debeat illarum induſtria, qui pene in omnibus Veteris Teſt. rebus Myſterium ſimile quærunt, & ſi ipſis credimus inveniunt, animo credo pio, ſed nimis præſidenti, ſic ut quod cum Sabinis ſomniant aliis etiam velint temere perſuaſum.* Nec poſſum quin ſimiliter laudem quæ in tractatione de Chriſti Typis ſub nomine Allegoriarum habet *Joh. Gerhardi Cap. III. de Perſ. & Off. Chriſti*, poſtquam laudaſſet illud *Auguſtini Lib. XXII. c. Fauſt. Cap.* 42. *antiquorum non ſolum lingua, ſed & vita fuit Prophetica; Notandum, quod in Allegoriis tractandis ſingularis requiratur circumſpectio, ne quid contra fidei analogiam proferatur, ac infirmis ſcandalum, adverſariis deridendi materia exhibeatur, quod in iiſdem debeamus eſſe parci, ἰδιώματα ſint non autem ἰδέσματα, quod maximam Allegoriis conciliet gratiam, ſi fontes ejus in ipſis Scripturis monſtrentur.* Quod & ſine dubio ipſe ad Typos retulit, licet inculcet alias *de Script. Interp. Cap. VIII. accurate his de rebus differentes monere, diſcrimen eſſe inter Allegoriam & Typum*, tanquam præſignificativum maxime.

Interim & ſunt heic Typi Præſignificativi, partim Legales, v. g. in Manipulo Primitiarum agitato.

VI. In majorem heic conſiderationem ergo venire oportet, dum certam veritatem Dominicæ Reſurrectionis perſuadere ſtudemus, *Typos* illos ſtrictius dictos; quales heic omnino deprehendimus, tum *Legales* quoſdam, tum & *Eventuales*, non modo *Reales*, ſed & *Perſonales*. Legales nempe vocamus Ritus olim Lege Dei mandatos populo Iſraël, quorum rationem præcipuam fuiſſe Præſignificativam novimus, non tantum ex gene-

neralibus documentis Novi Teſt. ſed & ex illorum conſideratione in ſe & in collatione cum Euangelicis promiſſionibus antiquis ejuſdem temporis. Inter quos fuit ille *Primitiarum Manipulus*, *coram Jehovæ facie agitandus* מחרת השבת / *poſtridie*, ſeu *à craſtino*, *Sabbathi*, non alterius intra ſeptiduum ſequentis, ſed Paſchalis *Lev.* XXIII. 10. 11. τῇ ἐπαύριον τ πρώτης apud LXX. *altero die Sabbati* apud *Vulgatum*. Cujus ſpeciale myſterium non quidem eſt explicitum in Scriptura vel Veteris vel Novi Teſt. attamen non ſine ratione, poſt generalem de Cerimoniis hypotheſin, in Chriſto & Reſurrectione ejus quæritur, ſi non invenitur certo. Hujus nempe Chriſti Mors in Paſchali Agno repræſentabatur Die Ante-Paſchali & Nocte; atque hujus Vita nova non minus commode exhibebatur in Frumento ex Semine ſepulto prodeunte, ſub qua ſimilitudine Dominus ſe ipſum palam prædicavit *Joh.* XII. 24. *amen*, *amen*, *dico vobis*, *niſi granum frumenti in terram lapſum mortuum fuerit*, *illud manet ſolum*, *ſed ſi mortuum fuerit multum adfert fructum*; ſicuti & ad fideles noviſſime reſurrecturos eandem tranſtulit Paulus 1 *Cor.* XV. 36.37. Nec erat *Manipulus* cujusvis frumenti, ſed *Primitiarum*, qui ventilari debebat, plane quemadmodum Apoſtolus Chriſtum ex mortuis ſuſcitatum dicit factum ἀπαρχὴν τ κεκοιμημένων, 1 *Cor.* XV. 20. Ille autem Manipulus coram facie Jehovæ agitatus fuit, ut ipſi palam exhiberetur ſimul & populo; ſicuti Chriſtus Redivivus erat ſiſtendus Patri non tantum ſed & manifeſtandus orbi cum gaudio. Et hoc ipſum cum deberet fieri proxime poſt Paſchatis ſeu Sabbati Paſchalis mactandi & edendi dies, manifeſtiſſimè nos ducit ad Dominum noſtrum primo Die ſeptimanæ reſurrecturum & ſuis manifeſtandum in vitæ reſtitutæ vigore novo prorſus. Quæ ratio ritus hujus myſtica aliam omnem moralem minime tollit.

VII. Cum hoc Legali Typo uno Manipuli Primitiarum, qui ex Vegetabilibus petebatur, jungere oportet alterum ab Animalibus petitum, & quidem Volatilibus, qui occurrit *Lev.* XIV. 4. *&c.* Ubi ad purgationem hominis Leproſi perficiendam (de Ædibus purgandis ſimilia dein leguntur *verſ.* 49. 50. *&c.*) præſcribuntur צפרים / ſeu *aves*, ὄρνεα, ſeu *paſſeres*, στρθία, ſeu *aviculæ*, ἐρνίθια potius, *vivæ* atque *mundæ*, Item in Avicula Dimiſſa Viva apud Leproſi purgationem.

numero *duæ*, quarum *unam ſacerdos mactaret, in vaſe fictili, ſuper aquas vivas, alteram* vero *vivam intingeret in ſanguinem unius mactatæ*, facturus hinc ſeptenam Aſperſionem Leproſi faſciculo ad eam apto, atque *Aviculam Vivam dimiſſurus ſuper agri faciem.* Cum vero in Leproſo optime depingatur Peccator omnis, adeo fœdus & fœdos faciens alios, quin & in dies magis ſe corrumpens; nec hujus purgatio vera ulla exſpectari queat niſi à Chriſti ſanguine nos purgante ab omni peccato; hunc cum ejus ſeu Obedientia Activa, ſeu potius Spiritu, ſecundum dicta à nobis de Aquis vivis *EXERC. Text. III. Parte VI.* reperire decet in Aqua & Sanguine, per quæ aſperſio fiebat. Adeo ut Aviculæ illæ mundæ nos vocent ad Chriſtum ipſum ſanctiſſimum; qui & cœleſtibus annumerandus eſt, & quidem tenuioribus ſecundum ſuam externam conditionem ac apparentiam, quin & perſecutioni humanæ potiſſimum obnoxiis. Dum numerus harum Binarius, quarum arctiſſime unitarum ſanguis quaſi communis eſt, nos ducit, nec ad Duos Chriſtos, nec ad Duas ejus Naturas, ſed longe rectius ad ejus arctiſſime junctum Statum Mortis Antecedentem & Vitæ Novæ conſequentem; qui uterque in Avicula Una non ita commode repræſentari poterat, ſed in Mactatione unius & Dimiſſione libera alterius depingebatur vividiſſime attendentibus ad promiſſa Euangelica, de Semine etiam Mulieris conterendo & contrituro.

Nec non in Hirco Hazazelis, qui & Vivus dimittebatur.

VIII. Nec poſſumus omittere Typum Legalem tertium, quem reperimus in *Caprorum Hircis Duobus* Die annuo Expiationis Iſraëliticæ, adeoque inter Animalia Terreſtria, ſecundum Legem notiſſimam *Lev.* XVI. 5. *&c.* de qua olim egimus, tam Ritus quam Myſterii reſpectu, *EXERC. TEXT. VIII. Parte V.* Duo nempe iſta Animalia, ſatis nota & obvia, erant à Cœtu filiorum Iſraël ſumenda in *ſacrificium pro peccato*, hinc coram Jehovah ad oſtium Tentorii Conventus conſtituenda, quin & tum ſorte diſcernenda, ut unum eſſet Jehovæ & alterum Hazazeli. Quod nomen nonnulli quidem exiſtimant dari ipſi Hirco; alii Loco ad quem hic erat mittendus; alii Deo, prout vel à Gentilibus agnoſcebatur, vel ut ſeverus Judex ſpectari poterat; ſed alii plures Diabolo longe rectius, etiamſi Hircus huic minime in hoſtiam de-

de-

deret. Illum autem Hircum alterum Hazazelis, poſt priorem adductum & cum mactatione oblatum, vult Lex conſtitui vivum coram Jehovah ad hujus Altare, *ad expiationem faciendam ſuper eum*. Quod eo debebat fieri modo, ut poſt Pontificalium manuum impoſitionem ſuper ejus caput, cum confeſſione peccatorum Iſraëlis, quæ ſic ſuper illum dabantur, ipſe ille Hircus *dimitteretur Vivus ad Hazazel*, verſus deſertum in terram abſciſſionis in manu viri oportuni, atque ſic iniquitates omnes Iſraëlitarum portaret & deportaret, vel ſuper ſe, vel ſuper ipſum, ac in deſerto dimitteretur. Quæ porro de hujus Hirci Ritu extra Moſen leguntur, tum apud *Talmudicos* aliosque Judæos, tum & apud Chriſtianos Veteres, nominatim *Barnabam* & *Tertullianum*, ea tanquam ex Traditione ſeriori & incertiori petita, non eſt ut heic multum ſpectemus. Sed attendere oportet ad Typicam hujus Legis rationem. Secundum quam dudum voluerunt aliqui, in Hirco hoc contemplandos eſſe, ſeu Gentiles olim à Deo derelictos, ſeu Iſraëlitas Incredulos & rejectos ſub diebus Novi Teſt. quod poſterius hodie à multis magnopere urgetur, ſed & ab aliis non minus valide impugnatur, tanquam nec rei ipſi nec Dici Expiationis conveniens. Secundum quam alii putarunt potius cogitandum eſſe in Hirco illo de Credentibus, ſeu Iſraëlitis, ſeu & aliis omnibus juxta hos. Sed omnium optime tam in uno quam in altero Hirco, æque quam antea tam in una quam in altera Avicula, cogitamus cum aliis de Chriſto ut Antitypo, ad quem Lex Moſis Umbratica nos potiſſimum ducit tota. Sic ſcilicet, ut Duplex illud Animal pro Uno adhibitum & arctiſſime junctum, ſpectet, non ad Duplicem Chriſti Naturam, aut ad Duplicem ejus Adventum; ſed vel ad Emblema Duplex Perfectæ per eum Expiationis noſtræ, vel potius adhuc ad Chriſti Statum Mortis antecedentem, & Vitæ reſtitutæ conſequentem; in quo poſteriori Satisfactionis ſuæ effectum ipſe præſtaret credentibus, Satanamque pleniſſime perderet. Quam ſententiam à nobis latius adſtructam, atque contra Objectiones aſſertam, videbis æque, quam alias opiniones confutatas, in citata *EXERC. VIII. Parte V.* ut non ſit opus eadem heic latius repetere.

IX. Nunc etiamnum vide *Typos Eventuales* quoſdam, qui Partim Eventuales;

ad quos referimus Manna Die primo post Sabbatum denuo Visum.

præ aliis antea nominatis certiores nobis esse videntur, tum Reales iterum, tum & Personales. Inter *Reales* nominare lubet *Manna*, in Deserto lapsum per singularissimam & potentissimam Dei providentiam in usum Israëlis famelici & sine eo perituri inedia; quatenus hoc non visum super terram Sabbato, mane Diei Primi post illud, qui & Octavus hinc dicitur & dici potest in conjunctione cum præcedenti Septimana, rursus dabatur palam populo collecturo. Ubi equidem dubitari nequit, quin illud Manna verissime fuerit Typus Domini nostri; secundum convenientem huic ejus Similitudinem summam, & declarationem manifestam, tum Pauli 1 *Cor.* x. 3. *&c.* πάντες τὸ αὐτὸ βρῶμα πνευματικὸν ἔφαγον, καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον, ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός, tum & Domini ipsius *Joh.* vi. 48. *&c.* ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, οἱ πατέρες ὑμῶν ἔφαγον τὸ μάννα ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ ἀπέθανον, οὗτός ἐστιν ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθάνῃ, ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς, ἐάν τις φάγῃ ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω ἡ σάρξ μού ἐστιν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς *&c.* De quo legere etiam poteris prolixius dicta olim à nobis *EXERC. TEXT. XI. Parte III.* Jam verò Die Septimo, quem & ab Adamo Integro in memoriam Perfectæ à Deo Creationis voluerat dudum sanctissimè observari Dominus, rigidissime prorsus fuisse quiescendum Israëlitis, ita constat ex Lege, ut ista Quies ipsis esset non tantum adjumentum Sanctificationis Diei solennioris, sed & actus Cultus Deo præstandi secundum Oeconomiæ istius conditionem, uti erant v. g. etiam tum Sacrificia Externa Deo offerenda præter Cultum Spiritualem tanquam præcipuum. Quam ob rem, ne vel Mannæ Colligendæ se darent Israëlitæ illo Quietis Die hebdomadario, Deus pridie illis duplam portionem ejus tribuit, nec Die illo ipso illud conspiciendum de cœlo præbuit, sed post illum lapsum insequenti mane rursus ad visum & usum eorum concessit. Dum jam Quies ista erat umbratica, cum respectu ad Quietem Finis Dierum populo Dei promissam; dumque in Manna eo die non descendente super terram erat aliquid quod conveniret Christo veræ Mannæ, quatenus Die Sexto per Sepultu-

ram

ram de terra fuit ablatus, ſub hac manens Die Septimo, ſimul & quieſcens ipſe à duriſſimo labore ſuo; quis conſequenter non facile videat in Novo Mannæ Conſpectu cum aurora diei primi nobis inſinuari hujus ex morte & ſepulchro reditum in vitales auras & populi ſui conſpectum lætum?

Tum maxime Jonam ex Ventre Piſcis emiſſum Vivum.

X. Magnum ſane dubium cuiquam eſſe vix debet aut poteſt de Reſurrectione Chriſti vividiſſime repræſentata in *Perſona* celebris Vatis *Jonæ*; quando de hoc monuit ipſe Dominus *Matt.* XII. 39. 40. γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου, ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, atque idem etiam brevius dixit *Matt.* XVI. 4. γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. Ad quorum explicationem facit etiam collata phraſis *Luc.* XI. 29. 30. καθὼς γὰρ ἐγένετο Ἰωνᾶς σημεῖον τοῖς νινευίταις, οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τῇ γενεᾷ ταύτῃ. Ubi non eſt ut in illuſtrationem Perſonæ & Hiſtoriæ Jonæ nos excurramus, poſtquam dedimus olim eandem in *Commentario noſtro* ad illum Vatem; ſublatis etiam difficultatibus quæ adverſus illam ab incredula carne moventur, dum eſſe eandem prorſus ſingularem & vere miraculoſam, adeoque omni attentione digniſſimam, nemo diffiteri poteſt. Per quam cum ſic etiam duceremur facile ad agnitionem, non tantum Divinæ potentiæ, & bonitatis, & providentiæ, omnem noſtram cogitationem ſuperantis, ſed & ad Myſterium aliquod ſublimius in externo facto latens; de hoc nos erudiit Dominus ipſe magis irrefragabiliter. Quod ſcilicet concluſus Vates eximius, tum Ventre Piſcis abſorbentis projectum, tum & Vaſti Maris, in quo ille natabat, & in quod ipſe projectus erat ad navigantium ſalutem, & quidem determinate per Triduum, ſive jam integrum ſive & potius abbreviatum, pro bis vel ter mortuo ſic habendus, attamen in vita ſervatus ibidem, atque inde in publicum & liberum Vitæ Uſum revocatus per projectionem in terram; Signum exhibuerit certum Chriſti principis Vatum omnium, tanquam qui ab hoſtibus, ſed arcano Divinæ Providentiæ ductu ad aliorum ſalutem, eſſet ex viventium ſocietate ejicien-

ciendus morte crudeliter illata post afflictiones alias gravissimas, & sepulchro etiam recipiendus in quo quiesceret post labores duros tutus, sed ad Triduum tantum, ante cujus finem ille Vitam depositam recipiens ex Sepulchro quoque prodiret palam, & se suis exhiberet mortis & sepulchri triumphati victorem. Quæ minime evertuntur per aliud discrimen multiplex inter Jonam & Dominum nostrum, quod & nos ostendimus loco citato; quando omne simile non est idem, sed & simul dissimile, atque nullus etiam est Typus Legalis in quo dissimilitudo non obtineat æque quam Similitudo magna. Unde debemus heic laudare, quæ reperimus apud *Augustinum Lib. XVIII. de Civ. D. Jonas autem Propheta non tam sermone Christum quam sua quadam passione prophetavit, profecto apertius quam si ejus mortem & resurrectionem voce clamaret. Ut quid enim exceptus est ventre belluino, & die tertio redditus? nisi ut significaret Christum de profundo inferni die tertio rediturum.* Cum quibus & heic jungimus illa quæ leguntur apud *Justinum Resp.* LXIV. *ad Orthod.* Οὐ θανάτῳ τὸν θάνατον συμπαρέβαλεν, ἀλλὰ τὴν τριήμερον ἐν τῷ τάφῳ παραμονὴν τοῦ σωτῆρος τῇ τριημέρῳ ἐν τῷ κήτει παραμονῇ τοῦ Ἰωνᾶ· ἄλλως τε εἰ κατὰ τὸ ὅμμα ἦν τὰ κατὰ τὸν Ἰωνᾶν τοῖς κατὰ τὸν σωτῆρα, οὐκέτι ἐδύνατο ἐκεῖνα τούτων εἶναι τύπος καὶ εἰκὼν, ἰχρὴ οὖν τὴν ἀλήθειαν πλέον τι τοῦ τύπου ἔχειν, κατὰ τὸ εἰρημένον, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε· ὑπόδειγμα δὲ ἀψευδὲς νοεῖται τὸ κατὰ τὸν Ἰωνᾶν τοῦ κατὰ τὸν σωτῆρα τοῦτον τὸν τρόπον, ὅτι ὥσπερ ὁ Ἰωνᾶς σημεῖον πίστεως εἶχε τοῦ παρὰ τοῦ θεοῦ ἀποσταλῆναι αὐτὸν κήρυκα τῆς καταστροφῆς νινευιτῶν τὴν τριήμερον ἐκ τοῦ κήτους ἀναγωγὴν, οὕτως καὶ ὁ σωτὴρ σημεῖον πίστεως εἶχε τοῦ παρὰ τοῦ θεοῦ ἀποσταλῆναι αὐτὸν κήρυκα τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν τὴν τριήμερον ἐκ τοῦ τάφου ἀνάστασιν. Neque enim illud ὥσπερ ἦν, & οὕτως ἔσται magis quam καθὼς οὕτως δεῖ *Joh.* III. 14. 15. trahi per nimiam sensus imminutionem debet ad nudam collationem Duorum Eventuum, sed unus posterior ex altero priori educitur, tanquam potentiæ Divinæ Signum simile, & à Jona in persona sua prædictum tanquam plenius dein præstandum; sicuti cum *Cl. Wesselio* nostro monuimus *EXERC. TEXT. XLII. Parte V.*

Et similiter Isaacum ab Oblatione

XI. Quid vero heic tandem dicendum de *Isaaco*? quem Deus ipse per Abrahamum in Victimam sibi poposcit ita, ut

ut tamen à Nece cruenta illa ſit ſervatus, atque Aries ei liberato dein ſubſtitutus, quem Deus providentia ſua ſingulari præſentem Abrahamo ſtitit. De eo facto ſingulariſſimo & miro prorſus etiam aliquid diximus dudum *EXERC. TEXT. XLII. Parte V.* Nunc autem paulo diſtinctius notamus, occurrere nobis apud Moſen in Iſaaco; non Animal aliquod brutum, vile vel præſtans, ſed *Hominem*, & quidem *Maſculum*, qualem Deus cæteroquin nec occidi temere ab altero, nec ſibi in victimam offerri voluit; non homines multos, ſed *Unum*, plane ſingularem, cum alias Victimarum Legalium magna eſſet multitudo ſimul vel ſucceſſive; non hominem peregrinum & impurum præ aliis, ſed Deo *Fœderatum* & vere Domeſticum; non ſingulari aliqua culpa mortis violentæ pœnam meritum, ſed hac ratione vere *Innocuum*; non ſervum ullo modo, ſed *Filium*, præ ſervis multum excellentem; non adoptivum quoque, ſed *Proprium*, à Patre ſuo vere genitum; non aliquem ex pluribus, ſed *Unicum*, hactenus ex legitima conjuge, & ſic *Unigenitum*, non minus etiam ſed plus quam dici poteſt *Dilectum*; & quod omnium forte eſt maximum, non minoris alicujus æſtimationis aut exſpectationis, ſed de quo illi facta Promiſſio lætiſſima Seminis Corporalis & Spiritualis, & in quo uno tanquam *Capite* primo *Semen Nominandum* Abrahamo benedictum, latiori & ſtrictiori ſenſu, *coll. Gen.* XXI. 12. XXII. 2. *Hebr.* XI. 17. 18. *&c.* Atque ille Iſaac occurit heic tamen; ut *Morte* non quavis ſed *Violenta* & *Sæva* per Cultrum & Ignem afficiendus; ut *Deo Offerendus in Holocautoma* totus, inſtar victimarum in ſe inculpabilium, *coll. Mich.* VI. 7. *&c.* ut id ſupplicium ſubiturus *in Monte* quodam *Moriæ* quem Deus ipſe deſignaret; ut ad conſpectum locum iſtum *Tertio Die* deductus; ut *Lignum Portans* ipſe ſecum, ſuper quo combureretur, dum Pater Ignem & Cultrum adduceret; ut *Ligatus* tum, & actu *Impoſitus Ligno* Altaris ſtructi, & jamjam Cultro accepto *Mactandus*. Unde & tanquam *Oblatus* nobis proponitur *Hebr.* XI. 7. & *Jac.* II. 21. Quod plus eſt, ille Iſaac occurrit nobis, tanquam ita tractandus; *ad Dei* ipſius *Juſſum*, ſanctiſſimum ſemper; *ab* ipſo *Abrahamo* patre, qui nec juſſui huic ſe oppoſuit ullo modo aut momento; & quidem ipſe ſe paratiſſime

Liberatum; Patrique redditum Vivum,

Deo & Patri ſuo in hiſce ſe ſubjiciens. Enimvero quid ad hæc factum eſt porro de Iſaaco? Dum in ſententiæ latæ exſecutione tantum non ultima eſt Abraham; ab *Angelo Jehovæ* ex cœlo eadem cum clamore valido *revocatur*, & hæc potentiſſime *impeditur*, cum ratione addita; atque Abrahamo converſo ſiſtitur oportune per ſingularem Dei providentiam *Aries*, per cornua ſua fruticibus ligneis involutus, quem ille ſumens loco Filii ſui *offert* in holocautoma; quod hinc occaſionem dedit Abrahamo aliisque poſt eum, agnoſcendi Divinam Bonitatem, & nunc exhibitam, & olim heic quoque exhibendam. Atque ſic à præſenti Morte, ſub cujus ſententia per Triduum fuerat, Iſaac liberatus, conſequenter fuit ille, à quo tanquam Patre ortum eſt omne illud Abrahami Semen, quod pro Dei populo & hærede promiſſorum ejus fuit habendum & habitum. Quorſum ſpectans Paulus dixit *Hebr.* XI. *verſ.* 17–19. *Fide Abraham tentatus Iſaacum immolavit, atque Unigenitum obtulit, qui promiſſiones acceperat, de quo dictum erat, in Iſaac vocabitur tibi Semen, ratiocinans quod & ex mortuis ſuſcitare potens eſſet Deus, unde ipſum & in parabola* ἐκομίσατο *accepit*, vel *recepit*. Sic ille voluntatem Abrahami, atque Opus ejus inchoatum & promotum, habuit pro facto pleno; præeunte & Angelo Jehovæ *Gen.* XXII. 12. *nunc agnovi quod Deum timeas tu, & non ſubtraxiſti à me Filium tuum, Unicum tuum.* Atque hinc intelligitur, quomodo dicatur à Paulo Abraham, non *accepiſſe* primum ex mortuo Saræ utero hunc Filium ſuum Iſaacum, ſed eundem olim miraculo datum *recepiſſe*, & *reportaſſe* ſibi redditum, *ex mortuis*; non quidem adhuc mortem perpeſſum actu conſummato, quod per Dei potentiam fieri potuiſſet, ſed ἐν παραβολῇ, non jam *in proverbium* commune, *coll. Luc.* IV. 23. vel *in permutatione* cum Ariete, vel *in projectione* per oblationem, &c. ſed vel ſimpliciter ἐν τύπῳ, ὁμοιώματι, εἰκόνι, αἰνίγματι, *ſimilitudine* quadam, quaſi eſſet heic ὥσπερ aut ſimile quid rei ipſi plene proprieque tali oppoſitum, vel etiam *in Typum* ejus clarum, quod eſſet futurum olim, εἰς τὸ καιρὸν τὸ ἐνεστηκότα, *coll. Hebr.* IX. 9. *&c.*

In cujus Hiſtoria utique

XII. Iſtius porro Geſti Divini & Paterni in Iſaacum *Ratio* immediata, quæ à Moſe clariſſimis verbis antecedenter &

conſe-

conſequenter expoſita fuit, hæc erat ut Abrahami in Deum Amor, & Obedientia, & Fides, & Spes, exploraretur, in illuſtriſſimum exemplum Poſteritatis & Orbis totius, apud quem nec latuit prorſus. Sed non obſtat iſte Finis Unus, quo minus & alter addatur *Typicus*; quem cogitemus merito nos, ſi non ex illo Pauli, ἐν παραβολῇ, utique cum haud levi fundamento, in plane Inſolito, maximè Alieno, & vere Admirando, quod ſe heic prodit apud Fidelium & Amicorum Dei Patrem præcipuum, cujus hiſtoria etiam in aliis quibuſdam partibus Typica eſſe deprehenditur; & præterea in Sacrificii, quale heic occurrit, natura. Hæc enim omnia, non tantum poſt ſed & ante Moſen, cum per ſe non eſſent bona, alium habuiſſe proſpectum umbraticum & præfigurativum, tantum non undique conſtat; neque absque incredula inſania negetur, vel à Chriſtianis, vel ab Incredulis ipſis probe attendentibus. Ubi igitur occurrit heic Sacrificium, tam ſingulare & illuſtre præ omnibus aliis, ibi eadem ſapientia & bonitas Dei non minus certe ſed & magis videtur agnoſcenda jure omni quam alibi. Quodnam vero ſit illud hiſtoriæ hujus Myſterium Typicum, dum totidem verbis illud non aut vix expoſuit Spiritus, inquirere ſalva ſemper Fidei Analogia licet Theologis, diligentibus & prudentibus, & varie determinare ſine ullius offenſione juſta. Dum certum hoc eſt; quod ab una parte Hiſtoriæ Comparatio cum variis Perſonis & Eventibus heic queat fieri neutiquam inepta, ſed & laudabilis ſatis, inprimis cum Fidelibus mortem meritis & ab ea liberatis; & quod ab altera parte nequeat fieri ulla, quæ per omnes & ſingulas partes ſit urgenda, vel rejicienda, propter notabilem aliquam diſcrepantiam in nonnullis partibus. Quæ ſi Typicam ſignificationem ab hac Hiſtoria arceat, jam nullus Typis, ne quidem in Lege à Deo ordinatis, locus erit plane.

Latet Myſterium Typicum.

XIII. Id unum heic à nobis deſiderat præſentis noſtri inſtituti ratio, ut breviter candide & modeſte videamus, an *Iſaak* in hac hiſtoria ſpectandus ſit rectius & aptius, ut Typus communis *Electorum & Fidelium*, an vero ut Typus præſignificativus *Chriſti ipſius*, non modo in *Morte* dira quam ſubiret ipſe, ſed & in *Reſurrectione* ex eadem Morte, de cujus prædictione varia nos heic diſputamus. Priorem minime

Quod felicius in Chriſto Redivivo quam in Eccleſia per hunc liberata invenitur.

cuiquam nos invidemus ſententiam; prout & hæc habet ſua argumenta, tam in perſona Iſaaci, quam in ejuſdem conditione & tractatione. Sed poſteriorem multo lubentius amplectimur, & facilius aliis perſuaderi poſſe putamus. Reperimus enim in *Chriſto*, multum equidem præſtantiore præ Ariete; *Hominem* verum, & *Virum*, qualis futurus erat olim ille Dei Filius; Hominem *Unum* ſingularem, omnibus aliis oppoſitum; Hominem *Concivem* Eccleſiæ, & Dei ipſius *Fœderatum*; Hominem in ſe prorſus *Innocentem*, & ſceleris purum; & præterea ſimul *Filium*, non tantum *Abrahami* verum, ſed & ipſius *Dei* ab æterno, hujusque *Proprium* etiam, in oppoſitione ad omnes adpotivos, & *Dilectum* abſque exemplo alio ſimili; & tandem, *Caput & Stirpem* omnium verorum *Abrahamidarum*, qui ab ipſo denominarentur, per illius virtutem adoptati & regenerati. Quæ plurima ſane temere & fruſtra quærentur in Eccleſia Fidelium. Reperimus deinde in eodem Chriſto θεανθρώπῳ, ejus *Mortem*, certo conſtitutam quam actu ſubiit; non quamcunque, ſed *Violentam* & crudeliſſimam; per modum *Sacrificii*, in quo nullum erat proprium mortis meritum, hinc pro aliis ſubſtituti; quam & in *Moriæ monte* aliquo ſubiit; ipſe *Lignum Crucis* illuc portans; in quo *Conflictus* ad mortem *conſumeretur*. Reperimus amplius in hoc Chriſto Geſta hæc ex *Dei voluntate* ſuprema, & per homines quidem propinquos, ſed ſecundum *Patris ductum* arcanum, qui & ipſe, non ſine probabili reſpectu ad hoc Abrahami factum dicitur, *ita dilexiſſe mundum ut Filium ſuum unigenitum dederit ut omnis credens in eum non pereat ſed habeat vitam æternam Joh.* III. 16. quin & cum promptiſſima ſui ſubjectione, *coll. Matt.* XXVI. 39. *Joh.* X. 17. 18. *Gal.* II. 20. *&c.* Reperimus poſt iſta Chriſtum noſtrum ex *Morte* veriſſime *Revocatum* à Patre, & quidem poſt *Tridui* manſionem in Morte & Sepulchro, atque factum ſic palam *Caput* omnium *Electorum* glorioſiſſimum, unde Vita per ipſius iſtos Liberos omnes diffunderetur læte. Si roges etiamnum, quid de myſterio *Arietis* pro Iſaaco ſubſtituti conſequenter ſit cogitandum? per nos equidem licet, ut ad eundem Chriſtum is quoque referatur, tanquam vere tamen & non apparenter modo moriturum poſt impoſitam ei Spineam Coronam

&

& Affixionem ad Lignum pro fidelibus, antequam revicturus eſſet; ſicuti idem Chriſtus pro vario ſtatu ſuo in Aviculis & Hircis Duobus repræſentabatur. Sed dubito tamen, annon & rectè referatur Aries ille oblatus ad Fidelium decentem Gratitudinem cum Carnis Crucifixione & Perditione jungendam; vel alias ad Impii Irretiti Mundi certum Interitum per Dei iram flagrantiſſimam. Quæ nos ſuo loco nunc relinquimus, tanquam Iſaacum conſiderantes modo, in ſua à Morte Liberatione Divina, ut Typum aptiſſimum Dominicæ Reſurrectionis, qui & ſic à plurimis ab ævo fuit ſpectatus.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### *Quo Argumenta, ad probandam Hiſtoriæ Reſurrectionis Chriſti veritatem data, in Summam rurſus contrahuntur.*

Et heic uſum videtur Lectori præſtiturum, ut Libri hujus Argumentum ſummatim repetatur, per *Theſes* ſingulis *Capitibus* reſpondentes. Quod Reſurrectio Chriſti Mortui, ſecundum Euangeliſtarum narrationem, nemini unquam vere ſit perſuadenda, niſi ad argumenta illa quæ eam firmant rite percipienda & admittenda Deus ſimul per Spiritum ſuum afficiat ejus mentem, cæcitatemque ſoporem & contumaciam ejus innatam tollat, minus vel magis ſalutariter. Cujus Divinæ operationis abuſus uti foret manifeſtus, ſi in illa Spiritus Operatione exſpectanda acquieſcentes negligamus humanas perſuaſiones; ita has polliceri per ſe ſatis validas ad omnis mentis attendentis convictionem, ſi non converſionem ipſam, non poſſumus ſine *Pelagiani* fermenti mixtura. Eſt autem ad perſuaſionem illam heic ante omnia alia attendendum ad *Rem Ipſam*; tum quatenus abſolutè *nihil* in ſe habet, quod primò *Impoſſibile* dici cum ulla ſpecie queat, collatis aliis Divinæ potentiæ operibus; tum quatenus ſecundo deprehenditur illa Deo & Chriſto eſſe *Decentiſſima*; tum quatenus & tertio eadem erat ſummopere *Neceſſaria* ad hominum perditorum ſalutem conſummandam. Cum quibus Dei ipſius

Ad perſuadendam veritatem Reſurrectionis Chriſti, facit Rei Poſſibilitas, Decentia, & Neceſſitas, Iuxta Traditionum eam Qualitates, Scriptionisque Modum, & Effectum per orbem.

ſius conſiderationibus jungere oportet contemplationem attentam *Scriptorum Euangelicorum*, qui nobis rem illam reliquerunt; fueruntque, Paulo fere uno cum Luca excepto, (quem inſignis hic commendat Divina & Humana Sapientia) homines Vulgares, & omnes ſimul Modeſti, Candidi, minime Stolidi, Familiares Chriſto, in Fidem ipſi ab initio Tardiores, quin & Αυτόπται, vel horum Socii intimi. Ad quos Scriptores addere decet, *Deſcriptionis Rei Modum* omnem, varium quidem ſed minime pugnantem, etiam quoad Circumſtantias minimas, quæ ſciri & tradi potuerunt, à quibus decepti vel deceptioni ſtudentes ſolent abſtinere. Ubi tandem prætermitti heic nequit Obſervatio *Effectus*, ad Rei hujus Prædicationem *conſecuti* per Orbem omnem, qui plane admirabilis & Divinus deprehenditur, adverſus vim & fraudem omnem oppoſitam Satanæ & Mundi.

Cum quibus conferri poteſt Teſtimonium Tertulliani de Pilato & Joſephi de Chriſto.

II. Confertur autem cum iſtis Fidei noſtræ Fundamentis præcipuis veris & ſolidis, apud infideles etiam, non male prorſus, *Teſtimonium Exoticum* duplex. Quorum primum eſt *Gentile*, *in Epiſtola Pilati Præſidis Romani ad Tiberium.* Quæ non tantum memoratur à *Tertulliano in Apologia*, ſed & à *Nicephoro*, *Cedreno*, *& Oroſio.* Quamquam enim confictum plane, juxta *Dialogos Chriſti & Pilati*, videatur *Exemplum Epiſtolæ* illius quod ex *Bibliotheca Vaticana* inter alios exhibuit *Sixtus Senenſis*; ſunt tamen rationes juſtæ, propter quas *Tertulliani Teſtimonium* de Pilati ſcriptione ad Tiberium hujusque ſequelis, non debet pro planè confiſto haberi. Sed alterum eſt Teſtimonium plane *Judaicum*, celebre illud, ſcilicet *Flavii Joſephi Lib. XVIII. Antiq. Cap. 4.* De quo putamus, operoſius & prolixius dudum ab Eruditis eſſe diſputatum, an pro genuino an pro ὑποβολιμαίῳ vel certe admodum Corrupto ſit habendum, quam forte erat neceſſarium. Interim ſunt heic Argumenta complura, quæ contra hoc Teſtimonium, tanquam minime genuinum, adducta à Viris Magnis, in ſummam brevem collegit *Cl. Spanhemius* noſter. Et diffitendum minime eſt, ea quæ ex ipſo Teſtimonio illo objiciuntur, de Jeſu an ſit Vir dicendus, propter Sapientiam & Miracula patrata, item de Diſcipulis ejus Judæis & Græcis, tanquam veritatem lubenter recipientibus, tum de Jeſu, qui

erat

erat Chriſtus, & de ipſius Redivivi Apparitione ſecundum Vaticinia, inepte à *Lambecio* ad merum *Sarcaſmum* referri; qui ſcilicet Scriptori Judaico magis conveniret. Dum præter alia leviora objicitur etiam contra hoc Teſtimonium, Silentium quod de eo eſt apud *Juſtinum Martyrem*, *Tertullianum*, *Chryſoſtomum*, *Clementem Alexandrium*, *Origenem*, quin & *Photium* ipſum longe ſeriorem. Ab altera autem parte pro Teſtimonio hoc tanquam genuino pugnatur non infeliciter ex noto *Joſephi* candore; etiam ubi cum haud exigua lande agit ipſe, tum de Johanne Baptiſta, tum de Jacobo Juſto, illo Chriſti Præcurſore, & hoc ejus Diſcipulo inſigni & Cognato. Deinde ex ejusdem Conſtanti Lectione, inde ab *Euſebio & Hieronymo*. Quin & ubi Teſtimonii ipſius Verba ipſa cum attentione & cura decenti leguntur, nihil in eo reperias, quod Judæo veraci & candido, qualis jure dici poteſt *Joſephus*, minus conveniat; quod per partes ſingulas haud difficulter oſtendi poteſt. Quin etiam non deſunt, quæ ad Veterum laudatorum oppoſitam Autoritatem ante reponantur ſingulatim. Dum facilius adhuc ſolvuntur, quæ ab aliis urgentur, de Stylo, Nexu, Codicum Varietate, Fraudibusque dictis Piis à ſcopo ſuo, quas complures reperimus apud Veteres Chriſtianos. Conſiderationem vero ſuam & heic merentur ſpecialem Obſervationes *Cloppenburgii & Cappelli* de Teſtimonii hujus Nexu apud *Joſephum*.

III. Ad Facta Chriſti tranſitur, quibus ille re ipſa ſe Redivivum demonſtravit orbi. Inter quæ primam conſiderationem merentur, quæ ille egit Redivivus in ſuos, mox fere & dein etiam ſerius. Uti eſt admirabilis illa Spiritus Sancti, à ſe antea promiſſa, nec a Vatibus antiquis prætermiſſa, Effuſio, quæ cunctos in ſtuporem rapuit. Uti eſt deinde Eccleſiæ Collectio, & Regni ſui Erectio, per orbem omnem, tam ex Gentibus quam ex Judæis, quidquid ille ubique reluctaretur. Uti eſt porro Eccleſiæ ejuſdem Conſervatio perpetua, inter & contra conatus peſſimos Mundi & Satanæ, ſecundum ejus promiſſa veraciſſima. Uti eſt tandem ſingularis Gratia Martyribus conceſſa ab ipſo, per quam in diriſſimis perſecutionibus hi perſtiterunt immoti, nec à Fide aut Profeſſione Jeſu per Flammas ipſas potuere abduci, dum in hu-

Uti & laudari debent Facta Chriſti Redivivi tum in Suos, tum in Hoſtes, illuſtria.

jus

jus redivivi amplexus propiores ſic ruebant. Sequuntur autem & Geſta Chriſti in Hoſtes ejus ſevera, tum Singulares, tum etiam inter ſe Sociatos in populos integros. Pro priorum exemplis merito, poſt Saulum perſecutorem, nominantur Nero, & Julianus, ſecundum ea quæ de his habent Hiſtorici, licet omnia vix ſint æque certa. Dum, ad Populos venientes, Vindictæ Dominicæ exemplum reperimus primum in Judæorum trucidantium, impiorum incredulorum & contumacium, Deletione promerita, tam magna quam diuturna in hunc uſque diem. Sed & alterum non minus illuſtre, in perdito Imperio Gentili Romanorum, qui in Domini necem cum Judæis conſpiraverant, æque quam dein cum eis fecerunt in opprimendo pro viribus Chriſtianiſmo; prout illud per Conſtantinum Magnum ejuſque Succeſſores per gradus varios plane fuit ſublatum. Quæ cuncta, tam in Amicos quam in Inimicos, facta non aliunde quam à Chriſto, & quidem Vitæ Reſtituto & Exaltato, derivanda eſſe, haud difficulter monſtratur, ad Incredulorum Convictionem ſufficientem.

Et quam maxime Prædictiones Veteres, quæ in Vet. Teſt. deprehenduntur.

IV. Enimvero nullum certius eſt Argumentnm, pro Veritate Hiſtoriæ Euangelicæ de Chriſti Mortui Reſurrectione, quam illud quod ſuppeditant nobis Prædictiones de re illa mira futura, antequam fierent factæ. Ubi licet plane excludere nolimus Prædictiones à Chriſto ipſo ante Mortem factas, has tamen non ſpectamus præcipue, quando apud Infideles nec Chriſti ipſius Præſcientia certa, nec narrantium Chriſti dicta Euangeliſtarum Fides, eſt explorata ſatis. Nedum ut heic urgeamus Prædictiones, quæ apud Gentiles ſub Sybillarum vel alio quocunque ſimili nomine fuere celebratæ; quando illæ, quæ cauſæ Chriſtianæ plurimum favent, omnino judicari debent eſſe Confictæ, vel alias ex incerta prorſus Traditione hauſtæ. Sed ad Prædictiones ſpectamus nos heic, quæ longe ante Chriſti tempora fuerunt à Deo datæ Judæorum populo, quasque illi etiamnum habent & ut Divinas nobiscum agnoſcunt in Veteris Teſt. ſcriptis Canonicis. Atque hæc ipſa ſunt varii generis; nonnullæ in ipſo Novo Teſt. in rem præſentem laudatæ, quæ hinc à Chriſtianis infringi nullo modo queunt; aliæ vero illic non citatæ, propria noſtra

ſtra reperiuntur induſtria, quæ in eis quærendis & urgendis feliciter exercetur. Præterea ſunt quædam heic Prædictiones Vet. Teſt. prorſus Explicitæ; ſed & aliæ quæ magis Implicite rem eandem nobis tradunt, per conſequentias legitimas inde educendam. Sunt & porro Prædictiones; plures, de Re Ipſa præcipua, ſeu Reſurrectione Chriſti; ſed & aliæ pauciores, de his & illis Circumſtantiis Rei illius, quæ ad Modum Reſurrectionis iſtius faciunt. Sunt denique Prædictiones heic quædam, quæ certius huc ſpectant, & communius laudantur à Chriſtianis; ſed & aliæ, quæ minus ſolide aut certo huc referuntur, hinc & non paucis diſplicent, nec æque urgendæ videntur. Quin & ubi ex Prædictionibus antiquis diſputatur pro Fide Reſurrectionis Dominicæ, non oportet prætermittere Typos, non tam latius dictos, qui impoſſibilitatem abſolutam tamen omnino vel quadantenus tollant, quam ſtrictius, qui non ſunt niſi Prædictiones Reales, per quas confirmentur & obſignentur priores verbales. Quales non modo ſunt ritus Legales, à Deo olim ſub Veteri Oeconomia Fœderis Gratiæ præcepti in Gente ſua ipſa clare; ſed & admittendæ videntur aliæ complures Eventuales, tam in Rebus quam in Perſonis nonnullis temporis illius veteris.

V. Præclariſſimum certe eſt heic Vaticinium Davidis *Pſalm.* XVI. 9. 10. 11. quod in rem noſtram laudatum deprehenditur, tam à Paulo *Act.* XIII. 34. quam à Petro *Act.* II. *verſ.* 25. . . 29. utroque prorſus infallibili quin & præ aliis magno Apoſtolo. Quodque ut rite cognoſcatur quam vere huc pertineat, facit ejus Pſalmi Analyſis brevis, olim à nobis data in *Exercitationibus* noſtris *Textualibus*. Quæ nos in Verſibus tribus illis ducit ad Gloriationem illam de Præſenti, *propterea lætatum eſt cor meum, & exultat gloria mea*; atque de Futuro, tum poſitivè, *etiam caro mea morabitur in fiducia*, tum negative, *non derelinques animam meam in inferno, non dabis benignum tuum videre corruptionem*, tum poſitive rurſus, *oſtendes mihi ſemitam vitarum, ſatietas lætitiarum cum facie tua, amœnitates in dextra tua æternum.* Quæ junctæ phraſes, & quidem tantopere multiplicatæ, nos certiſſime ducunt ad Beatam ex Morte Reſurrectionem, non improprie ſed proprie omnino intelligendam. Qualis ſane ſecundum Divi-

Uti eſt illa Pſalmi XVI. a Paulo & Petro ipſo laudati in eam rem.

na promiſſa benigniſſima competit, & hinc exſpectatur cum fiducia, ab omnibus piis Chriſto per fidem ſincere adhærenbus ad finem, noviſſimo die, habendi mox Judicii Univerſalis; qui & dicere poſſunt ſe Dei Benignos, & Corruptionem à ſe non videndam, vel in perpetuum, vel poſt reſurrectionem conceſſam; ſed qualis ſine ulla prorſus Corruptione in ſepulchro videndâ, & hinc celerrima poſt mortem, competeret ſoli Chriſto, Dei Benigno præ omnibus aliis, ſecundum vim vocum *Pſalmi*, urgentibus illud Paulo & Petro in *Actis*. Qui ergo heic deſignatus manifeſte deprehenditur in Pſalmo, ſive una jam ſive alia ratione, de qua diſſenſus eſt aliquis apud Interpretes doctrina & pretate præſtantiſſimos, in ipſa re præcipuâ probe interim conſentientes. Quod & contra Infideles ipſos ex Pſalmo haud difficulter monſtratur.

Nec non iſtâ Jeſ. LV. 3. quam & Paulus urſit.

VI. Alterum quoque à Paulo adductum eſt pro Chriſti Reſurrectione Vaticinium *Act.* XIII. 34. Scilicet ex *Jeſ.* LV. 3. & quidem ante illud Davidis, de quo proxime egimus, laudatum ab ipſo. In quo de Meſſia agi invicto liquet, ex ſubjectis mox clariſſimis prorſus verbis ipſius Jehovæ, de eo qui initio Capitis loquitur *verſ.* 1. 2. 3. tum ad Homines alios *verſ.* 4. *ecce illum dedi Teſtem populis, Ducem & Præcipientem populis!* tum & ad Ipſum hunc *verſ.* 5. *ecce gentem quam non agnoveris, vocabis, & gens quæ te non agnoverit ad te current, propter Jehovam Deum tuum, & propter Iſraëlis ſanctum, quoniam te glorificavit.* Nec minus ex propriis hujus Viri à Deo commendati & celebrati verbis, quæ leguntur *Verſibus Tribus* primis. Quæ ante omnia ſunt liberaliſſime Invitantia *verſ.* 1. *heus omnis ſitiens, accedite ad Aquas, & cui non argentum accedite, emite, & edite, & accedite, emite abſque argento & abſque pretio, Vinum, & Lac.* Quæ deinde ſunt ſerio Dehortantia *verſ.* 2. *ad quid appenditis argentum pro non pane? & laborem veſtrum pro non ſatiante?* Quæ conſequenter ſunt graviter Monentia *verſ.* 2. 3. *audite audiendo ad me, & edite bonum, & delectetur in pinguedine anima veſtra, inclinate aurem veſtram, & venite ad me, & accedite ad me, audite & vivat anima veſtra.* Quæ tandem ſunt lætiſſime Promittentia *verſ.* 3. *& cædam vobis Fœdus ſeculi.* Ad quæ proxime

ſequi-

ſequitur illud, *Benignitates Davidis fideles*; quod unum, ex omni Contextu tam antecedenti quam conſequenti Vatis illius Euangelici, à Paulo in rem noſtram laudatum eſt, & varie cum præcedentibus necti poteſt. Ad cujus argumenti vim recte percipiendam non eſt opus, ut in nomine Davidis directe intelligamus Meſſiam, ex Davide ſecundum carnem in populi ſalutem olim mittendum; ſed David antiquus heic aptiſſime cogitari poteſt, ſpectatus in Semine ſuo ſeu Filio Meſſia ipſi promiſſo. Cujus hinc Benignitates ſunt illæ, non tam quas exercuit ille in Deum, quam quas Deus illi præſtandas promiſit. Quæ optime dicuntur firmæ, vel fidæ, vel fide etiam dignæ conſequenter omni. Et quæ non minus recte cogitantur ut à Meſſia dandæ Dictis ſimul & Factis. Poſt quam verborum exegeſin ſatis facile à rite attendentibus percipitur, quo pacto hæc ad firmandam Chriſti Reſurrectionem omninò faciant, & quam ſolide ad hoc urgeantur.

VII. Non poteſt autem heic plane intactum prætermitti dictum *Pſalmi II. verſ.* 7. illud nempe Patris ad Filium, *Filius meus Tu, ego hodie genui Te*; quod ad Chriſti gloriam temporariam aſſerendam adduxit Paulus, tum alias bis, ſcilicet *Hebr.* 1. 4. 5. & *Cap.* v. 5. tum & plenius clariusque adhuc *Act.* XIII. 32. 33. *& nos euangelizamus vobis ad Patres factam promiſſionem, quod hanc Deus implevit nobis liberis ipſorum, ἀναστήσας Ἰησοῦν, ſicut & in Pſalmo Secundo ſcriptum eſt, Filius meus Tu, ego hodie genui Te.* Quæ Pauli verba, bene inſpecta, juxta Davidis ipſius voces, hoc irrefragabiliter docent, quod in Pſalmo agatur quidem de Meſſia; ſed non tam de ejus Reſuſcitatione ex Morte, quam de ejus Exhibitione primum, & dein Exaltatione univerſa, quæ tamen Suſcitationem ex morte, ad quam ipſe exinanitus utique fuit prius, omnino in ſe complectitur. Quo modo nullatenus hinc naſcitur vel minima læſio Æternæ Generationis, à qua ſola Filius Dei dicitur Chriſtus, hinc talis absque principio, & ante Incarnationem adeo, & quæ optime ex hoc Pſalmi dicto aſſeritur. Probe enim diſtinguere oportet; inter Rem à Patre dictam, quæ vere eſt Æterna, ipſum nempe eſſe Filium à Patre Genitum; atque Rei iſtius Dictionem, ſeu Declarationem, quæ in tempore contigit per ipſius Exhibi-

Dum nec dictum Pſalmi II. verſ. 7. heic plane prætermittendum videtur.

tionem & Exaltationem omnem. Et hæc posterior est, quæ à Paulo urgetur, quod Jehovah scilicet ita ad Æternum Filium suum dixerit in tempore.

Alia Psalmorum Loca complura lustrantur, huc facientia.

VIII. In ulteriori inquisitione Vaticiniorum veterum multa occurrunt loca *Psalmorum*, in quibus Resurrectio Messiæ prædicta liquido deprehenditur. Facit utique huc *Psalmus Octavus*, certissime agens de Messia, secundum sententiam quoque Pauli (etiamsi in phrasibus respectus adsit ad Adamum primum satis manifestus,) qui Jesum heic reperit ad breve tempus per illatam mortem exinanitum infra Angelos, sed dein gloria regia coronatum, & ampliſſime dominantem in vita recepta. Facit huc *Psalmus Decimus & Octavus*, quem & ex parte equidem ad Messiam pertinere monstravit Paulus; in quo leguntur non modò acerbissimæ istæ Querelæ, de *Circumdantibus funibus mortis & torrentibus Belial terrentibus*, de *circumdantibus funibus inferni*, & *occurrentibus laqueis mortis &c.* sed & lætissimæ Dei liberantis Laudes, *fuit Jehovah in fulcrum mihi, & eduxit me in latitudinem, eruit me, quoniam illuminabit Jehovah lucernam meam, Deus meus illuminabit tenebras meas, &c.* Facit huc *Psalmus*, si non *Vicesimus & Primus*, cujus tamen argumentum certissimè Messiæ præ Davide convenit, certè in multis, si non in omnibus ejus partibus, utique *Vicesimus & Secundus*; in quo ad Messiam quoque relato in Novo Testamento pluribus ejus locis clarissime, tam ampla ab initio est Descriptio Exinanitionis Christi & Crucifixionis etiam ipsius, & sequitur deinde ipsius Redivivi *Enarratio Divini Nominis apud fratres*, *Deique Laudatio in medio Ecclesiæ*, cum aliis prædicatis variis restitutam Messiæ vitam arguentibus, æque quam ipsius communem cum hominibus aliis Naturam quam hinc astruxit Paulus. Facit huc *Psalmus Quadragesimus*, à Paulo in tractatione de Christo prolixe laudatus; qui ita nobis hunc exhibet tanquam Victimam veram offerendum Patri, ut simul ipse laudet Dominum, *ascendere facientem ex fovea strepitus, ex cœno luti, & stare facientem super petram pedes, firmantem gressus, &c.* Facit huc secundum multos etiam *Psalmus Quadragesimus & Primus*, exhibens scil. *attenuatum*, dein *servatum & vivificatum à Jehovah*, dum argumentum *vers.* 10. de *Viro pacis* & ad Christum de-

deprehenditur relatum *Joh.* XIII. 18. Facit huc longe certius noſtro judicio *Pſalmus Sexageſimus & Octavus*; in quo ita ad literam agitur de Meſſiæ *Aſcenſione* ſuprema in cœlum illiusque fructibus vere optatiſſimis, ſecundum ipſius quoque Pauli obſervationem, ut haud diſſimili ad literam ratione de eo ſit dictum ab initio, *ſurget Deus, diſpergentur inimici ejus, & fugient oſores ejus, &c. & juſti lætabuntur, exultabunt ad faciem Dei, & gaudebunt in lætitia &c.* Facit huc perinde *Pſalmus Sexageſimus & Nonus*, ſæpius in Novo Teſt. in variis omnino partibus ſuis apertiſſimè ad Meſſiam relatus; quatenus ille heic occurrit, precans à Deo ſervidiſſime Liberationem ex paſſionibus, ſed & Fiduciam de Exauditione Dei declarans; *atque ego afflictus & dolens, me Deus tua ſalus extollet, laudabo nomen Dei in cantico &c. manſueti videbunt, lætabuntur Deum quærentes, & vivet cor veſtrum.* Facit huc indubie, poſt alios medios, *Pſalmus Centeſimus & Decimus*; in quo ad Meſſiam applicato ab ipſo Domino noſtro, ita prodit ſumma hujus Gloria, tam Regia verè, quam Pontificalis, & vere Divina utraque, ut & ſubjiciatur tandem, *de torrente bibet in via, propterea exaltabit caput.* Facit huc denique *Pſalmus Centeſimus Decimus & Octavus*; de quo ad Meſſiam ſpectante nos etiam certos facit Novum Teſt. quando in illo legitur illud emphaticum verbum, *lapis quem reprobarunt ædificantes factus eſt in caput anguli, à Jehovah factum eſt hoc, mirabile illud in oculis noſtris. Hic dies quem facit Jehovah, exultabimus & lætabimur in eo &c.* in quo, ad Meſſiam prorſus ſpectante, *coll. Matt.* XXI. 42. *Act.* IV. 11. 1 *Pet.* II. 7. ſi ullo unquam, pingitur ſic Chriſti Mors & Reſurrectio.

IX. Non eſt tamen unus *Liber Pſalmorum*, in quo tam frequenter reperimus prædictam Chriſti Reſurrectionem, ſed multus in ea prædicanda juxta cum Davide & aliis forte Pſalmorum Autoribus eſt etiam magnus & Euangelicus Vates *Jeſaias*. Prout ille nos ad illam ſatis manifeſte ducit, tum *Cap.* XXVIII. 16. tum *Cap.* XLIX. 7-9. Sed longe adhuc copioſius *Cap.* LIII. Illud equidem de Meſſia agere, præter rem omnem eo Capite traditam, arguit plurimis locis Scriptura Euangelica & Apoſtolica ad illud nos ablegans tanquam palam agens de eo; dum ejuſdem Analyſis nos omninò ducit ad Sta- Nec non Ieſaiæ Caput LIII.

Statum Meſſiæ Utrumque oppoſitum, priorem & poſteriorem. In priori eſt *Mors*, ubi legimus non tantum, *ex anguſtia & judicio aſſumptus eſt*, quod commodiſſime ad Mortem ejus corpoream nos ducit; ſed &, *exciſus eſt de terra viventium, ob defectionem populi mei plaga ei &c.* quod vel ad aliud ejus fatum vel ad aliam quoque Perſonam trahi nec poteſt nec debet. Eſt & in priori *Sepultura*, *dederunt cum impiis ſepulchrum ejus & cum divite monumentum ejus, &c.* Sed in poſteriori ejus poſt mortem piacularem occurrit deſcripta *Reſuſcitatio* glorioſa; *cum poſueris delictum animam ejus, ſemen videbit, dies prolongabit, & per ejus manum Jehovæ beneplacitum proſperabitur.* Quando adhuc fructus deſideratiſſimi ſubjiciuntur uberiores. Ex quibus omnibus futura Chriſti poſt mortem Reſurrectio irrefragabiliter ſane conſtat.

Uti & Ezechielis & Danielis Textus noti.

X. Ad *Ezechielem* quoque accedere decet, apud quem *Capite XVII. Ænigma*, ſeu *Parabola*, occurrit nomine Dei proponenda populo à Vate. In qua memoratur primum Aquila, magna & varie excellens præ aliis, quæ ad Libanum venit, Cedri ſummitatem abſtulit, &c. ſed & dein Aquila altera, cum Vite in hanc ſe convertente; quod omne etiam clariſſimè & latiſſime à Deo exponitur, ad Judæorum convictionem & monitionem neceſſariam. Quando tranſit Deus ad aliud Ænigma, exhibens Cedri altiſſimæ Partem aliquam notabilem, ejusque Tractationem, & hujus Succeſſum, & addens etiam hujus Fructum & Certitudinem. Occurrit nempe heic Ramuſculus Tener de Summitate Cedri altæ, qui à Deo datur, avellitur, & plantatur ſuper Monte excelſo Jiſraëlis. Cum ſucceſſu quoque maximo; dum ramum profert, & fructum facit, fitque in Cedrum illuſtrem, ſub qua in ejus ramorum umbra aves omnes habitent tuto & ſecurè. Unde agnitio Gloriæ Dei id operantis porro conſecutura erat; & hoc omne futurum certiſſime. In quo ſi uſquam vividiſſima eſt repræſentatio Chriſti, primum quidem in ipſius Morte, quando Ramuſculus ille è Cedro enatus à Deo avelleretur; ſed & dein in ejus Vivificatione inſecuta prorſus glorioſa, quando idem denuo plantaretur à Deo aptiſſime, & tam læte atque utiliter excreſceret Et huic ænigmati emblematico convenit alterum priori magna ex parte admodum ſimile in Somnio,

quod

quod exhibitum fuit Nebucadnezari, magno & glorioso valde Babyloniorum Regi, & à Deo per Vatem expositum, apud *Danielem Cap. II.* Constat hoc, quoad rem nostram præsentem, in *Lapide de monte Abscisso, qui non in manibus*, erat nempe vel tenebatur, vel dirigebatur, vel impellebatur, quique *fiebat in Montem magnum implentem terram totam.* Quod spectare ad Messiam, & consequenter Regnum ejus, ostenditur in textu ipso; adeoque nos ducit certissime ad præcedentem ejus Mortem contemptam, & consecuturam Vitam novam cum Regni gloria summa.

Dum alia plura ab aliis adducta vix audemus urgere.

XI. Si me rogas, an alia multa quæ produci in rem eandem solent loca perinde ad eam asserendam, seu valeant, seu & faciant quadantenus; vix illud affirmare ausim, nec opus est ut affirmetur, ubi tantum jam adduximus textuum aptorum numerum. Inter illa Loca scilicet numerandus est omnino ille *Prov.* xxx. 18. 19. de *Via Serpentis super Petram*; item *Psal.* III. 6. versus, *ego dormivi & soporatus sum, resurrexi &c.* etiam *Psal.* XVII. 11. redditus, *satiabor cum resurrexerit Imago tua &c.* nec non *Psal* LVII. 9. *excitare gloria mea &c. Hamos.* IX. 11. de *Destructis Davidis* erigendis, *Tseph.* III. 8. de *Die Surrectionis in æternum*, *coll. Mich.* IV. 14. *Hab.* III. 2. *Zach.* IX. 9. *&c.* & quam maxime etiam *Jer.* XXXI. 26. de *Suscitatione ex Somno suavi & Visu*; in cujus significationem dignum judicavimus ut paulo latius inquiratur, quando illa ad Christi Mortem & Resurrectionem non spectare deprehendetur liquido.

Vetustissima & communissima Resurrectionis Fides ex Iobi verbis monstratur.

XII. Ne quis autem existimet, Prædictiones de Christi Resurrectione serius demum sub Vet. Test. esse factas, facere potest ipsius *Prot-Euangelii Paradisiaci* attentior consideratio, quæ ipsum Messiam ut Conterendum & Conterentem nobis exhibet simul. Sed omnino pro ejus traditione & fide laudandus venit *Jobus*, in iis verbis quæ ipse protulisse fertur *Cap.* XIX. 25. 26. 27. Ubi occurrit nempe Messias sub nomine, tam *Goëlis mei*, quam *Dei.* Quod prius *Redemptoris* nomen non tantum ipsius Humanitatem veram ponit, sine qua à nobis alienus ipse noster Redemptor esse non potuisset; sed & Mortem in ea subeundam, per quam fieret redemptio alias nunquam futura salvis Dei perfectionibus. In qua hunc non man-

manſurum tamen ſignificatur, per *Vitam* ipſi clare adſcriptam rurſus, non in morte vel ante eam ſed poſt eam toleratam. Et ad hanc conſecutura erat ejus Redivivi *ſurrectio ſuper pulveverem noviſſima*; per quam & ipſe Jobus foret ex pulvere reſtituendus, & inſigniter à Goële iſthoc ſuo beandus, quod & deſiderabat ardentiſſime. Quæ non habebat, aut proclamabat Jobus, ex inani conjectura quadam ſua vel aliorum hominum fallaci, aut vana ſpe, ſed & ſciebat ipſe certiſſime ex Dei ipſius veraciſſimi revelatione. Atque hoc Exemplum tanto eſt notabilius, ſi ſpectemus Jobi; tum Genus, quod quidem traxit, non ex Iſraële, attamen ex Abrahami familia ſatis veriſimiliter; tum Ætatem, paulo anteriorem Iſraëlitarum Exitu ex Ægypto. Unde liquet, quam communis apud Patres pios, & quam antiqua fuerit doctrina de Domini noſtri poſt Mortem guſtatam Reſurrectione.

Tempus Reſurrectionis illius, quoad Diem & Horam an etiam à Vatibus ſit deſignatum.

XIII. An vero Reſurrectio ſola, an & Tempus ejus Triduanum poſt mortem, prædictum eſſe dicetur, propter Pauli & Chriſti ipſius verbum, huc nos ducere viſum. Mihi ut verum dicam, magis placet poſterius, cum reſpectu, non tantum ad Typos, ſed & ad Verba *Hoſ.* VI. 2. *viviſicabit nos poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabit nos, & vivemus coram eo.* Quod variis quidem modis ad Chriſti Reſurrectionem referri ſolet ab ævo, ſed optime illuc referri putamus nos, Vivificatione heic intellecta ſpirituali Fidelium, ſed quæ flueret ex Reſurrectione Chriſti corporali futura Die Tertio, & quæ cum aliis Beneficiis corporalibus conjungeretur. Nec male prorſus cum iſthoc *Hoſeæ* textu conferri poſſe videtur locus *Pſal.* XVI. 10. de *Benigno non viſuro corruptionem*; quod cum morte diuturniore non conſiſtat, & forte reſtitutionem ante diem quartum flagitet. Quin & ad Reſurrectionis Dominicæ Tempus *Matutinum* ſpectaſſe prædictiones Propheticas concedi poteſt; non equidem *Pſal.* LVII. 9. ſed potius *Pſal.* XXII. 1. per appellationem *Cervæ Auroræ*, quin & in repreſentatione Meſſiæ ſub emblemate *Solis Juſtitiæ Orientis Mal.* IV. 2. & *Lucis Matutinæ* 2 *Sam.* XXIII. 4. & *Auroræ egredientis Hoſ.* VI. 3. Dum alia ad *Saxoſum* monumentum ex quo reſurgeret Dominus, vel & ad *Mulieres* mane quærentes Chri-

Christum, difficilius trahuntur. Sed rectius cogitetur de prædicto olim in Vaticiniis antiquis, tum Angelorum Servitio apud Dominum Redivivum æque quam natum antea & vivum, & Terræ Motu, & Conversione Manus ad Parvulos, & maxime de Dispersione Inimicorum cum Justorum Lætitia apud Domini Resurrectionem futura, juxta *Psal.* LXVIII. 1. 2.

De Typis Realibus & Personalibus illius disseritur.

XIV. Cæterum, quæ prædicta sic verbis explicitis vel implicite magis fuit Christi Resurrectio, eadem & per *Typos* Reales fuit confirmata olim fidelibus varie, ad nostram quoque convictionem sub Novo Test. Sub quo nomine Typorum veniunt frequenter latiori sensu Imagines vel Similia qualiacunque, non modo apud Scriptores exoticos varii generis, sed & Sacros omnino, quod alias latius monstravimus. Uti sic omni ætate Christi Resurgentis Typi inveniuntur in Sole Oriente, & in Frutice Enascente, quin & in Dormientibus cum expergiscuntur, & Ægris cum sanantur, & Mortuis quando revixerunt miraculose. Sed quam maxime tales inventi fuere ante Christi Incarnationem; tum Reales, v. g. in Frondente Aharonis Virga, per quam Aharoni Sacerdotium suum fuit Divinitus confirmatum; tum Personales, in Adamo expergiscente, & Noacho prodeunte ex Arca, in Jacobo eluctante à pugna nocturna, in Joseph erepto ex Fovea & Carcere, in Mose ex aquis servato, in Simsone evadente ex Gaza, in Davide liberato ex ore Leonis & ex Spelunca tristi, in Hizkia ex ægritudine restituto, in Jeremia ex Carceris profundi angustiis extracto, quin & in Daniele ex Leonum fovea salvato; ut de ipso Populo Israëlis à Deo ex Ægypto educto & per Mare deducto nihil dicamus. Per quos omnes designatam simul fuisse Christi Resurrectionem, vix est aut fieri nobis potest satis certum. Sed alia est ratio *Typorum Legalium*, quos Deus ad hoc destinavit & dedit per mandata sua ceremonialia. Inter Res huc pertinet non tantum *Manipulus Primitiarum*, agitandus coram Domino à postridie Sabbati Paschatis; sed & *Avicula Altera*, in Purgatione Leprosi dimittenda Viva; atque *Hircus Hazazel*, cujus ritus omnis & mysterium inquisitione justa dignissimum est, etiam propter dissensum Theologorum. Cum quibus Legalibus decentissime jungimus Typos etiam Eventuales Præsignificativos; tum Reales, uti

est Manna die Primo Septimanæ denuo visum post antecedentem Sabbati Cessationem; tum & Personales, qualis certissime est *Jonas*, in Ejectione ex ventre piscis quo per Triduum concluſus fuerat. Et qualis vix dubitamus quin recte etiam constituatur *Isaacus*; cujus destinatio & paratio ad præsentissimam oblationem, cum ereptione oportuna admodum distincte à Mose expositа, præter rationem Moralem etiam Typicam habuisse prorsus videtur. Quæ nulla quidem facilior aut aptior nobis occurrit, quam secundum quam ducimur ad Christum ipsum, vere Moriturum primo, sed dein non minus vere ex Morte revocandum, quam hoc olim ἐν παραβολῇ contigit Isaaco.

Et tandem argumentum hoc concluditur.

XV. Atque ista quidem, sine latiori diffusione, heic dedimus Argumenta, ad probandam & persuadendam Orbi Fidem Resurrectionis Dominicæ. Quæ si fuerit admissa, longe minor erit difficultas in agnoscenda ulteriori Gloria Domini Resuscitati, ad quam brevius longe absolvendam nunc transimus, post implorationem Divinæ Gratiæ pro nobis & lectoribus nostris prorsus necessariæ.

HISTO-

# HISTORIÆ EXALTATIONIS JESU CHRISTI ILLUSTRATÆ

## LIBER TERTIUS.

*Qui de ejus Redivivi Aſcenſione in Cœlum, & Seſſione ad Dei dextram, agit.*

---

### CAPUT PRIMUM.

*Quo de Verbis agitur, ad notandam Chriſti Adſcenſionem Cœleſtem adhibitis.*

Cum in Illuſtri ſatis attamen Primo Exaltationis Gradu non ſubſtiterit Dominus noſter, ex Sepulchrali corde terræ ſe extollens in ejus ſuperficiem, ubi Redivivus apparebat ſuis, ſed & hac poſt moram breviorem derelicta longe altius in ipſum Cœlum ſupremum Aſcenderit; noſtrum eſt, eundem illuc tendentem contemplari propius, ut ei per Fidem vivam & conſtantem adhæreamus, tanquam conſummato Salutis noſtræ Duci, qui opus inchoatum perfecit, & pro laboris magnitudine gloriam recepit ipſe maximam.

Tranſitus à Reſurrectione Chriſti ad ejus Aſcenſionem in Cœlum.

II. Initium tractationis hujus quoque facimus à Verbis, quibus Euangelica & Apoſtolica Scriptura heic utitur ad rem ip-

Verborum iſtius heic adhibi-

bitum de Christo vario prorsus sensu exhibetur.

ipsam exprimendam. Ista autem deprehenduntur complura *Passiva* quidem, sed & alia *Neutro-Activa*. Prioris generis est forte aliquando Verbum *exaltari*, ὑψοῦσθαι, vel ὑψωθῆναι, quod variè de Christo adhibetur in Scriptura. Usurpatur enim certissimè de Crucifixione ejus ignominiosa, tanquam in qua Dominus supra terræ superficiem in altum sublatus fuit. Ita enim ipse dixit *Joh.* III. 14. καθὼς μωσῆς ὕψωσε τὸν ὄφιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, item *Joh.* VIII. 28. ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, nec non *Joh.* XII. 32. 34. κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν, τοῦτο δὲ ἔλεγε σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν, ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ὄχλος, ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου ὅτι ὁ χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ πῶς σὺ λέγεις ὅτι δεῖ ὑψωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Sed & refertur idem Verbum ad Statum Christi Glorioſum, qui post ignominiam Crucis ejus fuit secutus. Id fit *Act.* II. 32. 33. τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ἀνέστησεν ὁ θεὸς, οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμεν μάρτυρες, τῇ δεξιᾷ οὖν τοῦ θεοῦ ὑψωθεὶς, τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς, ἐξέχεε τοῦτο ὃ νῦν ὑμεῖς βλέπετε καὶ ἀκούετε, & *Act.* V. 31. τοῦτον ὁ θεὸς ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσε τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, δοῦναι μετάνοιαν τῷ Ισραὴλ καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. In quibus tamen locis, an determinate ad Exaltationem Localem in cœlum spectetur, an vero potius metaphorice ad Dignitatem, ad quam ascendebat per Resurrectionem inchoate, dum supra sepulchrum simul localiter extollebatur, & per Collocationem à Dextra Dei consummate, dum simul in cœlum evehebatur; possit per contextum proximum videri magis dubium. Interim est & localis Translatio vere ὕψωσις, & certum satis videtur quod Paulus ad illam spectaverit *Hebr.* VII. 26. quando Christum nobis exhibet, ut ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν γενόμενον, & quando per phrasin illam vere Neutram, gloriosam ejus conditionem solam cum gloria cœlorum hcic conferri minus apte vident facile omnes. Ut nihil nunc dicam de Verbo Composito ὑπερύψωσε *superexaltavit*, Deo respectu Christi tributo *Phil.* II. 9. de quo vide *EXERC. TEXT. XLII. Parte VI.*

Verba alia Passiva ἐπαίρεσθαι, ἀναφέρεσθαι,

III. Alio Verbo, sed & Passivo, usum reperimus *Lucam Act.* I. 9. καὶ ταῦτα εἰπὼν βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, uti & subjicitur *vers.* 10. καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτοῦ.

αὐτῷ. Ut adeo illic omnino non ſpectetur ſublatio in dignitatem majorem, ſed *Sublatio* in altum, non jam capitis oculorum aut manuum, nedum metaphorica Vocis, ſed Corporis Humani Chriſti totius. Aliud iterum Verbum habet idem *Lucas Cap.* XXIV. ϛ1. ἢ ἐγένετο ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν αὐτὸς διέϛη ἀπ' αὐτῶν, ἢ ἀνεφέρετο εἰς τ ὐρανόν. Ubi *Vulgatus* habet ſimplex *ferebatur*, ſed *Beza ſurſum ferretur*; atque ex addita *Cœli* mentione tanquam termini ad quem, quin & conjuncto verbo διέϛη, clarum eſt ad Localem Aſcenſionem directe ſpectari. Sed & Verbum tertium occurrit apud *Lucam* eundem *Act.* I. II. & 22. οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τ ὐρανὸν οὕτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τ ὐρανόν &c. ἕως τ ἡμέρας ἧς ἀνελήφθη ἀφ' ὑμῶν &c. quibus locis duobus declaratur magis nudum illud ἀνελήφθη quo idem Euangeliſta de Chriſto uſus eſt *Act.* I. 2. etiam alias habens τ ἀνάλημψιν αὐτοῦ *Luc.* IX. ϛ1. Quemadmodum & legimus *Marc.* XVI. 19. ὁ μὲν οὖν κύριος, μετὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, ἀνελήφθη εἰς τ ὐρανὸν, atque apud Paulum 1 *Tim.* III. 16. ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Tantum id inquiri heic poſſet etiamnum, an in verbis illis compoſitis ἀναφέρεσθαι & ἀναλαμβάνεσθαι magis ſpectanda ſit notio τ ἄνω *ſupra* vel *ſurſum*, an vero τ ἀνὰ, *rurſus*, cum reſpectu ad Deſcenſum Chriſti priorem ex cœlo, quorſum nempe ille dein reſumptus dicatur, quo ſenſu *reaſſumptionem* heic legunt alii, vel *receptionem*. De qua notione vocis hujus gemina, à *Beza* juncta, *ſurſum receptus eſt*, egimus & nos olim *EXERC. TEXT. XLIV. Parte VI.* ubi & alias vocis poſterioris notiones annotatas reperies. Referendum & huc omnino putamus Verbum ἁρπάζεσθαι, *rapi*, ad Deum & Thronum ejus, quod de Filio Mulieris maſculo dicitur *Apoc.* XII. ϛ. & de quo *vide noſtrum Commentarium*. Interim Verba iſthac Paſſive de Chriſto uſurpata eandem habent rationem, quam apud ejus Reſurrectionem illa *vivificari*, & *excitari*, & *ſuſcitari*, vel *reſuſcitari*; quod ſcilicet per ea ducamur, ſive ad Divinam Chriſti perſonam qua talem, ſive & magis ad Perſonam Patris primam, à qua vere incipit omnis Divina Operatio, & à qua Obedientiæ ipſi à Filio præſtitæ accipit hic præmium omne ſibi adjudicatum. Sic ut Emiſſus à Patre in Mundum hunc inferiorem, etiam ab hoc

ἀναλαμβάνεσθαι, & ἁρπάζεσθαι, illuſtrantur.

Revocetur & Reaſſumatur in Cœlum ad thronum ſuum.

Verba item Neutro-Activa, ἀναβαίνειν, ὑπάγειν. ἀφίναι τὸν κόσμον, πορεύεσθαι, πορεύεσθαι πρὸς τὸν πατέρα, διέρχεσθαι τὰς ἀέρας, εἰσέρχεσθαι.

IV. Ne tamen per Paſſiva illa Verba quidquam detractum putaretur Gloriæ Domini noſtri, alias adhibentur heic Verba Neutro-Activa complura. Quorum præcipuum eſt illud ἀναβαίνειν *aſcendere*, quo Chriſtus ipſe uſus eſt plusquam ſemel, *Joh.* VI. 62. ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τ ἀνθρώπυ ἀναβαίνοντα ὅπυ ἦν τὸ πρότερον, & *Joh.* XX. 17. οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μυ &c. ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μυ καὶ τὸν πατέρα ὑμῶν, καὶ θεόν μυ καὶ θεὸν ὑμῶν, quin etiam *Joh.* III. 13. καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τ οὐρανῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τ ἀνθρώπυ ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Et quod hinc adhibuit cum Pſalte Paulus *Eph.* IV. 8–10. διὸ λέγει, ἀναβὰς εἰς ὕψος, &c. τὸ δὲ ἀνέβη τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τ γῆς, ὁ καταβὰς αὐτός ἐστιν καὶ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τ οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Quemadmodum & Petrus de Davide negans, quod ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς, *Act.* II. 34. hoc ipſo illud Meſſiæ vindicat manifeſtiſſime. Cum illo autem Verbo Neutro-Activo conferuntur merito multa ejuſdem generis alia, ὑπάγειν, πορεύεσθαι, ἀφιέναι τὸν κόσμον, πορεύεσθαι πρὸς τὸν πατέρα, διέρχεσθαι τὰς ἀέρας, εἰσέρχεσθαι &c. Quæ omnia oſtendunt, Chriſti à Patre recepti & aſſumpti Poteſtatem & Potentiam propriam, in iſthac cœleſti Aſcenſione ſe exerentem valide. In quæ capita heic excurrere nunc non libet latius.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### *Quo Adſcenſionis Chriſti Actus Formalis poſitive declaratur.*

Aſcenſio Chriſti in Cœlum Tranſlationem dicit omnino Localem Humanitatis ipſius.

Declarata ſic Verborum notio ſufficienter arguit heic *Tranſlationem Localem* debere omninò intelligi, & quidem *ex* Uno *Inferiori* in alium longe *Superiorem*. Qualis cum proprie locum non haberet in Omnipræſente Domini noſtri Deitate tanquam ſubjecto, hinc directe & proprie heic à nobis cogitandum eſt de ipſius Humanitate, in qua ſola idem Θεάνθρωπος quoque & Mortuus & Sepultus fuit & Reſuſcitatus

tatus est ex morte. Quamquam hoc addi possit, quod Translatio illa ad Personam Divinam, quin & ad hujus Deitatem ipsam, eatenus recte extendatur, quatenus hæc in Humanitate singulariter habitavit & se inhabitantem demonstravit. Uti sic Deus in symbolis his & illis olim descendisse, vel & adscendisse etiam, seu dicitur seu dici non incommodè potest. Unde recte Paulus heic ursit, non τὸ καταβὰν & τὸ ἀναβὰν, sed ὁ καταβὰς & ὁ ἀναβάς.

II. Ista igitur Christi Humanitas, Corporis restituti & simul Animæ ei redunitæ respectu, ita adscendisse fertur, ut non aliquem *Terræ* locum depressiorem, vel plagam ejus singularem minus altam, sed illam totam cum proximo ambitu suo illuc referri solito, plane *dercliquerit*. Atque hoc est, quod sæpius Christus ipse ante mortem suam de se prædixit. Uti legimus *Matt.* XXIV. 23. 26. 27. τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ ἰδὲ ὧδε ὁ Χριστὸς, ἢ ὧδε, μὴ πιστεύσητε &c. ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν, ἰδὲ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστι, μὴ ἐξέλθητε, ἰδὲ ἐν τοῖς ταμείοις, μὴ πιστεύσητε, ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Quibus verbis ad illam partem interrogationis Apostolorum *vers.* 3. καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; post vastationem Jerosolymæ traditam plenius, declarat Christus, se non esse in terris uno vel alio loco quærendum respectu suæ Humanitatis, tanquam qui ad illas demum noviſſimo die sit venturus subito prorsus & inopinato, atque cum majestate summa tum ab omni oculo videndus; secundum *Capitis* illius Analysin olim à nobis datam *EXERC. TEXT. XXXII. Parte V.* Et quidem de Terra hac Universa, secundum ipsius Prædictionem Matt. XXIV. 23. 26. 26.

III. Prædictio similis altera ipsius Domini de suo discessu ab his Terris, tanquam Termino Adscensionis A Quo, reperitur *Matt.* XXVI. 11. πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε. Nempe sic Dominus defendit adversus Judæ iniquitatem coloratam Mulieris ipsum abiturum ungentis pietatem; quod nunc in ipsius præsentis usum notabilem & decus impenderetur recte pretium, quod deinde pauperibus superfuturis cedere posset & deberet meritò post ipsius abitum ab hoc mundo. Nec argumentum adeo petit à Pauperum Indigentia, collata cum sua dehinc futura Nec non Matt. XXVI. 11.

glo-

gloriæ omnis abundantia; ſed unice ex eo, quod ſecum, ſeu apud ſe in hiſce terris ubi ipſi eſſent, ſeu & inter ſe Domini Diſcipulos, habituri eſſent pauperes, quibus bene facerent dum ipſum ſecum eo modo non haberent amplius, nec his in terris, nec hinc in ſuo conſortio. Quod adeo ſpectat clariſſime ad Terram ab ipſo relinquendam ſecundum humanitatem, inchoate quidem per mortem, ſed conſummate magis per Aſcenſionem, ante quam adhuc quadantenus fuit cum Diſcipulis in terra & in eorum quoque conſortio; ut officia ipſi in perſona ſua præſtare non poſſent.

1 Cor. xi. verſ. 24. 25. 26.

IV. Quidni heic nominetur & ipſa Cœnæ Sacramentalis inſtitutio, prout hanc declaravit etiam Paulus 1 *Cor.* xi. 24–26. Illic enim quod dixit Dominus bis, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, tam apud panem edendum quam vinum bibendum ex calice, cum reſpectu ad ſe dein à Diſcipulis futurum abſentem poſt Aſcenſionem, cujus tamen & propterea ſolennius meminiſſe debebant, manifeſtius ſic expoſuit Paulus, *quotieſcunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate*, ἄχρις οὗ ἔλθῃ, *donec venerit*, ſeu redierit, non poſt mortem, tunc utique non manſurus cum ſuis, ſed poſt Adſcenſionem aliquando Die noviſſimo, ante quem ipſe adeo non erat futurus præſens, ſed omnino abſens ab illis in his terris, ejusque memoria ſolennis ſervanda in Sacramento, *coll. Act.* i. ii. 1 *Cor.* iv. ii. *&c.*

Maxime autem Joh. xiv. xv. xvi. xvii. 15. 16. 17.

V. Nuſquam & nunquam vero clarius de Terra à ſe derelinquenda ſecundum Humanitatem locutus eſt Dominus, quam in Sermone ultimo, quem ipſe poſt Cœnam inſtitutam cum Diſcipulis ſuis habuit *Joh.* xiv. xv. xvi. inprimis clariſſime *Cap.* xvi. *verſ.* 28. ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον, *&c.* Scilicet, cum antea fuiſſet apud Patrem, nullam adhuc habens Carnem humanam in qua conſpiceretur heic ab hominibus, à Patre exiens in *mundum* hunc inferiorem *venerat*, in ea aſſumpta ſe manifeſtans, tum aliis, tum maxime Diſcipulis ſuis. Sed nunc proxime futurum erat, ut ad Patrem rediturus *mundum* hunc inferiorem *relinqueret*, eo modo, tam Corporis quam & Animæ illi redunitæ reſpectu, non diu in eo vel hujus vel & illius reſpectu futurus per Adſcenſionem inſtantem. Unde &

in

in precibus ad Patrem ſubjectis dixit *Joh.* XVII. 11. 12. οὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ οὗτοι ἐν τῷ κόσμῳ εἰσὶ &c. ὅτε ἤμην μετ' αὐτῶν ἐν τῷ κόσμῳ, &c. Atque poſt Reſurrectionem *tangi*, ſeu detineri, noluit, cum aliorſum eundum ſeu aſcendendum ipſi tunc eſſet *Joh.* XX. 17.

VI. Secundum omnes iſtas Chriſti Prædictiones, certiſſime equidem adimplendas, fuit etiam factum in ipſius Aſcenſione; quando ſecundum *Lucam Cap* XXIV. 51. διέστη ἀπ' αὐτῶν, ſeu à Diſcipulis, quibus ultimo benedicebat, *receſſit* ſecundum *Vulgatum*, vel *ſejunctus fuit*, vel *disjunctus*, ſecundum *Bezam*, dum ἀνεφέρετο εἰς τὸ οὐρανόν. Quæ conjunctæ phraſes manifeſte docent, heic non eſſe cogitandam receſſionem ſolam vel disjunctionem aliquam à Diſcipulis & loco Manſionis illorum tunc præſenti particularem & temporariam, in alium aliquem Terræ hujus tractum; ſed omnino univerſalem & duraturam ad ipſius reditum noviſſimum, ab univerſa Terra, per quam illi dein ex Chriſti abſentis juſſu etiam eſſent ituri ad Eccleſiam per Prædicationem Euangelii colligendam. Atque hinc merito crediderunt & tradiderunt Apoſtoli id conſtanter, quod Dominus reſpectu Humanitatis Terram in Aſcenſione prorſus dereliquiſſet, *non* futurus quidem *Sacerdos* εἰ μὲν ἦν ἐπὶ γῆς *Hebr.* VIII. 4. Quod uti etiam plane ab illis ſupponitur in exſpectato noviſſime ejus Reditu; ita & clare intelligitur ex ſui hiſce in terris Abſentia à Domino, quæ Abſentiam Domini ab ipſis neceſſario ſimul dicit; ſecundum illud Pauli 2 *Cor.* V. 6—9. θαρροῦντες οὖν πάντοτε, καὶ εἰδότες ὅτι ἐνδημοῦντες ἐν τῷ σώματι ἐκδημοῦμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου &c. θαρροῦμεν δὲ καὶ εὐδοκοῦμεν μᾶλλον ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον, διὸ καὶ φιλοτιμούμεθα, εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι, *coll. Phil.* I. 23. 24. &c.

Secundum ſimul traditum ab Apoſtolis cum Luca Eventum.

VII. Enimvero, quo argumento heic uſus eſt Angelus ad perſuadendam Mulieribus veritatem Exitus Chriſti ex monumento *Matt.* XXVIII. 6. οὐκ ἔστιν ὧδε, ἠγέρθη γὰρ καθὼς εἶπε, δεῦτε, ἴδετε τὸν τόπον ὅπου ἔκειτο ὁ κύριος: eodem & nos heic merito utimur de derelicta ab ipſo Aſcendente Terra. Non eſt ſcil. reſpectu ſuæ Humanitatis amplius in his terris; venite quicunque vultis, videte, non jam ſepulchrum, olim ſaliis curate inſpectum à Diſcipulis, & quod hodie cum certi-

Unde nuſquam deinde in Terris repertus fuit, vel reperiri potuit.

tudine nulla monſtrari poteſt, & in quo mortuus dudum in pulverem reverſus eſſet, vivus autem neutiquam decens erat ut latitaret per ſecula; ſed Loca omnia Terræ olim ab ipſo calcatæ, dum populus Dei illic manebat, quin & Loca omnia Terræ totius, per ipſius Euangelium & Spiritum benigniſſime viſitata aut viſitanda etiamnum; & nuſquam prorſus heic deprehendetur à quoquam ipſe Chriſtus ſecundum Humanitatem ſuam, inde ab Aſcenſionis ipſius tempore per tot ſecula jam elapſa. Ubi inepte confugies equidem ad Præſentiam Humanitatis ejus Inviſibilem, quin & ſi placet Inſenſibilem prorſus; ſi quidem talis non fuit illa poſt æque quam ante Mortem, nec erit in ipſius Reditu noviſſimo, tunc ab omni oculo videnda, nec erat in ipſa Adſcenſione, quando Diſcipuli eum adſcendentem vidiſſe dicuntur utique. Nec eſſe eadem Humanitas poteſt, ſi ſit vera & eadem quam antea habuit, Inviſibilis vel Inſenſibilis plane; dum aliud longe eſt, illam non videri vel ſentiri, extra hominum præſentiam vel propinquitatem, apud hos organis ſuis neceſſariis aut horum uſu deſtitutos, quin & per corporum aliorum mediorum diſpoſitionem minus aptam; aliud, Corpus vere Humanum reſpectu Molis & Attributorum ejus nullo modo videri vel ſentiri unquam à quoquam. Qualis & Inviſibilis ac Inſenſibilis Præſentia quem quæſo uſum præſtabit cuiquam? ſi vel extra & contra ſenſuum teſtimonium cuiquam perſuadeatur. Ita enim Chriſtum ſi ſtatuamus manſiſſe & manere in Terris apud ſuos, non plus commodi id iis afferet, quam ſi ponamus eum vel in expanſi altitudine, vel in montibus inacceſſis, vel in terræ cavernis, vel in aquarum meditullio, vel quocunque alio loco inacceſſo & incognito, hærere.

Objectiones ex Promiſſis Dominicis, nec non Exemplis obviis, & dictis generalibus ſolvuntur.

VIII. Contra iſtam exploratiſſimam undique veritatem Diſceſſus Domini ab his Terris ſcimus objici tamen, tum *Promiſſa* Dominica potiſſimum, tum & illorum ſuis præſtitorum *Exempla*, præter generaliora de Chriſto *Teſtimonia*. Sed iſtorum nihil eſt quod nos multum detineat, nedum aliter ſtatuere jubeat. Nempe *promiſit* Dominus adſcenſurus ſuam Præſentiam apud ſuos *Matt.* XVIII. 20. οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν, & *Matt.* XXVIII. 20. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶ-

τοῦ αἰῶνος, ἀμήν Sed cum verba Christi variis temporibus dicta non possint inter se pugnare, nec debeant à quoquam inter se committi, sed decenter conciliari; & cum Præsentia Humanitatis Christi, Invisibilis potissimum & Insensibilis illa, nullum Discipulis usum aut solamen præstare posset, quod utrumque ex adverso poterat ejus Abitus à Terris in Ascensione; non potest esse dubium, quin promissa illa spectent, tum ad ejus Divinitatem omnipræsentem, tum ad Gratiam singularis protectionis & ductionis ipsi Personæ Θεανθρώπου convenientem. Deinde fuere olim, fatemur, in his terris Discipuli, qui Dominum post Ascensionem ejus vidisse memorantur, non modo in scriptis Ecclesiasticis sed & Divinis, uti nominatim Stephanus, Paulus, & Johannes. Sed dum Humanæ narrationes innumeræ sunt fabulosæ vel prorsus incertæ; ad Exempla illa Sacra notari debet, illa prorsus extraordinaria & singularia, præter communiorem Fidelibus Visum Mentalem per Fidem, debere referri ad Conspectum Humanitatis Christi, seu Emblematicum, seu Phantasticum, seu Cœlestem & minime Terrestrem, per proteusam aciem, aut raptum in cœlum; dum eadem Exempla certissime faciunt, tam contra Præsentiam Christi per terram Universam, quam contra ejus præsentis Invisibilitatem. Testimoniorum porro generaliorum de Christo præcipuum quidem est in illis Pauli *Eph.* IV. 10. ὁ καταβὰς αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Sed, ne in iisdem verbis manifesta sit contradictio, necessarius est in *omnium impletione* sensus, non Localis, sed alius longe facilior & aptior, realis, nos ducens ad omnia Vaticinia de Christo, antiquiora & recentiora in ipso præstanda, vel ad Munera cum partibus suis ab ipso exsequenda, vel ad Ecclesiæ Membra per ipsius Spiritum instruenda & beanda.

IX. Sic habuimus Orbem hunc Inferiorem tanquam Adscensionis Christi Terminum A Quo; cui jungimus modo ejusdem Terminum Ad Quem, quem constituit Cœlum Supremum, in quod Adscendens Dominus translatus fuit, usque ad Reditum novissimi diei illic mansurus respectu Humanitatis suæ, quod variis nominibus heic exprimitur. Et hoc est, quod Christus ipse non minus quam Discessum ab hac Terra, præ-

Fuit porro Christus Ascendens Translatus in Cœlum Supremum, secundum proprias ejus Prædictiones Evangeliaeas,

prædixit, tum ante tum poſt Mortem ſuam. Ante Mortem quidem, quando dixit v. g. *Joh.* VI. 62. ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τ̃ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν τὸ πρότερον, & in extremo maxime ſermone ad Apoſtolos hoc tantopere inculcavit *Joh.* XIV. 2. ϛ. ἐν τῇ οἰκίᾳ τ̃ πατρός μου μοναὶ πολλαί εἰσιν &c. πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν, κ̀ ἐὰν πορευθῶ κ̀ ἑτοιμάσω ὑμῖν τόπον, πάλιν ἔρχομαι, κ̀ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτόν, ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ κ̀ ὑμεῖς ἦτε. *Verſ.* 28. 29. ἠκούσατε ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν ὑπάγω κ̀ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, εἰ ἠγαπᾶτέ με, ἐχάρητε ἂν ὅτι εἶπον, πορεύομαι πρὸς τ̀ πατέρα &c. κ̀ νῦν εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθ, ἵνα ὅταν γένηται πιστεύσητε, *Joh.* XVI. ϛ. νῦν δὲ ὑπάγω πρὸς τ̀ πέμψαντά με, *verſ.* 10. ὅτι πρὸς τ̀ πατέρα μου ὑπάγω, κ̀ οὐκέτι θεωρεῖτε με, *verſ.* 16. μικρὸν κ̀ οὐ θεωρεῖτε με, κ̀ πάλιν μικρόν, καὶ ὄψεσθέ με, ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τ̀ πατέρα &c. *verſ.* 28. ἐξῆλθον παρὰ τ̃ πατρὸς, κ̀ ἐλήλυθα εἰς τ̀ κόσμον, πάλιν ἀφίημι τ̀ κόσμον, κ̀ πορεύομαι πρὸς τ̀ πατέρα &c. Quin & ſimiliter in ſecutis ad Patrem precibus *Joh.* XVII. 4. ϛ. ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τ̀ γῆς &c. κ̀ νῦν δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ &c. *verſ.* 11. κ̀ ἐγὼ πρός σε ἔρχομαι, *verſ.* 13. νῦν δὲ πρός σε ἔρχομαι, *verſ.* 24. πάτερ, ὃς δέδωκάς μοι, θέλω ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμοῦ, ἵνα θεωρῶσι τ̀ δόξαν τ̀ ἐμὴν ἣν ἔδωκάς μοι &c. Poſt Mortem ipſe etiam Reſuſcitatus idem repetiit apud ſuos *Joh.* XX. 17. μή μου ἅπτου, οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τ̀ πατέρα μου, πορεύου δὲ πρὸς ἀδελφούς μου, κ̀ εἰπὲ αὐτοῖς, ἀναβαίνω πρὸς τ̀ πατέρα μου κ̀ πατέρα ὑμῶν, κ̀ θεόν μου κ̀ θεὸν ὑμῶν. Enimvero, licet Pater vere ſit omnipræſens, ſpectatur ille iſtis locis, in oppoſitione ad Mundum hunc inferiorem, ut Præſens ſingulari & glorioſiſſimo modo in Cœlo; tanquam Domo ſuæ majeſtatis maximæ, ſplendidiori etiam longe quam erat Templum vetus Jeroſolymitanum in cujus Adyto intimo umbratice habitaverat tantum; imo tanquam Domo Paterna, in quam & nos olim erimus colligendi & localiter quoque reduniendi Chriſto capiti noſtro.

Ea ſecundum Euangeliſtarum & Apoſtolorum Teſtimonia obvia utique.

X. Ita porro, uti prædixit Chriſtus, factum fuit omnino in ipſius Aſcenſione, ſecundum *Marc.* XVI. 19. ὁ μὲν οὖν κύριος, μ̀ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, ἀνελήφθη εἰς τ̀ οὐρανόν, & *Luc.* XXIV. 51. κ̀ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν, atque *Act.* I. 11. τί ἑστήκατε ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανόν; οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναλημφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν

οὕτως

ὅτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. Et ſecundum Apoſtolorum hinc conſecutam prædicationem, *Act.* III. 21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέχεσθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, *Eph.* I. 20. ἣν ἐνήργησεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *Phil.* III. 20. ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, I *Theſſ.* I. 10. καὶ ἀναμένειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκ τῶν οὐρανῶν ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, IV. 16. ὅτι αὐτὸς ὁ κύριος καταβήσεται ἀπ' οὐρανοῦ, 2 *Theſſ.* I. 7. ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ, *Hebr.* VIII. 1. τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς, IX. 24. οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν, 1 *Pet.* III. 22 ὃς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ πορευθεὶς εἰς οὐρανόν, *Apoc.* XII. 5. καὶ ἡρπάσθη τὸ τέκνον αὐτῆς πρὸς τὸν θεὸν καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ. Cum quibus & conferri poteſt Pauli illa locutio Emblematica *Hebr.* IX. 11. 12. Χριστὸς δὲ παραγενόμενος ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν &c. εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια αἰωνίαν λύτρωσιν εὑρόμενος. Dum in locis his omnibus omnino cogitare decet de Cœlo, non Aëreo, aut Sidereo, ſed Summo, in quo Deus ſuum conſtituit fixitque thronum, & in quod nos olim ad Chriſtum aſſumemur, & quod Veteris Templi Adyto maximè reſpondebat. Unde & Paulus dixit cum reſpectu ad Cœlos Aëreos & Siderios *Eph.* IV. 10. ipſum *adſcendiſſe* ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, atque iterum *Hebr.* VII. 26. ipſum ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν γενόμενον. Neque eſt heic ulla ratio dubitandi, quin hoc quod dicitur Supremum Cœlum, ob terminationem dualem Hebrææ vocis שמים & amplitudinem ſuam ac excellentiam maximam, quandoque ſub nomine plurali οὐρανῶν veniens, ſit æque Locus Univerſi verus & ſuperior, quam eſt Terra inferior, quæ in hac Chriſti Adſcenſione & in Reditu inde futuro illi opponitur; ſi alias partes orationis inter ſe ſint reſponſuræ decenter, *coll. Eph.* IV. 9. τὸ δὲ ἀνέβη τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς; Uti à Chriſtiano nullo poteſt vel debet heic contra Scripturarum omnium analogiam conſtantem opponi; vel Cœli illius nimia Inſcitia noſtra, quoad ejus conſtitutionem omnem; vel nimis difficilis in illud Adſcenſio, per ejus diſtantiam nimiam & corpora interjecta; vel denique

ejus Emblematica interpretatio qualiscunque non incommoda. Omnia enim ista vincit facile Fides candida & prompta Divinæ Revelationis, qualis nos decet semper.

Quod factum per Visibilium Cœlorum Spatium medium, notata heic Braunii paremenia ad Hebr. VII. 26.

XI. Cum Termino isto Utroque A Quo & ad Quem jungamus & *Medium Spatium*, per quod Ascendens transiit Dominus noster. Et hoc non tacuit Paulus, quando Christum dicit *Hebr.* IV. 14. ἀρχιερέα μέγαν διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς, *Pontificem Magnum, qui cœlos*, seu *penetravit*, secundum *Vulgatum*, seu *transivit* secundum *Bezam* &c. Qui ipse Transitus Cœlorum plane supponitur vel includitur, ubi idem Paulus Christum considerat ut ὑψηλότερον τῶν οὐρανῶν γενόμενον *Hebr.* VII. 26. imo ut ascendentem ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν *Eph.* IV. 10. siquidem superior cœlis fieri, & ascendere super cœlos, non potuit infra eos antea constitutus, nisi illos transeundo & superando uno vel alio loco & modo. Ubi nemo urgere debet, cum Adscensione in Cœlum minus convenire *Cœlorum*, in numero plurali, quin & eorum *omnium*, *transitum*. Siquidem illic intelligi Cœlos, qui dicuntur Visibiles, Aëreum inferius & Sidereum superius, ex collatione phrasium est satis manifestum. Plane uti dicens, Principem aut Regem per Urbem ingredi in Palatium suum, quod & in ejus est ambitu, sponte agnoscar loqui de reliqua Urbe Palatio oppositа; atque uti Pontificem recte dixero olim per Templum quotannis ingressum esse in Sanctum Sanctorum, licet & hoc ad Templi ambitum maximè pertineret. Ad quod Pontificis factum heic alludi, antiqua satis est observatio, ab ipso *Grotio* minime prætermissa, ubi annotavit ad Pauli verba; *Qui per Aërem Ætheremque pervenis ad illam sedem quietis. Sic vox* οὐρανῶν *sumitur infra* VII. 26. *Pontifex Legalis transibat per Atrium & per Basilicam Templi, quorum Atrium mundum elementarem designabat, Basilica Cœlum sydereum.* Ad quem perinde alluſit Apostolus *Hebr.* X. 19. 20. ubi nos impellit ad *intrandum in Sanctuarium in sanguine Jesu, via nobis consecrata recenti & viva* ὁδὸν ἣν κατεπετάσματος, τοῦτέστι, τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, nec non clarius *Hebr.* IX. 24. οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν. Agnovit merito istam heic allusionem & inculcavit latius quoque *Joh. Brau-*

*nius*;

*nius; Apoſtolus hic iterum alludit ad ritus Vet. Teſt. Decimo Die Tiſri Pontifex Maximus &c. Totum Templum dictum fuit Cœlum, cum ejus fuerit pictura. Fuerunt in Templo quaſi plures cœli, veluti Atrium Mulierum, Atrium Virorum Iſraëlitarum, Atrium Sacerdotum, Inter Altare Holocauſti & Propylæum, Locus Sanctus, & tandem Sanctum Sanctorum. Per omnes priores Cœlos decimo die Tiſri Tranſivit in Sanctum Sanctorum Pontifex M. &c. Hoc itaque vult Paulus, quemadmodum Pontifex M. decimo Tiſri ſolenni expiatione facta tranſivit per omnes iſtos cœlos in Templo uſque in Sanctum Sanctorum tanquam cœlum altiſſimum, ubi Deus ſuum habuit ſolium inter Cherubim, ut ibi faceret thymiamata & preces pro populo, ita & Chriſtus, electorum peccatis ſuo ſanguine expiatis, pertranſivit è Terra, tanquam ex atrio ubi ſe obtulerat in cruce,* (omnia Atria antea Cœlis annumeraverat,) *per omnes cœlos uſque in Altiſſimum, ubi verum ſuum habet thronum inter veros Cherubim, nempe inter Angelos omnesque beatos &c.* Sed in iſtis minus acquievit idem *Braunius*, tum *Select. S. Lib. III. Cap.* 4. tum *ad Hebr.* VII. 26. ubi hanc alterius alluſionis dat ſummam; *Ipſa Civitas Hieruſalemitana altis montibus inædificata & Typus Cœli fuit. Mons Moria cui inædificatum fuit Templum altiſſimus. Templum clariſſima fuit pictura Cœli. Ibi, maxime in Sancto Sanctorum Dei* שכינה σκήνωσις, *habitaculum & thronus &c. Dicitur etiam, non in ſingulari, ſed in plurali* οὐρανῶν. *Templum revera plures quaſi cœlos continebat. Primum uti diximus, ipſa Urbs Hieruſalymitana cœlum dicitur, coll. Hebr.* XI. 10. *deinde Templum in genere. In Templo varia fuerunt Atria, Mulierum Iſraëlitarum & Sacerdotum, ipſum* היכל *Palatium, locus Sanctus & Sanctum Sanctorum. Quodlibet Atrium, & quilibet Locus fuit inſtar Cœli. Cœlum etiam Cœlo altius fuit. Altius Atrium Mulierum, quam Atria exteriora,* (quænam illa tandem Templi pluraliter ſic dicta?) *altius Virorum Atrium quam Mulierum, altius Sacerdotum, altior locus Sanctus, omnium altiſſimus Sanctum Sanctorum. Fuerunt itaque tot Cœli. Supra iſtos cœlos omnes* (adeoque & Sanctum Sanctorum,) *elatus fuit Pontifex M. Septem diebus quibus à conſortio hominum ſeparatus fuit, nam Conclave Parbedrorum illis omnibus Altius fuit, nempe ſupra Portam Aquarum, uti jam modo oſtendimus. Ita typice de Pontifice M.*

*Vet.*

*Vet. Teſt. dici poterat, quod Altior factus fuerit cœlis. Id autem in Chriſto Pontifice M. Novi Teſt. ſuum habet complementum. Ille non niſi Civitate Jeruſalem, monte Moria, Atriis Templi, cum quibusdam Conclavibus, Altior factus eſt, & per Septem Dies tantum. Chriſtus autem omnibus hominibus, Angelis, Creaturis quotquot extant, ipſo altiſſimo Cœlo, infinito modo Altior factus eſt, perfectione, dignitatis gloria & majeſtate, &c. Exaltatus eſt ſupra omnes cœlos, per Reſurrectionem, Aſcenſionem, & per Seſſionem ad Dextram Patris &c.* Ita nempe ab Altitudine Locali ad Realem gloriæ fere fit tranſitus, & ad hanc denum poſt Expiationem ſecutam applicantur quæ de Pontificis ad Expiationem præparatione narrant Magiſtri, miſſa ſic applicatione certæ Legis Moſaicæ Paulina. Et hoc totum fit, quo conſtaret Judæorum conſtitutio *Talmudica*, de qua Autor ille; *Hæc iterum non niſi ex Veteribus Judæorum ritibus X Die Tiſri obſervatis circa ſummum Pontificem intelligi poſſunt. Hic enim iſto Die non tantum ſeparatus fuit à peccatoribus, ſed deductus fuit in Conclave Altum Templi, nempe in Conclave Parhedrorum. Codice Joma Cap. I. §. 1. Septem diebus ante Diem Expiationis*, (non ergo *Iſto die*, uti ipſe male ſcripſerat,) *ante diem Expiationis ſeparabant Pontificem M. à domo ſua ad Conclave Parhedrorum. Deinde, quando jurejurando adſtringebatur ut omnes leges pie in Adyto obſervaret, ad aliud etiam Conclave Excelſum Domus Abtines deducebatur, Joma Cap. I. §. 5. Utrumque Conclave fuit Altum, exertis enim verbis dicitur Conclave Superius &c.* Hoc ſcil. eſt ſapere; præ certis ex Divina Lege, & ad rem ipſam aptiſſimis alluſionibus ſubſtituere incertas ex humana determinatione & longe minus aptas! Quibus miſſis, nos certiſſime heic reperimus Spatium Cœlorum Viſibilium omnium, quod tranſiit Aſcendens in Cœlum Supremum Dominus, & ſic Locum Humanitatis ſuæ vere mutaſſe deprehenditur & agnoſci debet.

Et ſimul vehiculo Nubis Chriſtum anferentis.

XII. Quidni, ad idem agnoſcendum, Termino Utrique & Medio Spatio jungamus etiam Medium quod Chriſto in Adſcenſione ſua ſubſerviit? Quorſum ſpectat illud *Lucæ Act.* 1. 9. ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, *ſublatus eſt, & Nubes eum ab oculis eorum ſuſcepit*, apud *Vulgatum*, vel *ſuſceptum abſtulit* apud *Bezam*. Ubi jam nondum

lubet

lubet inquirere in *Nubem* illam, qualis fuerit per omnia; quam utique fuiſſe corpoream & viſibilem, nequit cum ratione ulla dubitari. Hoc autem, quod poſt *Sublationem* Chriſti, abſolute & ſimpliciter præmiſſam, de Nube reſpectu Chriſti adhibetur verbum, ὑπέλαβεν, varie alias ad animum tranſlatum, proprie dicit *Suſceptionem*, ſeu Aſſumptionem intra ſe, ſed per additum illud, *ab oculis eorum*, involvit heic omnino ſuſceptio *Subductionem* ſeu *Abductionem* extra conſpectum priorem. Idem eſſe notavit *Doct. de Dieu*, quod Hebraicum נקל & Græcum ἀνέλαβεν, *coll.* 2 *Reg.* 11. 9. dum *Beza* monuit, *certum eſſe Hebræorum more ex antecedente ſignificari conſequens, ut* ὑπολαμβάνειν *accipitur pro acceptum transferre Matt.* 14. 5. *imo etiam Græcos video interdum exponere* ὑπολαμβάνειν *per* ὑφαρπάζειν *&c.* Illud hinc verbum *ſuſcipiendi*, etiamſi ſequatur *ab oculis eorum*, non debere trahi ad ſolam Occultationem quæ potuerit fieri eodem loco manente Domino, *coll. Luc.* 12. 34. ſed primo & antecedenter ejus dicere Complexum intra ſe, & hinc Abductionem ſecum inſtar vehiculi. Sive Nubes illa ipſa deſcendens aut à latere accedens magis vel minus Viſibiliter, per vim à ſe emiſſam, de ipſa terra tanquam Manſionis Chriſti loco hunc ſuſtulerit quoque, & ipſa Sublatio ab initio ſic ad Nubem ſit referenda; ſive ad ipſum, de terra ſe aliquouſque attollentem inſtar volantis ſine Nubis concurſu, Nubes appropinquaverit paulo altius de terra in aëre, per quam ille tum promotus fuerit ulterius, non ſane ad latus hoc aut illud, ſed magis in altum, quorſum hinc proſpiciebant Diſcipuli. Dum vi Verbi noſtri nequaquam ſatisfaciunt, qui Chriſtum ſine Nubis cooperatione vellent aſcendiſſe forte omni, ſed tantum per Nubem intervenientem non amplius à Diſcipulis fuiſſe viſum. Dumque ab altera parte peſſime adverſus Adſcenſionem in Cœlum Supremum hoc objicitur nonnunquam, quod illuc à Nube terreſtri vel aërea vehi non potuerit. Siquidem, quid heic fieri poſſit aut fieri potuerit Divina virtute extraordinaria, id nos ægre determinemus cum fundamento ſolido; neque hoc dicit *Lucas* factum, ſed tantum Nubem ſuſcepiſſe & abduxiſſe Chriſtum extra conſpectum Diſcipulorum, quando ea in altitudine aëris minore vel majore Dominum facile & ſuto dereli-

quiſſe cenſeri poteſt & debet. Jam ſi Nube avectus fuit à Terra Dominus Cœlum verſus, rurſus liquet ejus in Aſcenſione Tranſlatio Localis.

Et quidem Diſcipulis intuentibus,

XIII. Ultimo adhuc Loco in rem eandem urgemus Conſpectum corporeum Adſcenſionis Dominicæ qui Diſcipulis contigit utique. Secundum illud *Luc. Act.* 1. 9-11. βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη &c. καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν, &c. τί ἑστήκατε ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανὸν &c. ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. Quod ſi Locum inferiorem cum ſuperiori non permutaverit Dominus, ſed vel eodem manſerit loco, in quo diſparuerit uno vel alio modo, certe adſcendentem & abeuntem illum verſus cœlum intueri neutiquam potuere Diſcipuli; quod omnino illis conceſſum fuit, ſive ſine Nube aliquouſque cerneretur ille aſcendere, ſive & Nubem quæ ipſum ſuſceperat promoveri altius cum ipſo incluſo viderent etiam. Nec illud heic prætermittendum videtur, quod eo modo viderint Chriſtum abeuntem in Cœlum Diſcipuli, uti ille in Reditu ſuo videndus erit denuo à ſuis. Quod utique fiet ita per Apparitionem in Nubibus cœli, ut & ad Terram denuo ex cœlo accedat propius, & ſic Humanitatis ſuæ locum mutet tunc æque quam heic egit olim. Quod caput bene à nobis tenendum eſt, ne humanis figmentis qualibuscunque Aſcenſionem Chriſti in Cœlum, ſeu tollamus prorſus, ſeu impropriam valde faciamus, in Chriſtianiſmi opprobrium haud exiguum.

---

## CAPUT TERTIUM.

### *Quo de Tempore & Loco Adſcenſionis Dominicæ diſtinctius agitur.*

Ad Tempus Aſcenſionis Chriſti venitur.

Dum in Geſtis antiquis attendi merito ſolet in eorum Circumſtantias, ut illa plenius agnoſcantur æque quam certius admittantur ab hominibus etiam ſerioribus; id quoque curavit Deus, ut ex Euangelio Tempus & Locus Aſcenſionis Domin., non minus quam Nativitatis & Reſurrectionis ipſius,

ipſius, nobis conſtarent. De quibus duobus poſt rem ipſam hinc poſtulat ordo ut nunc etiam nos aliquid dicamus.

II. Generalius de *Tempore* eſt illud *Marci Cap.* XVI. 19. ὁ μὲν οὖν κύριος μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν. Cum quo conferre oportet illud *Lucæ Cap.* XXIV. 50. 51. καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ εὐλόγησεν αὐτούς, καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν αὐτοὺς, διέστη ἀπ' αὐτῶν. Qui idem etiam habet *Act.* I. 9. καὶ ταῦτα εἰπὼν ἐπήρθη; ubi tamen præmiſerat ante memoratum *Diem* ἀναλήψεως *verſ.* 2. 3. οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα μετὰ τὸ παθεῖν αὐτὸν ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενος αὐτοῖς, καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ &c. Quod à Marco & Luca notatum eſt.

III. Fuit ergo *Dies*, ſeu lapſus, ſeu labens, nam & hoc ipſo Viſus fuit à Diſcipulis, inde à Reſurrectione Chriſti *Quadrageſimus*; Paulo generalius loquente de *Diebus Pluribus*, quibus redivivus ante Aſcenſionem viſus ſit à Diſcipulis *Act.* XIII. 31. De quo Dierum Quadraginta numero aliquid jam antea fuit dictum apud ejus Redivivi Apparitiones in illo factas *Lib. I. Cap.* 7. Adeoque & heic brevius notabimus, non aſcendiſſe Dominum nec reliquiſſe ſuos Diſcipulos ſimul & hanc Terram univerſam uſque in Diem Noviſſimum Reditus Ultimi, niſi cum per ſatis perfectum Dierum numerum ſe vere Redivivum iis demonſtraſſet. Eſt enim ille numerus *Quadragenarius*, cum reſpectu ad totidem ſeu Annos ſeu Dies, frequenter lectus in variis Caſibus, *coll. Gen.* VII. 4. 12. 17. VIII. 6. XXV. 20. XXVI. 34. L. 3. *Exod.* XVI. 35. XXIV. 18. XXXIV. 28. *Num.* XIII. 25. XIV. 34. I *Reg.* XIX. 8. *Ezech.* IV. 6. XXIX. 12. *Jon.* III. 4. *&c.* Sed & præterea reſpectus heic aliquis agnoſci haud incommode poteſt; tum ad totidem Dies, per quos Jejunans & Tentatus in Deſerto latitaverat, cum Munus ſuum publice in his Terris eſſet aggreſſurus, uti nunc porro in cœlo idem peracturus erat, *coll. Matt.* IV. 2. *Marc.* I. 13. *Luc.* IV. 2. *&c.* tum ad eundem fere vel vere numerum Horarum, per quas ipſe Mortuus fuerat & ſic ſuis ſubductus ex hac vita, nempe à Nona ſeu Tertia Pomeridiana Feriæ Sextæ uſque ad Matutinam Feriæ Primæ, qui ſic per totidem Dies Vitæ in Terris à Redivivo actæ feliciter fuerit compenſatus, quali & modo Septuaginta Septimanas Annorum pro Septuaginta Annis Deus olim apud Et conſtituitur per Diem Quadrageſimum à Reſurrectione.

Danielem conſtituerat *Dan.* IX. 24. atque ab altera parte Dies ſecundum Annos numerati leguntur apud Ezechielem *Cap.* IV. 6. *&c.* Si ulterius rogare lubeat de Tempore Diei Quadrageſimi, Nocturno an Diurno, Matutino Meridiano an Veſpertino, de eo nihil reperimus expreſſum in hiſtoria. Hoc tamen certum ſatis eſt, quod de Die aſcenderit Dominus, cæteroquin enim Aſcendens non ita certo & clare à Diſcipulis videri potuiſſet, quam factum eſt & ad rei certitudinem majorem requiſitum fuiſſe videtur. Et licet pro Meridianis vel Veſpertinis Horis Diei poſſent forte conquiri rationes non ineptæ cur eligerentur præ aliis; pro Matutinis tamen potius conjectando ſtare decet, propter Dominicam Eductionem Diſcipulorum ex Jeruſalem in vicinum locum Aſcenſionis, quæ rectius cogitetur facta veniente quam plene lucente Die, & propter idem Tempus in Reſurrectione obſervatum, & propter Progreſſum Chriſti in gloria ſua, qui Soli aſcendenti magis quam deſcendenti reſpondeat. Illud autem Tempus iſtius Diei quando Aſcenſioni Chriſti adſcribimus, ad hanc inchoatam per Separationem de Terra ſpectamus; mittimusque plane indecentiſſimam *ἀεργίαν*, qua ponamus, vel conjiciamus, vel etiam quocunque modo inquiramus de Spatio Aſcenſionis durantis priuſquam in Cœlum Supremum tranſlatus eſſet Dominus. Ubi certe nos ex Motu Naturali Corporum mortalium, in his Terris earumque vicinia proxima, æſtimare neutiquam poſſumus Motum Supernaturalem Corporis immortalis in locis ſublimioribus quorum nec ipſa conſtitutio omnis nobis eouſque perſpecta eſt, & ubi quodcunque dixerimus, id ſemper ad abuſum & cavillationes iniquas trahetur.

Poſtquam Chriſtus ad Diſcipulos eſſet locutus.

IV. Quod porro habet *Marcus*, Chriſtum aſcendiſſe *μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς*, *poſtquam locutus eis*, Diſcipulis ſuis, *fuiſſet*, merito referas, non determinate adeo ad Sermonem Chriſti illic proxime præmiſſum, inde potiſſimum à *verſ.* 15. quam ad Verba omnia redargutionis, conſolationis, monitionis, promiſſionis, & inſtructionis qualiscunque, quæ Chriſtus per quadraginta dies ad eos fecerat, *coll. Act.* I. 3. *&c.* ut adeo Locutio ejus ad Diſcipulos dicat Elocutionem abſolutam & perfectam, ante quam minime ſed poſt quam omnino & recte aſcendit

cendit ille. Illud autem quod habet *Lucas*, καὶ ταῦτα εἰπὼν, *& cum hæc dixiſſet*, vel *his dictis*, id ad ipſum Adſcenſionis tempus, quin & momentum, nos rectius ducit; cum reſpectu ad ſermonem Chriſti Jeroſolymis vel in urbis hujus vicinia tunc habitum *Act.* 1. 4. *&c.* tum ſponte, tum ad Interrogationem Diſcipulorum, quo eos redarguit, & promiſſione magna erexit denuo, & tandem de officio & opere ipſorum monuit. Quod omne ſimul erat neceſſarium ut præcederet non tantum, ſed & ut ab Abeunte fieret, ut ſic altiſſime illud impreſſum Diſcipulis his maneret. Illud tandem, quod apud *Lucam* adhuc legitur, καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν αὐτοὺς, *dum ipſe benediceret eis*, ſive per ritum ſolum Manuum Sublatarum verſus Diſcipulos ſuos, ſive & per Verba, non Collativa, ſed Apprecativa, ſimul addita, generalia & brevia potius quam ſpecialia & longiora; illud inquam arguit Affectum illius, ardentiſſimum in eos, de quo manſuro debebant eſſe perſuaſiſſimi, & ſimul Præparationem eorum ad Aſcenſionem ejus non longius differendam ſed jam tum exſpectandam, ob quam valedicens benedicebat, ne illa inexſpectata eſſet ullo modo aut ipſos indecenter proſterneret cum fieret. Iſta erat prudentia, iſta bonitas, iſta fides Domini in ſuos!

V. Aliquanto plus difficultatis ſe prodit in Loco Aſcenſionis Dominicæ, quæ tamen per decentem piamque induſtriam ſolide ſatis tolli poteſt. De hoc ſcilicet tacent Euangeliſtæ alii, ſed loquitur ſolus *Lucas*; explicite quidem *Cap.* XXIV. 50. ἐξήγαγε δὲ αὐτοὺς ἔξω ἕως εἰς βηθανίαν, ſed & implicite *verſ.* 52. καὶ αὐτοὶ προσκυνήσαντες αὐτὸν ὑπέστρεψαν εἰς ἱερουσαλὴμ μετὰ χαρᾶς μεγάλης, atque *Act.* 1. 12. τότε ὑπέστρεψαν εἰς ἱερουσαλὴμ ἀπὸ ὄρους τοῦ καλουμένου ἐλαιῶνος, ὅ ἐστιν ἐγγὺς ἱερουσαλὴμ, σαββάτου ἔχον ὁδόν. Ex quibus manifeſte ante alia omnia liquet, Chriſtum non aſcendiſſe in Cœlum de Monte Galilæo quem Jeſus illis conſtituerat ad ſolennem ſui conſpectum, procul à Jeruſalem; etiamſi *Matthæus & Marcus* in iſta Chriſti Apparitione finiant Euangelium, quaſi ultima omnium fuiſſet. Quod æque male inde concludas, quam ex proxime heic præmiſſa narratione *Lucæ*, Chriſti Eductionem in Bethaniam & Adſcenſionem immediate ſecutam eſſe poſt

Locus Aſcenſionis Dominicæ à ſolo Luca, ſed cum aliqua apparenti Varietate notatur.

Apparitionem primam Veſpertinam in ipſo Die Reſurrectionis. Quod etiam liquet ex eo quod apud Aſcenſionem non adfuerint niſi Apoſtoli Undecim, nominibus ſuis quoque recenſiti; dum in Monte Galilææ congregatos fuiſſe plus quam Quingentos Fratres, antea ſuo loco ſatis ſolide adſtruximus. *Lib. I. Capite. XIV.* Ut ſatis vix liceat mirari, quo pacto *Beza* potuerit illam *Matthæi* narrationem de Monte Galilææ facere eandem temporis & loci reſpectu, cum ea quam *Lucas in Actis* habet de vicinia Jeroſolymæ. Dum nimis ludicrum eſt, quod ex *Matt.* XXVIII. 16. quidam à longo tempore finxerunt ad Montis Oliveti latus locum, tum *Galilææ* tum & *Canæ* nomen habentem, uti de priori apud *Cotovicum* quoque legimus; *In tertio cacumine montis Oliveti, quod ſeptentrionem ſpectat, & vulgo Galilæa vocatur, turris eſt &c. Galilæam autem dictum aliqui putant, ab hoſpitio quo olim Galilæi Hieroſolymam proficiſcentes divertebant.* Atque uti non tantum *Anonymum* Græcum *de Loc. Hieroſ.* citavit *Cl. Relandus*, ſubjiciens, *oportere aliquem omnium rerum rudem eſſe qui hæc ſibi perſuadeat & aliis perſuadere conetur*; ſed & illa *Perdiccæ Epheſii in Deſcript. Hieroſ.*

Ὄρος μικρὸν ἀνεχηκὼς ἐςὶ ἐλαιῶν &c.
Οὗτερ ἐν μέρει πρὸς βορρᾶν ἐςὶν ἡ γαλιλαῖα,
Ἐν ᾗ δεθέντες ἔβλεψαν οἱ μαθηταὶ τὸν κτίςην.

Poſt quæ addidit; *Hunc collem Galilæam dici, quod hic locus credatur intelligendus, quum poſt reſurrectionem Chriſtus dicitur Diſcipulis ſuis præiturus in Galilæam, vel ut alii, quod Galilæi, qui Chriſtum aſcendentem viderant, hic diu commorati fuerint.*

Qua occaſione de Bethania latius diſſeritur, ejuſque ſitu.

VI. Loci heic à *Luca in Euangelio* memorati nomen eſt *Bethania*, quæ conſtituitur ab ipſo *extra*, ſcilicet urbem *Jeruſalem*, in quam inde, prius à Domino educti, *reverſi* eſſe poſt Adſcenſionem feruntur Apoſtoli. De illo loco, & reliquis quæ huc ſpectant, cum dixerimus non ſine omni ſtudio *EXERC. TEXT. XLI. Part. IV.* licebit nobis heic nunc eſſe brevioribus. Nempe *Bethania*, ſive per *domum afflictionis ejus*, ſive per *domum obedientiæ* vel *humilitatis*, ſive per *domum afflictæ*, quaſi בית עניה uti & apud *Syrum* ſcribitur, ſive per *domum, h.e. locum, dactylorum*, illic copioſe naſcentium, cum *Ligtfoto* reddatur, quaſi foret בית תיני vel בית אתיני plus quam ſemel memoratur in Novo Teſt.

Teſt. *Matt.* xxvi. 6. *Marc.* xiv. 3. *Joh.* xi. 1. xii. 1. etiam nonnunquam cum *Bethphage* junctа *Marc.* xi. 1. *Luc.* xix. 12. Deſcribitur quin & illa illic ita, ut *in* eam *extra urbem* Jeruſalem *exiverit* antea Jeſus ubi ηὐλίσθη *Matt.* xxi. 17. etiam *cum duodecim* poſtero die inde iterum regrediens in urbem *verſ.* 18. *Marc.* xi. 11. 12. quin & ut πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν *Marc.* xi. 1. & alias urbi tam *propinqua* ut tamen *quindecim ſtadiis* inde circiter diſtaret *Joh.* xi. 18. unde potuit in via media eſurire & ficus quærere Dominus. Nec erat illic tantum *domus Simonis Leproſi*, in qua tam laute exceptus & tam ſplendide unctus fuerat Dominus *Matt.* xxvi. 6. & *Marc.* xiv. 3. ſed etiam ab illa denominatur Lazarus à Chriſto ex morte ſuſcitatus *Joh.* xi. 1. ἦν δέ τις ἀσθενῶν λάζαρος ἀπὸ βηθανίας, ἐκ τῆς κώμης μαρίας καὶ μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς. Unde eſt illud quod legitur apud *Hieronymum de Loc. Hebr. Bethania villula in ſecundo ab Ælia miliario in latere montis Oliveti, ubi Salvator noſter Lazarum ſuſcitavit, cujus monumentum Eccleſia nunc ibidem exſtructa demonſtrat.* Ad quem locum *Bonfrerius* ſcripſit, de diſtantia Bethaniæ hujus ab Urbe, *Johanni hic congruere Hieronymum, ſtadia enim ſexdecim duo miliaria efficere.* Addens tum porro; *Eſſe & alium locum trans Jordanem Bethania dictum; ubi Joannes Baptiſta baptizabat Joh.* i. 28. (in Verſione ſc. *Vulgati*), *ſi tamen mendo locus caret, multis enim ſubolet mendum irrepſiſſe, & pro Bethania legendum eſſe Bethabara. Ita enim fere recentiores omnes, ita antiqui non pauci legerunt aut legendum eſſe putarunt, Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Epiphanius, neque dubito idem ſenſiſſe Hieronymum Lib. hoc de Loc. Hebr. &c.* Quod & judicium *Suidæ* fuiſſe deprehenditur; Βηθανία πόλις παλαιστίνης, περὶ ἧς λέγει εὐαγγελιστὴς ἰωάννης ὅτι ταῦτα ἐν βηθανίᾳ ἐγένετο, ὅπερ ἐσφαλμένως γέγραπται, ἡ μὲν βηθανία ἔνθεν ἐστὶ τοῦ ἰορδάνου, ἡ δὲ βηθάβαρα ὅπου ἦν ὁ ἰωάννης βαπτίζων, πέραν ἐστὶ ἰορδάνου, γραπτέον οὖν ἐρθῶς, ὅτι ταῦτα ἐν βηθαβαρᾷ ἐγένετο, ἀλλ' οὐκ ἐν βηθανίᾳ. Enim vero, cum illud *Lucæ* noſtri de Diſcipulis à Domino noſtro *eductis* ἔξω ἕως εἰς βηθανίαν, unde ipſi *in Jeruſalem* poſt Aſcenſionem *reverſi ſunt*, arguat manifeſte locum hunc vicinum ſatis, non tamen nimis, fuiſſe, dum non verſus Bethaniam modo ſed & *uſque in eam*, ſive excluſam, ſive & verius incluſam, ducti feruntur; non eſt heic ulla etiam veriſimilis ratio cogitandi de

alia

alia Bethania quam quæ alias in Euangeliis memoratur. Ut hactenus recte ſcripſerit *Cl. Relandus*; *non videri probabile duo loca ejuſdem nominis eidem mari adſita & tam vicina fuiſſe, nec ulla nota diſcriminis uſquam à ſcriptoribus ſacris diſtincta. Eſt ergo una Bethania ad partem Orientalem montis oliviferi ſita &c. ſi duplex fuiſſet Bethania altera V. altera XV. ſtadiis disjuncta, ab Hieroſolymis utraque verſus ortum, ſine dubio Lucas adſcripſiſſet* de *qua Bethania intelligi vellet.* Quando amplius adhuc monet idem; *Procopium Gazæum ad Gen. XIV. 5. ſcribere, Saba eſſe oppidum B. Job ſupra Bethaniam ſitum, & eſſe alios duos vicos iſto nomine inter Adaram & Biblupolim, alterum ab altero diſtare miliaria XIV.* Subjiciens tum; *Hæc corrupta ſunt, nec facile reſtituiſſem, niſi incidiſſem in locum Euſebiii in Onomaſtico, unde hæc petita ſunt. Emenda itaque & lege pro Biblupolim Abilam Polin, pro Bethaniam Bataneam, & pro XIV. Novem.* Interim licet agnoſcatur Una tantum Bethania in Hieroſolymæ vicinia, nequaquam obſtat, quo minus illud nomen nos quandoque ducat ad ipſum illum Vicum, quandoque ad Vici illius Territorium ſeu Tractum & ad jurisdictionem ejus ſpectantem, ſive hæc à Vico, ſive Vicus ab hac forte fuerit denominatus. In qualia cogitata nos dudum duxit *Beza* noſter, ſcribens, dubia heic commode conciliari poſſe, *ſi Bethaniam dicam totum aliquem hujus montis tractum fuiſſe, non autem certum aliquem vicum. Johannem autem conſtat de Lazari domo agere, qui ſit in illo tractu &c. Bethaniam vero non fuiſſe certum quempiam vicum, poteſt aliquo modo liquere ex eo, quod Joh.* XI. 1. *cum dixiſſet Euangeliſta Lazarum fuiſſe Bethanienenſem addit,* ἐκ κώμης, *ex vico Mariæ & Marthæ, quaſi hunc vicum ab aliis in eodem Bethaniæ tractu ſitis diſtinguens. Sed multo magis iſtud inde conſtat, quod hiſtoria ipſa oſtendit, Chriſtum, non ex aliquo loco unde incolas multos ſive alios teſtes ſuæ Aſcenſionis haberet, in cœlum aſcendere voluiſſe, ſed ſolos Diſcipulos in aliquam montis oliveti partem aſciviſſe, iſtius à nobis quod ad humanam naturam attinet ad ultimum uſque diem demigrationis teſtes futuros.* Quin & inter alios *Grotius*; ἕως εἰς Βηθανίαν, *ad eam Bethaniæ partem, quæ in monte erat oliveti &c.* Quod tamen impugnavit *Cel. de Dieu*, nec in omnibus partibus infeliciter, uti in eo, quod ex *Joh.* XI. 1. non liquere vult theſin *Bezæ*, ſed potius

*Vi-*

*Vicum Mariæ & Marthæ Bethaniam iſthic dici rem & conſtructionem evincere.* Et cui latius etiam ſe oppoſuit *Doct. Ligfootus*, adducto triplici argumento. 1. *Sacris Scripturis inuſitatum omnino & incompertum eſt, agri fundum eadem appellatione cum ipſa Urbe ſive Pago donari. E. Gr. ſi quævis oppida recenſeremus, quæ in initio nominum Beth habent, ſcilicet Bethlehem &c. palam eſſet nil aliud per iſta nomina ſignari quam ipſa Oppida. Et quare itaque de Bethania unice ſingulare quid ſupponi neceſſe ſit?* 2. *Ubicunque ſparſim in Euangelio Bethaniæ alibi fit mentio, procul omni dubio nudum Oppidum indicatur &c.* 3. *Credibile eſt, villam Bethphagen inter Hieroſolyma & Bethaniam ſitam fuiſſe, ſaltem oblique tantum & è tramite publico vix deviam, quod è Chriſto Hieroſolymis adequitante fuſius liquet &c. Id ſi ita ſit, impedit quo minus Bethaniæ nomen agris verſus Hieroſolymas adeo late ſe extendentibus retineretur &c.* Quod omne eſt prorſus infirmum; ubi Nomina ipſa Urbium ad Tractus adjacentes & ſubjectos in ipſa Scriptura extendi deprehenduntur, *coll. Jeſ.* v. 13. x. 10. *Luc.* ix. 31. *&c.* ubi & in uno loco ratio eſſe poteſt major quam in aliis pluribus, cur nomen Oppidi & Vici ad terræ tractum referatur; atque ubi protenſio Tractus Bethaniæ notabilis aliqua verſus Urbem Jeruſalem nullatenus evertitur per Bethphagam forte in via recta aut obliqua ſitam inter vicum Bethaniæ & Urbem. Ego autem candide profiteri non dubito, quod longe magis mihi fiat veriſimile, Jeſum educentem Diſcipulos foras ex Urbe Jeruſalem, ad hunc finem ut ipſis ſolum præſentibus & clare intuentibus in cœlum aſcenderet, non iviſſe in alium aliquem Vicum, ubi plures quoque forent homines, & conſpectus Aſcenſionis impeditior, ſed longe potius in Terram undique patentem verſus cœlum, & ſimul magis ſolitariam, quæ ad Vicum illum pertinebat, atque ab hoc nomen gerebat, vel cæteroquin huic dabat.

VII. Alio autem modo loquentem reperimus *Lucam in Actis*, poſtquam dixerat antea Chriſtum συναυλιζόμενον, vel συναλιζόμενον. Illic enim de Eductione Diſcipulorum & de Bethania plane tacens, poſt Domini Aſcenſionem, ipſorumque attentum in Cœlum Proſpectum, & Salutarem per Angelos Inſtructionem, narrat; *tunc* Diſcipulos Undecim *reverſos eſſe*

Nec non de Monte Oliveti, hujuſque Diſtantia ab Urbe Jeruſalem.

εἰς ἱερυσαλὴμ ἀπὸ ὄρυς τ καλυμένυ ἐλαιῶν, *in Jeruſalem à Monte dicto Oliveto, qui eſt prope Jeruſalem, habente Sabbati iter*, non in ſuo ſed in medio ſpatio, ſeu tantundem diſtante ab hac Urbe. Et hæc narrationis ſacræ pars à nobis olim latius expoſita videri poteſt *EXERC. TEXT. XLI. Parte IV.* Ubi nequaquam eſt, ut de *Monte Oliveti*, vel *Oliveto, dicto, Elæone* apud *Tertullianum Lib. IV. c. Marc. Cap.* 39. eoque *qui prope Jeruſalem erat*, ſeu in proxima ejus vicinia, multa dicamus, tanquam noto ſatis ex Euangeliis *Matt.* XXI. 1. XXIV. 3. XXVI. 38. *Luc.* XIX. 29. 37. XXI. 37. XXII. 39. *Joh.* VIII. 1. *&c. coll. Zach.* XIV. 4. Fuit ſcilicet Mons ille ſatis ſublimis, qui Urbi adeoque & Templo, κατέναντι τ ἱερ *Marc.* XIII. 3. ad orientem ultra Torrentem Kedron adjacebat, & nomen hoc habuit tanquam præ aliis Olivifer, unde & huc reſpicit מעלה הזיתים 2 *Sam.* XV. 30. & in *Talmude* dictus idem הר המשחה / *mons Unctionis*, vel *Olei*, æque quam הזיתים *Olivarum.* Alias eundem vocatum quoque fuiſſe obſervant *montem qui* על פני / *ante Jeruſalem* 1 *Reg.* XI. 7. & *montem qui ab oriente Urbi Ezech.* XI. 23. quin & *montem* המשחית / *corrumpentis*, ſeu *corrumpentem*, propter idololatriam hic exercitam, per ſoni forte alluſionem ad המשחה / 2 *Reg.* XXIII. 13. dum apud *Joſephum* nomen commune ab Olivis habet. Qui idem ſcriptor *Antiq. Lib. IX. Cap.* 11. uti & ex eo *Euſebius Dem. Euang. Lib. VI. Cap.* 18. narrat, regnante & graviter peccante Ozia, per terræ motum σὺν τῇ καλυμένῃ ἐρωγῇ τ ὄρυς ἀποῤῥαγῆναι τὸ ἥμισυ τ χῆ ἅ δυσμὴν καὶ κυλισθὲν τέσσαρας σαδίυς ἐπὶ τὸ ἀνατολικὸν ὄρ σῆναι, ὡς τάς τε παρόδυς ἐμφραγῆναι τ τὺς βασιλικύς. Ubi noſter *de Dieu ad Pſal.* XXIX. 6. conjicit pro ἐρωγῇ legendum ερωγῇ, ac ſi eſſet à שער הגיא *porta vallis*; at *Sam. Petitus*, ἐῤῥαγῇ ab Hebraico גיא הרי *valle montium* tranſpoſito, atque alii Græcum ῥωγῇ, quod *Heſychio* ſit ῥῆξις, ἀποῤῥαγὴ, ἀπόῤῥηξις. Notavit quin etiam ex *Quaresmio* heic *Doct. Relandus*, Montem hunc, etiam *in Veteri Editione Act.* 1. 12. olim dictum fuiſſe *Trium Luminum*, ob illuminationem ejus ab occidentali parte per Altaris Ignem Jugem, ab orientali per primos radios Solis, & fomentum Luminis per copiam Olearum; dum ipſe potius credit montem fuiſſe appellatum *Trium Culminum*, Medii à quo aſcenderit Soſpitator, Secundi ad Auſtrum ab Ido-

Idolis nomen Offenſionis nacti, Tertii ad Septentrionem omnium altiſſimi, qui & *Galilææ* nomen habuerit, ſive à Galilæis Diſcipulis ſive aliunde. Plura etiam ille ex Terræ Sanctæ Deſcriptoribus, de Montis hujus Altitudine varia & Conſtitutione reliqua habet, quæ apud ipſum videri poſſunt. Dum *Lucas* nil aliud de eo heic ſcribit, quam quod ad ſcopum ipſius faciebat, ipſum ita communiter fuiſſe *prope Jeruſalem*, ut determinate ab hac *diſtaret Sabbati Itinere*, ſeu *via*, ſimplici verbo ἴχον poſito pro Compoſito ἀπέχον, quod cum alio Caſu in deſcriptione Emmauntis legitur *Luc.* XXIV. 19. notante etiam *Beza*. De *Sabbati* autem *Itinere*, pro quo *quaſi ſeptem ſtadia* ſubſtituit *Syrus*, hoc ex antea *loc. cit.* dictis ſupponimus, per illud notari tantum non temporis ſed loci ſpatium, quantum Die Septimo Sabbatico abſolvere eundo Judæis ſolitum non modo ſed & licitum erat, non quidem ſecundum expreſſam Legem Divinam quæ de eo tacet, ſed ſecundum Humanam conſtitutionem. Quæ heic habet Duo Millia, ſive Paſſuum, ſive Cubitorum, ſive Ulnarum, ſive Pedum, ſecundum variam, vel opinionem, vel phraſin Scriptorum, dum bis Mille Cubitis vel Mille Paſſibus ſtandum maxime eſſe videtur; qui ad Stadia rurſus referuntur, ſeu Quinque majora, ſeu Sex vel Septem vel Octo fere minora, monſtrante etiam *Cl. Relando*, quod *Joſepho* heic cum *Luca* bene conveniat, propter exiguitatem ſpatii reſpectu totius Montis, & initium montis variè conſtitutum, quin & à diverſis locis ductum. Et quæ quibus fundamentis ſit facta, non eſt ut heic repetamus prolixius; nedum ut pro Conſtitutione hac tanquam minus vel magis laudabili, & minus vel magis neceſſario obſervanda, iterum dicamus. Dum hoc ſufficit, quod determinatio hujus ſpatii apud Judæos fuerit notiſſima, atque hinc recte nominata; etiamſi quoque non eſſet Sabbatum cum Chriſtus aſcenderet, quod hinc conjicere fere ſed temere voluit dudum ipſe *Chryſoſtomus*. Hoc amplius teneri omnino debet, quod Iter illud Sabbati non ſit metiendum, vel à Domo in qua hæſerant illic Diſcipuli, vel ab Urbe media & interiori, ſed ab Urbis Extremitate potius orientali; quodque perinde illud non ſit protendendum ab altera parte, vel ad Montis Extremitatem orientalem, vel ad Medium longitudinis ejus, vel ad Altitudinem valde notabilem,

ſed ad ejus Radices primas, ubi ex planitie potius quam ex depreſſiori valle aſcenſus erat ab occidentali ejus parte verſus urbem, uti in diſtantiæ menſuratione ſolet ad iſta hinc & inde extrema ſpectari. Dum autem ab hoc tam propinquo urbi Monte poſt Aſcenſionem *rediiſſe* Diſcipuli in Urbem feruntur, non eſt ratio cur ἀπὸ ὄρους *à monte* velimus poſitum pro *à parte montis* iſtius, vel *per montem* iſtum; ſed rectius Terminus Itionis à quo ſignificatur, non determinato ſic tamen Montis iſtius puncto hoc vel illo. Unde tum colligitur, Aſcenſionem Chriſti in illo Monte prorſus eſſe factam, cæteroquin Reditus illius Terminus à quo longior vel alius potius fuiſſet deſignatus à Luca; inprimis cum Reverſio illa connectitur arctiſſime cum Statione Intuentium in cœlum ad Chriſtum aſcendentem & inſecutam Angelorum monitionem, quod bene notandum putamus.

Tollitur que difficultas, ex nominato hoc loco duplici apud Lucam orta.

VIII. Nunc autem vide difficultatem illam magnam, quomodo concilientur iſta ejuſdem *Lucæ*; *in Actis*, de Itinere tantum Sabbati, ſeu ſpatio quinque vel ſeptem vel octo ſtadiorum, interjecto inter oliveti montem in quo Chriſtum aſcendentem viderint Diſcipuli; & *in Euangelio*, ubi *Bethaniæ* mentio fit tanquam Loci Aſcenſionis, unde cum gaudio in Jeruſalem redierint hinc illi, quæ Bethania quindecim ſtadiorum longe majori ſpatio adeoque ad duplex vel triplex iter Sabbaticum ab Urbe abfuiſſe dicitur *Joh.* XI. 18. ἦν δὲ ἡ Βηθανία ἐγγὺς τῶν Ἱεροσολύμων ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε. Ad quam tollendam ſufficere poſſunt ipſa illa quæ jam diximus in exegeſi; quod nempe *Bethania*, cujus Vicum principalem ſpectavit in illa à ſe notata diſtantia *Johannes*, heic apud *Lucam* ſit capienda de ejus Territorio latius verſus Urbem protenſo per montem Oliveti, ſub eo ex parte comprehenſum ſi non totum; quodque diſtantiam Montis ab Urbe deſignans *Lucas* idem, nihil dixerit de ea parte Montis à qua Chriſtus aſcendit, ſed de ejuſdem Extremitate occidentali verſus Urbem, uti ego dicens diſtare ab Urbe noſtra prædiolum meum tot paſſus, neutiquam nego majorem diſtantiam domus meæ in urbe ab eo, quam ab illa ad hoc eundo abſolvere tamen debeo. Quæ conciliatio eſt facillima, & tanto magis admittenda, quod utraque narratio heic ſit per Spiritum facta ab

Uno

Uno eodemque Scriptore. Alia plura tamen cogitari posse non nego in eandem rem; v. g. in Bethaniæ Vicum progressum Dominum cum suis, ob unam vel alteram rationem incertam inde potuisse regredi ad viæ medium Olivetanum priusquam ascenderet, uti sic διὰ τῆς βηθανίας ἐπὶ τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν est apud *Nicephorum Lib. I. Cap.* 36. vel & ultra Montem ab Urbe potuisse forte ascendere Dominum, & deinde tum in Montem primum tum & porrò de Monte reverti Discipulos in Jerusalem. Quorum alterutrum dici posse puto commodius, quam ut cum aliis, vel *Iter Sabbati* apud *Lucam* ad Quindecim Stadia quoquo modo prolongemus temere, vel *Stadia Quindecim* apud *Johannem* longe minora faciamus non minori temeritate, quæ tamen ipsi placuit *Grotio*, secundum *leucas alibi majores, alibi minores.*

IX. Uti porro Deus ipsum Punctum Loci Ascensionis, æque quam Temporis Diei, nos voluit latere, ne superstitionis ulla heic occasio aut periculum majus esset; ita Bethaniensis ille tractus simul & montis Oliveti aptissime ad Ascensionem suam à Domino fuit electus, tanquam altitudine notabili & conspicuitate sua aptior, æque quam liberior sibi & Discipulis extra Jerusalem. Notum præterea est, quam frequenter illic versatus fuerat Dominus in Vita sua priori, *coll. Luc.* XXII. 39. *Joh.* VIII. 1. *&c.* quin & circa exitum ex ea *Matt.* XXIV. 3. XXVI. 38. *&c.* quam festive inde in Urbem fuisset paulo ante introductus *Matt.* XXI. 1. *Luc.* XIX. 37. *&c.* quamque graviter heic luctatus deinde etiam fuisset in Gethsemane *Matt.* XXVI. 36. *&c.* quæ omnes considerationes poterant suadere, ut hinc quoque in Cœlum nunc adscenderet. Si etiam locum hunc Ascensionis velis statuere boni ominis, non jam ipsius illuc fere ad Judicium olim redituri adeo, quam Olei cœlestis Spiritus post Ascensionem effundendi in suos, & Exaltationis ipsorum lætæ de vallibus Mortis & Inferni profundis, & mundi inquinamentis ac depressionibus omnibus, per ipsius ascendentis virtutem; nulli nos obloquemur, piis ejusmodi meditationibus lubenter & ipsi indulgentes. Dum de Loco hoc Ascensionis *Zach.* XIV. 4. 5. prædicto vel non, postea erit aptior dicendi locus.

Ex illo loco quam apte ascenderis Dominus, monstratur breviter.

## CAPUT QUARTUM.

### *Quo Traditio Vetus, de relictis à Chriſto Aſcendente Veſtigiis Pedum in Monte Oliveti, ad examen juſtum vocatur.*

De Veſtigiis Pedum Aſcendentis Chriſti Monti impreſſis, Traditio ex Baronio exhibetur.

AN non autem Locum, inquies, ſeu Punctum determinatum Montis hujus voluit nobis eſſe perſpectiſſimum Dominus, à quo ipſe in Cœlum aſcendit, per impreſſa abeuntis Pedum Veſtigia? Hoc ſcilicet eſt, quod plus quam uno loco inculcavit cum aliis *Cæſar Baronius*. Sic enim ille habet *ad A. Chr. XXXIV.* 232. 233 334. *Egregium plane monumentum ſuæ ad cœlos Aſcenſionis Dominus Redemptor noſter non modo ſuis Apoſtolis ſed poſteris quoque ſpectandum reliquit, nimirum ſuorum ſacrorum pedum terræ impreſſa veſtigia. De his olim Zacharias Propheta intellexiſſe videtur &c. Quod vero ad impreſſa Veſtigia Domini pertinet, hæc apud Hieronymum dè Loc. Hebr. Act. Apoſt. &c. Hæc ibi Autor, quæ etſi ſatis teſtata ſint, tamen quoniam in ore duorum aut trium ſtat omne verbum, haud gravabimur hic item intexere quæ alii antiqui Patres de eadem re ſcripſere. Ad ea enim alluſiſſe videtur Optatus Milevitanus contra Parm. Lib. VI. qui cum meminit de Eccleſia Orientali, inter alia, ibi, inquit, ejus ſancta ſunt impreſſa veſtigia. S. Paulinus Nolanus Epiſcopus ad Severum ſcribens Epiſt. XI. eadem fuſius teſtatur his verbis &c. Hactenus Paulinus, quæ accepit à Melania illuſtriſſima ac ſpectatiſſima fœmina, cum Hieroſolymis illa Romam rediens, apud eum Nolam venire divertiſſet. Rurſus & Sulpicius Severus Hiſt. Lib. II. in hæc verba &c. Auget ſane miraculum, quod cum in eodem loco, ut ſuperius Joſepho auctore monſtravimus, Romanus exercitus ſub Tito caſtramentatus eſt, Hieroſolymam obſeſſurus, non tantum ut in talibus accidere conſuevit loco terræ totius percalcato, impreſſa non potuiſſent remanere veſtigia, ſed nec ſi celte lapidi fuiſſent inſculpta, eadem aliqua ex parte integra apparuiſſent. Porro hujusmodi miracula edita in monte oliveti in loco Aſcenſionis Domini non tantum auctorum tempore cunctis perſpicua permanebant, ſed poſt ſeptingentos fere annos eo-*

*dem*

*dem ſtatu perſeveraſſe, Beda de Loc. S. Cap. VII. dum de his agit verbis ſignificat &c. Porro Lapidem illum, qui Domini continebat impreſſa veſtigia, Chriſtianæ fidei hoſtium invidia inde ſublatum, in porta orientali ejus Eccleſiæ clauſa poſitum eſſe, recentiores, qui eadem loca ſancta deſcripſerunt, teſtati ſunt.* Atque iterum *ad An. Chr. 326. §. 40. Hieronymus in primis, Paulinus, atque Severus, tradunt, in loco illo montis Oliveti, ubi Dominus videntibus diſcipulis elevatus aſcendit in cœlum, impreſſa remanſiſſe veſtigia cunctis perſpicua, eademque Divino Miraculo indelebilia facta eſſe, locumque illum abſque pavimento relictum, quod ſolum ipſum excuteret quicquid ad ornatum loci deſuper poneretur, inſuper & qua recta linea cœlum aſpicitur partem aëris qua Dominus tranſiit concamerari minime fornice potuiſſe, ſed ſic patentem eſſe relictam, indicem ſemitæ Domini aſcendentis in cœlum, de qua Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus Cat. XIV. ſtat, inquit, ad hodiernam uſque diem mons olivarum, qui aſcendentem in nube oculis fidelium modo commonſtrat, & portam qua aſcendit in cœlum indicat.*

II. Sic eſt, apud *Hieronymum de Loc. Hebr. Act.* legitur; *Mons Oliveti, ad orientem Hieroſolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima veſtigia Domini humo impreſſa hodieque monſtrantur. Cumque terra eadem quotidie à Credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuo recipiunt. Denique cum Eccleſia in cujus medio ſunt rotundo ſchemate & pulcherrimo opere conderetur, ſummum tamen cacumen, ut perhibent, propter Dominici Corporis meatum, nullo modo contegi & concamerari potuit, ſed tranſitus ejus à terra ad cœlum uſque patet apertum.* Quem etiam *libellum eruditum nec indignum Hieronymo* dixit *Eraſmus.* Atque apud *Optatum*, ubi *Orientalium* erat facta mentio *Cap. 3.* ſubjicitur; *Ubi ſecundum hominem ſuum natus eſt Chriſtus, ubi ejus ſancta ſunt impreſſa veſtigia, ubi ambulaverant adorandi pedes, ubi ab ipſo Filio Dei factæ ſunt tot & tantæ virtutes, ubi eum ſunt tot Apoſtoli comitati, ubi eſt ſeptiformis Eccleſia, à qua vos conciſos eſſe non ſolum non doletis, ſed quodam modo gratulamini.* Porro apud *Paulinum Epiſt. XXXI.* latius; *Helena Conſtantinum rogavit, ut ſibi facultatem daret cuncta illic loca Dominicis impreſſa veſtigiis, & Divinorum erga nos operum ſignata monumentis, de-*

Veterum loca in eam rem adduci ſolita, conferuntur etiam.

*deſtructis Templis & Idolis ab omni prophanæ impietatis contagio, & religioni ſuæ reddere, ut Eccleſia tandem in terra originis ſuæ celebraretur. Itaque prompto Filii Imperatoris aſſenſu Mater Auguſta patefactis ad opera ſancta theſauris, tota abuſa fiſco eſt, quantoque ſumtu atque cultu Regina poterat & Religio ſuadebat, ædificatis Baſilicis contexit omnes & excoluit locos, in quibus ſalutaria nobis myſteria pietatis ſuæ, Incarnationis & Paſſionis & Reſurrectionis atque Aſcenſionis Sacramentis Dominus Redemptor impleverat. Mirum vero inter hæc, quod in Baſilica Aſcenſionis locus ille tantum, de quo in nube ſuſceptus aſcendit, captivam in ſua carne ducens captivitatem noſtram, ita ſacratus divinis veſtigiis dicitur, ut nunquam tegi marmore, aut paviri* (in aliis *pavimentari,*) *receperit, ſemper excuſſis ſolo reſpuente quæ manus adornandi ſtudio tentavit apponere. Itaque in toto Baſilicæ ſpatio ſolus in ſui ceſpitis ſpecie virens permanet, & impreſſam Divinorum Pedum venerationem calcati Deo pulveris perſpicua ſimul & attigua venerantibus arena conſervat, ut vere dici poſſit, adoravimus ubi ſteterunt pedes ejus.* Cujus etiam alter locus conferri poteſt *ex Libr. V. de Vita Mart.* quem vide editum ex *Pithæano Codice à Franc. Jureto Bibl. Patr. Tom. VIII. ſed non poſſe eſſe* hujus *Paulini* monet *Bellarminus*;

*Aut hinc jam reducis gaviſa ad Sydera Chriſti*
*Poſtrema excepit felix veſtigia tellus;*
*Quæ tam ſanctifici conſervans munera tactus*
*Quicquid ad ornatum commentum dextra paravit,*
*Dedignata ſuis longe diſcuſſit arenis*
*Diſrumpens fragilem tranſuſo pulvere cratem,*
*Extenti diſſolvens ſepta metalli.*

Dum in omnium manibus verſatur illud *Sulpicii Severi Lib. II. Nam Helena mater Principis Conſtantini, quæ Auguſta cum Filio conregnabat, cum Hieroſolymam agnoſcere concupiſceret, reperta ibi idola ac templa protrivit, mox uſa regni viribus, Baſilicam in loco Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis & Aſcenſionis conſtituit. Illud mirum, quod locus ille, in quo poſtremum inſtiterant Divina veſtigia, cum in cœlum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pavimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit. Siquidem quæcunque applicabantur inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, excuſſis in ora apponentium ſæpe marmoribus.*

*ribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur. Et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat, & eadem adhuc sui speciem velut impressis signata vestigiis terra custodit.* Neque negari potest apud *Cyrillum Hieros. Catech.* XIV. legi; Ἔστηκε μέχρι σήμερον ὁ ἐλαιὼν, τὸ ἐπὶ νεφέλης ἀναβάντα τοῖς τῶν πιστῶν ὀφθαλμοῖς μονονουχὶ δεικνύων μέχρι σήμερον, καὶ τὸν οὐρανίου τῆς ἀνόδου πύλην &c. ἐκ δὲ τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν εἰς οὐρανοὺς ἀνελήλυθεν &c. ἔχεις καὶ τὸν ἐξ ἀνατολῆς ἡμῶν τόπον τῆς ἀναβάσεως &c. Quin & amplius apud *Augustinum Tract.* XLVII. *in Joh.* reperiri; *Ipse Dominus ibi* (apud populum Israël) *fuit, ibi Matrem elegit, ibi concipi, nasci, ibi sanguinem fundere voluit, ibi sunt vestigia ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde ascendit ad cœlum &c.* Cum quibus & conferri merito videatur id quod est apud *Eusebium Lib. III. de Vita Const. Cap.* 42. de Helena Constantini matre, quod ἧκε σπεύδουσα νεανικῶς ἡ πρέσβυς, ὑπερβαλλούσῃ φρονήσει τὸν ἀξιάγαστον ἀνιστορήσουσα γῆν, &c. ὡς δὲ τοῖς βήμασι τοῖς σωτηρίοις τὸν πρέπουσαν ἀπεδίδου προσκύνησιν, ἀκολούθως προφητικῷ λόγῳ φάντι, προσκυνήσωμεν εἰς τὸν τόπον ὅπου ἔστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ, τῆς οἰκείας εὐσεβείας καρπὸν καὶ τοῖς μετέπειτα παραχρῆμα κατελίμπανεν.

III. Sed nihil tale, seu de ipsis Pedum Vestigiis Monti Oliveti impressis ab Ascendente Domino, seu de Circumstantiis rei ullis, est in Scriptura Euangelica & Apostolica; quæ rem tam notabilem neutiquam prætermissura fuisse videatur merito, & extra quam si sit prorsus, non debet nec potest illa fide Divina à nobis teneri, habenda tantum pro humana traditione, magis vel minus certa. Si dixeris, habere nos Vaticinia Prophetica, quæ cum in eventu non fallant, rem gestam docere queant per sui inspirationem Divinam; dicemus nos, contra *Baronium* & alios, quod talia Vaticinia nusquam reperiamus. Quod enim ille habet ex *Zach.* XIV. 4. *stabunt pedes ejus in die illa supra Montem Olivarum qui est contra Hierusalem ad orientem*; nihil plane in se habet de Ascensione Dominica in Cœlum ab illo Monte, nedum de impressis illi monti Pedum ejus Vestigiis, sed unice exhibet Deum se in monte illo tam potenter demonstraturum præsentem, ut

Fundamento omni Scripturario Traditionem eam destituram esse monstratur.

ille *ſcindatur de medio ſui ad orientem & ad mare, valle magna valde, & dimidium montis recedat ad ſeptentrionem & dimidium ejus ad meridiem.* Quod quam varie capiatur ab Interpretibus, expoſuimus dudum *in Commentario noſtro*; hoc optimum eſſe exiſtimantes, ut dicat, terram & politiam illuſtrem Judæorum incredulorum, quæ erat circum Jeruſalem metropolin, ad hujus ornatum munitionem & ſuſtentationem, quæque ſimul exitum credentium ex umbratica & ſerviente civitate atque Gentium acceſſum ad civitatem Dei veram impediebat, lumen gratiæ Divinæ ſalutaris cohibebat, atque aquarum earundem excurſum ampliorem ſiſtebat, Jehovæ ira premente fore perdendam in Eccleſiæ Chriſtianæ uſus magnos. Et quod alii ſpectant ex *Pſal.* CXXXII. 7. *adoremus in loco ubi ſteterunt pedes ejus*; id à LXX. & *Vulgato* poſitum pro והחרם רגליו / ſecundum hunc originalem textum nihil quoque habet de Pedum ſtatione vel Impreſſione in Montem dum aſcenderet Dominus, ſed referendum omnino eſt ad Adorationem Dei apud Veterem Arcam, ſecundum ea quæ de textu illo à nobis dicta ſunt *EXERC. TEXT. XII. Parte VI.*

Silentium de his Veſtigiis Chriſti Aſcendentis per Tria Secula Prima & Quarti partem primam additur.

IV. Quod amplius eſt, nulli heic prodeunt per Secula Tria prima Chriſtianiſmi Scriptores humani, qui aliquid vel minimum de illis Pedum Adſcendentis Chriſti Veſtigiis habent; qui ſi ulli eſſent, utique nominati à *Baronio* & aliis forent. Et hoc caret omni ſpecie veri, quod res tam notabilis & mirabilis ad & ultra ſecula tria, ſeu latuiſſet, ſeu memorata nunquam fuiſſet à quoquam in rem Chriſtianam. Et qui de Seculi Quarti Parte priori in quam incidunt geſta Helenæ & Conſtantini adducuntur, hi ipſi cum aliis nonnullis ſerioribus generalius multo loquuntur, quam ut ita intelligi planè debeant. Primus enim omnium qui laudatur, eſt *Euſebius*, nominans ἄντρον τ᾽ εἰς ὑστάτην ἀνάληψεως, cum τῇ ἐπὶ τ᾽ ἀκρωρείας μνήμῃ *Cap.* 41. atque dein poſt nominatam ἀξιάγαστον γῆν, ſeu *Terram veneratione dignam*, quam viſitaverat Helena, loquens de τοῖς βήμασι τοῖς σωτηρίοις, *quibus* ἢ πρέπουσαν ἀπεδίδου προσκύνησιν, cum reſpectu ad terræ Iſraëliticæ loca à Domino his in terris potiſſimum calcata, *coll. Act.* VII. 5. quæ ſimul ſpectari quoque poſſunt, tam ut *Suggeſtum* in quo Chriſtus Prophetam egit, quam ut *Altare* quoddam ſuper quod ſe

ipſum

ipſum Patri obtulit, ſecundum notionem variam βήματος apud ſcriptores Exoticos. Unde nec locum illum *Euſebii* pro ſe laudare heic auſus eſt *Baronius*; qui narrans ex profeſſo Helenæ geſta ſui temporis, non potuiſſet iſta miracula quæ feruntur circa hæc Pedum Chriſti Veſtigia omittere, magis quam hæc ipſa ibi ab ævo reperta. Interim eſt & *Georgii Hornii* cum aliis conjectura, traditionem illam ſeriorem de Veſtigiis Chriſti aſcendentis ortam eſſe primum ex verbis illis *Euſebii* male intellectis, quæ *in genere de Judæa dicuntur ubi Chriſtus verſatus, non de Oliveti monte ubi aſcendit*, quo magis *apud ipſam Templi ſtructuram altum de Miraculo Sulpiciano ſilentium eſt*. Perinde, quem ultimo nominavit *Baronius* in rem ſuam, *Cyrillus Jeroſ.* paulo poſt medium Seculum Quartum collocari ſolitus, is generalius omnino dixit, *uſque in hodiernum diem conſiſtere Olivetum* montem, qui *oculis tantum non monſtret in nube aſcendentem & portam cœleſtis aſcenſus*; nec quidquam, vel de ſpeciali loco iſtius montis, vel de pedum veſtigiis, quæ increduli juxta credentes videre utique potuiſſent. Et qui huic coævus ponitur *Optatus Milevitanus*, is nihil habet de Monte Oliveti aut Aſcenſione Chriſti ab eo, ſed apud *Orientales* conſtituit *impreſſa veſtigia ſancta, ambulationem adorandorum pedum*, factas à Filio Dei *virtutes*, & Apoſtolorum *comitatum*, &c. quæ omnia ſunt longe generaliora, tam ſubjecti quam prædicati reſpectu.

De Autoribus Seculi Quarti exeuntis & Quinti monita generalia adducuntur.

V. Superſunt in exitu Seculi Quarti *Hieronymus & Auguſtinus*, & in initio Seculi Quinti *Paulinus* Nolanus Epiſcopus, & *Sulpitius*, ſeu jam Epiſcopus, ſeu Presbyter, qui pro narrationis iſtius veritate laudantur ante tempora longe ſeriora & ſuperſtitioſora. Sed adverſus quos generatim opponi poſſunt duo aut tria, ad elevandam ipſorum hac in re autoritatem fide humana vix ſatis dignam. Quorum primum eſt hoc; quod vixerint & ſcripſerint non modo trecentis & multis amplius annis, poſt ipſam Aſcenſionem Domini, per quam pedum veſtigia fuiſſent monti impreſſa, ſed & plusquam dimidio vel integro ſeculo, poſt rem hanc antiquam repertam ab Helena & ſic publice demonſtratam atque agnitam. Intra quod temporis ſpatium longius multa potuerunt fieri humana induſtria, & fingi atque diſſeminari per humanam deceptionem, ſeu acti-

vam ſeu paſſivam, quæ certam primæ antiquitatis & infallibilis veritatis fidem minime mereantur. Alterum deinde eſt iſtud; quod vixerint hi ea ætate Eccleſiæ Chriſtianæ, qua piè fingendi audacia cum ſuperſtitioſa credulitate non quidem adhuc plane occupaverat orbem, uti deinde in Papatus tenebris craſſiſſimis factum fuit, attamen mire increverat, ad hominum quoque ſapientiſſimorum & laudatiſſimorum excæcationem magnam, qui ſic quaſi torrente communi fuere abrepti ſine rerum inquiſitione juſta. Quod non eſt ut per exempla heic altruamus, tanquam notiſſimum attendentibus. Tertium denique eſt illud; quod adverſus Doctores illos quatuor opponere liceat quatuor alios, *Euſebium* ſcil. & tres ejus hiſtoriæ Continuatores longius poſtea ſecutos, *Socratem*, *Zozomenum*, ac *Theodoretum*, qui nihil plane habent de iſtis Chriſti aſcendentis Veſtigiis admirandis in monte Oliveti. Quo magis *Euſebius* inter Templa, ſeu ſex ſecundum *Baronium*, ſeu tria, ſub Conſtantino exædificata & exornata præcipua, neutiquam prætermiſit illud in Oliveti monte in Aſcenſionis Dominicæ memoriam. Quæ omnia ſi inter ſe conferantur, vix videtur dubitandum, quin, ſeu jam tempore Conſtantini & Helenæ ſeu etiam poſt illud humana induſtria Signum aliquod Pedum Chriſti in terra & Aſcenſionis ejuſdem in tecto ſit conſtitutum, ad rei hujus promptiorem memoriam & repræſentationem vividiorem; quod poſt annos complures lapſos fuerit oſtentatum & prædicatum tanquam à Domino factum & mire conſervatum, atque ſic creditum non quidem ab omnibus ſed à multis admodum Chriſtianis. Unde & apud *Hieronymum* in media narratione legas, *ut perhibent*, item apud *Paulinum*, *dicitur*; quod utrumque rem illam refert ad aliorum relationes vix ſatis certas. Ne quid addam de ſilentio hujus rei apud *Nicephorum* ſeriorem longe, quem alias omnes norunt incertas fabuloſas narrationes præ aliis tradidiſſe, hinc & à *Caſaubono* dictum μύθων ἢ λήρων ῥαψῳδόν, atque ab *Hornio* inter alios *fabularum patrem*.

Specialiores obſervationes ad Hieronymum, Auguſtinum, Paulinum, & Sulpicium.

VI. Speciatim porro quod ad *Hieronymum* attinet, ante *Libellum* hunc ejus monuit *Eraſmus* inter alios, *quod alicubi citet ipſum Hieronymum, quod tamen ipſum haud ſcit an è marginali ſpacio tranſlatum ſit in contextum; illud*, inquit, *mirum, quod*

*quod è tam multis tam pauca recenſuerit loca, idque paucis, ut mihi ſuſpicio ſit opus à faſtidioſo quopiam in compendium fuiſſe contractum.* Adeo minus certum eſt, eſſe eum Libellum *Hieronymi*, utique ex omni parte, dum ipſe de re hac mira alias tacet etiam. Nec dubitat *Samuel Baſnagius in Annal.* palam habere pro *ſubdito Autore*; *faceſcere ergo* jubens *traditionem hanc, quæ ſolis olim Latinis, non Græcis jactata fuit, non Socrati, non Sozomeno, non Theodoreto, imo non Nicephoro affaniarum amatori longe maximo, quorum utpote rerum orientis peritiorum teſtimonio præcipue inhærere deberemus.* Dein dè *Auguſtino* notandum eſt; vix quidem dubitari, per *Indiculum Poſſidii*, quin non quidem *Præfatio*, ſed iſta *Expoſitio in Euang. Joh.* ſit vere ab ipſo; attamen ſermonem ejus eſſe generalem ſatis, de Domini *veſtigiis* in gente & terra Iſraëlitica, etiam ubi noviſſimè ſtetit & unde aſcendit in cœlum, modo adoratis, quæ non minis latius quam ſtrictius de impreſſis terræ ſignis, & quidem miraculoſe ab ipſo Domino, intelligi queunt. Tertius horum *Paulinus*, qui ſua ex *dictione* ſeu relatione aliorum heic manifeſte deducit, quantopere credulus & in ſuperſtitiones fuerit pronus, docere poteſt illud quod de Cruce Dominica inventa & in Baſilica Paſſionis ſervata religioſiſſime habet eadem *Epiſtola XXXI.* quod illa *in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat & quaſi intacta permaneat quotidie divina ſumentibus & ſemper tota venerantibus, ſed iſtam imputribilem virtutem & indetribilem ſoliditatem de illius profecto carnis ſanguine bibit quæ paſſa mortem non vidit corruptionem.* Quam *fabulam adeo craſſam* dicit *Joh. Gerhardi in Patrologia, ut Cenſores conſtituti ad præſcriptum Concilii Trident. inde expurg. mandarint eam deleri.* Quartus tandem *Sulpicius*, à Salluſtiana dudum elegantia celebratur quidem; attamen & ab ipſo *Bellarmino* cum aliis caſtigatur variè, & notatur communiter, etiam à noſtro *Spanhemio*, tanquam in hiſtoria ſua *verſatus majore ſtudio quam judicio, & nimia ſæpe in credendis rebus facilitate.* Dum ad hunc locum, *Druſio* prorſus intactum, *Car. Sigonius in Comment.* habet; *Hoc Miraculum apud neminem alium legi, loquitur autem de Templo Oliveti.* Qui etiam caſtigavit illa *Sulpicii*; de Helena *Ba-*

*ſilicam conſtituente in loco Dominicæ Paſſionis, & Reſurrectionis, & Aſcenſionis*; quoniam *condiderit illa unam in loco Dominicæ Paſſionis, i. e. in Monte Calvariæ, quod nunc Sepulchrum Domini dicitur, alteram in loco Aſcenſionis, i. e. in Monte Oliveti, in loco vero Reſurrectionis nullam, nam idem eſt Reſurrectionis & Sepulturæ locus, melius dixiſſet, in loco Nativitatis, ut Baſilicam in Bethlehem conditam indicaret.*

De Beda & ſcriptoribus Mediæ Ætatis aliquid additur.

VII. Quod porro attinet ad Secula inſecuta, quibus prævaluit multum fraus & ſuperſtitio & credulitas apud Chriſtiani nominis homines, hæc fidem rei antiquiſſimæ & mirabilis valdè augere nequeunt. Quorſum merito referimus *Bedam*, vulgo *Venerabilem* dictum, Presbyterum Anglum Seculi VIII. ſi hic ipſe ſit ſcriptor *Libelli de Nomin. Locorum lectis in Actibus Apoſt. Tom. V.* qui in *Titulo* dicitur *Expoſitio Cujusdam ſive Ejusdem.* In quo legas de *Oliveti Monte; Ubi ultima Domini Veſtigia humo impreſſa hodieque monſtramur. Cumque terra eadem quotidie à credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem ſancta Veſtigia priſtinum ſtatum continuo recipiunt. Denique cum Eccleſia in cujus medio ſunt rotundo ſchemate & pulcherrimo opere conderetur, ſummum tantum Cacumen, ut perhibent, propter Dominici Corporis meatum nullo modo concamerari potuit, ſed tranſitus ejus iter ad cœlum uſque patet apertum.* In quibus ipſis verbis ſatis etiam notabile eſt illud, *ut perhibent*, interpoſitum. Dum alium locum adduxit *Baronius*, ſcilicet ex *Cap. VII. de Loc. Sanct. Tom. III.* ubi latior eſt Montis & Templi in hoc deſcriptio, atque additur etiam; *In die Aſcenſionis Domini per annos ſingulos Miſſa peracta, validi flaminis procella deſurſum venire conſuevit, & omnes qui in Eccleſia fuerint terræ proſternere. Tota ibi illa nocte lucernæ ardent, ut non illuſtrari tantum ſed & ardere Mons & ſuppoſita loca videantur, &c.* Sed & ante hunc Libellum legitur, quod illum *de Opuſculis majorum abbreviando Beda compoſuerit.*

Tandemque diſſeritur de Recentioribus Terræ Sanctæ Deſcriptoribus, quid & quo cum

VIII. Quando tandem itaque venimus ad Recentiores Deſcriptores Terræ Sanctæ, hi Veſtigia Aſcendentis Chriſti in Oliveti monte quidem nominant ex Veteribus, ſed deſcriptionem rei & loci hodierni nobis dant aliam. Inter quos *Jo. Cotovicus in Itinerario ſuo Lib. II. Cap. XI.* habet ſequentia; *Hinc ad*

*paſſus*

*paſſus circiter triginta verticem Montis adſcendimus, in quo olim à B. Helena Fanum inſigne atque peramplum ædificatum eſt in memoriam Aſcenſionis Domini, hic propria virtute ſuper æthera vecti, cujus rudera & extremi parietes etiamnum ſuperſunt ſphæricam referentes figuram &c. Cæterum cum abhinc annis amplius viginti quinque in Turcarum Meſſitam verſum fuerit, difficillime peregrinis patet introitus. Nos caſu quodam ante fores reperto Meſſitæ Seripho, largitione ingreſſum impetravimus, noſtrasque inibi ſumma cum animi conſolatione Deo preces obtulimus, Salvatorem noſtrum quaſi coram cœlos aſcendentem videremus adorantes, ac Divina ejus veſtigia venerantes. Videre eſt in ipſo ſacello locum concavum interiori muro meridiem verſus cubitali forma inciſum, ſtatuarum loculis non abſimilem, latum pedes tres, altum ſeptem, marmoreo opere ornatum, Turcis ſacrum. Dei ſiquidem nomen Tabulæ aureis literis inſcriptum hic appenſum habent, idque dum orationes inibi fiunt, accenſa lucerna illuſtrant, & Seriphus hoc loco ut ſacratiore preces laudesque Divinas peragit. In medio pavimenti unius tantum dextri pedis Chriſti veſtigium ſaxo coloris ſubalbidi impreſſum cernitur. Duo quidem relicta eſſe veriſimile eſt, affirmantibus id ipſum Sulpitio Severo, Euſebio, Hieronymo, aliisque qui utrumque ſe vidiſſe ſcribunt, ac miranda de iis narrant: hodie tamen alterum deeſt, & in Templo Hieroſolymorum à Turcis aſſervari, uti nobis retulere Minoritæ, exiſtimatur.* Paulo poſt etiam ſubjiciens; *Deſcendentibus nobis à loco Aſcenſionis juxta muros nunc ruinoſi Fani ad lævam oſtenſus eſt locus, quo Virginem Beatiſſimam, poſtquam Filium conſcendiſſe cœlos vidiſſet, ſedentem & quieſcentem paululum Angelum adiiſſe ſuique Tranſitus Diem prænuntiaſſe, nec non palmam ei è cœlo attuliſſe, referunt Orientis Chriſtiani, pieque ab omnibus creditur.* Et hunc ipſum Autorem Trajectinum commendavit *Cl. Relandus*, faſſus, *ſe inter Recentiores vix quemquam noſſe, qui accuratius montem Oliviferum deſcribat & ſingula notet per certa intervalla.* Facit autem, dum brevior heic eſt *F. Brocardus Mon. in Deſcr. Torræ Sanctæ*, cum illo ſcriptore Anni MDCXIX. qui circa eadem tempora inde ab A. MDCXV. iter ſuum per Orientem fecit, *Petrus Vallenſis Nob. Rom.* memorans *in faſtigio Montis Oliveti parvum Fanum ſeu Sacellum à Turcis poſſeſſum, in quo viderit locum unde Chriſtus*

fundamento illi heic habeant.

*ſtus Dominus noſter in cœlum aſcendit, & in montis rupe Veſtigium unius ſanctiſſimorum ejus pedum, cujus impreſſio miraculoſe ipſo Aſcenſionis momento in rupe fuit facta. Non plus quam unum in hoc Fano videtur, quia Turcæ alterum abſtulerunt, quod in Salomonis Templo Moſcitarum præcipuo in magna habent veneratione, ſicuti & illud quod in monte permanſit.* Dum cum aliis hoc etiam tradit *Chriſt. Adrichomius*, quod Chriſtus ex montis ſummitate in cœlum aſcenderit, *facie, ut etiam ex ultimis pedum ejus veſtigiis ad tantæ rei memoriam petroſo monti inſtar ceræ impreſſis etiamnum evidenter colligitur, ad occidentem, verſus Catholicam ex Gentibus Romanam ſpectans Eccleſiam, ad quam ipſe ejus caput tanquam geminos & illuſtres oculos, D. Petrum ſuum in terris vicarium paſtorem ac Apoſtolorum coryphæum, & D. Paulum Gentium doctorem, miſſurus erat.* Atque aliter & multo generalius ſcripſit *Baronius*; *Lapidem illum qui Domini continebat impreſſa Veſtigia Chriſtianæ fidei hoſtium invidia inde ſublatum in porta orientali ejus Eccleſiæ ab eis clauſa poſitum eſſe, recentiores qui eadem loca ſancta deſcripſerunt teſtati ſunt.* Ad quæ recentiora cum antiquioribus narrationibus collata non ſine ratione dixit *Cl. Witſius* noſter *Exerc. XX. in Symbol. Quæ etiamnum monſtrantur peregrinantibus veſtigia, ea meras maleferiatorum hominum offucias eſſe, res ipſa loquitur. Nec recens fabella antiquæ conſonat. Hæc Veſtigia arenæ impreſſa dicitat; illa ſaxo. Nec Veſtigia nunc cernuntur, ſed Veſtigium unius modo pedis in parte aliqua rupis. Altero una cum ſaxo cui inſtitiſſe dicitur à Turcis in fanum aliquod ſuum tranſlato. Adeone nunc Veſtigiorum ſuorum ſecurum factum eſſe Dominum, ut quum olim Auguſtiſſimæ Baſilicæ à pia Imperatrice in honorem ejus ſtructæ concameratione tegi ea noluerit, nunc earum partem alteram in Fanum Pſeudo-Prophetæ dicatum transferri patiatur?*

Traditiones aliæ Fabuloſæ conferuntur.

IX. Quid pluribus opus? Habet ejuſdem generis traditiones plures fabuloſas *Baronius ad A. Chr. XXXIV. N. 66. Locus ille, ubi hæc contigerunt* (agonia Chriſti in horto cum ſanguineo ſudore) *ad radices Montis Oliveti poſitus, tantæ rei nobilitatus inſignibus, quaſi trophæis victoriæ Chriſti, præclara poſtmodum deſuper erecta Eccleſia, ut auctor eſt Hieronymus, eſt mirifice illuſtratus. Addit Beda, petram ipſam, ſuper quam Dominus orans flexis genibus innixus eſt, quaſi mollem ceram ceſſiſſe,*

in

*in ſeque genuum ejus veſtigia recepiſſe, ipſumque lapidem ut inſigne tanti miraculi monumentum intra Eccleſiam tranſlatum & parieti affixum, cunctisque factum perſpicuum. Accepimus ab his qui hæc viderunt, etiam in imo Vallis, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipſis ejuſdem Chriſti Domini noſtri Veſtigia impreſſa remanſiſſe, hactenusque ſervata eſſe.* Præ quibus hanc de Veſtigiis ab Aſcendente Chriſto Monti impreſſis ampliorem mereri fidem, cui & cum quo fundamento perſuadebitur? Frigidum enim nimis eſſe puto, quod de magna hujus Miraculi & illorum differentia ſcripſit ipſe noſter *Doct. Caſaubonus Exerc. XVI. Art.* 154. hinc à *Natali Alex.* etiam pro ſuperſtitioſa traditione laudatum; *Miraculum de ſanctis Domini veſtigiis priſtinum ſtatum continuò recipientibus, quicquid homines molirentur, propter conſenſum tot ſcriptorum & in his magni Hieronymi qui fuit oculatus teſtis, fide mihi quidem videtur digniſſimum. Sed quod poſteriores ſcriptores narrant de impreſſione calvariæ Chriſti in rupe, non hiſtoria videtur eſſe, verum fabula ad imitationem miraculi hujus conficta. Rem ita narrat Sanutus in Secretis &c. in Deſcriptione Montis Oliveti; Ibidem etiam oſtenditur locus, in quo detentus fuit à turbis, Juda oſculo eum prodente, & veſtigia capitis ac capillorum ejus, & in alio latere apparet impreſſio digitorum ejus, acſi in paſta facta fuiſſet; quam impreſſionem dicitur feciſſe apprehendendo rupem cum teneretur à turbis. Et eſt mirum, quia experti recitant, quod etiam ferreis inſtrumentis non modo partem lapidis non poſſunt abſcindere ſed nec pulverem quidem poſſunt elicere. Tanti,* ſubjicit, *hujus Miraculi quum nulla extet apud Veteres mentio, conjicere ex eo prudens lector poteſt, quantum ſibi ſuperiora ſecula permiſerint in fingendis ex animi libidine narratiunculis, quas pro veris miraculis populis talium avidis obtruderent.* Dum ad laudatum à Viro hoc Doctiſſimo *Hieronymum* adhuc notare debeo, quod ille ſe nec rei hujus, quam heic enarratam apud ipſum reperimus, *teſtem oculatum* dicat, nec originis ejus antiquiſſimæ teſtem dicere poſſit talem, quando illud ipſum quod tempore Helenæ congeſſerit ex traditione ſola repetit per illud, *ut perhibent.* Quin & hoc addendum videtur tanquam juſta heic conſideratione dignum, quod apud *Hieronymum* in *Epiſt. Paulæ & Euſtochii ad Marcellam* mentio quidem fit *Oliveti montis in* quo

*cum Aſcendente Domino voto & animo ſublevemur*, uti ipſe in *Epitaphio Paulæ ad Euſtochium* commendat varia loca Chriſtianis notabilia Terræ Iſraëliticæ & Urbis Jeroſolymitanæ, quæ illa magno ardore & ſtudio circumiverit, *proſtrata ante crucem, ingreſſa ſepulchrum, &c.* quin & *revertens Hieroſolymam, rutilantem Montis Oliveti Crucem de quo Salvator aſcendit ad Patrem aſpexerit*; attamen nihil de miraculoſis Chriſti aſcendentis Veſtigiis ipſe habet, utique minime heic & alias ſatis conſtanter reticendis, ſi certa & explorata omnibus fuiſſet eorum fides.

---

## CAPUT QUINTUM.

### *Quo de Corona agitur Chriſtum in Cœlum Aſcendentem intuitorum.*

Aſcenſio Chriſti facta præſentibus & videntibus omnibus Apoſtolis.

Non parum vero facere debet, tam ad Adſcenſionis Dominicæ ſplendorem & pompam, quam fidem, iſtud de ejus Modo ante alia huc ſpectantia narratum à *Luca*, tum in *Evangelio*, tum in *Actis*; quod illa contigerit, haudquaquam in angulo obſcuro & arcano extra hominum omnium vel plurium præſentiam, ſed in Monte illo notiſſimo Oliveti, præſente & advocato ad hoc Cœtu Apoſtolorum toto, qui hinc rem geſtam viderunt, & cum fiducia ac fidei decentia teſtari apud alios omnes potuerunt. Quod diſcas ex *Luc.* XXIV. 50. 51. & *Act.* I. 9. βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη &c. καὶ ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτοῦ, &c.

Quorum & Nomina Singularia recenſentur, & quædam illuſtrantur.

II. Non poteſt eſſe dubium, quin Pronomen αὐτῶν, *illorum*, nos ducat ad Apoſtolos, per contextum omnem antecedentem & conſequentem, qui & Nominibus ſuis omnes deſignantur apud Reditum in Urbem, *Act.* I, 13. καὶ ὅτε εἰσῆλθον, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῷον, οὗ ἦσαν καταμένοντες, ὅ τε Πέτρος καὶ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωάννης, καὶ Ἀνδρέας, Φίλιππος καὶ Θωμᾶς, Βαρθολομαῖος καὶ Μαθθαῖος, Ἰάκωβος Ἀλφαίου καὶ Σίμων ὁ ζηλωτὴς, καὶ Ἰούδας Ἰακώβου, οὗτοι πάντες &c. Ad quem textum minime nunc eſt animus excurrere, vel in Apoſtolorum munus & numerum; vel

in

in ſingulorum Nomina & Deſcriptionem ulteriorem, ſeu ſacram ſeu Eccleſiaſticam; vel in ſimilia alia generaliora capita quæ ſpecialem cum hac hiſtoria nexum non habent magnum. Id vero notamus meritò, quod poſt duodecimum, Judam ſcil. proditorem peſſimè egreſſum & juſtiſſime ejectum modo ex Apoſtolico collegio (de cujus tragico exitu ex hac vita ex profeſſo egimus *EXERC. TEXT. XXX. Parte VI.*) qui neque hactenus ſucceſſorem nactus erat Matthiam, quod deinde narratur factum *verſ.* 26. reliqui Undecim nominantur eidem, qui olim à Domino electi ad hoc munus fuerant *Matt.* x. 2. 4. *Marc.* III. 16–18. *Luc.* VI. 14–16. Adeo verum & hoc reſpectu deprehenditur illud Chriſti *Joh.* XVII. 12. οὓς δέδωκάς μοι ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας &c. ubi & hoc ſenſu illud εἰ μὴ poteſt eſſe Exceptivum, quod alias merito habetur pro Adverſativo, quando ad Electionem ſalutarem heic reſpici exiſtimatur magis. Nec eſt heic aliqua Nominum immutatio, quæ ſcrupulum pariat; quando *Simonem* dictum fuiſſe *Petrum* ipſi Euangeliſtæ tres notarunt in catalogo ſuo; atque ulterior facta ab his nonnullorum deſcriptio nihil parit difficultatis; & cognomen *Zelotæ* Græcum *Simoni* datum plane convenit illi קנאני Hebraico; & *Judas Jacobi*, ſeu filius ſeu frater, in oppoſitione ad Iſcarioten proditorem recte appellatur, qui *Thaddæus* dictus voce tantum non eadem vel ſynonyma apud Matthæum & Marcum, quin & apud Matthæum *Lebbæus*, ſive à loco ſui ortus, ſive à corde, ſive à leone, ob unam aut aliam rationem, & qui Epiſtolæ Canonicæ poſtremæ eſt autor, in illius initio & *Jacobi frater* dictus. Quod autem horum nominatorum Apoſtolorum ordo heic ſit paulo alius quam in Euangeliis, quæ nec ipſa in eo per omnia conveniunt inter ſe; id neutiquam docet, ordinem eorum ante vel poſt mortem & reſurrectionem Chriſti eſſe immutatum, nec etiam, quem ordinem apud Chriſtum aſcendentem vel in reditu ab eo ſervaverint; ſed potius arguit eorum Paritatem Muneris, præpoſitis tantum in nominando iis qui vel una vel alia ratione præ aliis excellerent, quod totum eſt quod de Petro heic agnoſcere poſſumus. Sed & in conſiderationem heic aliquam apud attendentes venire poteſt conjunctio arctior

quorundam ex his inter ſe per ⁊ & interpoſitum vel omiſſum; quam ex vinculo arctiori uno vel alio, antecedenti vel conſequenti, neceſſario vel arbitrario, non male deducas, *coll. Marc.* VI. 7. *Luc.* X. 1.

Quod plures ob rationes admodum notabile eſt.

III. Hoc autem magis dignum eſt heic attendiſſe, quod cum quoſdam tantum horum Apoſtolorum antea ad ſe in nonnullis caſibus aſſumpſiſſet Dominus, ſcil. Petrum ſolum *Matt.* XIV. 29. XVII. 25. XVIII. 21. *Joh.* XXI. 19. 20. *&c.* vel hunc cum Jacobo & Johanne *Matt.* XVII. 1. *Marc.* V. 37. *Matt.* XXVI. 37. *&c.* Petro etiam ante alios viſus poſt reſurrectionem *Luc.* XXIV. 34. 1 *Cor.* XV. 5. ille heic Apoſtolis omnibus ex æquo ſe Aſcendentem exhibuerit, abſque ullo propinquitatis majoris vel minoris indicio, forte in medio illorum ambeuntium circulo vel ſemicirculo conſtitutus, ne prærogativam unus præ alio in ejus conſpectu vel benedictione etiam ſomniaret. Et qui viderant converſantem ſecum in humana carne omnes, qui intuiti erant in cruce pendentem & morientem cuncti, qui etiam conſpexerant, non quidem reſurgentem ut nec naſcentem primo, ſed ex morte & ſepulchro in vitam meliorem reſtitutum ſimul & ſæpius; hos etiam aſſiſtere & contemplari oportebat pariter Dominum aſcendentem in thronum ſuum cœleſtem. Plane quemadmodum præcipuos Regni Miniſtros non abeſſe decet, ſed præſentes eſſe apud Regis Inaugurationem ſolennem. Atque uti proprius ſingulorum præſentium viſus ipſorum de re geſta dubitationem omnem procul arcebat; ita omnium ſimul videntium conſenſus teſtimonium ejus per orbem reddere debebat certiſſimum. Ita enim longe amplius quid heic conſpicias, quam, non jam dicam in vanis & mendacibus figmentis Gentium, quale fuit illud Proculi de Romulo, ſed in veriſſimis geſtis quæ Scriptura tradidit, tum de Enocho à Deo aſſumpto atque de terra tranſlato, ſed ſine ullius teſtis mentione, tum de Elia, quem in cœlum aſcendentem unus vidiſſe fertur Eliſa 2 *Reg.* II. 10. 11.

An alii quoque Fratres cum Mulieribus & Maria Matre adfuerint, inquiritur.

IV. An vero fuerunt hi Apoſtoli Undecim ſoli, qui ad Conſpectum Dominicæ Aſcenſionis admiſſi ſunt? an & alii præter hos Diſcipuli, una cum Mulieribus, ac Maria Jeſu Matre, hujuſque Fratribus? Id colligi poſſe nonnullis videatur,

tur, non modo ex horum Zelo pro Domino, & tanto majori omnium videntium Exhilaratione, & audientium ab his Perſuaſione; vel perinde ex Gloria Aſcenſionis Dominicæ tanto illuſtriori; ſed etiam & magis ex eis quæ ſequens apud *Lucam* contextus nobis exhibet. Illic nempe *verſ.* 14. cum *his omnibus*, Apoſtolis nominatis undecim, qui redierant & in conclave ſuum ingreſſi erant, erantque προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, junguntur *Mulieres*, & *Maria Mater Jeſu*, *ejuſque Fratres*; atque dein *Diſcipulorum* congregatorum numerus dicitur *Viginti* fere ſupra *Centum verſ.* 15. Et eſt prorſus ex fide præſentis apud Aſcenſionem Mariæ Matris, quod *Cap. IV.* §. 8. adduximus figmentum vetus ex *Cotoviço*, de *Loco* prope illum Adſcenſionis, *quo Virginem Beatiſſimam, poſtquam Filium conſcendiſſe cœlos vidiſſet, ſedentem & quieſcentem paululum Angelum adiiſſe, ſuique Tranſitus diem prænuntiaſſe, nec non palmam ei è cælo attuliſſe referunt orientis Chriſtiani, pieque ab omnibus creditur.* Et certe, ſi quis talia de Diſcipulis & Mulieribus conjicere velit, dubito an conjectura ſolide redargui queat; vel per Apoſtolorum ſolorum mentionem expreſſam, cum horum ut præcipuorum in hoc cœtu poſitio non mox ſit aliorum omnium excluſio; vel per Angelicam illam compellationem *verſ.* 11. *Viri Galilei*, quæ ad cœtus Præcipuos quoque fieri præ aliis potuit, & quæ nec per ſe ad Apoſtolos eſt reſtricta plane. Interim minus ſolide hiſtoria, vel ſacra vel & alia omnis, per conjecturas noſtras augetur, vel & per humana quævis ratiocinia, ſecundum quæ Deus ſapientiſſimus conſilia ſua ſanctiſſima & eventus ſemper haudquaquam componit. Et conjunctio Apoſtolorum cum Mulieribus, Maria Matre, & Fratribus Jeſu, non fit in Reditu à monte Oliveti, vel in ingreſſu primo Urbis & ædium Jeroſolymitanarum; ſed in Perduratione concordi in precibus & ſupplicationibus deinde inſecuta, quæ fecit ut & ſimul congregari omnino ſolerent. Et quod ad numerum congregatorum Nominum Centum & Viginti attinet, ille neutiquam refertur ad ipſum Adſcenſionis diem, ſed ad temporis poſt hunc ſecuti conventum, ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, *in diebus illis* apud *Vulgatum*, vel *per dies illos* apud *Bezam*. Quem, ut id in tranſitu dicam, prorſus miror illud σὺν γυναιξὶ

*vers.* 14. vertisse, non *cum mulieribus*, sed *cum uxoribus*; cum tamen idem nomen, heic absque addito pronomine positum, alio sensu constanter legatur in historia Passionis & Resurrectionis Dominicæ. Nec valet ratio ab ipso adducta, quod *conveniret Apostolorum etiam Uxores confirmari, quas vel peregrinationis illorum comites esse oportebat, vel eorum absentiam domi patienter expectare*; siquidem sub Mulieribus quædam Uxores comprehenduntur facile. Uti neque stringit ullo modo illud à *Beza* heic laudatum *Erasmi*; *Accipi potest, cum Uxoribus, propterea quod separavit Mariam à Mulieribus*; quasi non hæc tanquam præcipua inter eas nominari expressius posset æque quam Petrus cum Discipulis *Marc.* XVI. 7. nec non conjungi *reliquiæ Danaum atque immitis Achilli*, apud *Virgilium*, ex *Bezæ* observatione. Dum inepta multa heic legas apud *Papistas*, de *Maria Matre-familias hujus sacri cœtus & familiæ Christi*, quæ nominetur tamen *minima & novissima*, quia *ut minimam se gerebat, & novissimam se exhibebat*, per insignem humilitatem suam, hinc & à *Bernardo* celebratam. Nec videtur ipse *Cotovicus* nimium fidei habuisse traditioni illi adductæ de Maria, dum eam *Orientis Christianis* adscribit, & *piè credi* simpliciter scribit. Hoc nos pro certo rectius asserimus, quod nec à promiscua hominum incredulorum turba Jesus in Ascensione sua conspectus sit, secundum illud de ipso redivivo *Act.* X. 40. 41. ᾧ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, οὐ παντὶ τῷ λαῷ, ἀλλὰ μάρτυσι, *&c.* quod antea tetigimus *Lib. I. Cap.* VII. §. 5. Uti & hoc tanquam falsum rejicimus, quod Ascensionis tempore Christus plus quam quingentis fratribus visus sit; quod etiam cum situ Oliveti prope Jerusalem minus conveniret, dum rem illam spectare ad Montem Galilæum antea suo loco asseruimus *Lib. I. Cap. XIV.*

Educti vero illi à Christo feruntur usque in Bethaniam, atque illic corporaliter vidisse Christum ascendentem.

V. Videre nunc decet id, quod de Apostolis Undecim refert heic *Lucas*. Estque primum, quod ad sequentia duxit, quod à Christo fuerint *educti extra usque in Bethaniam*; de qua Eductione, non per jussum solum, sed & exemplum quod lubenter secuti sunt Discipuli, extra domum congregationis & urbem Jerusalem, jam egimus *Lib. I. Cap. XV.* §. 4. & quæ facta prorsus videtur cum sufficienti significatione

instantissimi abitus sui. Alterum vero, quod post instructionem necessariam, ipsi à Christo jam jam adscensuro vel adscendente acceperint *benedictionem* valedictoriam per *elationem manuum* ejus, de qua actum à nobis *Lib. I. Cap. XV.* §. 12. & quæ durantis & duraturi semper affectus ejus fuit argumentum verissimum. Tertium tum, & quod nunc potissimum spectamus, est, quod mox sine ulteriori mora *viderint*, Jesum Abeuntem & Ascendentem in cœlum; non jam oculis mentis credentis sed etiam & magis corporis illuc compositi; non jam in phantasia ecstatica interiori aut somnio, sed in externo facto corporali; non jam per emblema solum, aut illusionem aliquam meram seu Christi ipsius seu alterius causæ intervenientis, sed omnino in rei ipsius veritate, uti humana corpora & nubes videri solent. Ad quod tanto validius significandum quadruplici verbo heic usus est Spiritus; habens primo βλεπόντων αὐτῶν, una cum mentione *oculorum* ad quos visus ille refertur; deinde ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν, quod per *intueri* reddidit *Vulgatus*, *Beza* per *intentis esse oculis*, quin & *Erasmus* modo per *defixis*, modo per *immotis*, modo per *intentis esse oculis*; tertio, τί ἑστήκατε ἐμβλέποντες, quod per *aspicere* vertit *Vulgatus*, & *Beza* per *intueri*; tandem quarto ἐθεάσασθε αὐτὸν, ubi *Vulgatus* substituit quidem *vidistis*, sed *Beza spectastis*. Quæ verborum accumulatio, directe vel indirecte ad Christi Ascensionem relatorum, facit liquido, ut de *Veritate* Visionis realis hujus nullo modo liceat dubitare nobis. Præter quam veritatem sic insinuatur; & singularis *Attentio* Discipulorum, procul omni sopore ac neglectu; & hinc orta *Claritas*, procul omni obscuritate ac confusione; & hinc enata *Lætitia*, ad tantum incrementum Dominicæ gloriæ, quæ etiam magna revertentibus in Jerusalem tribuitur in *Euangelio*; & his juncta *Admiratio* ac *Veneratio* decens, quam etiam per προσκύνησιν designatam reperimus, convenientem Ministris in ascendentem Dominum. Ut hujus Visus respectu etiam merito dicere potuerit Johannes 1 *Joh.* 1. ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα.

VI. Interim nemo hunc Conspectum Apostolicum Ascendentis Domini, de quo etiam egimus *Cap. II.* indecenter torqueat, contra contextum ipsum; quasi vel in Cœlum supre-

Quæ Visio à torsionibus iniquis liberatur.

premum non vere aſcendiſſet Dominus ſed tantum infimum; vel hunc in illud Aſcendentem videre non potuiſſent Apoſtoli abſque viſu ſuo eo uſque protenſo. Uti enim rectiſſime dicimus nos videre homines a nobis abeuntes in hæc aut illa loca alia, etiam remotiora, quorſum ſe ituros dixerunt antea, etiamſi ad eum terminum uſque ſe viſus noſter minime protendat; ita & recte Apoſtoli feruntur vidiſſe Dominum ab ipſis euntem in cœlum ſupremum, quando illuc verſus aſcendens ab ipſis eſt conſpectus, etiamſi eo uſque illis Jeſum conſpicere non daretur; unde & additum eſt in textu, quod aſcendentem *Nubes ab illorum oculis abſtulerit*, ne in ulteriori verſus cœlum proſpectione ab illis videri poſſet. De cujus rei intellectu commodo partim actum eſt quoque *Cap. II.* §. 12. partim agetur adhuc plenius *Cap. VI.* Cujus Nubis auferentis occaſione, repetimus heic, Ablationem ab oculis Diſcipulorum per Nubem eſſe factam, ſive poſtquam aliquo uſque extra Nubem aſcendiſſet de terra Dominus, ſive & ab initio illa Jeſum intra ſe concluſum abduxerit ſecum, donec & ipſa amplius videri non poſſet; eundem in modum, uti Navis vel Currus promotus cum Inſeſſoribus ſuis hos à conſpectu noſtro abducere optime dicitur, ubi progreſſus aliquis notabilis eſt factus iſtius vehiculi.

Concluſio ex hac narrationis parte decens.

VII. Concluſio noſtra ex dictis eſt quidem pro Gloria Aſcendentis Domini, ad quam augendam comitati eum ſunt in Montem, atque conſpiciendam & conſpectam adſtiterunt Viri Undecim, ſecundum externam in mundo conditionem viles, ſed ſecundum Deum & gratiam ab hoc conceſſam vere præſtantes, quorum pietas fuit irreprehenſibilis, & fama etiamnum eſt per orbem celebratiſſima; attamen etiam & magis de Certitudine rei geſtæ, utpote quam hi fide omni ratione digniſſimi viderunt ipſi, tam vere, tam attente, tam clare, tam lætè, & tam religioſe, & hinc praedicarunt, tam confidenter, & tam late, & tam conſtanter.

# CAPUT SEXTUM.

## *Quo in Nubem inquiritur, quæ Jesum Ascendentem sustulit à conspectu Discipulorum.*

Incipit tractatio de Nube quæ Christum abstulisse dicitur.

AD Modum Ascensionis Domini nostri omnino hinc pertinet *Nubes*, quæ Dominum sustulisse fertur ab oculis Discipulorum intuentium, & de qua aliquid jam dictum est *Cap. II.* §. 12. Ad cujus intellectum decentem illa primum spectanda est *in Se*, dein etiam *in Effectu* suo; unde ulterius quid forte colligi poterit quam quod verba expresse nobis declarant, ex collatione aliorum locorum huc spectantium quoque.

Nubium significatio varia & Varietas ipsarum per qualitates & effectus.

II. *Nubem*, seu νεφέλην, simpliciter habet textus absque ullo verbo alio. Ubi à notione prima & communi vocis sine ratione ulla non licet transire ad aliam, seu metonymicam, seu metaphoricam ullam. Qualis foret v. g. illa *Obscuritatis*, qualem Nubes inducere solet; item *Integumenti*, cujuscunque tandem instar Nubis Soli & Cœlo obductæ; atque inprimis *Multitudinis*, seu Angelorum seu hominum præsentium, *coll. Jes.* LX. 8. *Hebr.* XII. 1. ad quem locum posteriorem vide dicta à nobis *EXERC. TEXT. XLIX. Parte VI.* Solet enim Obscuritas ipsa magis per Tenebras designari; quales heic non comparent, uti neque aptæ fuisse videri queunt. Atque Integumenti notio est generalior; quod si heic non constituisset Nubes, aliud potius fuisset nominatum distinctius. Neque Nubes simpliciter posita ad Multitudinem seu hominum seu aliarum creaturarum ducit unquam. Ut Nubes heic dicat certissime Molem crassiorem, ex globo Terraqueo & Aërio etiam collectam, quæ in Aëris sublimitate hæret & varie movetur, & varia hominibus commoda & incommoda præstare solet, hinc bonorum & malorum symbolum sæpe aptum; eamque veram potius, quam mere apparentem, instar Stellæ illius *Matt.* II. 9. 10. Est enim magna valde Nubium diversitas. Dum sunt quædam majores lateque per cœlum protensæ, sed aliæ Minores longe

etiam, ſecundum hiſtoriam 1 *Reg.* XVIII. 44. 45. Et ſunt aliæ Altiores aliis Depreſſioribus; æque quam Craſſiores Tenuioribus, & Celerius motæ aliis Tardioribus. Et quemadmodum ſunt quædam Obſcuriores, aliæ Sereniores, vel & Splendidiores quaſi Igneæ; ita quædam Pluvias gratas vel & imbres nives grandines effundunt, quædam tempeſtuoſo Vento gravidæ per ejus eruptiones deprehenduntur, quædam Fulgura & Tonitrua terribilia producunt, quædam vero ſuave aëris temperamentum operantur; & hinc minus vel magis optabiles ſunt hominibus intuentibus.

Qualis hæc fuerit Nubes, inquiritur cum hiſtoriarum aliarum collatione.

III. Qualis ergo judicari debet hæc fuiſſe Nubes apud Domini noſtri Aſcenſionem de Monte Oliveti? Non utique nimis exigua, inſtar parvi vaporis vel fumi, ut minus mereretur nomen Nubis; ſed neque nimis Magna & Vaſta, ut Cœli omnem aut maximam latitudinem tegeret, quando Nubis nomen ſingulare vix eſſet ſatis emphaticum; adeoque Mediocris potius & apta ad Uſum huic tributum. Quod perinde tenendum de Nubis hujus Altitudine, & Craſſitie, & Celeritate. Quod ad cætera attinet, non male conferri in anteceſſum poſſe putamus hiſtorias quaſdam notabiles, partim Veteris, partim Novi Teſt. Qualis eſt maximè illa Eliæ Aſſumpti in Cœlum 2 *Reg.* II. 10. 11. de quo habet textus ille, *factum fuiſſe*, ut *dum irent eunde & loquendo*, Elias cum Eliſa, *ecce currus Ignis & Equi Ignis diviſionem facerent inter hos duos, & aſcenderet Elias in turbine in cœlum.* Ubi poſterior phraſis *turbinis* ita declarat priorem, ut in hac merito inveniamus Nubem Igneam æque quam Procelloſam, celerrime motam, unam præcipuam cum aliis ei junctis fortè minoribus; in quam rem etiam conferri non male prorſus poteſt textus alter 2 *Reg.* VI. 17. ubi memoratur *mons plenus Equis & Curru Ignis circum Eliſam.* Quamquam non deſint, qui in textu certe priori nihil fere præter ſplendorem gratum per Ignem denotari ſtatuunt, evitaturi ſic ſcil. læſionem quam ab Igne Elias acceperit, niſi miraculo eam averteret Deus. Unde lego apud *Caſp. Sanctium* inter alios; *Qui Currus nunc dicitur Igneus & Igni Equi, Nubes fuit ſplendidiſſima, in Currus Equorumque ſimilitudinem efformata, quæ accepit Eliam, illumque medium amplexa eſt, ita ut in Curru ſedere ac vehi videretur.* Ita Cajeta-

*ietanus hic, & Abulenſis ſupra; & ita mihi videtur eſſe dicendum, tum quia hic modus magis videtur facilis & aliud evitat miraculum, quo & Elias in corpore adhuc paſſibili & mortali non comburitur, neque pallium ad Helizæum mittitur uſtulatum, tum quia Turbo non tam rapit Ignem, quam Nubem. Neque dicendi modus ab hac expoſitione alienus eſt, quo quod ſplendidum eſt & rutilum, licet non ab igne, Igneum vocatur, &c. Apparuerunt igitur in Nube ſplendida Equorum effigies & Currus, deinde tota illa ſpecies evanuit, & tantum manſit Turbo, qui Eliam procul in media Nube ab Heliſæi oculis abripuit &c.* Quaſi Nubes Ignea non poſſet dici ab Ignis emiſſione absque læſione Vatis neceſſaria, quam & ſic paſſim benigne à tonitribus & fulminibus avertit Deus; imprimis, ubi in re ipſa eſt Miraculum certiſſime magnum. Nec iſta fit Nubis & Turbinis diſtinctio *Sirac.* XLVIII. 9. ὁ ἀναληφθεὶς ἐν λαίλαπι πυρὸς, ἐν ἅρματι ἵππων πυρίνων. Non minus forte recte hinc ſcripſit inter & poſt alia *Corn. à Lapide; Videtur ergo Deus emiſiſſe fulgetra coruſcationes & fulgura, ſimilesque igneas procellas, quæ Eliam raperent & veherent in cœlum, &c.*

IV. *Nubes* quin etiam fuit, in qua Deus, atque Angelus Domini magnus noſter, deſcendit in Sinai; ſed quæ deſcribitur ut *denſa, & gravis*, conjuncta cum *vocibus* & *fulguribus*, ac *voce buccinæ valde fortis &c.* ad quam & Moſen vocavit Dominus, *coll. Exod.* XIX. XXIV. XXXIV. *&c.* ſed cujus terrorem magnum graphice depingit Paulus *Hebr.* XII. 18. *&c.* ἐ γὰρ προσεληλύθατε ψηλαφωμένῳ ὄρει, καὶ κεκαυμένῳ πυρὶ, καὶ γνόφῳ, καὶ σκότῳ, καὶ ϑυέλλῃ, καὶ σάλπιγγος ἤχῳ, καὶ φωνῇ ῥημάτων, ἧς οἱ ἀκούσαντες παρητήσαντο μὴ προστεθῆναι αὐτοῖς λόγον, οὐκ ἔφερον γὰρ τὸ διαστελλόμενον &c. καὶ οὕτω φοβερὸν ἦν τὸ φανταζόμενον, μωσῆς εἶπεν, ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος &c. Et Nubes fuit, partim obſcura, partim lucida, quæ ſe mediam ſtitit inter Ægyptios ac Iſraëlitas *Exod.* XIV. 20. de qua diſputavimus *EXERC. TEXT. VI. Parte II.* & *EXERC. TEXT. VIII. Parte III.* quæque per invia deſerti populum duxit conſtanter, *Nubis & Ignis Columna* dicta, & à nobis contra impias torſiones tum aliorum tum *Herm. Hardtii* illic defenſa. Nubes etiam fuit, quæ apud Chriſti Transformationem glorioſam obumbravit ſubitò Moſen & Eliam, voce ſimul inde audita

Etiam illius apud Iſraëlem ad Sinai & in Deſerto, & apud Chriſtum in Monte.

dita Divina, qua ſublata diſparuerunt illi, & quæ à *Matthæo* dicitur φωτεινὴ, *lucida*, *Matt.* XVII. 5. Ut nihil jam dicam de Nube in qua Chriſtus noviſſime rediens ſe ſiſtet ad Judicium habendum, *coll. Luc.* XXI. 27. *&c.*

Dum placida & grata hæc potius ſuiſſe Nubes cenſenda eſt, quam terribilis.

V. Iſta quando conſidero, nihil quidem inepti aut planè alieni conjiceretur heic, ſi cogitaremus in generali nomine *Nubis* dè Procelloſa & Fulminea, adhibita forte ad notandam vere tremendam Aſcendentis Domini Majeſtatem, quæ ſe conſequenter etiam per orbem erat manifeſtatura in ira adverſus infideles & immorigeros, æque quam in gratia adverſus credentes & obedientes. Quo magis Nubi iſti heic adſcribitur Ablatio ſeu Sublatio Jeſu, quæ ad vim ejus majorem nos queat ducere; & cum hac ſublatione confertur Reditus ipſius noviſſimus ad Judicium habendum. Attamen magis putem ſtandum pro Nube Amœniori ad conſpectum, & Placidiori ad ſenſus reliquos, ſed quæ Majeſtatem ſimul referret ſufficienter maximam imo extraordinariam. Quo fere modo *Marcus* & *Lucas*, narrantes Chriſti Transformationem, ſimpliciter habent *Nubem*, ubi *Matthæus* nominavit *Nubem Lucidam*. Si roges, quam ob rem? dicam, hoc videri colligendum ex Tranquillitate Apoſtolorum, qui per Nubem hanc adeo non fuerunt perterrefacti, ut ex adverſo manerent ἀτενίζοντες εἰς τὸ οὐρανὸν, *intentis in cœlum oculis*, & ſtarent ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανὸν, *intuentes in cœlum*, quin & *adorato* Domino Jeroſolymam ſint reverſi *cum gaudio magno*. Ad quæ accedit, quod adeſſent modo, non Hoſtes Jeſu, qui ab ipſo terreri merebantur, ſed Amici ejus præcipui, qui magis erectione læta in ablatione Domini ſui opus habebant, & quo minus forent territi eo certius rei geſtæ teſtimonium dare poterant. Inprimis etiam id, quod ab hac Nube ſive per eam fiebat, erat tendens ad maximam Utilitatem & hinc decentem Lætitiam Diſcipulorum, ſecundum id quod totiens ante & poſt mortem, atque tantum non hoc ipſo momento, ipſis inculcaverat Jeſus; unde Nubes horrida & valde terribilis heic vix aptum repererit locum. In quam rem non male etiam conferes hiſtoriam Eliæ ex 1 *Reg.* XIX. 11–13. in quo poſt *ventum magnum & fortem frangentem montes & confringentem petras*, in quo non erat Jehovah, & poſt *Motum Terræ*,

*Terræ*, in quo non erat Jehovah, & poſt *Ignem*, in quo non erat Jehovah, ſecuta eſt *vox tenuis ſilentii*, ex qua præſentiam Domini gratioſam agnoſcens Vates ad ejus venerationem debitam ſe compoſuit paratiſſime.

Quæ tum ſuſtulit, tum abſtulit Jeſum verſus cœlum, à conſpectu Diſcipulorum.

VI. Quod jam de Nube hac, qualiſcunque ea fuerit, fertur, eſt, quod Jeſum *elatum*, ſive *elevatum*, de terra cœlum verſus, *ſuſtulerit*, ab oculis Diſcipulorum; de quo & ante diximus *Cap. II.* §. 13. Ubi prius verbum Paſſivum ἐπήρθη ita abſolute eſt adhibitum de Domino, ut non referatur neceſſario ad Nubem tanquam cauſam mediam per quam id factum ſit. Adeò ut cogitari queat commode de Chriſto aliquo uſque in cœlum elato immediata magis Sua & Patris virtute, videntibus ſic ipſum aſcendentem Apoſtolis absque aliquo integumento, antequam à Nube conderetur. Dum tamen nihil admodum obſtat quo minus ſequens phraſis altera, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν, *& Nubes ſuſtulit eum*, credatur ita exprimere Elationis memoratæ modum, ut & hæc ipſa Nubes ad hanc cooperata ſit in primo Aſcenſionis inchoatæ momento per Sublationem de Terra ipſa. Quæ res quomodocunque ſe habuerit, Nubi utique hoc tribuitur, quod *ab* Apoſtolorum *oculis*, ſeu conſpectu ipſorum ἀτενιζόντων & ἐμβλεπόντων Jeſum elevatum & ſuſceptum, *ſuſtulerit*, nec in longitudinem, nec in latitudinem, ſed in altitudinem majorem cœli, quæ via erat ad Dei thronum ſupremum recta, ad quem ipſum mortales Diſcipulorum oculi penetrare non poterant utique, nec Nubes ipſa aſcendere, ſine miraculo alio maximo. Quod autem totum Effectum Nubis voluerint quidam reſtringere ad Occultationem Jeſu ab Oculis Diſcipulorum per ſui Interpoſitionem ſolam; id fit præter ſpeciem magnam, ſive majorem vim verbi ὑπέλαβεν ſpectemus, ſive imminutam ſic quadantenus Domini Aſcendentis gloriam qui minus uſus ex Nube habuerit, ſive & abruptum eo modo citus Diſcipulorum conſpectum, qui multo diutius & altius Nubem potuerunt videre aſcendentem, quæ Jeſum continebat, & ſic Jeſum ipſum per promotam Nubem, quam Jeſum ſolum tanquam longe minoris molis non tantum, ſed & latentem poſt Nubem ſimpliciter intervenientem, abſque notitia ulla progreſſus ejus ulterioris. Dum temere objicias,

Nubi non convenire hoc quod in Cœlum Supremum perduxerit Jeſum; hæc enim Sublatio per Nubem eousque nuſquam dicitur facta, ſed tantum ad uſque finitum Diſcipulorum conſpectum, quando Nubis uſus optime ceſſavit.

Quo ipſo non minuitur, ſed potius augetur Domini Aſcendentis gloria.

VII. Enimverò an hoc ſatis conveniens eſt Dominicæ gloriæ Redivivi Servatoris noſtri, quod ipſe per Nubem auferatur in Cœlum à Conſpectu Diſcipulorum ſuorum? quando illud propriam poſſit videri Impotentiam arguere, & in nudis hominibus æque quam in ipſo locum habere. Sed reſpondemus nos, neutiquam heic Nubem interveniſſe ex Potentiæ propriæ defectu, ſed ex ſapientiſſimo ejus conſilio; plane uti fiet in Reditu ipſius Die noviſſimo; imo & Cauſis omnibus Secundis, atque etiam Inſtrumentis, utitur quotidie Deus in Operibus tam Naturæ quam Gratiæ, ſine quibus ad hæc omnino ſufficeret ille tamen. Quod autem Deus Nube etiam potuerit uti ad hominem nudum in altum attollendum, nemo dubitat, nec dubitari poteſt per Eliæ exemplum ſupra adductum; ſicuti & mortuos homines ille ex hoc ſtatu & ſepulchro ipſo excitavit, æque quam Chriſtum. Sed in eo eſt diſcrimen, quod aliis contingit virtute aliena ad quam illi ſe mere paſſive habent, idem contingere Chriſto proprio etiam juſſu, cui cum aliis Creaturis inferioribus & ſuperioribus etiam Nubes parere debuit. Unde Sublatio per Nubem eſt argumentum optimum Majeſtatis Divinæ, quæ ſic in ipſo aſcendente ſuper tale vehiculum emicuit, utpote qui non tantum in Terram ac in Mare, ſed & per Aërem ipſum in Nubes & Tempeſtates imperium ſuum validè oſtendit. Secundum illud de Deo dictum *Pſal.* CIV. 3. *ponit Nubes currum ſuum, & ambulat ſuper alas venti.* Et ſecundum ſolitam praxin Dei, manifeſtantis ſe ab ævo in Nube tegente ſimul & declarante ſuam majeſtatem, elata ſcil. ſpectabili, celeriter mota, & ab effectis tum gratis tum noxiis nota omnibus, *coll. Exod.* XVI. 10. *Lev.* XVI. 2. *Num.* IX. 15. 16. XI. 25. I *Reg.* VIII. 10. 11. *&c.* Unde & Nubes antiquitus non male habita pro Divinitatis inviſibiter præſentis Emblemate ad Viſum præſtanti; quod & ex ejus Effectibus à multis deducitur. Dum de ipſo *Nubium Cultu, ſi & his præbitus fuit in Diis locus*, magis incertum ſe prodit *Gerh. Joh. Voſſius*

*Lib.*

*Lib. III. de Idol. Cap.* 12. Ubi ex *Ariſtophane in Nubibus* producit *Socratem* loquentem de Τῇ Νεφέλαισιν, Τῇ ἡμετέραισι δαίμοσιν, nec non σεμναῖς τε θεαῖς, Νεφέλαις βροντησικεραύνοις. Subjiciens tum; *Sed quis in iſtis Poëtæ nequiſſimo, (nec propterea ingenio ejus vel facundiæ aliquid detractum velim) facile habeat fidem de Philoſophorum longe optimo? Multoque minus audiendus eſt Juvenalis Sat.* XIV. *ubi Nubes ait cultas à Judæis,*

*Quidam fortiti metuentem Sabbata patrem,*

*Nil præter Nubes, & Cœli* (cilli) *numen* (lumen) *adorant. Atque idem de Chriſtianis exiſtimatum. Unde de utrisque Tertullianus Apol. Cap.* XXIV. *Alius, ſi hoc putatis, Nubes numerat orans, alius lacunaria. Nempe qui contemtis Gentium numinibus verum Deum ſublatis in cœlum oculis invocarent, hi propterea ſtolidis viſi nationibus orare, vel etiam numerare, Nubes, modo ſub dio precarentur, vel lacunaria, quoties hoc facerent ſub tecto.*

VIII. Hactenus expreſſa habuimus *Lucæ* verba; unde de re narrata & externe ad oculos geſta eum in modum dubitare nequaquam licet. Enimvero ſolet Deus ita Corporibus viſibilibus uti ad Opera ſua Extraordinaria potiſſimum, ut & Spiritus inviſibiles ad ea ſimul adhibeat, ſi non ſemper, certe frequenter, ſive jam per aliud ſenſibile emblema ſingulare ſive & absque eo. Quod & factum eſſe apud Eliæ Aſcenſionem, communiter fere agnoſcitur, *Curru igneo* & *Equis igneis* illic habitis pro Symbolo præſentium & operantium in iis Angelorum Cœleſtium 2 *Reg.* II. 11. ex collato textu altero etiam 2 *Reg.* VI. 16. 17. ubi cum reſpectu ad *Equos & Currus Igneos*, à ſervo viſos, dixit Eliſah, *multi qui nobiscum præ iis qui ſunt cum illis.* Ita profecto apud Chriſti Reſurrectionem, qui factus fuit Terræ Motus ad Monumenti Dominici apertionem, conjunctos habuit Angelos, qui & plures illic apparuerunt. Nec unus tantum adfuit Angelus apud Chriſti Nativitatem in Bethlehem, ſed & Multitudo eorum maxima, quæ ob natum inter homines commune Beneplacitum Dei & hominum Deo gloriam dedit pacemque terris annunciavit lætiſſime. Si etiam in parabola docuit Servator, Animam pauperis Lazari morientis ab Angelis abſportatam fuiſſe in Abrahami Sinum *Luc.* XVI. 22. an dubitare poſſumus

Angelorum Cœleſtium præſentia apud hanc Chriſti Aſcenſionem recte cogitatur.

mus de Angelis magno numero ad ſervitia exhibenda præſentibus apud Regiam Aſcenſionem Cœleſtis throni à Domino factam, cui obſequia præſtiterant ſua in ſervili conditione præcedenti, & quem adorare juſſi ſunt in Primogeniti illius Reductione in orbem, & quibus *ſpectatus* dicitur idem 1 *Tim* III. 16. in magna emphaſi? Fuiſſe quin etiam aliquos ex iis heic præſentes, Viſus & Auditus inſecutus Duorum Apoſtolicus infallibiliter arguit; quos ſolos exiguo illo numero adfuiſſe in ſplendidiſſimo hoc actu, uti ſoli ad inſtructionem ſolidam Apoſtolorum ſufficiebant, vix cuiquam ex ſilentio de aliis non viſis perſuadeas attendenti. Dum porro heic nondum locus eſt agendi de Vaticiniis Veteribus, quæ ex *Pſal.* XLVII. & LXVIII. huc conferri poſſent; non poſſumus, quin laudemus modo ipſius Domini noſtri verbum illud Euangelicum ex *Joh.* I. 52. *amen, amen, dico vobis,* ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τ̀ οὐρανὸν ἀνεῳγότα κ̀ τὺς ἀγγέλυς ⸀ θεῦ ἀναβαίνοντας κ̀ καταβαίνοντας ἐπὶ τ̀ υἱὸν ⸀ ἀνθρώπυ. Quod ipſum optime intelligi de Aſcenſione Chriſti in Cœlum atque Deſcenſione illius noviſſima ex Cœlo, in qua utraque Cœlum foret Aperiendum & Angeli Dei tanquam ſatellites ſplendidiſſimi adforent, docuimus olim *EXERC. TEXT. XXXV. Parte IV.* Adeo etiam hac in parte docuit Jeſus ſimilitudinem Reditus ſui cum Aſcenſione, quam heic duo inculcant Angeli *verſ.* 11. ad Angelorum ſatellitium, quod utique in Reditu erit maximum & illuſtriſſimum, eſſe extendendam.

Nec non Beatorum Cœlitum Concurſus.

IX. Nec absque omni ratione & veri ſpecie progrediemur forte ad Sanctorum in Cœlis Beatorum Conjunctionem notabilem cum Angelis in hac Chriſti Aſcendentis Sublatione per Nubem, ſi non in Aëre inferiori ubi videri ab Apoſtolis potuiſſent, utique in ſuperiori parte Expanſi. Si enim Moſes & Elias ſe Chriſto præſentes ſtiterant in ipſius adhuc mortalis Transformatione brevi *Matt.* XVII. 3. de quo & cujus modo egimus *EXERC. TEXT. XXXIII. Parte III.* quanto hoc convenientius credatur, ut in Cœleſti Tranſlatione Chriſti Immortalis, duratura ad extremum Diem, ſe illi junxerint, cum gaudio & glorificatione ipſius, Beati Cœlites complures, ſive Animæ ſolius, ſive & Corporis reſtituti reſpectu? Quam conjecturam nos etiam dedimus nominatim de *Suſcitatis*

*tis multis corporibus Sanctorum qui obormierant*, quique *egressi ex monumentis post ejus resurrectionem*, & *ingressi in civitatem sanctam multis apparuerunt Matt.* XXVII. 52. 53. quà de re videre potes *EXERC. TEXT. XXXIII. Parte III.* Ubi prolixe pro hac opinione pugnavimus, adversus alios dissentientes & multa objicientes; quæ cuncta heic repetere non putamus esse opus, dum illic latius legi possunt §. 8 — 11. additis etiam Veteribus æque quam Recentioribus scriptoribus, qui dudum de hac re dissenserunt. Atque est ex hac hypothesi, quod scripsi etiam nuper *EXERC. TEXT. XLIX. Parte VI.* de intellecta male à nonnullis in *Nube* nostra metaphorice *Angelorum & Beatorum præsenti Multitudine*; quod hæc tamen *cum & in corporea Nube se illic stitisse satis recte existimetur certe.*

---

## CAPUT SEPTIMUM.

### *Quo de Angelorum Conspectu & Auditu Apostolico, proxime insecuto post Christi Ablationem in cœlum, disseritur.*

Historia annectitur Angelorum qui Apostolis se intulerunt.

Qui *omnem Potestatem in Cœlo & in Terra sibi datam* omnino professus fuerat Jesus Redivivus *Matt.* XXVIII. 18. is in ipsa Ascensione hoc demonstravit externo etiam opere. Quando non modo duxit ad Ascensionis Locum elevatum suos Apostolos, futuros spectatores & testes gloriæ ipsius maximæ; sed & Nubem cœlestem advocavit in vehiculum glorioſæ Translationis suæ de terra in cœlum; quin etiam Spiritibus supercœlestibus usus est, tanquam Præconibus suæ Majestatis, tam futuræ quam præsentis. In qua parte historiæ Euangelicæ, in solis *Actis Apostolicis* descripta, quæ ad *Modum Ascensionis illustrem* omnino quoque pertinet, ita versabimur, ut videamus I *Rem* gestam 1. Apud *Apostolos* intentos in cœlum. 2. A *viris duobus* in albo vestitu. 3 Per *Apparitionem*, & *Alloquium*, Redargutivum & Instructivum. II. Ejusque rei gestæ *Effectum* consequens in Apostolis.

Dum hi erant proficientes in cœlum, Chriſto proficiſcente vel profecto.

M. Nempe illi, qui primo heic prodeunt loco, & de quibus in Perſona Tertia Plurali agitur, ſunt indubie Apoſtoli Undecim, de quibus ſub pronomine αὐτῶν *illorum* repetito actum fuerat *verſ.* 9. Et hi, ſimul omnes, uti fuerant modò βλέποντες *videnti* Chriſti ἐπαρσιν Nube ſublati ab ipſorum oculis, occurrunt heic porrò ὡς ἀτενίζοντες εἰς τὸν οὐρανὸν, πορευομένου αὐτοῦ. Ad quæ verba recte inter alios *Bezam* annotaſſe puto; *poſſe quidem hæc verba* εἰς τὸν οὐρανὸν *etiam cum Participio* πορευομένου *conjungi, ſed ex oratione Angelorum apparere, potius eſſe cum ſuperioribus connectenda, ſicut*, inquit, *poſt Eraſmum fecimus.* Dum paulo aliter *Caſaubonus* habet; *Verba hæc* εἰς τὸν οὐρανὸν, *& cum* ἀτενίζοντες, *& cum* πορευομένου *cenſeo eſſe conjungenda, quaſi bis eſſent poſita, cujusmodi multa reperiuntur apud optimos ſcriptores. Alioqui* πορευομένου αὐτοῦ *durius dictum videtur. At verſ.* 11. *utrumque exprimitur clarius, nam & Apoſtoli dicuntur* ἐμβλέποντες εἰς τὸν οὐρανὸν, *& Chriſtus* ἀναλημφθεὶς εἰς τὸν οὐρανόν. Sic eſt; res iſtæ manifeſto ſunt conjunctæ, Chriſti Aſcenſio in Cœlum quorſum Sublatio ejus dirigebatur, & Apoſtolorum Intuitus in Cœlum, ex priori fundamento; ſed de hoc tamen directè magis heic agitur. Poteſt autem illud, πορευομένου αὐτοῦ, *eo proficiſcente*, vel in Præſenti referri ad progreſſum ulteriorem Chriſti Nube ex conſpectu ablati in Cœlum ſupremum, ad quod tendebat licet non amplius jam viſus; vel alias intelligi in paulo ante præterito, cum reſpectu ad Viſibilem Chriſti Profectionem, quæ ceſſabat cum Nubis Ablatione. Quorum alterutrum colligas, ex Proſpectu Diſcipulorum non adeo jam in Chriſtum abeuntem quam *in Cœlum*, & ex Proſpectus ejus Redargutione Angelica, in qua *Jeſus* utique ut jam *Sublatus ab ipſis in cœlum* conſideratur. Non erat autem hic Proſpectus qualiſcunque, ſed acutus valdè & intenſiſſimus, quod per verbum ἀτενίζειν indubie ſignificatur, *coll. Act.* III. 4. 12. VI. 15. *&c.* Qualis proſpectus declarabat quidem cordis illorum durans & protenſum deſiderium in Dominum proficiſcentem; ſed non excludit omnem curioſitatem indecentiorem, vel & perſuaſionem vanam, ſeu de ſe ad Dominum in nubes quoque abripiendis forte, ſeu maximè, ſi non de Muneribus inde demittendis, etiam de Domino celerius ad ipſos redituro, quor-

quorsum sermo Angelicus de ipsius Reditu novissimo ducere queat videri. Dum redargutioni vix locus adeo aptus fuisset; si prospectus ille per omnia laudari mereretur.

III. *Et ecce*, rem æque miram quam certam, ἄνδρες δύο ἐν ἐσθῆτι λευκῇ, *viri duo in vestitu albo*, &c. Ubi nomen *Virorum* etiam per Vestitum iis adscriptum nos non ducit ad Homines ullos incertos, defunctos antea, vel viventes adhuc, aliunde supervenientes, quales erant compellati *Viri Galilæi*; sed ad Angelos in humana Virorum forma à se assumpta ad hoc tempus sese manifestantes, cum omnes sint spiritus incorporei. Uti sic qui dicitur *Act.* x. 3. *Angelus Dei*, idem vocatur *vers.* 31. ἀνὴρ ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ *vir in vestitu splendido*; atque perinde de Mulieribus ad Christi sepulcrum fertur *Luc.* xxiv. 4. καὶ ἰδοὺ δύο ἄνδρες ἐπέστησαν αὐταῖς ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις, quos fuisse Angelos dubitare non sinunt Euangelia. Nempe istud *Virorum* schema aptum erat, non modo ad eorum sapientiam & fortitudinem virilem exprimendam, sed & familiariorem cum hominibus debilibus conversationem præstandam; quod & ante Christi adventum sic contigerat. Erat autem horum *Vestitus* virilibus hominum membris conveniens, adeoque non intelligendus communiter de Nubium Integumento qualicunque, *Albus*, in puritatis, gaudii, & gloriæ possessæ & adducendæ testimonium; uti & sic Mariæ Magdalenæ tribuitur conspectus *duorum Angelorum in albis Joh.* xx. 12. dum pro isto colore alias vestitus idem ut λαμπρὸς vel & ἀστράπτων describitur. Nec fuit unus aliquis Vir talis, nec multi admodum, vel plures, sed *Duo*, ad testimonii sui certitudinem sufficientem; sicuti & idem numerus observatus est in Angelis *Luc.* xxiv. 4. & *Joh.* xx. 12. atque in Apostolorum & LXX. Discipulorum missione Dominica, *Marc.* vi. 7. *Luc.* x. 1.

Et quidem ut Viri Duo in Albo Vestitu.

IV. Hi porro Viri in Vestitu Albo illis Discipulis undecim παρεστήκεισαν, *astiterunt*, apud *Vulgatum* & *Bezam*. Quod verbum nos avocat ab Accessu successivo tardiori, qualem certe heic non observarunt Apostoli, ad *Præsentiam* celerrimam & inopinatam, ut adessent quasi absque accessu. Quod præterea non quidem exprimit clare Terminum à quo venerint, qui indubie fuit Cœlum tanquam illorum Mansio soli-

Qui adstiterunt Apostolis.

ta; ſed deſignat *Manſionem* notabilem apud Apoſtolos, ad quos & propter quos heic aderant, in oppoſitione ad præteritionem aut tranſitum ſubitaneum; & ſimul *Erectam Stationem*, alacritatis lætæ & fortitudinis indicem laudabilem; ſi non & *Corroborationem* ipſis Apoſtolis adferendam, quibus aſſiſtebant. Dum non eſt narratum à *Luca*, quam diu hæc eorum præſentia apud Apoſtolos duraverit; ſed duratio illa agnoſcenda eſt ſufficiens ad convictionem & inſtructionem Diſcipulorum, ad quam ordinabatur, tum merito ceſſans per Virorum diſparitionem uno vel alio modo factam.

Atque dixerunt ad eos, Virorum Galilæorum nomine compellatos,

V. Dum de horum Virorum facta per Apoſtolos interrogatione nihil habet textus, forte ex terrore vel & veneratione illorum, ipſi illi ſecundum miſſionis ſuæ finem loquuntur ad hos, ſive Duo ſucceſſivè ſive Unus utriusque conſentientis nomine, οἱ καὶ εἶπον, *qui & dixerunt*, clare & diſtincte. Nempe hos quos alloquuntur ut *Viros Galilæos*, redarguunt de *Intuitu* ſuo in cœlum *durante*, atque præſentia & futura de *Jeſu* docent. *Viros* heic putem dici, non jam per extenuationem qualemcunque; ſed potius per ſpeciem laudis & commendationis, tanquam non obſtante vilitate externa præſtantes multum ſpiritualiter præ aliis apud Deum & homines, & pro talibus à ſe agnitos, *coll. Act.* II. 14. 22. III. 12. v. 35. XIII. 13. XXV. 24. *&c.* & quibus ſic minus conveniebat id quod in eis redarguebatur. *Galilæos* autem eoſdem appellari credo, ab illa Iſraëliticæ terræ remotiſſima parte ex qua oriundi erant & venerant, vel plurimi vel & omnes; dum tamen hoc nomen quoque merebantur per adhæſionem & ſequelam Jeſu Galilæi, *coll. Matt.* XXVI. 69. An jam nomen hoc additum eſt ad illorum virorum depreſſionem? quo modo datum eſt Chriſto ipſi ex Nazareth Galilææ tanquam non nativitatis ſed educationis loco orto, & de Diſcipulis adhibetur *Act.* II. 7. *nonne ecce omnes illi loquentes ſunt Galilæi?* Nec velim ego multum obloqui; quando à rudi ſimplicitate Galilæi, diſſitiſſimi à Jeruſalem & Gentibus proximi, celebrabantur paſſim, atque illa heic in ipſo cœli intuitu ſe manifeſtare quadantenus videbatur, & contemptus eorum qua talium erat notus aliis & ipſis nec hinc diſſimulandus. Non putem etiam hoc repugnare, ut *Virorum* nomine commendati per illud

Gali-

*Galilæorum* iterum deprimantur; ſi quidem Viri ſic apte dicerentur præſtantes inter Galilæos & præ aliis, vel etiam Viri vere qui ut Galilæi contempti ab aliis, vel etiam Viri qui ut Galilæi inſtructione majori tamen haberent opus. Sed omnes iſtæ ſunt cogitationes minus neceſſariæ, ubi illi ſimpliciter ſic compellati à patria ſua agnoſcuntur ab Angelis, qui ſint, & unde veniſſent tanquam magis diſſiti ad hunc locum, ut Angelorum ſermonem tanto promptius admitterent.

VI. Eſt ille ab initio Redargutorius; *Quid in Cœlum intuentes ſtatis*, ſeu *conſiſtitis*? Non dicunt, quid huc veniſtis? Erant enim huc ducti à Chriſto ipſo. Non dicunt, quid heic vidiſtis? Id narrant Angeli, ipſis id inculcantes, quod Dominum vidiſſent in cœlum proficiſcentem. Non dicunt, quid Chriſtum intuiti eſtis aſcendentem? Hoc magnum fuerat bonum, ipſis conceſſum præ aliis, ad aliorum omnium uſum. Non dicunt denique, quid veſtra cogitata & deſideria ad Chriſtum ablatum tendunt? Hoc erat decentiſſimum utique. Sed quæſtio eſt; tum de *Intuitu in Cœlum* corporeo, eo loco quo Chriſtus aſcenderat, non utique ad Deum meditandum, celebrandum, invocandum, &c. ſed ad Chriſtum illic longius vel rurſus videndum, qui illic non amplius videbatur, vel videndus erat modo; tum de *Statione*, ſeu manſione erecta longiori ad illum Intuitum, ſine adhuc facto regreſſu ullo verſus Jeruſalem, quæ etiamnum longius potuiſſet durare, ſi per Angelorum hoc verbum non fuiſſet abrupta. Eſtque illud τί, *quid*, heic interrogative poſitum, idem cum *cur*, & *in quem finem?* non quod ratio ſtationis & intuitus illius lateret, ex omnibus circumſtantiis facile colligenda, ſed quod ſtatio illa cum intuitu eſſet ſine ratione juſta, & ſine fructu deſiderato, imo contra Domini præcedentem inſtructionem omnem. Quemadmodum & ſimiliter legitur *Pſal.* 11. 1. *quare tumultuantur gentes, & nationes meditabuntur inanitatem? erigent ſe reges terræ &c.* atque infinitis locis aliis. Audite hanc Angelicam increpationem *Papiſtæ* ſuperſtitioſi, qui homines omni conatu reducitis ad Loca dicta Sancta, ut ibidem ſtent & repant religioſe, ubi Chriſtus non eſt amplius, nec rei antiquæ olim geſtæ memoria certa ulla!

Quid in cœlum intuentes ſtarent.

Et habet hæc interrogatio præterea dehortatoria in se adhortationem implicitam ad Reditum in Jerusalem cum sequenti ipsorum opere, atque Intuitum Jesu ipsius cœlestem in spiritu.

Dum Jesus hic ab ipsis in cœlum sublatus erat vere.

VII. Est sermo idem Angelorum ad Apostolos, Viros Galilæos, dein Instructivus, de *Jesu*, non qualicunque sic nominato, sed *hoc*, magno illo & προσώπῳ, quem ut Magistrum & Ducem suum ipsi erant secuti, & nunc apud se non amplius habebant præsentem. Hic Jesus, inquiunt, *à vobis in cœlum sublatus* est prorsus; ergo nec in hoc monte nec in Cœlo visibili quærendus ad corporalem intuitum, & novum amplexum. Nam illud *à vobis*, heic ita refertur ad Apostolos, & proximam eorum præsentiam; ut, per vim cœli oppositi, merito extendatur ad omnes terræ hujus habitatores, respectu præsentiæ corporalis, sive propioris, sive etiam remotioris ad conspectum. Atque *in Cœlum* nos ducit, non ad Cœlum inferius aut medium, per quod utrumque ipse transierat, & in quod ipsi prospicientes idcirco redarguuntur; sed omnino ad Supremum, in quo est Dei Thronus gloriosissimus, & Angelorum ac Beatorum hominum congregatio sancta ad Christum caput suum facta ac futura. Et ab illo termino in hunc dicitur Dominus ἀναλημφθεὶς, seu *receptus*, cum inde olim in hanc terram veniisset, seu *sublatus*, altissime ex depressiore terra, *sursum receptus*, apud *Bezam &c.* quod ad Divinam virtutem, non excluso Nubis & Angelorum ministerio, est referendum. Sic ergo ab Angelis certi reddunt; quod non esset Dominus amplius in his terris, nec in earum vicinia cœlesti, quorsum hinc oculos suos frustra imo perperam per reliquam infidelitatem intenderent de Oliveti Monte; sed quod esset in Gloriæ & Beatitatis Divinæ locum translatus, quorsum cordibus suis prospicere debebant; de quo vide antea dicta *Cap. I. & II.* Adeo confirmant heic Angeli, quod Jesus de Mundi inferioris derelictione & Cœli conscensione sua toties prædixerat clarissime, etiam *Matt.* XXIV. 26. 27. ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν, ἰδὲ, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστὶ, μὴ ἐξέλθητε, ἰδὲ ἐν τοῖς ταμείοις, μὴ πιστεύσητε, ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *&c.* Neque consequenter somnianda est à

nobis

nobis Humanitatis Christi Præsentia corporalis, seu in Cœnæ Novæ Sacramento, seu in omnibus Ubique locis; quam cum ponunt Illocalem & Invisibilem, id asserunt, quod naturæ rei repugnat, & usu vero destituitur.

VIII. Altera quoque accedit Instructionis Angelicæ pars, quæ ad Apostolorum erectionem lætiorem quam maxime ducit; Οὗτος ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν. *Veniet* non tantum, sed & tali *modo* ut abiit. Ubi *venire* manifestè positum est pro redire πάλιν ἔρχεσθαι *Joh.* XIV. 3. sicut alias multis locis, *Matt.* XXIV. 16. XXIV. 30. 1 *Cor.* XI. 26. *&c.* ex Hebræorum dudum notato more. Adeoque intelligi debet de Adventu ex Cœlo, præsenti longæ mansionis loco, in Terram hanc; non quidem calcandam & habitandam rursus ab ipso, sed videndam ex nubibus, ita ut ipse videatur etiam in illis, dum nempe Judicium in omnes ejus incolas vivos & mortuos habebit, partim puniendos pro pessimis meritis, partim plene beandos, quem Adventus istius finem tota loquitur Scriptura. Et hic est Adventus ille, qui & sub nomine παρουσίας ipsius totiens venit *Matt.* XXIV. 27. 1 *Cor.* XV. 23. 1 *Thess.* II. 19. IX. 15. *&c.* Præbetque hoc solatium, quod ablatus ipse non semper esset abfuturus, sed aliquando rediturus ad pleniorem salutem suorum; non tamen rediturus, vel sæpius, vel citius, sed post plene collectam Ecclesiam & impletum numerum electorum, atque consummatam ab impiis iniquitatis suæ mensuram, quousque decet ut cœli ipsum capiant. Ne vero alius heic *Adventus* Jesu, per opera Gratiæ singularis in Ecclesiam, vel Iræ in hostes, intelligeretur ullus, additum est, ὅτως ὃν τρόπον, *&c.* vel *sic, quemadmodum vidistis eum proficiscentem in cœlum.* Ubi de Christi Profectione in cœlum, ejusque Visu Apostolico nihil habemus repetendum. Nisi quod hæc nunc etiam certitudinis testimonium iteratum ab Angelis accipiant; non aliorsum scil. esse abductum Dominum quam in Cœlum, nec errasse Apostolos oculorum aut phantasiæ vitio, sed illos vere vidisse suis oculis ascensionis hujus initium glorioſum. Sed notari debet illa Reditus conjunctio cum Abitu per *ita quemadmodum.* Cujus sensus foret nimis profecto generalis, si heic apud Reditus Certitudinem foret subsistendum, q. d. tam certo quam vi-

Sic etiam Venturus inde aliquando.

distis

distis ipsi Jesum abeuntem ille etiam redibit, nullatenus declarato sic Reditus Modo. Sed & cujus sensus ultra modum late extenditur, si similitudo intelligatur universalis in fere aut vere omnibus minimis juxta ac maximis; quando non minus de Eodem Tempore Diei cogitari heic posset quam cogitarunt dudum nonnulli de Eodem Loco Ascensionis, ac si & illic Judicium à reduce Domino esset habendum. Priori illo sensu suppositio, & posteriori misso, loquitur satis res ipsa, quod Assimilatio illa Angelica Abitus & Reditus Dominici sit referenda; ad *Veritatem* primo rei visæ & videndæ parem, quæ non aliter se haberet quam appareret, ut foret adeo Idem Jesus in propria humana natura, non aliquod ejus emblema; ad *Visibilitatem* deinde rei factæ & futuræ externam & corporalem, quæ à cogitando Adventu omni spirituali aut metaphorico quovis nos heic avocat; ad *Gloriam* porro illustrem, quæ in abitu non defuerat, & maxima erat futura in reditu, *coll. Matt.* XXIV. 30. XXV 31. *&c.* etiam Nubium & Angelorum ministerio illustri &c. Quorsum & ducunt nomina, tum Φανερώσι& 1 *Joh.* III. 2. tum ἀποκαλύψεως τ δόξης 1 *Pet* IV. 13 tum ἐπιφανείας τ δόξης *Tit.* II 13. tum ἐπιφανείας τ παρουσίας 2 *Thess.* II. 8. quin & ἐπιφανείας simpliciter 1 *Tim.* VI. 14. 2 *Tim.* IV. 1. 8. *&c.* Dum mirandum id nobis obvenit, quod tot textus manifestissime agentes de novissimo Adventu illo Domini, personali visibili & illustri, nescio quanto cum zelo trahantur emblematice ad Christi magnifica opera per orbem ante illum adventum, cum magna etiam phrasium imminutione; ut nesciam an multi sint superfuturi ad Adventum illum directe spectantes secundum hos Autores. Interim & alia ad istam Assimilationem possent addi, v. g. de Usu magno ad fideles perventuro ex Reditu non minus quam ex abitu Domini, &c. sed quæ heic minus ab Angelis videntur fuisse spectata. Et iste quoque Modus Reditus Christi potentissime solari debebat Apostolos, ita ut simul eos validissimè incitaret ad operis sui boni omnis constantiam; sic exspectaturos præmium in ipsius æterna præsentia lætissimum, *coll.* 1 *Thess.* IV. 17. 2 *Tim.* IV. 8. *&c.*

Unde ipsi cum gaudio Reversi in

IX. Non restat jam nisi *Fructus* ex ista Angelorum Appatitione & Allocutione secutus in Apostolis. Qui est, quod

τότε

τότε, *tunc*, ſimul ac Inſtructionem hanc accepiſſent ſine ulteriori mora in monte, *in Jeruſalem ſint reverſi*, ubi à Domino juſſi erant permanere uſque ad Spiritus proxime futuram effuſionem. Quod factum dicitur in Euangelio μετὰ χαρᾶς μεγάλης, *cum gaudio magno*; quod præſens & futura gloria Domini, & ſuum hinc oriturum bonum ſimul, merito operabatur in iis. Ubi hoc etiam additur, quod *in Templo*, etiamnum conſtituta cultus & gratiæ Dei ſede ſingulari, *Deum*, Triunum, ſi non Chriſtum, aut Patrem perſonaliter, *laudantes & benedicentes*, ex iſto ſuo gaudio, *eſſent*; & quidem διὰ παντός, *ſemper*, vel *omni tempore*. Quod vellent quidem multi Viri Docti interpretari de Manſione non aut vix interrupta, hinc concludentes ὑπερῷον, in quo congregarentur Apoſtoli etiam quando Spiritus in eos effundebatur, fuiſſe in ipſius Templi Ambitu interiore. Quæ tamen poſterior theſis, ad examen juſtum à nobis vocata *EXERC. TEXT. XLII. Parte IV.* licet argumentis probabilibus non deſtituatur, non videtur admittenda; propter altiſſimum de Templo alias memorari clare ſolito ſilentium, in hiſtoria Ultimi Paſchatis, & Reditus Apoſtolici in Urbem, & Spiritus effuſi; propter minorem Certitudinem de Manſione apta multitudini Diſcipulorum capiendæ intra Templi ipſius ambitum; propter periculum majus, & hinc metum horum ampliorem in eo loco, quam in alio Urbis Jeruſalem; propter Ingreſſum denique & Aſcenſum in Templum peculiaribus quibusdam temporibus ab Apoſtolis factum *Act.* III. 1. v. 20. 21. *&c.* Unde porro conſequitur, quod illud διὰ παντὸς, *ſemper*, vel *omni tempore*, non ſpectet heic ad Diſcipulorum καταμονὴν ſeu manſionem ſolitam & eatenus perpetuam, ſed exponendum ſit omnino de quovis & omni tempore apto ad publicas Dei laudes in Templo, abſque hujus neglectu ullo indecenti, adeoque & de frequentia præſentiæ in Templo maxima, *coll. Luc.* II. 36. 37. XVIII. 1. *Joh.* XVIII. 20. 1 *Cor.* I. 4. *&c.* Quemadmodum locutiones Univerſales, de *omnibus*, *ubique*, *ſemper*, *jugiter*, *&c.* non ſunt communiter ultra ſcopum vexandæ, ſed intelligendæ, vel de multitudine & frequentia magna, vel alias ex enunciatione ipſa aut contextu limitandæ; & pro exemplo aptiſſimo etiam heic laudare licet conſuetudinem adhuc com-

Urbem; inſecuta Laude Dei continua in Templo, Manſione amica in Cœnaculo, & Pietate omni exercita.

muniſſimam, commendandi homines pios, quod ſemper etiam absque intermiſſione in Eccleſiis & Conventibus Sanctorum adſint ad Deum laudandum, quos ſic neutiquam ponimus illic habitantes, ſed tantum frequentiſſime illic præſentes, nec occaſionem ullam fere vel vere negligentes conſtitutam vel aptam. Enimvero hoc, quod de laudibus Dei in Templo perpetuis habet *Euangelium Lucæ*, idem in *Actis* ſuis mittens *Lucas* dicit, Apoſtolos *introiiſſe*, in Urbem ſcil. non tantum ſed & ſub tectum & in domum quandam, atque uti videtur ſolitam, vel & illam ex qua Chriſtus eos in Bethaniam paulo ante abduxerat; quæ qualis fuerit, & conjiciatur fuiſſe, diximus latius etiam loco modo citato. Quin & additur, cum introiiſſent, eos *aſcendiſſe* εἰς τὸ ὑπερῷον, *in cœnaculum*, ſeu *conclave ſuperius*, quod ſimul eſſet amplius ad multitudinem capiendam, & tutius ad ſermones habendos & res gerendas, *coll. Act.* xx. 8. Qua occaſione monuit cum aliis *à Lapide*; *Veteres Hebræi æque ac Romani degebant in ſuperiore parte domus, ibique aulas habebant amplas ad convivia, cœtus, & cœnas, quas proinde Cœnacula vocabant.* Uti & hoc ſpeciatim notavit *Ligtfootus*; *Cœnaculum eruditos Judæos ſeligere ſolitos, ubi de re Literaria & Religione diſceptabant & ſtatuebant*, ſuperius nempe עליה laudatis in eam rem locis *Talmudicis*. De quo conclavi cum dicitur, ὃ ἦσαν καταμένοντες, *ubi manebant*, apud *Vulgatum*, aut *ubi commorabantur*, ſecundum *Bezam*, vel hoc directe magis nos ducit ad manſionem ſolitam, aut noviſſimam quoque cum Chriſto educturo ipſos, vel rectius forte ad manſionem inſecutam poſt hunc introitum, quæ priorem tamen pro fundamento ſuo veriſimillime habuit. Atque ſic intelliguntur ipſi manſiſſe arctiſſime uniti inter ſe ex communis Domini amore, cum ſeparatione ſolita & neceſſaria ſimili ab incredula gente. Dum ad majorem eorum laudem adhuc accedit, quod illic manentes ſimul, etiam animis & neceſſariis actibus religionis fuerint conjunctiſſimi, ὅτε πάντες ἦσαν προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ δεήσει, σὺν γυναιξὶ, καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρὶ τοῦ Ἰησοῦ, καὶ σὺν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ. Ita nec gaudium conceptum, nec ſpes ex Domini gloria & promiſſis enata, ipſos avocavit ab Officio præſtando decenti in Dominum, nedum ab Oratione indeſinenti qua promiſſo-

rum

rum ſpem foverent & implementum urgerent, poſtquam ad viſam ipſam Aſcenſionem Domini etiam Angeli officium ſuum concionando ad ipſos feciſſent.

X. Attende nunc ad rem omnem dictam, ut Certitudinem & gloriam Dominicæ Aſcenſionis tanto plenius cernas. Qui in corona tot laudatiſſimorum hominum educta ad Aſcenſum, ab ipſis viſus erat aſcendens; quique à cœleſti vehiculo Nubis erat ſuſceptus in altum, nec ſine comitatu cœleſti; is etiam habuit apud Diſcipulos ex cœlo ipſo Præcones Divinos Gloriæ ſuæ, tum præſentis, tum futuræ, ſufficienti numero; quorum & iſta fuit vis in Diſcipulorum animos, ut pleniſſime perſuaſi de Domini ſui perfecta majeſtate, gaudium ſolidum ſenſerint, & pietati infucatæ æque quam charitati ſtuduerint, nunquam porro ſe ab his dimoveri paſſi.

Veritas Aſcenſionis Chriſti ex hoc omni ejus Modo liquens.

---

## CAPUT OCTAVUM.

### *Quo Argumenta quædam laudantur pro Veritate Hiſtoriæ expoſitæ de Domini Aſcenſione.*

Non eſt dubium ſane, quin minus longe ſit difficultatis in admittenda fide narrationis Euangelicæ de Chriſti Aſcenſione, quam prioris de ipſius Reſurrectione quam aſſeruimus *Libro II. toto.* Licet enim ſatis nec minus forte in ſe ſit difficile captu, quo pacto de Terreſtri hac Valle per aëra & æthera immenſum in Cœli ſupremi culmen aſcendat Homo Corpore terreſtri nec exiguo onuſtus, facilius tamen credatur ſingulari Divina virtute hoc factum eſſe, poſtquam hæc ſe tam potenter in eo exeruit, ut ex morte & ſepulchro reſtituerit eum glorioſiorem. Unde & hoc non male educas ex eo, quod Teſtimonium de Jeſu potiſſimum ad ejus Reſurrectionem referatur, etiam non nominata Aſcenſione, *coll. Act.* I. 22. μάρτυρα τ ἀναςάσεως αὐτῦ γενέσθ σὺν ἡμῖν ἕνα τύτων, *Act.* II. 32. τοῦτον τ Ἰησοῦν ἀνέςησεν ὁ θεὸς, ᾧ πάντες ἡμεῖς μάρτυρες, *Act.* III. 15. ὃν ὁ θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, οὗ ἡμεῖς μάρτυρες ἐσμὲν, *&c.* Interim, cum Jeſum aſcendiſſe vere in Cœlum, non mi-

Hiſtoriæ Aſcenſionis expoſitæ Veritas merito monſtranda eſt.

nus credi debeat, quam eum ex morte reſurrexiſſe; atque illud prius omnino vel maximè etiam ab incredulis rejiciatur, æque quam hoc poſterius; id nunc agemus bono cum Deo, ſed multo brevius, ut oſtendamus, Aſcenſionis Dominicæ narrationem omni etiam fide dignam eſſe.

Et ad eam agnoſcendam facit ejuſdem contemplatio in Poſſibilitate ſua.

II. Præcedat heic denuo Rei ipſius contemplatio induſtria in Dei timore. Per quam facile agnoſcetur, illam in ſe nihil habere quod prorſus fieri non potuerit; nihil etiam quod minus decuerit; nihil tandem quod non fuerit neceſſarium. Primum horum dicimus, cum reſpectu, non ad Naturam, ſed ad Deum ejusque Potentiam prorſus infinitam. Per Naturam illa eſt Globi noſtri Terreſtris conſtitutio generalis, ut partes ejus varie quidem inter ſe moveantur, accedente Cœli etiam Medii influxu, tum immediato magis per lumen & calorem, tum mediato per nobis vicini aëris atque illic hærentium meteororum concurſum, ſed ut nullæ harum ſuper aſtra attollantur unquam. Per Naturam eandem ita ordinatus eſt hic Globus noſter, ut quæcunque ſunt Gravia in eo corpora, uti ſane eſt Humanum omne, eadem non aſcendant ſurſum, niſi vi majori adhibita & ad durationem aliquam breviorem, ſed ex adverſo deſcendant, quouſque per ſuperficiem duriorem vel fluidiorem cohibeantur; cujus rei cauſam & modum omnem Philoſophis relinquimus indagandum, forte nunquam ad certam ſcientiam heic perventuris. Per Naturam eandem denique tam notabilis eſt Cœli ſupremi Diſtantia ab hoc Orbe noſtro, eademque occupata per corpora quæ, licet minus certo per omnia cognita, tranſitum tamen Corporum terreſtrium non videntur ferre, ut fieri hic neutiquam poſſit, imò nec cogitari niſi per infinita temporum ſpatia. Verum Deus eſt certiſſime, ſi illum ipſum non abnegas vel impugnes forte, ſupra Naturam, & nihil ſupra Dei potentiam, per quam ſolam illa conſtituta eſt, & firma manet; ſed non ita, quin ſe ſuperiorem actu ipſo probaverit ab ævo multifariam per Opera vere in ſe, non tantum in perſuaſione vana hominum vel apparentia qualicunque externa deceptrice, Miraculoſa, quæ ſi lubet cuiquam negare contra hiſtoriam ſacram non modo ſed & profanam omnem, ideo quod ipſe modum rei non capit pro lubitu ſuo, næ is inſaniam mentis ſuæ ſuperbam nimis

mis manifeſte prodit. Rogo itaque, an quidquam in Domini noſtri Aſcenſione expoſita ſit, quod contradictionem implicet, ob quam Dei Potentia huc non extendatur. Sed illud nemo cum ſpecie ulla heic inveniet; vel in Terreſtris corporis, ſed mutati quoad qualitates ſuas, Illatione in Cœlum ſupremum, cum Deus Corpora quævis conſtituere queat quocunque velit loco, & ſimul ad eum attemperare; vel in Corporis Gravis Aſcenſu, ad quem etiam in ipſa natura quotidie ſufficit vis major Creaturarum, ſeu rationalium ſeu irrationalium; vel in ſuperanda ſatis citò Diſtantia maxima & impeditiſſima quæ cogitari heic poſſit, cum vis Motus omnis, ad penetrandum absque damno aut incommodo, ac ſimul ejus acceleratio, quæ & longe major eſſe poteſt in glorioſo quam in corruptibili corpore & inter Cœleſtia quam terreſtria corpora alia, plurimum quoque induſtria & arte humana augeri queat ex quotidiana experientia omnium. Nemo igitur rationem habet dubitandi, quin Aſcenſio hæc Chriſti fieri potuerit omnino per Virtutem Dei Supernaturalem, quam nos heic agnoſcimus & celebramus, æque quam in Aſſumptione noſtra noviſſima ad Chriſtum, quam exſpectamus cum fiducia.

III. Sed an non æque conſtare poteſt attendentibus hujus Aſcenſionis Chriſti Decentia, ſimul & Neceſſitas? Ita omnino putamus, nec poſſumus aliter poſt aſſertam & agnitam ejus Reſurrectionem. Pone enim, cum *Socinianis*, illum nudum Hominem, ſed ſanctum & male quidem habitum ab hominibus, attamen tam ſingulari modo vindicatum approbatumque à Deo, ut ex morte ipſa illum reſtituerit; annon hoc erat longe decentius, ut illum vivificatum ad ſe extolleret, tanquam digniſſimum cœli civem, non amplius mundi hujus incommodis vel injuriis ullis expoſitum, quam ut illum ſineret in hac terra hærere, ſeu clam extra hominum conſortium omne, ſeu in corruptorum & hinc indignorum conſortio? Sed validius longe argumentamur heic ex doctrinæ noſtræ Chriſtianæ capitibus aliis, plane certiſſimis per Revelationem; quam nec Ratio falſitatis unquam convictam dedit, licet tentaverit millies cum infeliciſſimo eventu. Scilicet erat Chriſtus Filius Dei æternus, qui ex Cœlo deſcen-

Quod deinde non Decuerit, imo non Neceſſarium fuerit.

derat assumens Humanitatem, non ex illo ejectus, vel ad tempus vel in perpetuum, sed cum propria lubentia missus, ad illud augendum electorum hominum numero justo per mortis suæ meritum pretiosissimum, quos & illic a se sic acquisitos regeret dein & bearet. Quin &, ut homo in his terris speciem quidem externam corruptæ carnis seu mundi hujus inferioris habuerat, attamen revera cœlum magis quam terram retulerat intaminata prorsus sanctitate & obedientia omni perfectissime Patri præstita, quorsum & vota ejus tendebant. An quid jam poterat cogitari decentius, vel Patri, vel Filio, quam ut hic Patris thronum cœlestem repeteret per Ascensionem, & Cœlitibus jungeretur etiam sic suo ordine in illa humanitate, postquam in medio terrestrium erat versatus, atque illic opus suum peregerat? Sed & a summa rei Decentia ascendimus ad Ascensionis Dominicæ *Necessitatem*; quam exigebat nempe, tum ipsius Majestas summa, tum Cœlitum Gaudium in ipso, tum nostra Salus, & heic & posthac. Majestas utique Personæ non minor quam Divina non permittebat hoc, ut ipse secundum sibi unitam Humanitatem maneret in terra, excluſus sic a throni Paterni gloria. Et si Fideles in terra post exspectationem longam à majoribus summopere exultaverant ad Christi præsentiam secum in carne, annon hoc judicabimus etiam ad consummandum plenè gaudium eorum in cœlo, quod præsentem illic videant ipsum post opus salutis in terris consummatum? Nec dubitare præterea possumus, quin ad intercedendum pro nobis intuitu satisfactionis à se præstitæ, ad regendum & protegendum nos juxta cœlites potentissime, ad locum nobis in cœlis parandum apud Patrem, ad nos de eo certos plane reddendos, & ad nos recipiendum ad se in ipsa morte, quin inquam ad ista omnia necessaria esset opportuna Christi in Cœlum Ascensio. Adeo capita Doctrinæ Christianæ arctissime & amicissime inter se cohærent.

Porro & eorum qui eam scripserunt ac tradiderunt multiplex laus humana.

IV. Quæ post Rem ipsam antea apud Resurrectionis historiam asserendam adduximus, de Historiæ hujus *Scriptoribus*, tanquam fide omni humana per qualitates suas dignissimis, eadem & heic valere debent. Verum quidem est, quod historiam Adscensionis non descripserint *Matthæus & Johannes*,

*nes*, Apoſtoli & Euangeliorum Scriptores, quia inſtitutum eorum præcipuum erat Hiſtoriam Vitæ Chriſti terreſtris tradere. Attamen *Matthæus* habet prædictiones Chriſti fideles de ſe heic non ſemper futuro cum ſuis, ſed redituro aliquando ad eos, & declarationes de poteſtate omni ſibi data tam in cœlo quam in terra; quæ Aſcenſionem ejus manifeſte involvunt, tanquam certò futuram ob Domini infallibilem veracitatem. Et apud *Johannem* dè Itione ſua ad Patrem, in hujus Domum, cum Mundi hujus inferioris derelictione, in ſuorum uſus, Chriſti notiſſima ſunt dicta, etiam poſt mortem & reſurrectionem, quando Mariam Magdalinam juſſit dicere ad Diſcipulos ſuo nomine, *aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, & Deum meum & Deum veſtrum*, quod & idem implicite ſignificaverat per illud ad Mariam ipſam, *ne me tange, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Qualia Chriſti dicta de Aſcenſione ipſa Johannes narrans, qui Jeſum pro veraciſſimo Doctore habuit & commendavit, utique & ſic eventum iis reſpondentem inculcaſſe cenſendus eſt; ut de gloria ejusdem in cœlis apud Dei thronum viſa in *Apocalypſi* nunc nihil dicam, aut de dicto ejus Epiſtolico 1 *Joh.* 11. 1. *habemus paracletum apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum.* Præterea, ſi non deſcripſerint Aſcenſionem Domini iſti duo Euangeliſtæ Apoſtolici, illam tamen omnino prædicarunt per orbem cum reliquis, ſine quo regnum Chriſti tam feliciter non propagaſſent; nec pendet Apoſtolorum fides apud Chriſtianos ab eorum ſcriptione, ubi de Doctrina ab ipſis data conſtat ſatis. Plane quemadmodum plurimis Apoſtolis illis, qui non ſcripſerunt vel Euangelia vel Epiſtolas, juxta eos qui ſcripſerunt, Fidem habemus in iis quæ Euangelium de Nativitate Vita Paſſione & Morte Chriſti tradit, nec tamen ab iis ſcripta ſunt. Poſſumus vero etiam pro duobus illis Matthæo & Johanne heic ſubſtituere Duos alios Apoſtolos, magnos præ aliis, Petrum & Paulum, quos & Apoſtolorum coryphæos & principes ab ævo dixerunt; & quorum poſterior tantopere ſpectabilis eſt, per ſapientiam ſuam humanam eximiam, per converſionem ex cœlo ſtupendam poſt zelum contra Chriſtum inſanum, per Inſtitutionem Divinam prorſus inſolitam, & per zelum pro Chriſto laborioſiſſimum &

con-

conſtantiſſimum, quæ concurrerunt in eo ad fructum maximum prædicationis ejus. Et quis potuit clarius de hoc capite, licet breviter, loqui quam Petrus? quando poſt die ipſo effuſi Spiritus Pentecoſtali notatum hoc de Davide, quod hic *non aſcenderit in cœlos Act.* II. 34. totidem terminis ſcripſit de ſuſcitato Jeſu Chriſto 1 *Pet.* III. 22. ὃς ἐστιν ἐν δεξιᾷ θεοῦ, πορευθεὶς εἰς οὐρανόν &c. Et quis potuit idem caput magis inculcare, quam Paulus? tum in Epiſtola *ad Hebræos* totiens *Cap.* IV. 14. VI. 19. 20. VII. 26. VIII. I. 4. IX. II. 12. XII. 24. *&c.* tum ubi jubet *quærere ſuperna ubi eſt Chriſtus in dextra Dei ſedens Col.* III. I. tum ubi nos conſuſcitatos cum Chriſto *in eo* dicit *collocatos in cœlis Eph.* II. 6. tum vel maxime & latiſſime *Eph.* IV. 8. 9. 10. *quapropter dicit, aſcendens in altum &c. illud vero aſcendit quid eſt, ſi non quod deſcenderit prius in inferiores partes terræ? qui deſcendit, ipſe eſt, qui & aſcendit, longe ſupra omnes cœlos, ut omnia impleret.* Licet porro *Marcus & Lucas*, qui unus brevius & alter latius Aſcenſionem Chriſti narrarunt, etiam hic in *Utroque* ſuo *Libro*, non fuerint ipſi Apoſtoli primi ordinis, fuerunt tamen eorundem Socii intimi & Adjutores, quorum ſic qualitates ex illorum Societate noſcuntur; uti nominatim Marcus arctiſſime junctus fuit Petro, & Lucas Paulo, à quibus Apoſtolis hinc illa horum Euangelia multi antiquitus retuleruut. Atque uti Marcus ab aliis pro *Epitomatore Matthæi* habitus deprehenditur, & curatiſſimus ab Interpretibus pluribus in narrationum ordine dicitur, quin & à Luca non tantum ſed & à Petro ac Paulo commendatur in Epiſtolis, & ab *Epiphanio* annumeratur Septuaginta Diſcipulis Domini; ita *Lucas* in *Actuum* initio *Euangelium* pro ſuo agnoſcens, in utroque Libro hoc deprehenditur præſtitiſſe, quod ille de ſe illic refert *Cap.* I. 1. 4. καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου, quod nempe viſum ſibi ſit παρηκολουθηκότι πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς γράψαι, & quidem ut Theophilus, cum Chriſtianis aliis, *agnoſceret* τὴν ἀσφάλειαν Euangelii quod acceperat.

Quique heic etiam Circumſtantias addiderunt.

V. Quin etiam juxta Scriptorum Qualitates laudabiles, qui Aſcenſionem Chriſti nobis tradiderunt uno vel alio modo, valet heic æque quam apud Reſurrectionem ejus, Narrationis

nis *Euangelicæ Modus*, cum ſignificatione tum Temporis, ſeu *Diei Quadrageſimi* à Reſurrectione, tum Loci, ſeu *Bethanici Tractus Montis Oliveti* in Jeroſolymæ vicinia, quorſum Jeſus ſuos ex Jeruſalem eduxerit, abſque minima contrarietate, quam & apparentem ſuſtulimus antea omnem *Cap. III.* Neque enim erat, ut ipſum Diei Momentum heic explicite magis quam apud Reſurrectionem exponeretur; vel ut ipſum Montis Punctum perinde deſignaretur uno vel alio modo. Et quod tam multæ heic Circumſtantiæ aliæ ſingulares non reperiantur, id eſt ex natura rei ſemel geſtæ & abſentem dein Dominum conſtituentis; dum Reſurrectio quidem ſemel contigit etiam, ſed ipſum ad tot dies reliquit in terris, ut illic ſæpius videri in variis circumſtantiis poſſet. Dum tamen heic hiſtoria nobis etiam exhibet, præter Diſcipulos intuentes & proſpicientes, & Nubem auferentem, & Angelos annunciantes id quod nunc erat factum & quod noviſſime erat futurum.

VI. Poſt iſta autem omnia, dum Euangelium idem ſimul tradit cum Reſurrectione Chriſti ejus Aſcenſionem, & in hoc æque quam in illo capite operatum eſt orbis inimici ac vim omnem fraudemque opponentis cum auxilio & ſub ductu Satanæ, Judæi & Gentilis, fidem; indicium hoc eſt ſuperioris ſapientioris & potentioris Manus Divinæ, quæ cum eo hac in parte eſt etiam cooperata, & Divinam ejus originem arguit apud attendentes, ſecundum illud Pauli *Hebr.* II. 4. *συμμαρτυροῦντος τοῦ θεοῦ σημείοις τε καὶ τέρασι καὶ ποικίλαις δυνάμεσι, καὶ πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς κατὰ τὰ αὐτοῦ θελήσεις*, nec non I *Cor.* II. 4. 5. *καὶ ὁ λόγος μου καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ἵνα ἡ πίστις ὑμῶν μὴ ᾖ ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐν δυνάμει θεοῦ, &c.* Neque poteſt dubitari, quin fama hinc Aſcenſionis cum illa Reſurrectionis perruperit ad ipſos Infideles Gentiles & Judæos, ut qualicunque modo hi teſtantes de hac tradita & credita paſſim, eo ipſo teſtimonium etiam illi darent, licet expreſſius non nominatæ. Uti & huc referre licet generalius illud verbum *Tertulliani Apol. Cap. V. Tiberius annunciatum ſibi ex Syria Palæſtina, quæ*, vel *quod, illic veritatem Divinitatis illius revelaverat &c.* nec non quam maxime

Accedit vis hujus narrationis apud Orbem totum, & fama apud hoſtes ipſos; nec non teſtimonia realia à Chriſto deſuper in bonos & malos data.

xime *Joſephi* illa quæ poſt Redivivi Apparitionem ſubjecit, de *Divinis Prophetis*, ταῦτα ἢ ἄλλα μύρια περὶ αὐτοῦ θαυμάσια εἰρηκότι, dum & Aſcenſio certe inter admiranda illa excellebat quæ à Vatibus erant de Chriſto prædicta. Et quid clarius, quam ex fama Aſcenſionis Chriſti apud *Muhammedanos* quidem fabulas de ſuo Vate ſimiles, ſed & apud Gentiles fluxiſſe figmenta *Philoſtrati* & *Hieroclis* de Apollonio Thyanæo, quem illi in Cœlum aſcendentem ex teſtimonio Nympharum invaleſcenti Chriſti in cœlis collocati Regno oppoſuerunt. *Nam ad Chriſti plane exemplar*, inquit inter alios *Cel. Heideggerus Loc. XVIII. hanc Philoſtratus effigiem expreſſit, & pleraque ex Jeſu Chriſti hiſtoria Thyanæo applicavit, ne quid Ethnici Chriſtianis invidere poſſent. Qua re Chriſti gloriam incautus amplificavit, dum veram ejus virtutem, alteri falſo adſcriptam, meritis laudibus extulit, & aliis laudandam mirandamque propoſuit. Quod hiſtoriæ illius cum hiſtoria Euangelii de Chriſto σύγκρισις manifeſte probat, &c.* Poſt quæ addidit *Vir Cel.* (ſed verè ad literam deſcripta ex *Il. Huetii Lib. II. Alnet. Quæſt. Cap.* 19.) *monumenta fabularia Semeles, Ganymedis, Endymionis, Titheni, &c.* uſque ad *Romulum* ipſum ex *Dionyſio Halicarnaſſæo.* Concluditque; *Hæc & ſimilia à Dæmone ad Aſcenſionem Chriſti offuſcandam conficta, id tamen apud Gentiles efficere debuerunt, ut Chriſti in cœlum Aſcenſionem ſaltem probabilem, & cum non tantum teſtimoniis omni exceptione majoribus, ſed etiam operationibus quas Chriſto Regi cœlum inhabitanti tot prædictiones & argumenta vindicant nitatur, certam crederent. Quem in finem à vetuſtis Patribus, Origene, Euſebio, aliisque, exempla hæc Paganis objecta legere eſt.* Eadem quin etiam partium Euangelii noſtri connexio facit, ut agnoſci debeat Teſtimonium Reale Aſcenſionis ſuæ à Domino datum in Operibus, tum Gratiæ in ſuos, tum Iræ in hoſtes, de quibus egimus *Lib. II. Cap.* 3. Quæ certe ſunt tam magnifica & diuturna, per Orbem totum & per ſecula omnia ad hoc noſtrum inſecuta, ut non arguant modo Vitam ei reſtitutam qualemcunque in his terris, ſed glorioſiſſimam & immortalem apud Patrem in ejus throno cœleſti, in & de quo ſe manifeſtavit etiam nonnunquam ſuis uno vel alio modo, dum certe his in terris deprehenditur nuſquam, juxta ipſius prædictionem.

VII.

VII. Sed quod heic, uti antea apud Reſurrectionem, potiſſimum ſpectamus, ſunt *Vaticinia*, quæ de Chriſti Aſcenſione præceſſerant tum Verbalia tum & Realia. Non jam Chriſti ipſius adeo conſideramus Prædictiones, quales antea adductæ ex *Joh.* XIV. 2. 3. XVI. 5. 7. 29. XX. 17. *&c.* quæ tamen apud Chriſtianos ſunt magni momenti; propterea maxime, quod hæ in ipſo Euangelio unice traditæ non alio loco ab Incredulis habeantur quam ipſe Eventus in eo prædicatus. Sed reſpicimus prædictiones aliorum de Chriſto antiquiores; easque minime confictas aut dubiæ originis, ſed altioris prorſus & Divinæ, per notas conſpicuas & hoſtium ipſorum teſtimonium conſentiens, non quidem omnium ſed multorum & fervidiſſimorum. Scilicet tales ſunt in Scriptis Veteris Teſtamenti, quæ nobiscum tenent & commendant merito Judæi, & varie diſcriminari quoque poſſunt; potiſſimum quod in Novo Teſt. vel laudentur expreſſe in rem præſentem, vel perinde non allegentur, ſintque aliæ aliis clariores ad literam, quin & magis vel minus certo huc ſpectantes, atque hinc urgendæ à nobis. Præter quas Prædictiones Verbales dedit & heic Deus Reales, in Typis ſtrictius dictis, tum Legalibus certiſſime, & magis ordinariis, tum & Eventualibus, atque extraordinariis adeò magis. In quarum Prædictionum omnium tractatione brevi eundem ordinem ſequemur quem antea apud Reſurrectionem tenuimus; dum earundem Infallibilitas Eventum iis reſpondentem facere debet hominibus certiſſimum.

Et attendi potiſſimum debent Vaticinia Verbalia & Realia.

## CAPUT NONUM.

### *Quo illuſtratur textus Pſal.* LXVIII. 19. *quem ad Chriſti Aſcenſionem ſpectare etiam Paulus docuit Eph.* IV. 8. 9. 10.

Nempe Magnus Apoſtolus Paulus, ubi ad *Epheſios* locutus fuerat *Cap.* IV. 7. de *Gratia unicuique data ſecundum menſuram doni Chriſti*, quod erat Conſequens Adſcenſionis ejus ad

Inter Vaticinia excellit hoc Pſal. LXVIII. 19. de Aſ-

cenſione Dei in Altum.

ad Patrem in cœlum ſecundum facta ab ipſo promiſſa ſanctiſſima *Joh.* XVI. 7. *Act.* I. 4. 5. *&c.* provocat *ad Pſalmum* LXVIII. ſequentem in modum *verſ.* 8–10. διὸ λέγει, ἀναβὰς εἰς ὕψος, ἠχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις, τὸ δὲ ἀνέβη τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς; ὁ καταβὰς αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Ubi ſic videas citari verba Prophetica *verſ.* 8. ut mox ad ſcopum Apoſtoli valide urgeantur *verſ.* 9. 10. Et ſunt verba illa citata indubie illa, quæ leguntur paulo aliter licet & plenius in *Pſalmo* iſto *verſ.* 19. *Aſcendiſti in altum, captivaſti captivitatem, accepiſti dona in homine, atque etiam refractariis ad habitandum, Jah Deus*; in cujus totius tractatione brevi illa olim illuſtravimus dudum quoque *EXERC. TEXT. XVIII. Parte III.* Iſta apparet eſſe concepta per modum Alloquii in Perſona Secunda non tantum, ſed & cum Nomine expreſſo gemino ejus ad quem fit alloquium illud; *Jah*, h. e. vere, independens, æterne, & immutabilis, vel ſi omnino ab alia radice nomen hoc deducere mavis, decentiſſime & pulcherrime, *Deus*, qui talis es in Eſſentia tua ſuprema, ſimul & reſpectu Fœderis nobiscum. Quod indubiè competit Tribus Perſonis ſimul in oppoſitione ad omnes creaturas, attamen & hinc ſingulis, quibus & illud in ſe eſſentiale perſonaliter toties attribuitur. Quoniam autem non Alloquium, ſed Rem in illo comprehenſam, heic ſpectavit Paulus, idcirco hic citavit verba illa in Tertia Perſona, *Aſcendens in altum, captivavit captivitatem &c.* non quod aliter legerit apud Davidem, ſed quod illud in alloquio verè ſignificaretur prorſus; uti ſic paſſim dicta qualiacunque ſecundum ſenſum ſcopo convenientem non minus quam ſecundum literam adduci ſolent. Interim Prædicata in *Pſalmo* de hoc Jah Deo occurrunt Tria, quorum primum eſt, עָלִיתָ לַמָּרוֹם / *aſcendiſti in altum.* Ubi *Altum* non intelligendum de quocunque ſublimiori loco, ſive terræ, ſive & expanſi, ſed omnium ſupremo, *coll. Pſal.* XCIII. 4. CII. 20. *Jeſ.* LVII. 15. *&c.* ſeu Cœlo cœlorum, uti convenit Jah Deo, atque Paulus heic mox ſubjecit ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, *coll. Hebr.* IV. 14. VII. 26. Conſequenter, *Aſcenſio* in illud Altum non quidem excludit dignitatis aut gloriæ augmentum, ſed directe dicit

Tranſi-

Transitum ex profundo, seu depresso, quod Terra nostra constituit, in Cœlum supremum; non mentalem, sed corporalem; nec mere passivam, sed omnino simul activam, qualis rursus Jah Deo competit respectu potestatis & potentiæ suæ propriæ. Sive autem istud עלית reddatur in Indicativo per ἀνέβης, sive in Participio per ἀναβὰς, innuitur sic rei hujus licet nondum factæ Futuritio certa, & si placet satis subita post *surrectionem* memoratam *vers.* 2. quin etiam præcessuram eam ante captivationem subjectam & donorum dationem connexam; atque sic legi heic potest apud Paulum, non minus *quum ascendisset*, secundum *Bezam*, quam *ascendens* apud *Vulgatum*. Ad quem ipsum Dei Ascensum an etiam referri debeat id quod proxime in *Psalmo* præcedit *vers.* 18. *currus Dei myriades duæ, millia iterationis, Dominus in eis Sinai in sanctitate*, an potius ad cœlestem & divinam ejus gloriam perpetuam ab omni ævo retro, non est quod nunc latius inquiramus.

II. Cum hoc Prædicato Primo jungitur Alterum, ad Hostes, & Tertium ad Subjectos, spectans. Illud est, שבית / שבי / ἠχμαλώτευσας, apud Paulum ἠχμαλώτευσεν, αἰχμαλωσίαν, *captivasti captivitatem*. Ubi *captivitatis* nomen, metonymice prorsus capiendum, dicere potest apte multitudinem *captivorum*, non sane Patrum Fidelium, qui temere à Papistis finguntur ante Christum in Limbo Infernali fuisse detenti, vel & ab aliis multis ut Captivi his in terris sub servitute Legis considerari passim solent; neque Mortuorum & Monumentis concluforum, qui cum Christo resurgente fuere resuscitati; neque Electorum ut naturaliter potestati Satanæ Peccati & Maledictionis subjectorum atque inde à Christo redemptorum, tanquam qui minus recte dicerentur denuo Captivati; sed multò rectius Reproborum omnium tum Angelorum tum Hominum qui in misera Captivitate per se constituti, in eandem detruduntur pœnaliter in perpetuum absque ulla Liberationis spe, dum adversus Christum insanire pergunt contumaciter. Sed non minus commodè cogites in Captivitate de Multitudine *Captivantium* Electos, quales sunt Hostes modo nominati per tyrannidem suam activam, tum corporalem tum vel maxime spiritualem, qui erant vincendi, & subigendi à Christo, quin & valida ac dura co-

Cum qua illic jungitur Captivitatis Captivatio.

ercitione captivandi, ſi Electis ſalus contingeret, *coll. verſ.* 2. 3. 22. 24. 31. Quæ eſt vera notio Verbi *Captivandi*, שבה / *captivum*, nempe, *faciendi*, *ducendi*, *tenendi*, *&c.* conveniens Chriſto, non jam in ipſa Aſcenſione, eo modo quo in triumphis ſolebant Captivi deduci, neque enim his Ingreſſus in cœlum competit; ſed poſt & per Aſcenſionem glorioſam, quomodo & Dona ſubjectis conferenda heic ſpectantur, quando & per Spiritum Euangelio junctum ſpiritualiter, & per judicia varia corporaliter eos perdidit ſucceſſive, & perdet porro uſque ad Ultimum Exitium, in quod reſpectu animarum in morte ipſa jam detruduntur homines, dum de Diabolo abolito per Chriſti mortem, & dracone conjecto in abyſſum concluſam & obſignatam per ipſum redivivum, notiſſimi ſunt Scripturæ textus *Hebr.* 11. 14. *Apoc.* xx. 3. *&c.*

Et Acceptio Donorum in homine.

III. Tertium denique Prædicatum, & quod juxta primum maxime ſpectavit Paulus, conſtituitur per iſta; *Accepiſti dona in homine, atque etiam refractariis ad habitandum*, pro quibus Paulus tantum habet, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις, omiſſis poſterioribus, quæ priorum extenſionem quandam tantum continent. Objectum actionis, quod modo conſtituebat Captivitas, heic jam conſtituitur per אדם / cum eliſo He Emphatico, ſeu *Hominem*, ſingulariter ſed ſenſu ſeu diſtributivo ſeu potius collectivo, ſpectatum in ſuo genere oppoſito Angelis malis, non quidem abſque exceptione ſed abſque diſcriminatione antiqua Gentium & Populorum vel & alia ulla, *coll. Joël* 11. 28. *&c.* Unde Apoſtolus merito ſubſtituit numerum Pluralem τοῖς ἀνθρώποις, quem & *Vulgatus* habet apud Vatem. Non eſt porro dubitandum, ob prædicatum de hoc homine, ejuſque oppoſitionem adverſus Captivitatem Captivatam, quin, ſi non unice utique præcipuè ſpectetur electa ex hominibus Multitudo. Cui quando tribuuntur *Dona*, מתנות / δόματα, munera oportet intelligere liberalia & immerita, non viliora adeo quævis, qualia & forent ſpolia externa hoſtibus erepta, ad quæ tamen heic ſuo modo alludi poteſt etiam, ſed præſtantiora & Spiritualia, cum alluſione ad morem non tantum Victorum ſed & Principum inauguratorum vel aliter lætantium ditiorum, in ſuos milites & ſubjectos venerabundos, *coll. 2 Sam.* VI. 19.

*Neb.*

*Neh.* VIII. 11. 13. *Eſt.* IX. 19. 22. *&c.* quæ ſunt heic Dona Spiritus, quædam etiam communiora, ſed maxime Salutaria, & adverſus hoſtes ſuperandos ſufficientia, quæ Paulus ἀμεταμέλητα dixit & cum Dei vocatione conjunxit *Rom.* XI. 29. Illa autem Dona fertur in *Pſalmo* Jah Deus in homine *accepiſſe*, ſed à Paulo *hominibus dediſſe.* Quod primo intuitu cum non careat notabili difficultate, varia ad conciliationem textuum horum ſunt dudum ab Eruditis adducta quæ conſiderari merentur. Sed omnium ſimpliciſſimum eſt, conſiderare verbum *accipiendi*, tanquam unum ex iis quæ prægnantia dici ſolent, in quibus ſcil. alius Verbi connexi & correlati ſignificatus latet, ſecundum noſtrum quoque uſum quotidianum, dum aliquid alicui alteri *accipere* dicimur id illi *daturi*, præeunte ſic paſſim Scriptura, *coll. Gen.* XII. 15. *Exod.* XVIII. 12. XXV. 2. *Jud.* XIV. 2. 1 *Reg.* III. 24. XVII. 10. *Hoſ.* XIV. 3. *&c.* Atque ſic Verbum *accipiendi* nos directe equidem ducit ad dona, tanquam à Deo Patre communicata cum compellato Jah Deo, ut exaltato Servatore, adeoque in ejus manu poſita ad diſtribuendum; ut nomen cum præpoſitione *in* (ubi ב pro בעבור vel ל poſitum vult *Beza*) *homine* monſtret, proprie dationem ſeu communicationem ulteriorem cum electis hominibus, *coll. Joh.* I. 16. XV. 26. XVI. 7. *&c.*

IV. Reliqua Pſalmi verba deſcripta à nobis, ſed brevitatis cauſa apud Paulum prætermiſſa, ſuam quoque merentur illuſtrationem: *Atque etiam refractariis ad habitandum.* Quo pacto aptiſſime reddi putamus Hebræa illa, ואף סוררים לשכן / quæ ab aliis multo aliter redduntur tamen, reſpectu conſtructionis, & vocum, & ſupplementorum additorum. Legunt enim nonnulli *refractarios* in Accuſativo, relato ad remotius Verbum captivaſti; habent alii nomen idem quaſi pro Nominativo regente verbum לשכן / ut *refractarii* habitent; dum retento Accuſativo, rectius forte de refractariis acceptis à Chriſto in ſuam poteſtatem & datis Eccleſiæ in manum vel ſub pedes cogitetur. Perinde *ad habitandum*, absque determinatione vel loci vel modi vel perſonæ habitantis, refertur ab his ad Deum habitaturum in & cum refractariis; ab illis ad refractarios habitaturos apud Deum & populum ejus, quia

Atque etiam Refractariis ad habitandum

quin & ab iſtis ad eos tranquille & tuto manſuros etiam. Enimvero nomen *refractariorum*, quando per ואף / *atque etiam*, ſubjicitur poſt illud *hominis*, nos ducit, non jam neceſſario ad alios quam homines, adeoque Angelos malos, quibus certe dona non erant danda; ſed aptius & rectius ad quoſdam ex hominibus, qui præ aliis id nomen refractariorum mererentur per ſuam adverſus Deum Chriſtumque & populum ejus oppoſitionem, ſive antecedentem, quibus tamen etiam gratia ſalutaris concedenda, ſive & conſequentem, quibus nec dona communiora prorſus neganda erant, tum ſingulares, tum & populos integros. Quin & cum per *atque etiam* hi refractarii cohæreant cum *in homine*, quid eſt facilius, quam ut ſubintellecta ἀπὸ ϛ κοινῆ eadem Præpoſitione, ב *in*, dona in his & pro his ipſis accepiſſe feratur Jah Deus? Quando porro accedens illud לשכן *ad habitandum* dicet manifeſte finem & fructum dationis hujus, qui reperiri poteſt in habitatione Dei amica cum eis, *ut habites*, nec non in habitatione eorum cum Deo grata, *ut habitent*, quin & in habitatione propria tuta & traquilla, abſque perditione & perturbatione; quam omnem habitationem dona in ipſis accepta operantur.

In hujus Pſalmi citatione Paulina præmiſſum à Paulo διὸ λέγει illuſtratur.

V. Iſta porro verba Pſalmi antecedentia citat ita Paulus, ut præmittat, διὸ λέγει, *propter quod* apud *Vulgatum*, vel *quapropter* apud *Bezam*, *dicit*, habente heic *Syro* ܐܡܪ *dictum*. Utique quando verbum λέγει, *dicit*, activum heic eſt ſine adita Perſona dicente, ſubintelligi quidem non male poteſt, vel Scriptura Prophetica, vel Deus, vel Spiritus, vel Vates qui ita loquitur in Scriptura Dei impulſu. Qualia nomina alias nonnunquam accedunt; ſed dubito, an non ſimplicius ſit Verbum illud capere Impersonaliter, & hic reddere paſſive *dicitur*, per Hebraismum obvium, *coll.* 2 *Cor.* VI. 2. *Hebr.* I. 7. *Jac.* IV. 6. *&c.* Quorſum etiam optime referas textum *Eph.* V. 14. διὸ λέγει, ἔγειρε ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφάυσει σοι ὁ χριστός, ubi tamen alii perinde ut heic ſubintelligere volunt nomen aliquod conveniens, ſi non per proſopopœiam ſit reſpiciendum ad τὸ φῶς, ſeu *lumen*, cujus mentio præceſſit *verſ.* 13. Ad quem locum & hoc notandum, quod, cum verba illic adducta nuſquam ſic reſpectu totius vel membri unius aut alterius legantur in Veteri

teri Teſt. *Jeſ.* IX. 1. XXVI. 19. LX. 1. 2. *&c.* qui textus heic potiſſimum laudari ſolent, aut alibi uſquam, non minus forte aptum ſit, impersonalem illam locutionem referre ad Apoſtolos & Euangelii Miniſtros ſic dicentes cum Paulo jugiter, tanquam ſummam Euangelicæ prædicationis quoad officium & promiſſum, *coll. Rom.* XIII. 11. 1 *Theſſ.* v. 6. *&c.* Quam in rem dudum præierunt Viri Doctiſſimi, potius quam ut ob phraſin generalem, *dicitur*, cogitarent heic, vel de Apocrypho aliquo Libro, vel etiam de Canonico ullo deperdito. Magis autem in rem noſtram hanc præſentem attendere decet modo ad voculam διὸ, *propterea*, tanquam docentem, quid Paulus in adducti *Pſalmi* citatione ſpectet, & à nobis conſiderari velit. Illud nempe Adverbium manifeſtiſſime nos reducit ad id quod immediate præceſſit *verſ.* 7. ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κ) τὸ μέτρον τ δωρεᾶς τ χριστ. Adeoque hæc gratiæ nobis ſingulis datæ conceſſio à Chriſto exaltato & ex Chriſti plenitudine eſt illud, quod in *Pſalmi* adductis verbis prædictum eſſe, & hinc neceſſario fuiſſe implendum, & actu quoque jam impletum eſſe, docet Paulus per illud διὸ *propterea*.

VI. Hoc dixiſſe Paulum θεόπνευστον, apud Chriſtianos potuiſſet ſufficere, fidem ei habentes merito. Sed & his ipſis, & aliis nondum credentibus, veritatem dictionis ſuæ perſuadere voluit Paulus ex ipſo illo Pſalmo. Quod agit unico quidem bimembri ſed clariſſimo & validiſſimo argumento *verſ.* 9. 10. petito ex acceptorum *Donorum Datione*, eaque tributa *Aſcendenti*. Nempe *Donorum*, præſtantiſſimorum qualitatis quin & quantitatis reſpectu, & hinc nomen illud κατ' ἐξοχὴν merentium, quæ & in πάσῃ δόσει ἀγαθῇ κ) παντὶ δωρήματι τελείῳ ſpectavit *Jacobus Cap.* 1. 17. prædicta apud Vatem *Datio* palam & plene deprehenditur in illa Spiritus Gratia multiplici & copioſa quam Chriſtiani nacti erant, nec uſquam alibi ſimile implementum reperiebat. Sed quod magis Apoſtolus conſiderat, eſt illud, quod iſta Datio Donorum tributa eſſet ἀναβάντι, *aſcendenti*, nempe Jah Deo, & hinc habenti poteſtatem dona dandi, & quidem *cum aſcendiſſet* prius, atque cito *poſt aſcenſionem* ejus. Hoc autem non convenire vel Patri, vel Spiritui, ſed ſoli Filio, arguit Apoſtolus ex *Aſcen-*

Argumentatio Pauli, pro Pſalmi dicto ad Chriſtum Incarnatum ſpectante, exhibetur & urgetur.

*ſione* dicta, nec ad Dignitatis augmentum ſed ad Tranſlationem localem in cœlum altiſſimum heic referenda. Neque enim Aſcenſio talis poteſt tribui ulli, qui ſemper fuit manſitque in cœlis, ſine ulla ſui manifeſtatione in Terra per aſſumptam perſonaliter Humanitatem, in qua dictum in modum aſcenderet, ſed omnino ponit antecedentem Deſcenſum iſtum; τὸ δὲ ἀνέβη τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς; *illud autem aſcendit, quid eſt niſi quod & deſcendit prius in inferiores partes terræ?* Quo pacto vix poſſet argumentari Paulus, niſi ſermo heic eſſet determinatus ad Jah Deum & Gratiæ Datorem ſufficientem, qui cœlum ſic tenuiſſet ſemper; neque enim dubium eſt, quin nudi homines poſſent ſeu aſcendere ſeu aſſumi in cœlum, qui nunquam ex cœlo deſcenderant, niſi hæc phraſis latiſſime forte caperetur de Nativitate per communem providentiam cœleſtem. Ergo, qui Aſcenſurus in Altum erat Dominus, is ut aſcenderet illuc prius debebat *deſcendere in inferiores terræ partes*. In quibus ipſa Apoſtoli argumentatio dicta nos docet, non debere vel poſſe heic intelligi; vel *Infernum* damnatorum hominum & Angelorum, cum ejus qualicunque vicinia, ad quem nec Jeſus ivit ad unum vel alium finem confictum; vel *Sepulchrum*, licet & hoc alias ut intra terræ ſuperficiem conſtitutum tanquam inferius terræ conſiderari queat, veniatque forte ſub nomine illo *Ezech.* XXVI. 20. XXXI. 14. *&c.* poſſet enim Aſcenſio in cœlum contingere ſine Deſcenſu in Sepulchrum, uti Enocho & Eliæ contigit; vel *Uterum Matris*, cui neſcio profecto qua ratione apta ſatis appellatio *Inferiorum Terræ Partium* vel conveniat vel tributa à multis credatur *Pſal.* CXXXIX. 15. dum & Humana natura per Dei omnipotentiam poſſet produci, in qua fieret Aſcenſio, extra Matris alicujus uterum; vel denique *Depreſſiſſimum Statum* in his terris, tanquam qui neutiquam præcedere debebat per ſe ante Aſcenſionem localem in cœlum. Ex adverſo Paulina argumentatio nos cogit in *Inferioribus Terræ Partibus* agnoſcere *Terræ* noſtræ *Superficiem* qualemcunque, ſive altiorem ſive depreſſiorem, in qua homines naſcuntur & vivunt; quæ ipſa Cœli altioribus oppoſita & his inferior conſtituit ita Mundi Partes Inferiores, atque

ſic

ſic venit ſub nomine תחתיות ארץ *inferiorum terræ*, ſi non *Jeſ.* XLIV. 23. utique *Pſal.* CXXXIX. 15. in diſtinctione ab *Occulto* uteri materni. Adeo ut *Inferiores partes* non opponantur aliis ſuperioribus ejuſdem Terræ, diſtributa ſic in partes ſuas Terra, ſed Terræ nomen declaret Partes Inferiores mundi quas illa conſtituat. Uti ſic nos hodieque ſatis communiter loquimur de Partibus Orientalibus Aſiæ, Occidentalibus Americæ, Meridionalibus Africæ, Borealibus Europæ, Inſularibus Britanniæ, & Zelandiæ noſtræ, &c. in oppoſitione ad alias partes Mundi magis quam earundem Regionum. Atque ita ſtringit omnino argumentum Apoſtoli, quatenus Deus in Humanitate aſſumpta localiter aſcendere de terra non poterat, niſi prius ex cœlo deſcenderet in Terram per Aſſumptam in ea Humanitatem. Et quod *Inferiores Terræ Partes* potius nominavit Paulus quam ſimpliciter Terram aut Mundum, id factum videtur ad clariorem oppoſitionem adverſus *Altum* in quod aſcendiſſe in Pſalmo dicebatur, & ad illud quod Aſcenſio dicitur mox facta ὑπεράνω πάντων τ̃ οὐρανῶν *verſ.* 10.

VII. Quæ porro debuit fieri, tum Aſcenſio, tum præcedens Deſcenſio, Dei Jah & Datoris Gratiæ, ea utraque hinc in Chriſto obtinuit, ſecundum *verſ.* 10. ὁ καταβὰς, αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τ̃ οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα. Scilicet *qui deſcendit*, Jah Deus, dicto modo in Inferiora Terræ, non eſt Pater, aut Spiritus, ſed Filius, non inde quidem adducens ſed heic aſſumens carnem Humanam in qua perſonaliter habitavit, *coll. Joh.* III. 13. VI. 33. 38. 41. 42. *&c.* Atque hinc ille *ipſe*, ſeu idem eſt quoque ſolus in perſona ſua, licet mutata multum conditione, qui uti aſcendere potuit, & debuit ſecundum vaticiniuum adductum, ita *& aſcendit:* addita declaratione uberiori, tum Termini ad quem, *ſupra*, vel *longe ſupra*, *cœlos omnes*, tum Finis & Fructus, *ut omnia impleret*. Enimvero cum antea *Cap. II.* monſtratum ſit, Jeſum aſcendiſſe in Cœlum ſupremum maxime oppoſitum Terræ noſtræ, certe conſtat *cœlos* heic *omnes* intelligi viſibiles, ſeu ſpatium omne medium quod inter Cœlum Supremum & Terram interjacet, tum Aëreum, tum Stelliferum, in quot etiam partes utrumque hoc rurſus dividatur, *ſupra* quos multum aſcendit Dominus noſter, διελήλυ-

Atque Eventus Vaticinio conveniens, quem Paulus laudavit, illuſtratur.

θὼς τοὺς οὐρανοὺς *Hebr.* IV. 14. καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος *Hebr.* VII. 26. Uti & iste supremus locus universi, in quo Deus thronum suum præcipuum constituit, præ omni alio inferiori & viliori conveniebat nostro exaltato Servatori. Etiam in eum Finem, *ut omnia impleret*; non jam *Loca* quævis Universi Humanitate sua, vel simul, quod corporis naturæ repugnat atque Ascensionem ipsam localem everteret, vel etiam successive, quod nunquam factum aut futurum scimus; nec etiam Virtute, Operatione, & Gloria sua Divina, ad quod Ascensio illa non erat necessaria; sed vel *Munera*, ipsi ad salutem populi sui potissimum incumbentia, inter quæ erat & Sacerdotale plane exigens ingressum in cœleste Sanctuarium, & Regium de throno sublimi illo gerendum per Orbem quin & Universum totum; vel *Vaticinia* de ipso, inter quæ erant etiam de Ascensione illa, quæ hinc post Descensum sequi debebat; vel denique *Membra Ecclesiæ*, vera præ externis, per quæcunque loca hi etiam sparsi forent, & sic etiam Loca ab iis habitata, quorum *Impletio* dicit Effusionem copiosam Donorum Spiritus in hæc pro singulorum capacitate & mensura, *coll. vers.* 13. *Eph.* I. 23. III. 10. *Col.* I. 19. *Joh.* I. 16. VII. 38. *&c.* Qui quidem postremus sensus conveniens maxime videtur huic contextui, quo *Gratiam singulis nostrum datam secundum mensuram doni Christi* urget Paulus, & ad hoc laudat Vaticinium de *Donis dandis* ab illo Jah Deo qui ascendisset, & quando ascendisset, nec multo post quam prius ipse descendisset. Uti hæc omnia in Effusione Spiritus Sancti per Christum facta in eventu sic deprehendebantur.

Alia ex Psalmo illo argumenta conferuntur ad Vaticinii illius relationem ad Christum.

VIII. Ita Apostolus ex illo Verbo *Ascendendi* solidissime ergo concludit, non alium esse quam Messiam qui in Psalmi verbis adductis nobis depingitur in sua Munificentia Divina in suos æque quam in Gloria propria. Ad quod etiam forte urgeri potuisset Donorum eorundem *Acceptio*, si vim illam maximam Hebræi לקח / ad literam expressisset Græce, quæ in Verbo *Dandi* non ita deprehenditur. Enimvero, præter hæc ipsa verba totus Psalmi *Contextus*, tam *Antecedens* quam *Consequens*, non sinit nos dubitare de Messia heic depicto, & qui hinc Ascendere debebat in Altum, nisi falleret

ret Divini Verbi fides. Nempe ab ipso *Psalmi* initio occurrit in eo qui ad literam *surrecturus* erat, cum diversissimo effectu in hostes & subjectos *vers.* 2–4. quod utique erat Messiæ. Post interpositas alias communiores ejus Laudes, late prædicatur Vetus ejusdem Beneficentia in Israëlem, eductum ex Ægypto, deductum per Deserta, sustentatum in eis, protectum ibidem, introductum denique in Cananæam pinguem, ubi sub umbra alarum omnipotentis feliciter habitabat *vers.* 8. *&c.* Et quis ignorat per analogiam Scripturarum? hunc, qui ista omnia Israëlitis præstitit, esse quidem Deum Triunum, sed œconomice Filium, & procul omni homine aut creatura alia constitutum Mediatorem, seu *Angelum Faciei Jehovæ Jes.* LXIII. 9. *Act.* VII. 35. 38. *Exod.* XXIII. 21. *&c.* cui & salutem suam omnem tribuerat ipse Patriarcha Jacob *Gen.* XLVIII. 16. Quod quantopere Patres ab omni ævo inculcaverint, etiam constat; nec est ut heic ostendamus latius. Et in ulteriori *Psalmi* progressu est *Dominus*, qui *die die onerat nos*, *Deus*, qui *salus nostra*, qui *nobis Deus ad salutes*, & *Jehovah Dominus*, cui *ad mortem exitus*, *Deus* qui *franget caput inimicorum suorum*, *&c.* Quæ omnia non sine summa vi & torsione à Messia ad alium quempiam transferes, & quæ tamen de hoc eodem dicuntur de cujus Ascensione cum connexis in verbis nostris agitur. Et sunt vere laudabilia multa, quæ in eam rem heic scripsit *Seb. Castalio*, postquam minus recte præmonuisset, carmen hoc se explicaturum sic ut nihil affirmans judicium aliis relinquat; *Hoc intelligi non potest, nisi sciamus eum, qui & illic*, apud Mosen nempe, *& hic Jova & Genius & Deus & Dominus appellatur, esse Christum &c. Certe hoc ignorato necesse est in præcipuis Christianæ disciplinæ locis hallucinari &c. Exsurget Deus, Christus idem qui Mosis tempore ducebat Israëlitas cum veniet in terras, & victis sua vita & disciplina atque resurrectione hostibus, Diabolo ejusque servis improbis, bonos perducet ad felicitatem; hoc est totius carminis argumentum &c. Deinde sermonem ad Christum convertit, tu, inquit, devicta morte ascendis in cœlum &c.* Dum longe frigidius *Grotius* ad Psalmi initium scripsit; *Argumentum hujus Carminis est Exitus populi ex Ægypto.* Atque *Ascensionem in altum* interpretatur, *à Sinai in cœlum, cepisti captivita-*

*vitatem, ad captivitatem damnaſti populos complures, inter eos Madianitas, accepiſti dona in hominibus, i. propter homines, accepiſti dona ad uſum Sacerdotum & Levitarum &c. etiam rebelles, ut in illis inhabitaret Dominus Deus, intelligendum hoc de Gabaonitis & eorum ſimilibus qui diu rebelles Deo facti ſunt proſelyti &c.* In quas gloſſas ille laudat ſimul *Chaldæum & R. Salomonem.* (quorum prior apud illud *aſcendiſti*, alloquium *Moſis Prophetæ* facit, *docentis verba Legis*,) ſubjiciens tunc tamen; *quanto autem hæc eminentius per Chriſtum ſint impleta, nemo non videt.* Sicut & *ad Eph.* ſcripſit ipſe; *Optime Chriſto convenit hic locus, qui in Cœlum aſcendere conſpectus eſt, deinde per Apoſtolorum doctrinam vicit & velut captivam egit idololatriam & vitia alia, ſumpſitque à Patre dona quæ hominibus diſpartiretur. Etiam Deus, de quo ſenſu primum obvio agit Pſalmus, primum deſcenderat, ſed in montem Sinai, Chriſtus vero multum inferius in eam partem in qua homines ſolent vivere &c.* Ecquid vero eſt, inter convictæ aliter mentis indicia non levia, infirmare rem Chriſtianam & Apoſtoli argumentum, qui διὸ *propterea*, ad ſignificanda Chriſti fata & facta glorioſa, ſic dictum eſſe in *Pſalmo* monuit, ſi non hoc eſt? ubi apud *Jarchium* ipſum Judæi memorantur, qui in hoc Pſalmo ad Dies Meſſiæ prophetice, præ antiquioribus hiſtorice, proſpexerunt.

## CAPUT DECIMUM.

### *Quo conferuntur alia Pſalmorum loca ad eandem Chriſti Aſcenſionem ſpectantia.*

Pro prædicta Chriſti Aſcenſione conferri poſſunt porro omnes Pſalmi, de ipſius Gloria agentes.

Quamquam vero hoc quod modo adduximus ex *Pſalmo LXVIII.* dictum, præ aliis clariſſimum & hinc præ iis pro Domini noſtri Aſcenſione in Novo Teſt. ſit laudatum, non eſt tamen dubitandum, quin & alii ſint *Pſalmi*, in quibus eandem prædictam reperire licet, ad gaudium populi certius & majus in exſpectato ipſis Meſſia. Uti huc referas meritò, quæ de hujus Regno magnifico & Seſſione in

Dei throno ad Dei Dextram ipſa, in illis leguntur; ſed quæ nos potius apud ſequentem Exaltationis Chriſti gradum tractabimus. Dum directe ad Aſcenſionem in Cœlum, ſeu præſentem, ſeu præteritam in ejus inhabitatione conſtanti, quidam referuntur *Pſalmi*, forte minus apte aut certò, atque alii vere magis huc faciunt.

II. Quod ut liqueat, attendi inter alia velim ad *Pſalmi II. Verſ.* 4. *Sedens in cœlis ridebit, Dominus ſubſannabit eos, &c.* Iſte certe *Pſalmus* nequaquam eſt Hiſtoricus, ſed omnino Propheticus, de Meſſia ejusque Exaltati Impugnatione impia ſimul & vaniſſima, per illa quæ in iſto *Verſu* dicuntur. Sed an per *Sedentem in cœlis* oporteat intelligere Meſſiam, illic per Aſcenſionem collocatum, ſive ſolum ſive una cum Jehovah Patre, qui uterque ſucceſſive loquens introducitur *verſ.* 6. 7. an vero ſolum Jehovam Patrem, conſtanter in cœlo thronum ſuum habentem absque ullo deſcenſu, id queat minus exploratum videri. Ad Filium Meſſiam nos heic equidem ducit inter alios *Cl. Coccejus*; *Chriſtus in cœlis ſedens ridet ipſorum conſilia.* Ἀνθρωποπαθῶς. *Vult hoc dicere*; *Chriſtus interfectus eſt ab ipſis ſecundum carnem, ſed vivificatus Spiritu, & reſuſcitatus tertio Die, Aſcendit ad cœlum, & ſedet in cœlis Judex &c.* Sed nobis dudum aliter viſum eſt *EXERC. TEXT. XV. Part. III.* ſic ordinata *Pſalmi* iſtius Analyſi, ut poſt inſanum Hoſtium Conatum *in Jehovam & Unctum* ejus, utriuſque hujus validiſſima & prævalens oppoſitio ſubjiciatur; in qua qui prius nominatur, *Sedens in cœlis* dicat adeo Deum Patrem, cui tribuitur *riſus* & *locutio* illa ad hoſtes *in ira, ego unxi Regem meum ſuper Tſion montem ſanctitatis meæ*; & in qua qui deinde memoratur *Dominus*, deſignet demum Meſſiam Regem unctum populi ſui, qui *ſubſannabit, & in æſtu ſuo perterrebit eos*, dicturus porro, *narrabo ad ſtatutum, Jehovah dixit ad me, Filius meus Tu, ego hodie genui te, poſtula à me, & dabo gentes &c.* Sicuti poſtea etiam Officia præſtanda in Jehovah Patrem & Filium diſtincte ſubjiciuntur *verſ.* 11. 12. *colite Jehovah in timore &c. oſculamini Filium ne iraſcatur, beatitates omnium confidentium in eo.* Quæ Analyſis & interpretatio nobis hactenus aptiſſima videtur.

Sed & confertur à nonnullis Pſal. 11 4. de Sedente in Cœlis.

III. Deprehendimus, ad Aſcenſionem Chriſti conferri dein-

Item Pſal. VII. 8. 11.

de Clypeo nostro apud Deum.

deinde *Psalmi VII.* 11. *coll. vers.* 8. Verba *vers.* 11. apud *Cl. Coccejum* sonant, *clypeus meus est apud Deum, qui salvat rectos corde*, pro eo quod in Hebræo legitur, עלי אלהים & apud LXX. δικαία ἡ βοηθία μου παρὰ τοῦ θεοῦ, & apud *Vulgatum, justum adjutorium meum à Domino, &c.* In iis ponit *Cel. Interpres* declarationem voluntatis Dei *circa Davidem*, dum alia *circa Saulem* sequatur. Et commentatur porro; *Alibi dicitur Deus Clypeus fidelium, Gen.* XV. 1. *Psal.* III. 4. *quatenus ipse justitia & potentia sua illos protegit & se opponit hostibus ipsorum. Alibi dicitur, Deo esse Clypeum ipsorum, h. e. Deum habere Clypeum quo eos defendat Psal.* LXXXIX. 19. & XLVII. 10. *quo significatur, Deum elegisse & constituisse medium aliquod quo pios velit servare. Sic etiam hoc in loco potest accipi, ut respiciatur ad Filium Dei Mediatorem, & causam salutis apud Deum, cujus virtutem & efficaciam sibi appropriet. Ita Hos.* IX. 8. *Speculator Ephraim est apud Deum meum. Sic sane malim, quam simplici allegoria, q. d. Deus Clypeum meum ipse suscepit, h. e. Deus pro me pugnabit, uti solet qui pro altero pugnare vult ejus arma capessere, isto interim quiescente. Præferimus alterum, quia cum simplicitate phraseos & cum allegatis locis magis convenit, neque Deus armis humanis pugnat. Nec tamen hunc sensum volumus penitus excluſum, quemadmodum neque emphasin phraseos interemptam. Vitium interpretationis est, ex omnibus quæ significari possunt levissimum sumere, ad majorem fideique analogum sensum excludendum. Certe si Deus est Clypeus noster, & Clypeus noster est apud Deum, quid hoc aliud est, quam quod Servator noster qui est Deus est apud Deum? Joh.* I. 1. Conferre autem oportet, ut clarius mentem ejus videamus, verba *vers.* 8. ועליה למרום שובה ad quæ translata, *supra illum*, cœtum nationum rebellium Israëlis, *in altum redi*, habet Vir Cel. *Igitur supra illam in altum confide,* שובה *pro* שבה *poni non male dicitur; sed & redi in altum tolerari potest, hoc sensu, Saulus jam dudum tibi rebellat, & oppugnando Regem tuum atque usurpando solium quod tu ei ademisti te Regem populi non videtur agnoscere. Atqui pii omnis populi te spectant. Tu igitur resume Regium ἀξίωμα, occupa solium tuum, ostende te populi tui caput, & demonstra quem velis in solio tuo sedere. Quamquam autem hæc ita de Davide & causa ipsius non inepte dici & exponi possint,*

neme

*nemo tamen ierit inficias* το׳ למרום שובה / *in altum redi, longe expreſſius & ſignificantius eſſe, quam ut illo ſenſu exhauriatur. Eſt in Pſal.* LXVIII. 19. *aſcendiſti in altum, i. e. aſcendiſti in cœlum, & Pſal.* VIII. 2. *ſermo eſt de collocatione majeſtatis Dei in ſupercœleſtibus. Deus inter Iſraëlitas, inter homines in terra habitavit, quamdiu habuit Tabernaculum in terra, in quo præſentiam ſuam ſigno glorioſo & ſermone inde edito teſtatus eſt. Quando vero non amplius habere voluit Domum in terris, & Templum Corporis Chriſti ex terra in cœlum ſublatum eſt, in cœlum reverſus eſt Deus. Huic rei cum maxima proprietate & evidentia conveniunt verba Pſalmi &c.* Iſtæ poſteriores autem Davidis voces, licet primo auditu & ſolæ nos poſſent pellere ad cogitationem de Meſſiæ Aſcenſione; in ſe tamen generaliores, in Pſalmo non certe Prophetico ſed Hiſtorico, per contextum omnem proxime antecedentem & conſequentem *verſ.* 7. 9. nos cogunt heic reperire Deum ex voto Davidis, ſeu *rediturum ad*, ſeu *ſeſſurum in*, tribunali ſuo Judiciali, ſuper & ſupra cœtum hoſtium pravorum cingentium ad horum perditionem. Et quod ad *Clypeum* Davidis & piorum attinet, non equidem corporalem & proprie ſic dictum, ſed emblematicum, hunc non debere intelligi de ipſo Deo, potenter ſuos protegente, qui ita alias appellatur, vel de hujus perfectionibus quibus ſe talem præſtat, vel & de perfectionum harum actuali exercitio, ſed de Perſona diſtincta à Deo, adeoque de Filio; non ſatis liquet ex Præpoſitione על / ſive per *apud*, ſive per *ſuper*, ſive per *in*, ſive aliter vertatur, quæ ob mutatam enunciationis formam tantum accedit; uti ſimiliter Deus dicitur eſſe ſpes noſtra, & ſpes noſtra eſſe in Deo, vel apud Deum. Quod ſi tamen in Clypeo velis heic diſtincte Filium deſignari; quis in Pſalmo hoc Hiſtorico non agnoſcet, illum poſſe dici, imo dici actu, eſſe *apud Deum*, reſpectu intimæ apud Patrem præſentiæ ante Incarnationem, adeoque & Aſcenſionem ſecundum carnem? etiam ſecundum locum *Job.* 1. 1. ubi agitur de *principio* omnium, quem adeo temere pro ſe citavit Cl. Interpres. Quo gemino modo etiam dici poteſt de textibus aliis ſimilibus, huc quandoque tractis, uti *Pſal.* XXXVI. 8. *nam tecum eſt fons vitæ, te lucente*, vel *in luce tua, videmus lucem*; nec *fontem vitæ* per illud *tecum* perſona-

ſonaliter diſtingui à Patre, nec Filii præſentiam apud Patrem olim ante Aſcenſionem poſſe negari, *coll. Prov.* VIII. 30. *&c.* Unde nec *Cl. Coccejus* illic aliud reperit, quam *ſufficientiam Dei ad beatitudinem, omnis vita à te & in te eſt, & tu potes vita æterna donare quos vis &c.* Quamquam ad illa verba *verſ.* 6. *Jehovah in cœlum gratia tua &c.* præmiſiſſet, *amor ille tuus erga homines electos tantus eſt ut in cœlum aſſurgat, eſt* ἐρανομήκης, *propter eum Filius Dei deſcendit de cœlo, & aſcendit in cœlum, &c.*

Similiter Pſal. VIII. 2. de Majeſtate Dei ſuper cœlos data.

IV. Non poſſumus heic dein prætermittere *Pſalmi VIII.* 2. *Jehovah Domine noſter, quam magnificum nomen tuum in tota terra! qui dediſti majeſtatem tuam ſuper cœlos!* Iſtum etiam *Pſalmum* nos olim tractavimus *EXERC. TEXT. XVI. Parte III.* ita ut in illo repererimus potius Prophetiam de Chriſto ejusque ſub Novo Teſt. Fatis futuris, quam Doctrinam de communi Opere Dei in homines per Naturam; tum per ipſum principale Pſalmi ipſius argumentum, tum per citationem & Chriſti & Pauli iteratam in Novo Teſt. *Matt.* XXI. 16. 1 *Cor.* XV. 27. *Hebr.* II. 5——9. Enimvero, an *Majeſtas Jehovæ Domini ſuper cœlos data* dicat Filium Meſſiam illic per Aſcenſionem collocatum, cum abrogatione Sedis Dei Jeroſolymitanæ, de eo non temere forte dubites. Ita equidem viſum eſt rurſus noſtro *Cl. Coccejo*, vertenti, *Jehovah Domine noſter, quam ingens eſt nomen tuum in tota terra! quod*, eſt, hoc eſt cujus rei cauſa eſt, *ponere majeſtatem tuam ſupra cœlos*, & varia critica de voce נתן ſubjicienti in *Commentario*, atque dein late ſcribenti; *Utut ſit, ſenſus clarus eſt: Majeſtatem Dei poſitam eſſe in cœlis, ideoque nomen ejus magnificatum eſſe in omni terra. Certe Cœlum dicitur ſemper Thronus Dei, quia naturaliter judicia & beneficia conſpicua inde tanquam à Judice & Rectore eduntur. Quare iſthic Numen eſſe & reſidere videtur hominibus. Quin Judæi Deum* שכן *appellarunt &c.* (Dum vere non ad vanam hominum opinionem, ſed ad gloriam Dei in Cœlo vere declaratam magis quam alibi, referri debet Throni Divini collocatio in eo) *ſed in Veteri Oeconomia & Tabernaculum per Moſen & poſtea Domum per Salomonem conſtrui ſibi curavit, ubi habitaret nomen ſuum, ubi coleretur & adoraretur. Ita viſus eſt deſcendiſſe poſt montem Sinai in montem Sion, & inter homines habitare. Nunc David, quum*

de

*de regno Dei & Filii ejus, uncti Regis ſuper Sijonem montem Sanctum Dei, loquitur, dicit, poſuiſſe majeſtatem ſuam ſupra cœlos, eoque nomen ejus omnibus patefactum eſſe. Sic Eſa.* LXVI. 1. *Cœlum eſt thronus meus, &c. Quid eſt autem quod dicit, ponere majeſtatem ſupra cœlos, niſi ſubindicat, antea Deum poſuiſſe ſolium gloriæ in terra? videlicet voluiſſe ad tempus habitare inter Cherubim, ſuper Propitiatorio, deinde verò & totam Hieroſolymam facere ſolium ſuum, ac tandem aſcendere in altum &c.* Enimvero, uti lubens agnoſco cum multis aliis, in Nominis Divini magnificentia per totam terram potius prævisionem & prædictionem contineri ejus quod ſub Novo Teſt. futurum erat per Univerſalem & Claram Euangelii Prædicationem, quam ejus aſſertionem quod jam per Opera Providentiæ olim obtinebat quoque; ita Majeſtatis Datio ſuper cœlos, per thronum Dei illic conſtitutum vere, ſemper obtinuit æque, & ad commendandam Dei magnitudinem laudata heic queat videri, æque quam Cœlum Luna & Stellæ tanquam opera digitorum Dei. Atque uti vix magnam habet ſpeciem, ut Majeſtatem Dei heic directe de Filio intelligamus tanquam ἀπαυγάσματι gloriæ Paternæ; ita conſiderandum puto, quod Jehovah Dominus noſter, cujus majeſtas ſuper cœlos data dicitur, manifeſtiſſime heic diſtinguatur à *Mortali* & *Filio hominis*, cujus recordaretur & quem viſitaret Jehova ille, prius deprimendum quam maxime, & deinde exaltandum ſublimiſſime. Secundum ea quæ deinde ſequuntur; per quam perſonalem diſtinctionem poſſumus videri heic in Jehovæ deprimentis & exaltantis illum Majeſtate ſuper cœlos data avocari ab ipſius Meſſiæ exaltati Aſcenſione.

V. Obſervamus & ad Aſcenſionem Domini prædictam referri id quod eſt, non tantum *Pſal.* XVI. 11. de oſtenſa Meſſiæ *ſemita vitarum*, de qua antea egimus *Lib. II. Cap. V.* ſed & *Pſalm.* XLV. 5. quod in hanc rem laudans *Cl. Coccejus ad Ult. Moſ.* §. 108. vertit, *decus tuum trajice*, addens h. e. διέρχε τὰς ἀρανοὺς, ex *Hebr.* IV. 14. *ſuper inſide, confide in ſummo throno.* Dum in ipſo *Pſalmo* legit pro Hebræis והדרך צלח רכב *decus tuum pertranſi, ſuperinſide*, & in commentario habet; *Ego conſideratis omnium expoſitionum difficultatibus & contorſione atque inelegantia, ad proprietatem verbi* צלח *redeundum cenſeo.*

Nec non Pſal. XLV. 5. per Verſionem verborum.

*Quod ſignificat progreſſum, impetum à termino ad terminum, coll. Amos* v. 6. *&* 2 *Sam.* XIX. 17. *&c. Sic igitur accipio, progredere uſque ad ſummum decoris tui. Poteſt etiam id, quo gloria alicujus demonſtratur, gloria dici. Vide* 2 *Pet.* 1. 17. *Sic Cœleſtis habitatio eſt gloria. Eſſet ergo pervadere gloriam, penetrare cœlum. Ei convenit* רכב *equita, ſublimis vehere, inſide cœlo, tanquam ſolio tuo &c. Senſus, aſcende in altum, elevare ſupra omnia, ex Pſal.* LXVIII. 19. *&c. Si Cœlum eſt thronus ejus, & terra ſcabellum pedum ejus, decus ſuum pertranſiit, quando ex inferno in altum aſcendit, &* ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν ἐγένετο *&c.* Interim ſic diſſerens vix ipſe ſe ſatis certum prodit, in primis in expoſitione Decoris Meſſiæ de Cœlo, quod ille perſonaliter aſcendens pervaderet, ſive pertranſiret; quæ equidem mihi prorſus dura videtur. Nec dubitem, quin Contextus antecedens & conſequens nos ab interpretatione illa ſatis conquiſita abducat, ad *Bellica* Domini noſtri *Geſta* per Orbem, quando poſt *Apparatum* illum *verſ.* 4. *accingere gladio tuo ſuper femur, Fortis, gloria tua & decore tuo*, & ante *Eventum* iſtum feliciſſimum *verſ.* 5. 6. *& docebit te terribilia dextra tua, ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corde inimicorum Regis*, ipſius hujus *Conatus* medio interponitur loco hic *verſ.* 5. *& decore tuo proſperare, equita ſuper verbo veritatis & manſuetudinis juſtitiæ.* Quando demum ad commendationem *Throni* ejus tranſitur. Licet ergo in hoc *Pſalmo*, à nobis tractato poſt *Canticum Salomonis*, prorſus ſit prædictio Gloriæ Chriſti, quoad Perſonam ejus & Regnum, nihil tamen in verbis adductis de ipſius Aſcenſione in Cœlum facile reperietur, nedum reperiri monſtratur.

Sed rectius & certius ut putamus Pſal. XXIV. 7—10. ubi portæ jubentur attollere Capita ſua ad Ingreſſum Domini Gloriæ.

VI. Miſſis pluribus aliis *Pſalmorum* locis, quæ minus certa aut clara pro Domini noſtri Aſcenſione queant ita videri, vel & manifeſte ad manſionem Dei veterem reſpiciunt, uti *Pſal.* CXXXII. 13. 14. potius me converto ad *Pſalmi XXIV. vſ.* 7—10. cujus *Analyſin Exegeticam* dedimus *EXERC. TEXT. XVIII. Parte IV.* Verba ſunt; *Attollite portæ capita veſtra, & attollimini oſtia ſeculi, & ingredietur Rex gloriæ! Quis iſte Rex gloriæ? Jehovah robuſtus & fortis, Jehovah fortis bello. Attollite portæ capita veſtra, & attollimini oſtia ſeculi, & ingredietur Rex gloriæ! Quis hic ille Rex gloriæ? Jehovah exercituum ipſe Rex gloriæ! Selah.* In quibus agnoſcit etiam *Cl. Coccejus.*

*jus* noſter deſcriptionem Propheticam Chriſti Regis populi ſui, ſed de Aſcenſione hujus in Cœlum prorſus tacet, nominans *Edictum de accipiendo Rege adveniente*, quod *oſtendat eum velle recipi in omnibus civitatibus & domibus, ideoque debere ipſi portas patere*, cum *non maneat in certo loco, ſed ubique ad urbes, ad arces, ad munitiones, omniaque adeo clauſtra hominum aditum ſumat*, dum *oſtia ſeculi* dicantur *quæ ſemper pateant*, &c. Quod nos miramur omnino, cum tam multi dudum in his Aſcenſionem Chriſti repererint, ſive ſecundum literam, ſive per myſterium Typicum in Arcæ Adductione, Tſijonitica vel & in Salomonis Templum exſtruendum; quin & ipſe *Cyrillus Jeroſ. Catech. XIV.* ad Aſcenſionem Domini firmandam ſecundo loco dicit, μνημόνευε, ὅτι καὶ θεῖαι δυνάμεις ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους, ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, καὶ τὰ ἑξῆς. Et certe vix videtur heic non poſſe obſervari deſignata Chriſti Aſcenſio; ubi præceſſit deſcriptio *Montis Dominici, & Loci Sancti ejus*, non tam Veteris & Umbratici in Jeruſalem, quam Veri & Spiritualis, quem Eccleſia tum Militans tum Triumphans conſtituit, à ſuis digniſſimis Civibus, ampliſſima *verſ.* 3——6. Quando igitur poſt eam agitur de Regis, utique Tſijonitici & veri, nec cum quoquam alio Rege mundano comparandi, Ingreſſu magnifico certo in illam Tſijonem, per excitationes, rogationes, & reſponſiones illas repetitas, ad quem res debeant componi, an fieri poteſt hoc ut magnificentiſſimum Introitum ad Eccleſiam in Cœlis Triumphantem, adeoque Aſcenſionem Domini poſt fractam hoſtium vim, heic non cogitemus? quamquam ſine excluſione Ingreſſus ſpiritualis in Eccleſiam Militantem, ſive ad hunc & illum diſtincte in repetitis phraſibus, ſive ad utrumque ſimul ſpectetur in utraque, ita ut repetitio faciat potiſſimum vel unice ad rei magnitudinem, & certitudinem, & Davidis zelum ardentiſſimum. De quo vide à nobis dicta loco citato.

VII. Non minus autem, ſed & magis clare, eandem Domini Aſcenſionem præceciniſſe deprehenditur Pſaltes *Pſalm.* XLVII. 6. *Aſcendit Deus in jubilo, & Jehovah in voce tubæ*; quem *Pſalmum* ad dies Meſſiæ ab ipſo *Kimchio* aliiſque Judæis relatum, etiam totum illuſtravimus dudum *EXERC. TEXT. XIX. Parte IV.* & cujus hunc *Verſum* primo loco adduxit

Et inprimis Pſal. XLVII. 6 de Deo Aſcendente in jubilo, & Jehovah in voce tubæ.

*Cyrillus Jeroſ.* μνημόνευε ⸗ γεγραμμένα σαφῶς ἐν ψαλμοῖς, ἀνέβη ὁ θεὸς ἐν ἀλαλαγμῷ. De hoc equidem loco optime dixit Cl. *Coccejus* noſter; *Non poſſum aliter interpretari hunc locum, atque Paulus parallelum interpretatus eſt Eph.* IV. 8. 9. *Exile eſt, referri ad Arcam illatam Sioni vel Templo, licet ea occaſione hic Pſalmus potuerit eſſe cantatus, quia ſcil. Sion terreſtris & Mons Templi non eſt thronus ille Sanctus Dei, in quo ſedens Deus regnat in Gentibus. Atqui hæc Aſcenſio eſt in Thronum regni, quod habet in Gentes. Quod aſtruit verſ.* 9. *&c.* Sic eſt, eſt hic Pſalmus vere Triumphalis ſpectans ad Meſſiam & Regnum ejus, quorſum directe referri poteſt, non minus apte quam illuc refertur ab aliis per tranſlationem typicam ab Arcæ Introductione in Tſijonem aut Templum; quam eſſe *meram conjecturam nullibi fundatam* monuit & *Cl. Coccejus.* In eo excitantur *populi omnes* ad lætitiam ſummam in Deo Rege omni modo declarandam *verſ.* 2. *&c.* eademque excitatio repetitur *verſ.* 7. *&c.* Rationes poſt primam excitationem ſubjiciuntur, à Dei Regis ſumma Majeſtate *verſ.* 3. ab hoſtium ſubactione potentiſſima *verſ.* 4. & à poſſeſſionis datione facta ſubjectis *verſ.* 5. ſive illa ad literam de Iſraëlitis, ſive magis ſpiritualiter de Eccleſia ex populis omnibus colligenda intelligantur, atque hinc tandem ab ipſius Dei Regis Exaltatione perſonali in verbis adductis ex *verſ.* 6. Subjecta rurſus ad repetitam excitationem *verſ.* 7. latiori deſcriptione Regni Meſſiæ in Gentes *verſ.* 8–10. Adeo ut ex omnibus antecedentibus & conſequentibus, in toto hoc *Pſalmo*, clariſſimum ſit, eum Regem, qui *Verſu* 6. noſtro dicitur *Deus & Jehovah*, non alium eſſe quam Filium Meſſiam, cui gentes omnes olim exaltato poſt exinanitionem cederent in poſſeſſionem. Ille autem quando per verbum עלה *aſcendiſſe* dicitur, nemo heic abſque ratione à litera & ſignificatus plenitudine recedat, quæ nos ducit ad tanto Regi convenientem loci mutationem magnam, per quam terram derelinqueret in quam deſcenderat, & cœlum altiſſimum thronumque Patris ſui repeteret, inde imperium in Eccleſiam & orbem omnem habiturus glorioſe, quin & mutationem talem proprio robore & jure futuram.

VIII.

VIII. Obſtare tamen poſſet videri adverſus intellectum illum, quod Aſcenſio hæc deſcribatur, ut futura *in jubilo & in voce tubæ*; qualia externa lætitiæ ſigna vocalia & inſtrumentalia apud Victorum & Regum Ingreſſum pompoſum ſolent adeſſe, nec defuiſſe viderant apud Arcæ adductionem, *coll.* 2 *Sam.* VI. 5. 15. 2 *Chron.* V. 12. 13. ſed apud Chriſti Aſcenſionem nulla memorantur. Quæ objectio quoque legitur in *Catena Græca Corderii*; πῶς δὲ ἐν ἀλαλαγμῷ; τίς ἠλάλαξεν ἀναβαίνοντος; ἐν σιγῇ γὰρ γέγονε ἡ ἔνδεκα μόνων παρόντων. Quod quidem dubium tollitur ita à nonnullis, ut velint in eo jubilo & clangore ſpectari, tum ad antecendentem famam lætam Chriſti reſuſcitati ex mortuis, tum ad concomitans teſtimonium Angelicum apud Diſcipulos hinc gaudentes, tum ad conſequens præconium Euangelii Apoſtolicum per orbem poſt acceptum ab his Spiritum promiſſum, quin & ad Pauli innoteſcentem Converſionem miram inter alia magnifica opera Regis exaltati. Quemadmodum latius ſcripſit *Cl. Coccejus ad h. l. Æquum eſt omnes populos Deo clangere, quia non ſilentio evectus eſt. Non poſſunt diſſimulare, qui non audiviſſent evectionem ejus, ut excuſentur. Nam primo evectus eſt reſuſcitatus à mortuis. Quam reſurrectionem Angelorum & Sanctorum præconia comitata ſunt, & non tantum innotuit Diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem, ſed etiam victoria mortis toti populo, cum gratulatione ſpirantium ſalutem Dei. Deinde evectus eſt in cœlum videntibus Diſcipulis, quum antea ipſum vidiſſent magno numero homines, quibus ſcilicet, poſtquam in totam terram exiſſet fama, Chriſtum reſurrexiſſe, viſum eſſe Mulieribus & Petro & Diſcipulis, & juſſiſſe in Galilæam proficiſci Diſcipulos ſuos ubi illum viſuri ſunt, quibus, quibus inquam curæ fuit ad conductum præſto eſſe & eum oculis uſurpare, gaudentibus & teſtantibus Angelis, & ſtatim per effuſionem Spiritus Sancti & fidem multorum ex Iſraële Majeſtas ejus demonſtrata eſt. Sane vox Apoſtolorum Spiritu repletorum magis quid eſt voce tubæ. Et Pauli converſio & ejus circumductio per totum orbem in ſervitute enixiſſima, triumphus clariſſimus eſt &c.* Ego tamen, quando heic de ſola Aſcenſione agitur, ejuſque modus ſecundum exemplum pompæ humanæ deſcribitur, longe potius apud hanc ſubſiſto vel unice vel præcipue, quam ut antecedentia & conſequentia ſimul

Alia ex Pſalmo illo argumenta conferuntur ad Vaticinii illius relationem ad Chriſtum.

huc

huc congeram, quæ tamen conferre licet vere & pie. Significatur autem per Jubilum indubie Gaudium dictis factisque testatum; quod dubitari equidem nequit quin ex re ipsa ejusque nuncio Angelico in Apostolis mox sit ortum; sed quod magis merito cogitetur apud Cœlites Angelos & Homines, ad quos & cum quibus ascenderet, vectus etiam Nube quæ sonum clarum non quidem terrentem sed lætum addere potuit, etiamsi illa in Historia non memorentur, forte quod Apostolis minus fuerint percepta. Quorsum referas illa *Hieronymi* inter alios Veteres; *Claruit Ascensio ejus, in qua multitudo Angelorum cum magna jubilatione dicebat, tollite portas &c. In voce tubæ, in qua duo Angeli tanquam tuba illo ascendente Apostolis clamaverunt, hic Jesus qui receptus est &c.* Nec non *Theodoreti*; ἔπειτα εἰς ὑψηλὰς ἀνελήφθη, τῶν ἐπουρανίων ἡμῖν δυνάμεων καὶ χερῶν ἀγγελικῶν, τῶν μὲν κάτω βοώντων ὅτου ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν &c. τῶν δὲ ἄνω παρεγγυώντων, ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, καὶ ἐπάρθητε πύλαι αἰώνιοι, καὶ εἰσελεύσεται ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης, τὰς δὲ τοιαύτας φωνὰς ἀλαλαγμὸν ἀνόμασε καὶ σαλπίγγων φωνὴν, ὡς εἰς ἅπασαν διαδεδομώσας τὴν γῆν &c. Utique sicut in Eventibus historicis exprimuntur sæpe circumstantiæ quas non habent eorum vaticinia; sic & nihil plane obstat, quo minus aliqua in prophetiis sint addita, quæ historia non negat, sed tacet, attamen quæ ex rei gestæ ipsius natura facile colligantur. Uti heic, ubi de prædicto Jubilo & Applausu Cœlesti nequit sane dubitari ad Domini communis gloriam, cujus Majestatem celebrarunt eidem apud Pastores in exinanitione ipsa, per illud *Luc.* II. 11. δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, namque ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, *in hominibus*, inter eos & unus eorum est modo, *beneplacitum*, illud commune Dei & hominum, seu horum Mediator & Servator Christus Dominus.

CA-

# CAPUT UNDECIMUM.

## *Quo dicta Jeremiæ & Danielis pro Christi Ascensione in Cœlum laudantur.*

Enimvero nec est unus Psaltes, per quem Spiritus olim Ascensionem Christi prædixit, sed hic idem etiam alios Vates hanc Domini gloriam docuit, & sic cum tanto majori certitudine & attentione eam fideles olim exspectare jussit. Inter quos nominari præ aliis meretur *Jeremias*, in iis quæ nobis reliquit *Cap. XXX. vers.* 21. *Eritque Magnificus ejus ex eo, & Dominator ejus ex medio ejus exibit, & faciam illum appropinquare, & appropinquabit ad me, quis enim ille, qui oppignoret cor suum, ut appropinquet ad me? dictum Jehovæ.* In illis enim, si in ullis, judicamus nos esse clarissimam prædictionem Ascensionis Domini nostri, post alia beneficia præmissa, & ante alia consequentia, quæ omnia per medium hoc de Domino nostro fiunt certa & solida. Textus Jeremiæ Cap. XXX. 21. ad Ascensionem Christi manifeste spectans.

II. Ipse scilicet loquens heic introducitur *Jehovah*, cujus *dictum* hoc totum potius erat in ipsius nomine expresso & significantissimo proferendum à Vate, quam aliqua tantum ejus parte, *coll. vers.* 18. ubi jam præcessit illud, *sic dixit Jehovah*. Ille autem loquitur heic de אדיריו ומשלו / *ejus*, Jacobi nempe, seu Israëliticæ atque Judaicæ gentis ex Jacobo oriundæ, *coll. vers.* 18. 3. 4. *&c. Magnifico & Dominatore* apud *Tremellium & Junium*, seu *Duce & Principe* apud *Vulgatum*, seu *Duce & Potestatem habente* apud *Cl. Coccejum*, *&c.* Quamquam autem *Magnifici* nomen omnino conveniat Duci, Principi, & Regi, ad qualem & heic spectari ex contextu deprehenditur facile, retinemus tamen lubentius proprium illum nominis significatum; secundum quem dicit non tam *Majorem*, uti notavit *Cl. Coccejus*, quam Magnum & excellentem præ aliis. Qualis quis esse potest, vel Ortu suo, vel Qualitatibus mentis aut corporis, vel Ornatus splendore, vel Factis illustribus, vel Imperii potestate, &c. vel pluribus aut omnibus his simul, tanto tunc magis hoc nomine dignus, *coll. Jes.* x. 34. In quo agitur de Magnifico & Dominatore Israelis, uno præ aliis omnibus.

*&c.* Cum quo Magnifici nomine jungitur alterum *Dominatoris*, quod in ſua vi maxima denotat eum qui abſolutam habet Poteſtatem in alios, eamque cum potentia pari actu exercet, *coll. Pſal.* LIX. 14. *&c.* Duplex autem illud Nomen *Magnifici & Dominatoris* neutiquam dicit Duplicem Perſonam, ſed Unam eandemque, ut eam tanto facilius agnoſceremus; & per ſe potius ſingulum conſiſtit, quam ut unum Adjectivi & alterum Subſtantivi habeat notionem, quaſi foret Magnificus Dominator. Et debet porro utumque illud ſingulare nequaquam heic capi vel diſtributive vel collective, adeoque ſenſu plurali, ſed omnino ſingulariſſime, & ſic de aliquo cui per excellentiam præ aliis omnibus id competeret prorſus. Unde exulare hinc plane oportet ſomnia de Zorobabele, quorum pudere equidem debuiſſet inter alios Judaizantes *Grotium*; & certiſſime agnoſcendus in hoc *Magnifico & Dominatore* eſt ipſe *Meſſias*, quem & heic nominavit *Chaldæus*, & agnoſci à pluribus Judæis monſtravit cum aliis *Calovius*, rem ipſam variis argumentis porro adſtruens. Quæ omnia non eſt ut heic diducamus; ubi jam præceſſit expreſſum nomen *Davidis Regis eorum à Jehova ſuſcitandi iis verſ. 9. coll. Cap.* XXIII. 5. 6. & ubi prædicata hujus *Verſus* nemini alteri conveniunt, & ubi hæc ipſa Duo Nomina illum demonſtrant, æque quam Pronomina Affixa. Meſſias nempe eſt *Magnifici* appellatione digniſſimus; *Ortu* non modo Humano ex Virgine Davidica, ſed longe magis Divino & Æterno ex Patre cœleſti; deinde *Qualitate* Perſonæ ſuæ, tanquam Deus ipſe verus, & ſimul vere Divinus homo; tum *Ornatu* Majeſtatis ſanctiſſimæ, ab ipſo effulgentis quaquaverſum in media vilitate corporea; porro *Factis* illuſtribus, in amicos & inimicos, quorum fama orbem pervaſit & hunc in ſtuporem dedit; tandem & *Imperii* amplitudine, efficacia, & duratione æterna. Meſſias hinc perinde meretur nomen *Dominatoris*, de jure & de facto, uti & illud alias accipit 2 *Sam.* XXIII. 3. *Mich.* V. 1. qui nullum plane ſibi vel parem vel ſimilem habet, ſeu juris multiplicis, ſeu objectorum, ſeu actuum reſpectu. Meſſias tandem *Jacobi* Magnificus & Dominator appellatur, tanquam huic populo ſpeciatim promiſſus ab ævo, ab hoc exſpectatus cum læto deſiderio, & ex hoc quoque oriturus ſuo tempore. III.

III. Duo porro ſunt, quæ de hoc Jacobi Magnifico & Dominatore dicit Jehovah. Primum & antecedens duplici iſta phraſi, *ex eo erit, & ex medio ejus exibit.* Ubi *is* plane deſignat Jacobum, ſeu Iſraëlis & Judæ gentem, cui heic fit promiſſio, & à quo Magnificus & Dominator modo denominatus fuit. *Ex* quo, ממנו / cum *futurus* dicitur, minime innuitur ejus à gente hac ablatio, ſeu remotio, ſed Ortus per Nativitatem Humanam ab jis in gente Iſraëlitica patribus ſucceſſivis & matre tandem Virgine, quos Divina Vaticinia heic dudum deſignaverant; adeo ut dicatur, promiſſa illa de Filii Miſſione in carne non tantum certo eſſe implenda quoad rem, ſed & quoad modum omnem ſuum, ut illum hinc dignoſcere poſſent etiam, & tanquam fratrem ſuum propinquum amplecti. Imo *ex* cujus *medio*, ממקרבו / quando dicitur idem *exiturus*; jam ſpectari poteſt, vel ad ventrem conceptionis ſingularem locum, vel ad populi iſtius multitudinem, ſeu præſtantiorem ſeu & viliorem; & ſignificatur rurſum, non receſſus ab ea gente ex qua naſceretur, ſed vel idem qui antea Ortus per nativitatem, *coll. Mich.* v. 2. vel & Incrementum magnum poſt Ortum primum, & hinc conſequens Manifeſtatio publica in ea gente per dicta & facta ſua illuſtria, quorum & fama ipſum apud alias gentes commendaret. Quam in rem confer illud Bilhami *Num.* XXIV. 17. de *Stella progreſſura ex Jacob*, & *Sceptro ſurrecturo ex Iſrael*, à nobis expoſitum *in Pentateuchi Select.* Et ex hoc Primo Prædicato diſcimus manifeſte, in iis quæ ſequentur ſpectandum eſſe Meſſiam tanquam Deum jam Incarnatum actu, & in his terris apud Gentem ſuam Manifeſtatum etiam in Magnificentia & Dominatione ſua, ſatis illuſtri modo.

Qui ex eo foret & ex medio ejus exiret.

IV. Sed alterum eſt de eo Prædicatum, quod nos nunc quam maxime conſiderari velimus; *Et faciam illum appropinquare, & appropinquabit ad me.* Non oportet enim heic in *illo*, per Pronomen Affixum deſignato, reperire populum Iſraëliticum, cui fit promiſſio, ad quem manifeſte ſpectat *Chaldæus* per adhibitum pronomen plurale, ſed ipſum illum Magnificum & Dominatorem ejus, de quo agit eadem. Dum in illo אלי *ad me*, non poſſumus alium intelligere quam ipſum Deum, ſeu Jehovam loquentem ſic de ſe ipſo, ſeu Patrem; ad

Et quem Deus appropinquare faceret, ut appropinquaret ad ſe.

quem ita appropinquaret Messias, ut id ab hoc fieri faceret ille scilicet. Enimverò quæ & qualis est illa *Appropinquatio* unius ad alterum? An improprie dicta? per *Assimilationem* nempe magnam, seu jam *Sapientiæ & Sanctitatis* decentis, quæ utraque in Messia foret maxima & Divina, quo pacto de *discendo Dei Cultu* heic loquitur Chaldæus, seu & *Dignitatis* summæ, in ipsum conferendæ infra Deum, sed supra nomen omne aliud in cœlo & in terra? An etiam parœmialiter & latius sic appellata? per admissionem ad interiorem amicam societatem, uti sic *Grotius* scribit ad priorem partem horum verborum, *habebo eum amicissimum*, & ad posteriorem, *rectius vertas*, *& ad me aditum habebit?* Utrumque illud fiet omnino temere, & cum magna phrasios imminutione apud Personam dignissimam heic descriptam hactenus. Verum *Appropinquatio* illa ad literam prorsus est capienda; ut dicat Localem Accessum ad Deum, sedentem in Throno suo, non terrestri & umbratico illo veteri quem olim habebat in medio Israëlis, & ad quem sub Novo Test. abolendum non nisi Aharonidis propè accedere licebat, sed cœlesti magnificentissimo & æternum duraturo, eumque proximum plane. Qualis adeo, nec contigerat Mosi, approquanti ad Deum in monte Sinai *Exod.* XXIV. 2. *&c.* nec Sacerdotibus veteribus in Sanctum aut Sanctum Sanctorum intrantibus *Num.* XVI. 5. 9. 10. *&c.* nec Fidelibus communiter contingeret, seu heic in Cultu externo vel & interno, *coll. Jes.* XXIX. 13. *Jac.* IV. 8. *&c.* seu posthac quoque quoad Animam in cœlum assumendam, quin & cum corpore illuc olim transferendam, *coll.* 1 *Thess.* IV. 16. *&c.* quo omni casu non esset hoc promissum adeo singulare, aut ad tantum populi usum & gaudium faciens. Nec potest aliqua phrasis cum hac nostra rectius conferri, quam illa *Apoc.* XII. 5. καὶ ἡρπάσθη τὸ τέκνον αὐτῆς πρὸς τὸν θεὸν καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ, juxta dicta Christi de sua Abitione ad Patrem & Domum ipsius. Qualis *Appropinquatio* ad Jehovam rursus spectari heic potest; vel ut Regia, ad occupandum cum illo Thronum, *coll. Psal.* CX. 1. 2. *Eph.* I. 20. *Apoc.* III. 21. *&c.* de qua mox agendum ad *Dan.* VII. 13. 14. vel potius ut Sacerdotalis, non tam in quotidianis Sacerdotum actibus in Sancto *Lev.* X. 3. *&c.* quam in solenni & annuo Pontificis Ingressu

greſſu in Sanctuarium intimum *Lev.* XVI. 2. *coll. Hebr.* IX. 7. 11. *&c.* quorſum annexa heic proxime ratio nos ſatis manifeſte ducit. Iſta autem *Appropinquatio* ita primum per illud, *appropinquare faciam illum*, utique ad me, tribuitur Jehovæ Patri, reſpectu Conceſſionis non modo ſed & Ordinationis atque Juſſionis efficacis; ut mox per iſtud alterum, *& appropinquabit*, adſcribatur ipſi Meſſiæ actu ipſo eam accepturo, etiam per proprium jus & robur. Debemus ad iſta laudare *Cl. Cocceji* commentarium; *Dabo ipſum Sacerdotem: Accedere ad Deum eſt Sacerdotis: Alludit ad Num.* XVI. 5. Etiam in eis quæ porro adjecit; *Quod hic dicitur de Dominaturo, qui progreſſurus erat ex Jacobo, eum Sacerdotem iri conſtitutum, & Sacerdotio functurum eſſe, nam hoc eſt accedere ad Deum, id reſtricte intelligendum eſt cum excluſione omnis alterius, quod intelligitur ex ſequentibus &c.*

V. Ita eſt omnino, nam ita ſonat huic magno promiſſo de Meſſia ſubjecta mox Ratio; *Nam quis ille, qui oppignoret cor ſuum, ut appropinquet ad me?* Quæ verba diverſiſſime vertuntur, & hinc quoque exponuntur. Abſurdiſſime equidem *Grotius*, hæc nectens præcedentibus proxime, vellet vertere, *& ad me aditum habebit, quisquis volet, quisquis edultavit cor ſuum ut ad me accedat*, addens ס *ſæpe ponitur pro quisquis*, & ערב *per ἡδύνειν vertunt Græci multis in locis.* Quod utrumque licet detur, facere nequit, ut ſenſus ille heic conveniat, ubi Appropinquatio ad Deum antecedenter ſpectatur tanquam ſingulariſſima Excellentia Magnifici & Dominatoris promiſſi. Repererunt heic alii ab ævo Querelam de paucitate Deum decenter quærentium & colentium, *coll. Jeſ.* LIII. 1. *&c.* Prout habet *Chaldæus, quis eſt iſte, qui vult corde ſuo accedere ad cultum meum?* atque huc etiam referri poteſt verſio *Vulgati, quis enim iſte qui applicet cor ſuum ut appropinquet mihi?* Sed & ſic Appropinquationis ſenſus temere heic minuitur, & ad oppignorandi cordis phraſin non ſatis attenditur, neque connexio cum prioribus ſatis apta relinquitur. Dum magis adhuc aberrant Virorum Magnorum gloſſæ, quæ heic conſtituunt Querelam, non tam de plurimorum Inobedientia adverſus Vocationem Externam, quam de Manſione in Chaldæa aliisque locis peregrinis contra Libertatem Redeundi & Reædifican-

Addita ratione, nam quis ille, qui oppignoret cor ſuum, ut appropinquet ad me?

di à Cyro datam. Retulerunt rurſus alii hæc ad Meſſiæ Appropinquaturi ex Divina ordinatione Excellentiam, ut per modum admirabundæ Exclamationis dicatur, *quis*, h. e. qualis & quantus, eſt *ille*, *qui*, ita cum *cordis ſui oppignoratione*, & tam propinque, *ad me appropinquat? coll. Jeſ.* LXIII. 1. *&c.* Dum alii rurſus Excellentiam Meſſiæ quærunt heic, in eo quod nemo alius tanto cum ſtudio Deo adhæſerit unquam, unde ille ſolus præmio tanto dignus. Qualis abſoluta ſatis negatio heic etiam deprehenditur, intellecta Appropinquatione ad Deum abſque Divina Juſſione ad proprii cordis lubitum ſolum, ſive jam ad ſalutem obtinendam, quæ nemini ſic contingat, ſive ad dignitatem Sacerdotii tuendam, ad quam heic vocatus dicebatur Meſſias, *coll. Hebr.* v. 4. 5. καὶ οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν, ἀλλὰ ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών, οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενηθῆναι ἀρχιερέα *&c.* Nos ſimpliciſſime, literam ſi ſequamur, in Rogatione hac Affirmativa reperimus Negationem Univerſalem, de omni præter Meſſiam Homine, quod *ut ad Deum appropinquet*, quo modo Meſſias ex Divino juſſu appropinquaturus erat, vel jam pro aliis vel & pro ſe ipſo, *cor ſuum*, ſeu ſe ipſum, *oppignorare*, vel *corde ſuo ſpondere*, nequeat, vel decenter, vel cum fructu ullo, vel etiam absque perditione per Divinæ vindictæ ignem fervidiſſimum exſpectanda propter impotentiam & indignitatem ſummam. Unde iſta præmiſſa Meſſiæ Appropinquatio, neceſſaria & utiliſſima populo Dei, in illo tanquam ſumma excellentia ſpectanda & agnoſcenda erat cum omni gratitudine. Et placere hinc magnopere quoad rei ſummam debet *Cl. Cocceji* commentarius; *Quis hominum cor ſuum tranquillavit, ut conſiderato quod ego ſum ignis devorans & ipſe ſit peccator, auſit ad me accedere, ad petendum aliquid à me, vel ad offerendum aliquid mihi quod ego gratum habeam? Hinc Apoſtolus Hebr.* VII. 25. *docet, qualis nos deceat Sacerdos, ſine quo non deceat nos accedere ad Deum. Hic oſtenditur infirmitas & inutilitas Sacerdotii Aaronici, deinde quo fine Chriſtus venturus ſit &c. Tenuius hæc interpretatur Abarbenel, obſcurans Sacerdotium Chriſti &c. Hoc loco non dicit, quis poteſt accedere ad me? ſed, quis in fidem ſuam recepit cor ſuum, ut accedat ad me, h. e. quis tam audax eſt, ut ſe ſiſtat mihi judicandum & ſperet ſe in juſti-*

*justitia sua quicquam impetraturum à me, vel pro se vel pro aliis? Quo dicto Sacerdotium Aaronicum ut ἀνωφελὲς abdicatur. Negat enim, ullum hominem audere accedere ad Deum.*

VI. Ut ad scopum nostrum redeamus modo, reperimus heic certissime & vere irrefragabiliter promissum Messiam, non alium quemquam, qui uti erat æternus Dei Filius, ita futurus erat etiam suo tempore Filius Hominis ex Israëlitica gente, atque ita cum incremento magno coram hoc manifestandus primum in orbe, ut Deus illum consequenter ad se & thronum suum cœlestem in illa etiam Humanitate assumeret, ubi se fisteret verum Sacerdotem & Pontificem populi sui, quod nemo alias agere posset; sed ipse perageret lubentissime in perpetuum, secundum illud Johannis 1 *Joh.* II. 1. *habemus paracletum apud Patrem Jesum Christam justum*, & Pauli *Rom.* VIII. 34. *quis est qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, magis vero qui excitatus est, qui etiam est in dextra Dei, qui etiam intercedit pro nobis*, *Hebr.* VII. 25. *unde & servare perfectissime potest accedentes per eum ad Deum, semper vivens ut intercedat pro eis, &c.* Qua in re cum directe contineatur ipsius Ascensio in Cœlum, vere miror, quo pacto eandem heic non magis ut aperte prædictam inculcaverit *Cl. Coccejus*, quam tot aliis locis ubi certe non nisi obscurius illa deprehenditur.

Applicatio necessaria Vaticinii hujus ad Christi prædictam hic Ascensionem.

VII. Enimvero Appropinquatio Messiæ ad Jehovam ad similia cogitata de Ascensione Domini prædicta nos perinde cogit in altero loco, qui est *Dan.* VII. 13. 14. *Videns fui in visionibus noctis, & ecce cum nubibus Cœli tanquam Filius hominis veniens erat, & ad Stabilem dierum venit, & coram eo appropinquare fecerunt eum; eique dedit potestatem ac gloriam & regnum, & omnes populi, nationes, & linguæ ei servient, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Uti interpretatio hujus Visionis Danieli ad ipsius petitionem etiam contigisse fertur ista *vers.* 18. *Et accipient regnum Sancti Altissimorum, & possidebunt regnum in seculum & in seculum seculorum*, *coll. vers.* 22. 27. *&c.* Ad cujus loci intellectum faciliorem attendere oportet ad Visionem, vel Visiones, quæ heic proxime præcesserunt, & ab ipso descriptæ sunt inde à *vers.* 1. ad 12. Scilicet illic ad prorum-

Transitus ad Visionem Danielis Cap. VII. 13. 14. cujus & contextus antecedens exhibetur.

pen-

pentes ſeu pugnantes Quatuor Ventos Cœli ſuper Mare magnum *verſ.* 2. ex Mari aſcenderunt *Quatuor Beſtiæ* magnæ, à ſe invicem diverſæ. *Prima* inſtar Leonis cum alis Aquilinis &c. *verſ.* 4. *Secunda* inſtar Urſi, cum tribus Coſtis in Ore ejus inter dentes &c. *verſ.* 5. *Tertia* inſtar Pardi, cum quatuor Alis ſuper dorſo, & quatuor Capitibus, &c. *verſ.* 6. *Quarta* tandem Formidabilis & Terribilis admodum atque Fortis, cum Dentibus Ferreis magnis &c. & Cornibus decem, prætereaque Cornu alio minori, quod enaſcebatur dum tria ex prioribus evellerentur, in quo Oculi humani & Os loquens grandia &c. *verſ.* 7. 8. Poſt Beſtias has viſas, indubie repræſentantes emblematice Imperia Mundana magna & crudelia *coll. verſ.* 17. 19. 23. *&c.* ſive hæc ſive illa, (de quo non licet heic nobis nunc late agere extra ſcopum noſtrum) videt Daniel *verſ.* 9 — 12. *Thronos*, ſi non *Thronum* unum excellentem, ſeu *dejici*, ſeu *relinqui*, ſeu potius *conſtitui*; & *conſidentem*, ſuper eis potius quam alio loco aut throno, Unum aliquem, qui vocatur יומין עתיק / atque ampliſſimè deſcribitur ab omni *Majeſtate* ſua, atque à *Judicio* habito in Beſtiam Quartam una cum reliquis tribus. Id nomen, etiam repetitum *verſ.* 13. 22. & per παλαιὸν ἡμερῶν, *Antiquum dierum*, verſum à LXX. & *Vulgato*, cum reſpectu tamen non ad Senii Debilitatem, viresque detritas, ſed ad Durationem antecedentem retro, (unde nihilominus & vox *Vetuſti* eſt apud quoſdam, & fluxit illa *Senis* imago per quam Deus Pater apud Pontificios repræſentari communiter ſolet,) ſive quod in re idem eſt *Provectum ætate*, in quo & ad ſapientiam ac prudentiam tanto majorem nos ſpectare jubent multi; non minus tamen recte *Cl. Coccejus* tranſtulit per *Permanentem diebus*, vel *dierum*, h. e. Durantem ſemper & Stabilem abſque ullo interitu aut deceſſu per temporis durationem omnem ſucceſſivam; uti ſic reperimus *Prov.* VIII. 18. הון עתק / quod per *durabilem*, vel *manentem*, *ſubſtantiam* reddi ſolet, LXX. & *Vulgato* neſcio unde habentibus κτῆσιν πολλῶν, *opes ſuperbas*, & *Jeſ.* XXIII. 18. מכסה עתיק / *operimentum durans*, potius quam *vetus*. Pro qua verſione ad textum noſtrum ſic etiam laudabiliter commentatur *Cl. Coccejus*; *Permanens diebus, h. e. is cujus dies non tranſeunt, & anni non finiuntur Pſal.* CII. 28. *Nam*

עתיק

ישן *dicitur de re permanente. Quamquam Deus noſter non eſt novus, vid. Deut.* XXXII. 17. *tamen veremur eum Antiquum dierum appellare, quod proprie ſonat* παλαιὸν, ישן *vel* ישׁן. *Eſt hic uſitatum in Scripturis* ὀξύμωρον. *Nam ſolent Deo attribui anni ac dies, ſed cum additione, quæ æternitatis immutabilitatem & à tempore diſtinctionem notat, quale eſt, dies ejus non finiuntur. Ita hic, permanens dierum, cujus dies non prætereunt. Notatur ergo* ὁ ἀΐδιος, ὁ αἰώνιος. Sicuti autem Nomen iſtud, plane conveniens cum חי עלם *vivente ſeculi Dan.* IV. 34. *coll. Dan.* XII. 7. *Apoc.* X. 6. ea ratione nos manifeſte ducit ad Deum; ſic etiam huic ſoli convenit omnis illius deſcriptio à *Majeſtate* maxima, in qua ille viſus eſt heic Danieli; in Veſtimento Candido ſcil. inſtar nivis, & Capillitio ſimili lanæ puræ, & Throno flammantis ignis cum rotis ignis ardentis, & Fluvio ignis prodeunte & exeunte coram ipſo, & Millies Millibus imo Myriadum Myriadibus adſtantibus ad miniſtrandum. Cui tantæ Majeſtati quoque conveniens eſt *Judicium*, quod *conſediſſe* dicitur, nos ducens præcipue quidem ad Deum tanquam Præſidem ſe componentem ad Judicium habendum, ſed & ſimul merito ad ejus Aſſeſſores ſanctos, quales in judiciis humanis adeſſe ſolent, & ſupremo Judici ſubſcribant; *Libris* hinc, neceſſariis in ſententia ferenda, ſeu ad Jus ſeu ad Facta ſpectantibus, etiam *apertis*, ex quibus palam conſtaret judicandorum damnabilitas & judicii æquitas, *coll. Apoc.* XX. 12. Illud porro Judicium, ſecundum damnationis ſententiam latam & exſecutioni datam, ſpectavit heic ad Cornu magna loquens, ipſamque Beſtiam ex qua illud enatum, quæ interfecta perdito corpore & ad combuſtionem ignis tradito; dum & reſiduo Beſtiarum ablata poteſtas, cum vitæ tamen prolongatione aliqua. Quod Judicium reſpectu ſpecialis applicationis heic modo non conſiderabimus, ex *verſ.* 23. *&c.* dum generalis ſenſus qui nobis ſufficit indubiè ſpectat ad Deo Chriſtoque & Populo ejus Hoſtiles Poteſtates, quas ab iis eſſe perdendas ſeveriſſime ſuo tempore ſic certi reddimur.

VIII. Ad iſta à Daniele viſa, in viſionibus nocturnis, idem Vates videt Alterum quempiam, cujus & Acceſſus propinquus ad priorem Stabilem dierum, & feliciſſima & glorioſa Exaltatio ſimul cernitur, & nobis intuenda cum attentione

Viſus illic Sicut Filius Hominis, quis & quo ſenſu ſic dictus ſit,

 ſingu-

ſingulari datur *verſ.* 13. 14. Perſona deſignatur per ſolas voces כבר אנש / *ſicut*, vel *quaſi*, *Filius hominis*. Jam notum eſt omnibus Chriſtianis, Dominum noſtrum in Euangeliis toties totiesque loqui de *Filio hominis*, τῷ υἱῷ τ ἀνθρώπȣ, ad deſignandum, non hominem quemvis ex aliis hominibus natum, vel etiam ſingularem aliquem inter hos alium, ſed Se Ipſum, tanquam poſt aſſumptam ex Iſraëlitis carnem inter Homines ſingulariſſimum & excellentiſſimum, tum Vilitate primum, tum & deinde Majeſtate. De quo ſimiliter dixit Stephanus *Act.* VII. 56. ἰδοὺ θεωρῶ τȣς ȣὐρανȣς ἀνεῳγμένȣς, κ τ υἱȣ τ ἀνθρώπȣ ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τ θεȣ; & cum reſpectu ad quem memoratur ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπȣ *Apoc.* I. 13. XIV. 14. Nec plane præter rem Chriſtiani complures putant, in iſthac ſui appellatione ſpectaſſe Dominum ad *Pſalm.* VIII. 5. & LXXX. 18. ubi per nomen בן אדם / *Filii Hominis*, deſignatus ipſe jam olim fuerit, *coll. Hebr.* II. 6. *&c.* ſi non ſimul ad Proteuangelium de *Semine Mulieris Gen.* III. 15. Quin etiam ad hanc noſtram *Danielis* viſionem, in qua adeo, *ſicut Filius Hominis*, ſit Similis Meſſiæ promiſſo in Pſalmis, una vel alia ratione, ſeu non ipſe ſed ejus Imago repræſentans. Sed non minus notum eſt ab altera parte, nomen illud *Filii Hominis* per ſe convenire omni homini qui ex alio natus eſt; atque ſic uſurpari non modo pluraliter ſed & ſingulariter illud בן אדם / *Num.* XXIII. 19. *Job.* XXI. 16. XXV. 6. XXXV. 8. *Jeſ.* LI. 12. LVI. 2. *Jer.* XLIX. 18. *&c.* atque בן אנש *Pſal.* CXLIV. 3. Uti nec ignorat quisquam, quoties iſthoc nomine בן אדם / *Filii Hominis* Deus compellet *Ezechielem Cap.* II. 1. 3. 6. 8. *&c.* quod & Danieli datur *Cap.* VIII. 17. dum apud hunc etiam occurrit deinde *Cap.* X. 16. כרמות בני אדם / aliquis *ſecundum ſimilitudinem filiorum hominis* pluraliter. Ut jam non dicam de familiariſſimo apud *Syros* uſu, non tantum pluralis بنى أناسا / pro *hominibus*, ſed & ſingularis بر أناسا & / بر أنسا pro *homine*. Enimvero uti poſterior notio certa eſt, & manet, ſi prior admittatur, habuit enim alterius hominis ſimilitudinem externam omnino Chriſtus, *coll. Rom.* VIII. 3. *Phil.* II. 7. 8. *&c.* ita prior illa vix æque certa dici poteſt, licet nihil magno-

magnopere obstet, quo minus & Messias per signa specialia, tum vilitatis præcedentis, ad quam & respiciat vox אנש/tum gloriæ præsentis, heic fuerit repræsentatus.

IX. Hanc porro Personam similem Filio Hominis vidit Daniel *venientem*, indubie de terra hominum mansione cœlum versus, & quidem *cum cœli nubibus*, quæ instar currus ipsum illuc attollerent, atque sic majestatem ejus arguerent, *coll. Psal.* CIV. 3. *&c.* Neque enim ratio ulla datur, cur vel de Angelis ipsum comitantibus potius quam de proprie dictis Nubibus cogitemus, vel ad harum Celeritatem unice respiciamus cum *Grotio*, conferente ad id textum *Jer.* IV. 13. Quin & videt eundem Daniel *ad Stabilem Dierum*, throno suo Regio & Judidiciali insidentem, *pervenire*, postquam à Nubibus in altum adductus esset; *coram quo*, proxime omnino apud thronum & in thronum ejus, *eum appropinquare fecerunt*, tanquam גבר עמיתו *virum Socium ejus Zach.* XIII. 7. Quinam vero eum illuc appropinquare fecerunt? An Nubes cum quibus venire ipse visus est? Vix putem, eas eousque promotas ad Dei thronum esse censendas, in hac Visione prophetica de futuro, æque quam in Eventu insecuto ipso. An ipse Stabilis Dierum? Id magis conveniret, nisi Numerus Verbi esset Pluralis, minus conveniens Nomini singulari. An Impersonaliter intelligenda hæc locutio? Id equidem non male dici potest; ut sensus sit, illum illuc appropinquare esse factum. Potius tamen adhuc respicio ad illa quæ præcesserunt *vers.* 9. 10. de Millibus & Myriadibus Assistentium Ministrorum coram Stabili Dierum, deque Judicii Assessoribus. Qui cum sic proxime ambirent Stabilem Dierum, hunc Filium Hominis à Nubibus adductum præ se appropinquare fecerint, ipsi cedendo aditumque propiorem concedendo non tantum promptissime, sed & ipsum illuc vocando & si ita dicere licet ducendo. Et hinc sequitur tertia seu principalis Pars hujus Visionis, secundum quam Ezechiel vidit, *potestatem*, *ac gloriam*, *& regnum*, potentissimum & gloriosissimum, simul & latissime extensum, adeo ut *omnes populi nationes & linguæ ei servirent*, quin & longissime duraturum, dum *potestas ejus* foret *potestas æterna quæ non auferretur*, *& regnum ejus* regnum *quod non corrumperetur*, *ipsi dari*, ab eo

Et quidem cum Cœli Nubibus veniens, imo ad Stabilem dierum perveniens, coram quo eum appropinquare fecerunt, data illi potestate & gloria maxima & perpetua.

indubie ad quem accedebat & qui jus hoc præ aliis omnibus habebat, Stabili dierum, unde ſingulare heic Verbum יום præ plurali adhibetur.

Ineptiſſima hujus Interpretatio de Populo Romano, ex Grotio memoratur.

X. Quis jam fere credat oculis ſuis, ubi apud *Grotium* legit ad iſtos *verſ.* 13. 14. *Populus Romanus nullum habens intra ſe Regem, ut dicitur* 1 *Macc.* VIII. 14. *Filii hominum dicuntur Privati Pſal.* LXXXII. 7. *Privatum autem hic ſume, quatenus ea vox Regibus opponitur, ut apud Lucanum,*

*Neſciat hoc quiſquam, niſi tu quæ ſola meorum*
*Conſcia votorum es, me quamvis plenus honorum*
*Et Dictator eam Stygias & Conſul ad umbras,*
*Privatum fortuna mori.*

*Juſſus eſt ſe ſiſtere coram Deo, regum & regnorum Judice, velut ad accipienda mandata. Sic Cyrus Servus Dei dicitur, quia Dei decreta exequebatur, &c. Deus ei dedit Imperium maximum &c. Manet etiam nunc Imperii Romani, acciſi alicubi, ſed aucti in aliis partibus, & nomen & majeſtas.* Quibus tamen inepte ſatis immiſcuit iſta; *Eſt autem Populus Romanus non obſcure Chriſti Imago, cujus Imperium ab initiis minimis in totum orbem pervenit, ſed Divino modo. Ita ſentit & Scriptor de Regimine Principum.* In quibus gloſſis, non ſatis convenientibus cum iis quæ alibi ipſe habet, (ſed bene cum iis quæ æque abſurde ſcripſit *ad Dan.* II. 34. 35. etiam *Lapidem de Monte ſine manibus* exponens per *Exercitum Populi qui ſuæ eſſet ſpontis nullique Regi pareret, cujus populi origo à Monte nempe Palatino*, ſeu *Imperium Romanum, quod geſſerit in hac re non obſcurum Typum Euangelii, quod ortum de cœlo ab exiguis initiis in immenſum crevit, &c.*) merito *Calovius* reperit *deſteſtandam* σριβλότητα *illuſtris ſententiæ*, quæ nulla in parte habet aliquid veriſimilitudinis. Ut unus ſcil. *Filius Hominis* deſignet Populum totum Romanum, ſed abſque Rege, (quorſum nihil facit textus *Pſal.* LXXXII. 7. ne quidem habens *Filium* Hominis, ſed אדם / ſeu *Hominem* quemvis, ſeu *Adamum* ipſum, ſecundum dicta à nobis *EXERC. TEXT. XVII. Parte II.*) ut *cum Nubibus Cœli* viſibilibus dicat tantum, *ſumma cum celeritate ac motu rapido in partes omnes*; ut *Appropinquatio* ad Stabilem Dierum cum inſecuta Regni potentiſſimi Datione dicat Mandata accipienda ab ipſo quæ exequeretur; & ut magni-

magnificentiſſima illa Regni deſcriptio, quæ ab omni parte eſt ſupra ſortem humanam hujus mundi ad Romanum Imperium una cum ejus Reliquiis hodiernis ſatis tenuibus referatur. Dum ſatis ludicrum videtur, Imperium illud Romanum conſtitui Typum Regni Chriſti; idque propter convenientiam ſolum in initiis parvis cum magno incremento.

XI. Enimvero quis eſt, qui ad Viſionem illam rite attendens, in ea non obſervet quaſi ſolis radiis depictum Meſſiam? Quatenus hic verus quidem Deus, ſed & ſimul futurus erat *Filius Hominis*, vilis quoque & depreſſus admodum ab initio, ut per Hominis ſimilitudinem optime repræſentaretur. Et quatenus hic deinde Regnum illud glorioſiſſimum nullis locorum vel temporum limitibus circumſcriptum omnino accepit, quod nulli alteri ſic competit. Unde agnoſcere id debuit ex Judæis ipſis *Jarchius*, & *Alter* apud *Aben-Ezram*, præter *R. Levi Ben Gerſon*, & *Saadiam*, quos & *Grotius* laudavit, *ad Lib. V. de Ver. R. Chr.* ſcribens, *Filium hominis apud Danielem eſſe Meſſiam conſentire magnos Judæorum Magiſtros &c.* Agnito autem hoc Viſionis Propheticæ Subjecto, quid quæſo clarius videri poteſt ad hujus Aſcenſionem in Cœlum repræſentandam, quam eundem in Humana illa ſimilitudine venire cum Cœli Nubibus, de Terra nempe ad Stabilem Dierum, atque hinc proxime ad eum præ omnibus adſtantibus & cingentibus Adduci, ut Regnum illud ampliſſimum accipiat, ad quod deſignandum alias Sedere ad Dextram Dei dicitur, *coll. Apoc.* XII. 5. *&c.* Ut jam de Tempore aliorum Regnorum perditorum vel perdendorum ſimul vel ſucceſſive nihil addam. En ergo vere Appropinquationem Chriſti ad Deum, ſed jam non Sacerdotalem, de quali agebatur apud *Jeremiam*, ſed vere Regiam, ſecundum contextum manifeſtum.

Dum agnoſcenda heic omnino clariſſima Meſſiæ pictura.

XII. Haud parum hinc eſt præter votum noſtrum, quod in alia iviſſe heic reperiamus *Cl. Coccejum*. *Multi*, inquit, *per Filium Hominis intelligunt Chriſtum, qui ex Pſal.* VIII. 6. *ſæpe in Euangelio vocatur ὁ υἱὸς τ ἀνθρώπε &c. Saadiah ad h. l. iſte eſt Chriſtus juſtitia noſtra, & eum quidem venturum vectum aſino, h. e. ſine pompa & faſtu mundano, velut in equis, ſed à Deo honoratum iri, Angelos Cœli cum ipſo venturos, id parabolice nota-*

Alia expoſitio Cl. Cocceji in Filio hominis non Chriſtum ſed Eccleſiam reperientis.

*notari per Nubes Cœlorum. Quod autem dicitur admotus ad Permanentem diebus, id explicat ex Pſal.* CX. 1. *&c. De hac explicatione dico* 1. *Certum eſſe, quod per Filium hominis in Viſione ſive ænigmatice debeat intelligi Populus Sanctorum hactenus à Beſtia oppugnatorum.* 2. *Certum eſſe, quod Chriſtus intelligatur, quando dicitur Cornu creſcens locuturum grandia juxta* עליא *Altiſſimum.* 3. *Chriſti eſſe Judicium, de quo eſt verſ.* 9. 4. *Non poſſe hic intelligi Adventum Chriſti, qui antecedit ejus Seſſionem ad dextram Dei.. In quo Saadiah failitur. Si venit cum Nubibus cœli, venit vel ex longinquo, vel ex alto. Ita Chriſtus ſuo tempore veniret, qui ſedet ad dextram Dei. Si Chriſtus intelligendus eſt, omnino intelligendus eſt ejus Adventus ex cœlo.* 5. *Si ita intelligamus, non ſatis video quid ſit, ad Permanentem Diebus admoverunt eum. Si hoc notat Chriſti Seſſionem ad dextram Dei, ut Saadiah vult, quid erit Adventus cum Nubibus cœli? An Adventus cum Nubibus cœli præcedit ejus Seſſionem ad dextram Dei? &c. Sed quomodo hæc jungi poſſunt, venit cum Nubibus cœli, & pervenit ad Permanentem diebus? Deinde non poteſt dici, Chriſtum demum veniſſe, poſtquam ultimum Animal aut Cornu ejus grandia locutum eſt. Nam poſt Chriſti Adventum futura erat defectio. Quum conſediſſet ad dextram Dei, regnaturus erat inter hoſtes, & hoſtes paullatim debellaturus. Longe igitur melius omnia fluunt, ſi, quod Daniel per Filium hominis ſignificari dicit, tantum intelligamus, nempe Populum qui ſunt Sancti Altiſſimorum. Neque magis mirum videri debet, eum venturum cum Nubibus cœli, atque id quod dicitur quosdam tanquam Nubem volare & tanquam Columbas ad cancellos ſuos Eſa.* LX. 8. *&c.* Poſtquam & antea præmiſerat Vir Doct. *Hiſce reſpondent, quæ ſunt verſ.* 18. *& accipient Regnum Sancti Celſorum, item verſ.* 27. *& Regnum & majeſtas data eſt Populo Sanctorum Excelſorum. Hiſce collatis apparet, per Filium Hominis in viſione ſignificari Populum Sanctorum, qui Deo Sancto ſancti ſunt, quorum* το πολιτευμα *eſt in Celſis. Nam negari non poteſt, per Permanentem diebus ſedentem in throno, cum quo alii conſederint Judicaturi, intelligi poſſe Chriſtum Regem Judicem, cui datum eſt omne Judicium. Quod autem Eccleſia ſignificetur per Filium Hominis, eo notatur, hunc Populum non ut coactum in unum & congregatum adductum iri ad Chriſtum, ſed con-*

*congregatum iri ex omnibus partibus terræ, ut ſinguli undique convenientes & accedentes ad eos qui coram Rege ſtabant, ut eſt verſ.* 10. *fiant unus Populus, atque ita hic Populus accipiat Regnum, nempe ut non amplius patiantur Sancti Celſorum afflictionem & oppreſſionem Beſtiæ quartæ, aut ullius Beſtiæ, ſed potius ubique Regna & Reges ipſi ſerviant. Quod attinet modum hujus congregationis, dicit Propheta, ſe vidiſſe Filium Hominis venientem cum Nubibus cœli. Quo notatur, primo Celeritas, ſecundo Divina vis, tertio Acceſſus è longinquo, quarto Conſpicua & glorioſa Multorum ad Chriſtum Converſio. Confer Matt.* XXIV. 30. 31. *Item Eſa.* LX. 3. *& ſeq. & Eſa.* LXVI. 19. 20. *Poteſt etiam quinto intelligi per Nubium ſubvectionem, quod converſi abſtrahantur à rebus terreſtribus, & à regno terreſtri, & à cathedra terreſtri, ad celſa & ad ſolium Chriſti. Eſt enim Populus ſanctorum, quorum patria & civitas eſt cœlum, &c. Convenit Prophetia Cap.* II. 44. *&c. Tantum hoc obſervandum eſt ante omnia, hoc Regnum non poſſe ſibi promittere, niſi Sanctos, & quidem Sanctos Deo, h. e. nullos niſi Deo addictos, & Sanctos Celſorum, & in id neminem intrare, niſi qui per fidem tollitur in altum & ad Chriſtum prope accedit, neque aliam eſſe rationem colligendi hoc regnum quam ut homines adducantur ad Chriſtum, idque in eo conſiſtere, ut populi ei ſerviant quoad ſtatum hujus ſeculi, h. e. ut reges non impediant illud regnum, & gloriam ſuam in id inferant, non ut illi qui de hoc regno ſunt dominentur ut reges terræ, aut fruantur admodum lautitiis terræ, quia regnum eſt ſanctorum qui celſis addicti ſunt, quorum hæreditas eſt in cœlis, &c.*

XIII. Ad quid vero ſpectet tota illa adeo ſeria diſputatio, vix video, ubi apud ipſum Virum Cel. lego in medio verborum adductorum; *Quod autem dicitur, Regnum & Dominationem illi datum iri, id intelligendum eſt ratione Capitis & Regis. Ita Apoc.* XI. 15. *facta ſunt Regna mundi Domini noſtri & Chriſti ipſius. Hoc dicitur in Scripturis regnare, ut* 1 Cor. IV. 8. *& Act.* XIV. 21. *intrare in regnum Dei, quatenus id dictum pertinet ad totam Eccleſiam. Dicitur Deut.* XXXIII. 29. *calcare celſa, vel arces terræ & gentium; confer etiam Eſa.* LVIII. 14. *Satis regnat Eccleſia, quando reges & reginæ fiunt ejus curatores & nutrices, & gloriam ſuam inferunt in civitatem Dei Apoc.* XXI. 24. *& quando pro Eccleſia militat populorum potentia*

Obſervationes adverſus hanc expoſitionem quædam adduntur.

*tentia & arma, ut nemo poſſit illi nocere. Eſa.* XXIII. 18. *dicit, quæſtum Tyri, h. e. ſpiritualis emporii, ceſſurum Sedentibus coram Jehovah, ut edant ad ſatietatem, & ad veſtitum durabilem.* Utique in re ipſa vel nulla vel exigua erit differentia; an Eccleſiæ dicatur Regnum & Dominationem datum iri *ratione Capitis & Regis*, nempe Chriſti, an vero Chriſto ipſi, ſuo modo communicandum cum Eccleſia ei ſubjecta & ſubſerviente reſpectu beneficiorum & miniſteriorum hinc fluentium ſpiritualium & corporalium quoque. Quemadmodum an dixero, his & illis populis, ſeu Antiquis, Perſis, Græcis, Romanis, ſeu Hodiernis, Germanis, Gallis, Hiſpanis, Britannis, &c. cedere hujus aut illius Orbis partis Dominium, an vero horum Populorum Regibus, qui ſoli proprie dominium gerunt. Atque ubi Regni & Dominationis Datio paſſiva in Viſione hac contigit directe Filio Hominis ſimili, quis hinc non agnoſcere cogitur repræſentatum in illo Caput & Regem Eccleſiæ, *coll. Apoc.* XI. 15. *Jeſ.* IX. 6. *&c.* Qui etiam certiſſime præ Eccleſia longe aptius venit ſub ſimilitudine Hominis unius, cum Nubibus, ad & in thronum Stabilis dierum, à quo ipſi Regnum illud contingit, prout illa in Chriſti Aſcenſione obtinuiſſe monſtravimus; quam ut Eccleſiam, illi oppoſitam, dictis modis heic reperiamus. Dum revera levis admodum mihi videtur prolixa Viri Cel. diſputatio contra Chriſtum heic directe intelligendum. *Certum* equidem agnoſco, intelligi heic *Populum Sanctorum*; ſed directe principaliter & per ſe, hoc eſt quod mihi minimè certum eſt. *Certum* nullo modo eſt, ſed ex adverſo falſiſſimum, *Chriſtum intelligi* in Cornu creſcente & grandia locuto juxta Altiſſimum *verſ.* 8. 11. 25. Unde non eſt dubium, quin heic Chriſtus per errorem ſcriptus ſit pro Anti-Chriſto. De quo, heic intelligendo vel non, diſputare nihil facit ad rem præſentem. *Chriſti* porro *Judicium verſ.* 9. ſpectari in oppoſitione ad illud Dei Patris, gratis dicitur. Adventum cum Nubibus Cœli, in quo Longinquitas major aut minor minus eſt determinata, non minus recte agnoſci credo in Aſcenſione, quam in Deſcenſu; imo magis recte, ubi Adventus ille jungitur cum Adductione ad Deum & Thronum ejus. Unde & dein *Nubium Subvectionem* heic agnoſcit Cel. Interpres, quæ abſtra-

abſtractionem à terreſtribus ad celſa arguat. Et quid certius eſt? quam Aſcenſionem, in Adventu cum Nubibus ſignificatam, præcedere ordine ante Seſſionem ejus ad Dextram Dei. Et quod ad Tempus attinet Adventus ejus, collatum cum iis quæ de Beſtia Ultima & Cornu ejus dicuntur, hoc ego video, res eas connecti quidem inter ſe; ſed non ita, ut hæc Ultima plene deberent eſſe abſoluta ante illum factum vel inchoatum; quod nec admitti poſſet abſolute, ſi de Eccleſia magis quam Chriſto Adventum illum & Regni Dationem exponere lubeat. Enimvero, ſi hoc foret verum, quod *Stabilis Dierum* heic repræſentaverit, non Deum, aut Patrem, ſed Chriſtum; jam neceſſarium eſſet, non eundem ſed alium in Filio Hominis ad illum appropinquare juſſo ſignificari. Sed hoc minime probatum eſt hactenus, nec probari poteſt; vel ex illo nomine, ipſi ſecundum Deitatem quoque, ſed non ſoli in oppoſitione ad Patrem competente; vel ex Judicio illi tributo, quod rectiſſime etiam Deo & Patri tribuitur, ducente nos ad hunc etiam Datione Dominii & Regni Chriſto ab hoc facta. Unde nec aliud heic dicere auſus eſt *Cl. Coccejus*, quam *negari non poſſe, per Permanentem diebus ſedentem in throno intelligi poſſe Chriſtum Regem Judicem cui datum eſt omne Judicium.*

XIV. Interim ad Eccleſiam heic intelligendam præ Chriſto videmur cogi per explicationem unius ex Adſiſtentibus ad thronum Miniſtris, ſequentem *verſ.* 18. 21. 22. 27. *Et accipient Regnum Sancti Excelſorum, & poſſidebunt Regnum in ſeculum & in ſeculum ſeculorum &c. Et videns fui, & Cornu idem bellum movens cum Sanctis & prævalens eis, donec venit Stabilis dierum, & Judicium datum eſt Sanctis Excelſorum, & tempus advenit, & Regnum poſſidebunt Sancti, &c. Et Regnum & poteſtas & magnitudo regnorum ſub omni cœlo datum eſt Populo Sanctorum Excelſorum, Regnum ejus regnum ſeculi, & omnes poteſtates ei ſervient & obedient, &c.* Unde ex hiſce collatis videmus Virum Cl. firmare ſuam exegeſin Filii hominis. Sed manet quæſtio, an ea explicatio ſit directa & ſpectans proprie ſic & plene ad Populum, an vero indirecta & ducens ad ejus Regem, per quem tantopere exaltatum ſimul bearetur magnopere Populus ejus; cujus Interpres hic cœleſtis men- Solutis ſimul Objectionibus nonnullis.

tionem heic fecerit, ubi ad Populi ſolatium Vatem inſtruebat. Quemadmodum ſi Gentem aliquam afflictam & oppreſſam erecturus quiſquam, ad eam loquatur de Principe Naſciturо & Surrecturo ex ipſis, qui oppreſſores ſit oppreſſurus & late dominaturus, dehinc optime dicet, vos eſtis qui ab oppreſſione liberabimini, oppreſſores veſtros conculcabitis, & late dominabimini ex adverſo, nempe in & per illum Principem, potius quam Princeps ille id aget. Et provocamus ad ipſa illa Viri Cel. verba; *Quod dicitur, Regnum & Dominationem illi datum iri, id intelligendum eſt ratione Capitis & Regis, coll. Apoc.* XI. 15. Nec male forte prorſus conferatur illud *Pſal.* LXVIII. 19. *coll. Eph.* IV. 8. dè *acceptione donorum in homine*, pro qua Paulus habet eorum *dationem hominibus* factam. Utique non eſt Unio tantum maxima inter Chriſtum & Eccleſiam, per quam huic etiam attribuatur quod illi proprie competit; ſed & tam magna Communicatio illius cum hac, tum in Operibus potentiſſimis per hujus miniſterium, tum in Bonis præſtantiſſimis in hanc redundantibus, ut ſummopere de Eccleſia dicatur etiam ad hujus ſolatium, quod de illo aſſeritur, ſalvo tantum ejus Dominio ſupremo potentiſſimoque & hinc fluente gloria. Sic reſpondentes, non eſt ut heic nunc & latius dicamus; vel de nomine עליונין *Excelſorum*, referendo aut ad Deum, ſeu Triunum, ſeu præ omnibus ſublimem, ad quem pertineant Sancti, aut ad quæcunque Excelſa & Sublimia, quibus illi ſtudeant & fruantur digniſſime, aut ad Cœlum, ad quod præ terra ſpectant, reſpectu originis, converſationis, & exſpectationis, quorſum & Caput illorum aſcendit; vel de nomine *Sanctorum*, qui ab Excelſis iſtis denominantur, & qui cum ſub nomine *Populi* expreſſe veniant, quin & proponantur ut oppugnandi atque ſuperandi ad tempus, non poſſunt heic intelligi, vel de Deo Triuno, vel de Angelis cœleſtibus, ſed debent exponi de Electis & Fidelibus Eccleſiam conſtituentibus, quibus & vera Sanctificatio per Spiritum contingit, licet imperfecta & ſucceſſiva in his terris; vel de *Regni* illis dati natura, quod equidem eſt per ſe Spirituale, ſed & Sequelas habet Corporales in Regum & Populorum hoſtilium Subactione oportuna; vel tandem de *Dationis* illius *Tempore*, præterito præſen-

ſenti aut futuro, quod nos omne heic facile admittere poſſumus, cum reſpectu ad rei prædictæ Initium primum Progreſſum majorem & Complementum maximum, merito adhuc exſpectatum, ſed abſque Chiliaſmi craſſi & Fanatici mixtura indecenti ac turbulenta ulla. Interim, ſi verbum adhuc addere licet de iis, quæ *Cl. Coccejus* habet de rationibus, ob quas Eccleſia repræſentetur per *Filium Hominis venientem cum Nubibus cæli*; mihi quidem illæ admodum leves & quæſitæ videntur. Quomodo enim *Filius Hominis*, ſingulariter nominatus, hoc queat apte ſignificare, quod populus ille *non ut coactus in unum* adducendus foret ad Chriſtum, ſed *congregandus ex omnibus partibus terræ, ut ſinguli undiquaque convenientes fiant unus populus*; id eſt quod vix per divinationem capio. Et quod ad *Adventum cum Nubibus Cœli* attinet, in eo facilius admittere poſſum repræſentationem aliquam *Celeritatis*, quæ tamen in Nubibus ſemper non eſt æqualis, nec etiam talis fuit in Populorum ad Chriſtum converſione, etiamque *Divinæ Virtutis*, quæ in Nubium formatione & motu eſt conſpicua; quam quidem *Acceſſus ex longinquo*, qui in Nubibus ſemper non obtinet, vel *Converſionis Multorum*, cum populus heic non repræſentetur per Nubes ſed per Filium Hominis iis vectum ex hypotheſi, vel *Abſtractionis à rebus terreſtribus & à Cathedra terreſtri*, niſi Aſcenſio in nube heic jam vere agnoſcatur, præ Deſcenſu, contra id quod prius contra Chriſtum heic intelligendum diſputans ipſe urſit. Differunt etiam plurimum, *venire cum Nubibus Cœli* aliquem, qui ſic à Nubibus manet diſtinctiſſimus, à phraſi illa metaphorica, *volare tanquam Nubem & tanquam Columbas ad cancellos*; quam Vir Cl. temere adeo confert.

---

## CAPUT DUODECIMUM.

### *Quo alia Loca Prophetica quædam examinantur, an perinde ad Chriſti Aſcenſionem pertineant.*

In iſtis vero locis *Jeremiæ & Danielis* uti Aſcenſionem Chriſti reperimus ſatis clare ſignificatam; ita de aliis etiam adductis

Pro Chriſti Aſcenſione in Cœlum

Confirmatur etiam ab aliis Deut. XXXII. 1–4.

ductis in eam rem videtur major esse ratio dubitandi. Quemadmodum hoc omnino longius quam decet quæsitum esse putamus, quod *Cl. Coccejus* in illis *Deut.* XXXII. 1–4. *auscultate Cœli &c. date magnitudinem Deo nostro*, reperit *Cœlum dans magnitudinem Filio Dei*, addens; *Vi verborum Mosis, decretum Dei intimantium, oportuit Cœlum Deo Israëlis visitanti populum suum magnitudinem dare. Atque ita Deus Israëlis visitans populum suum debuit illis testibus comprobari; & qui illos testes habet magnitudinis suæ, is est verus Deus Israëlis. Per Cœlum intelligimus primo ipsum Cœli* κατοικητήριον. *Quod dedit magnitudinem, h. e. testimonium majestatis & immensitatis & gloriæ ante secula possessæ, Servatori, quando ipsum accepit, ut in ipso tanquam throno ad dextram Patris sederet. Nam ut est* 1 *Tim.* III. 16. *assumptus est in gloria, h. e. cum manifestatione majestatis & potestatis ejus &c.* Res illa est equidem verissima, quod gloria Christi Divina constare queat & debeat ex ejus Glorioſa in Cœlum Ascensione. Sed quod provocatio *Cœlorum* ad *Attentionem* Loquelæ Mosaicæ, de qua nos egimus *ad Pentateuchi textum* illum & *Deut.* XXX. 19. faciat, ut *dare magnitudinem Deo nostro* post alia interposita referri debeat ad eosdem Cœlos, qui potius ut testes fuere advocati, & non rectius ad Populum omnem à Mose per loquelam suam instruendum, *coll. Cap.* XXXI. 30. id adhuc minimè videmus. Uti neque nobis ullo modo constat, heic in *Jehova Deo nostro* intelligendum esse præ Triuno Filium Dei, & quidem Incarnatum & Manifestatum sic in Israële; quod est μέγα λίαν αἴτημα. Cui uti & aliis forte modis Magnitudinem dare Cœlum potuisset, etiam Divinam; ita & ex sola Admissione ejus in Cœlum istbæc vix satis potuisset constare, cum & illa contingat non tantum Animabus fidelium, sed & Corporis respectu contigerit Enocho & Eliæ, meris hominibus nobis ὁμοιοπαθέσι. Quæ exempla sibi objiciens mox ipse Cel. Interpres, respondet, *eam argumentationem*, quam ille hic Mosi tribuit, *miti elogio Psal.* LXVIII. 8. *& 19. ubi eidem illi Deo, qui præcesserat populum suum in deserto, dicitur, ascendisti in altum. Ergo descendit, sive manifestari in carne incepit, & sublata rursus in altum carne, neque enim conveniebat ut eam deponeret, in inferioribus regionibus manifestari desineret, coll. Job.* III. 31.

*Hebr.*

*Hebr.* XII. 25. *&c. de quo Deſcenſu Moſes Deut.* XXX. 12. Sed iſta aut talia in hoc textu non occurrunt, qualia in *Pſalmo* longe ſeriori ſunt ſcripta; uti nec in Pſalmo eſt relatio ad hunc Moſis textum tanquam parallelum.

II. Viſum eſt antea *Lib. II. Cap. XI.* quomodo ad Chriſti Aſcenſionem trahatur deinde *Via Aquilæ in Cœlum*, vel *in Cœlo*, primum illud ex quatuor Admirandis & Salomoni ipſi minus perſpectis *Prov.* XXX. 19. non modo à *Raimundo Martini*, aliisque Scriptoribus inprimis allegorizantibus, ſed & nuperrime à *Clar. Guſſetio* noſtro, qui *nequit quantumlibet tentet ſenſum phyſicum adoptare* viis illis quatuor Aquilæ, Anguis, Navis, & Viri, *ſenſu autem myſtico, de Chriſti Aſcenſione, Exitu è ſepulchro lapideo, Converſatione inter fluctus populi tumultuoſi, Incarnatione è Virgine, omnia concurrere* ait *in ſignificatu Itionis.* Dum alio tamen loco ſcribit, *naturalem & ſimplicem acceptionem nihil mirabile continere, niſi forte primi de Aquilæ Volatu.* Sed adverſus hanc exegeſin Propheticam & Ænigmaticam, dicti naturalis & moralis, eoque ſenſu veriſſimi, & aptiſſimi in Libro tali, nos loco citato obſervationes noſtras dedimus. Dum plane aliter *Cl. Coccejus* heic vult oſtendi, *defectionem magnæ Meretricis*, Romanæ Anti-Chriſtianæ, *tectam eſſe magna πανουργίᾳ, atque aſtutia plane diabolica, quod & Apoſtolus innuit Eph.* IV. 14. *ita ut difficile ſit homini inexercitato eam defectionem redarguere & revincere, quippe cum omnia ſua mendacia & peccata tegat verbis Dei per fraudem & in prætextu prolatis, &c. Comparat autem Myſterium illud Iniquitatis cum Tribus aliis rebus quæ homini ſunt imperſcrutabiles* 1. *Cum Via Aquilæ in cœlo. Nemo enim poteſt ſcire quo volaverit Aquila, non enim relinquit veſtigium.* 2. *Deinde cum Via Serpentis in Rupe nuda. Nam & illius orbita non cognoſcitur.* 3. *Cum Via Navis in corde Maris, h. e. in medio mari. Nam hujus veſtigia ſtatim confundunt fluctus. His addit Quartum, Viam Viri in puella. Non eſt intelligendum Scortum, ut volunt Judæi, ſed potius Virgo, & illa quidem tenera, domi diligenter cuſtodita, ad omnem pudorem & modeſtiam formata. Quæ cum ſponſum ſuum amare incipit, eos ignes vix ferre poteſt, & eos ejicere ex animo ſatagit, & diligentiſſime diſſimulat. Et in hoc quoque ſimilitudo eſt Mœchæ cum caſta Virgine &c.* Sed de hoc loco etiam olim ex profeſſo

Nec non Via Aquilæ in Cœlum ex Prov. XXX. 19.

disputavimus *EXERC. TEXT. XIX. Parte II.*

Item Varia loca Jesaiæ LIII. 8. LII. 13. LXVI. 1.

III. Non ignoramus similiter, sic Analysin institui *Jesaiæ Cap. LIII.* ut in verbis illis, *ex coarctatione & judicio assumptus est vers.* 8. reperiant Christi Ascensionem. Uti sic scripsit *Cl. Coccejus*; *Hic jam Morti ipsius opponitur Exaltatio. Assumptus est. Confer Gen. v. 24. & Psal. XLIX. 16. Habet vim* [illegible] *Assumptioni illustrandæ adjungitur status ad quo assumptus est &c. Assumptio igitur ex coarctatione & judicio significat Resuscitationem ex mortuis & Evectionem in Cœlum.* Quæ & *Cl. Witsius* secutus est *Exerc. XX. in Symb.* Sed nos aliter dudum judicavimus *Analysin* esse instituendam, reperta hoc *Versu* 8. *Morte Christi amara, tum obscurius cum Morientis Dignitate, tum clarius cum Mortis Violentia & ratione memorata*, quando post interpositam adhuc Sepulturam *vers.* 9. de *Exaltatione* demum agitur *vers.* 10. *&c.* Nec valet argumentum in contrarium ex solo verbo *assumendi*; quod de Enocho & Elia potuit a Thiberi etiam corporis respectu, licet heic ad solam Messiæ morientis animam eo sensu applicari queat. Perinde ad Christi Ascensionem nos duci existimant Viri Docti, non tantum per maximam ejus *Exaltationem* assertam *Jes.* LII. 13. quæ tamen directe ad Personæ Dignitatem spectat magis quam ad ejus in Cœlo Mansionem; aut per illius ut heroïs sanguine conspersi Progressum magnificum *Jes.* LXIII. 1. *&c.* quem non spectare ad Domini nostri Passiones præcedentes & Gloriam proxime consecutam alias monstravimus *EXERC. TEXT. XXII. Parte VI.* verum etiam per illa *Jesaiæ Cap.* LXVI. 1. *Cœlum est Thronus meus, & Terra Scabellum pedum meorum*, quod hinc confertur cum *Psal.* VIII. 2. uti antea ad hunc locum quoque vidimus *Cap. X.* Ubi inter alia scripsit Interpres; *Repudiat habitationem peculiarem in certa orbis parte, postquam thronum universalis regni insedit, & majestatem suam supra cœlos collocavit. Hoc autem fecit, Filio, quem majestate & decore coronavit, in quo potentiam suam & gratiam ac justitiam patefecit, qui est imago gloriæ ipsius, in quo ipsi complacuit, de quo dictum Zach.* VI. 13. *ille accipiet majestatem, in Cœlum Assumpto, & Rege ac Capite Ecclesiæ declarato, ut non amplius Thronus Regis Ecclesiæ in terra, sed in cœlo quærendus sit; &c.* Uti ad hunc *Jesaiæ* textum ipsum habet; *Judæis ex-*

*pro-*

*probrat ſtudium inutile faciendi Deo domum, cum Deus Thronum ſuum collocaverit ſupra cœlos Pſal.* VIII. 2. *& Deus non velit in terra habitare, eamque fecerit ſcabellum pedum ſuorum, ita ut nec Templum nec Hieroſolyma ſit amplius Thronus gloriæ, conf. Jer.* III. 16. 17. *& qui in Terra ſunt quam dedit filiis hominum omnes ſine diſtinctione ſtent ad ſcabellum pedum ejus, non vero ſedeant cum Deo in throno, & ſic ſtatus hominum ubique ſit, neque habeat locum proprium in terra ad quem neceſſe ſit venire, ſed ad pedes ipſius ſtent omnes homines in toto mundo, quæ quidem juxta canonem gratiæ in deſertis equitans cum regno ſuo pervenit, &c.* Enimvero, uti de loco illo *Pſalmi* antea diximus quod ſufficiat, ita ſingularem illam determinationem ad Chriſtum Incarnatum in hoc textu *Jeſaiæ* non reperio. Et præterea judico, in his verbis eſſe deſcriptionem Divinæ Majeſtatis plus quam terreſtris, perpetuæ quoad Rem ipſam, æque quam in aliis locis *Pſal.* XI. 4. CIII. 19. *&c.* Quam ſi heic urgere volueris cum reſpectu ad Novum Fœdus ſpectari ſimul quoad modum rei novum, in eo quod nunc tantum in cœlis foret Thronus Dei, cum everſione Throni Veteris Umbratici in Jeruſalem, vel quod nunc tota Terra foret Scabellum pedum ejus apud quod adorari ubique æqualiter poſſet & deberet cum ſublatione ſpecialis ſcabelli Tſijonitici, *coll. Pſal.* XCIX. 5. CXXXII. 7 *Thren.* II. 1. *&c.* minimè equidem repugno. Sed ſic non reperio heic oppoſitionem inter Chriſtum Incarnatum Deſcendentem in Incarnatione & Aſcendentem in aſſumpta Carne, dè quo agi deberet ſi Aſcenſio hinc firmanda foret, verum inter modum Cultus & Gratiæ Divinæ ſub Veteri & Nova Oeconomia. Nec debet iſta *Scabelli* pedum Dei appellatio Terræ toti data temere trahi, vel ad alias hypotheſes Viri Cel. peculiares, de diſcrimine Vet. & Novi Fœderis, quæ heic immiſcentur, vel ad nimiam Terræ depreciationem. Inprimis ſi conſideremus præ aliis textum *Ezech* XLIII. 7. ubi de Novo Templo utique pertinente ad Novum Fœdus dicitur, *Locus throni mei & locus plantarum pedum meorum, ubi habitabo in medio filiorum Iſrael in æternum*, nempe hic eſt.

IV. Scimus quoque, in rem præſentem laudari *Ezechielis* Viſionem *Cap.* I. 26. *Et ſuper ſpecie throni ſpecies ut aſpectus hominis ſuper illo erat ſurſum, coll. verſ.* 28. *Cap.* X. 1. 4. 17. 19. Tum quoque Ezechielis Viſio Cap. I. & X.

19. 24. Quem textum laudans *Cl. Coccejus ad Deut.* XXXII. 1. ſcripſit; *Gloria Dei apparebat iſtic. Quomodo vero potuit Deus in ſpecie Hominis apparere in ſpiritu, ſi non potuit in ſpecie Servi aſſumta manifeſtari ad oculum; & ſi illud ipſum non aliquando erat futurum, ut primo quidem quum eſſet in forma Dei ſine ſpecie Servi deſcenderet à throno ſuo & ſe ſiſteret tanquam Servus in limine templi ſui Ezech.* X. 1. *(ubi nota non dici quod viderit tum ſpeciem Hominis,) & verſ.* 4. *& rurſum à limine templi redire ad thronum ſuum ſupra Cherubim verſ.* 17. *ubi nota, dici à Propheta, quod tum viderit gloriam Dei Iſraëlis ſupra Animalia verſ.* 10. *& illud fuiſſe Animal quod viderat ſub Deo Iſraëlis ad fluvium Chebar verſ.* 20. *Quo innuitur, tum apparuiſſe gloriam Dei in throno ſuo cum forma hominis, ut Capite Primo deſcriptum eſt.* Uti ad ipſum locum *Ezechielis* latius hac de re diſputat; *Si ullus locus eſt, qui imperet ſui conſiderationem, is hic eſt. In ſolio conſpicitur tanquam filius hominis.* (In textu eſt ſimplex אדם *homo.*) *Deus non eſt* ἀνθρωπόμορφος, *Spiritus enim eſt. Non eſt Deus ex propinquo & non ex longinquo; qui cœlum & terram implet &c. Abarbenel fatetur, eum qui inſidet throno ſignificare Deum Optimum Maximum. Et vero etiam Seniores viderunt Deum Iſraëlis Exod.* XXIV. 10. *& Eſaias Cap.* VI. *Ratio Abarbenelis eſt, quia ſpecies humana inter omnes ſpecies animalium eſt præſtantiſſima Altera, quia emblemate Regis Dei regnum ſignificatur. Nos non inficiamur, Deum emblemate ſignificari poſſe, ſed ſi in hac vel alia Viſione nihil notatur quod manifeſtetur ad ſenſum, dicemus, nullam eſſe cauſam, quare Deus in emblemate tali ſignificetur. Longe compendioſius & dignius potuit Deus loquens induci, qui ſe Regem appellat. Deinde per narrationem talem videtur Deo attribui figura, & quaſi approbari cogitatio de Deo ut formam humanam habente, quæ potius* ἐπιπλήξει *& increpatione corrigenda aut expellenda erat ex animo. At longe certior & ſapientiæ Divinæ convenientior eſt cogitatio de Rege, quem Dominus dicitur ungere ſuper Zion monte ſancto ſuo &c. Et qui de eo cogitaverit, nihil aliud poteſt ſibi perſuadere, quam Viſionem hanc exhibitam eſſe nobis, ut omnibus quaſi notis nobis innoteſcat &c. Si Judæum Abarbenelem ſequimur, horum omnium oportet obliviſci, & tantum cogitare, Deum regnare, qui ſoleat ſibi in Scripturis oculos, aures, naſum, os,*

*os, faciem, brachium, pedes, metaphorice attribuere, (qui tamen nuſpiam ſibi attribuit formam hominis,) & ei ſubjici Eccleſiam, & omnia, ſine Rege Chriſto, &c.* Enimverò in eo heic hæret res tota, an viſa heic in gloria *Hominis* Similitudo ad Deum Triunum, vel Patrem, an vero ad Filium Meſſiam, & quidem Exaltatum poſt Incarnationem & Paſſionem omnem, nos unice ducat. Quod poſterius hactenus non video demonſtratum, quoad unum vel alterum membrum; dum heic *Jehovæ gloriam* eſſe repræſentatam nemo dubitat. Et quo magis ad finem tendit diſputatio illa, quo infirmior ipſa apparet. Neque enim dici aut cogitari poteſt, *Deum regnare ſine Rege Chriſto*, hinc quod Chriſtus non expreſſe & diſtincte in Viſione exhibeatur, prout nec Judæus ſuum Meſſiam hinc à re ipſa excludet prorſus; non magis, quam ex Regis Chriſti Viſione ſola excluſum plane Deum Patrum concludas rite. Et annon ſibi *formam hominis* attribuit Deus verè, quando tantum non omnia ejus Membra ſibi adſcribit, *oculos, aures, naſum, os, faciem, brachium, pedes, &c.* non utique aliorum animantium brutorum, minus dignorum & æque corporeorum. Quod ſi fiat *metaphoriee*, uti certum eſt ad literam minime fieri id, quidni etiam fiat in Viſione Emblematica ſimiliter? dum per declarationes & obteſtationes Dei graves ſatis proſpectum eſt contra Corporales dè Deo Spiritu infinito cogitationes, & Imagines ejus efformandas omnes. Ut jam non dicam de Viſo à Senioribus Deo Iſraëlis, & à Jeſaia Jehovah Rege Triuno, per argumenta in contextu obvia & paſſim à Theologis laudata contra *Socinianos*; vel etiam de Apparitione Trium Virorum apud Abrahamum, quatenus ad Tres Deitatis Perſonas illa magno cum ſtudio à multis dudum refertur. Dum ad illum textum *Gen* XVIII. ipſe ſcripſit paulo involutius *Cel. Interpres*; *Duo Angeli in hiſtoria dicuntur, non Tres. Apparuerunt autem Tres Viri. Igitur & Dominus apparuit in forma humana, & Angeli. Quales autem hi Angeli fuerint, ex dictis Abrahami & Loti & ipſorum colligendum eſt. Non enim omnis Angelus omnia verba loqui poteſt &c. Non dubitamus igitur, hic ſignificatum eſſe, omnem plenitudinem Deitatis aliquando habitaturam in carne. Quum Filius geſtat carnem, & Pater in Filio manifeſtatur, & Spiritus Patris*

*ac Filii, Tres manifeſtantur in Carne unius Filii hominis, Filii Dei, &c.* Enimvero, ſi hoc demus, ad Regem Meſſiam directe & unice reſpici in Viſione Ezechielis, quam incerta & difficilis eſt illa applicatio Gloriæ Domini tranſlatæ à Cherubim ad Limen Domus? quæ utique facta in forma ſenſibili licet hæc non nominetur, iterumque à Limine Domus ad Cherubim, ubi neque viſibilis forma illa exprimitur, quæ hinc utrobique eadem ex Capite Primo eſt ſubintelligenda. Ut vana ſit cogitatio de Forma hominis nulla in Deſcenſu, ſed aſſumpta in Aſcenſu. Et certe, quicquid *Cl. Coccejus ad Ezech.* IX. 3. quoque ſcripſerit, *hunc quidem Deſcenſum ſi maxime proprie aut proxime proprietatem velimus intelligere, non poſſumus niſi de Incarnatione Filii Dei intelligere*; non dubitarunt alii, quin ad Templi Urbis & Gentis Derelictionem Divinam in illo magis ſpectetur, quod contextui forte non minus convenit. Mitto nunc etiam locum *Ezechielis Cap. XVII.* 22. 23. de Surculi Abſciſſi *Plantatione ſuper Monte Celſo Iſraelis*; de quo ductum eſt *Lib. II. Cap. X.*

Porro & locus Hoſ. IX. 8. de Speculante Ephraimum cum Deo meo.

V. Prætermittere etiam non poſſumus verba lecta *Hoſ.* IX. 8. *Speculans Ephrajim cum Deo meo*, ſeu uti vertit *Cl. Coccejus, qui ſpeculatur Ephraimum eſt cum Deo meo*, vel *apud Deum meum.* Atque ita hic reperit in his verbis *Regnum Chriſti*, obſervans diſtinctius in eam rem, quod *Speculator Ephraim* omnino ſit *Rex Eccleſiæ, quis enim poteſt eſſe ſpeculator Ephraimi, & quidem apud Deum, niſi Filius Dei Rex Iſraëlis? illi enim hoc nomen proprie convenit, &c. Cauſa autem quare ſic nominet eſt, quia de Judicio quod is Ephraimo, h. e. iis qui ſe Judæos religione appellabant ſed non erant inflicturus erat, & de præſtolatione ipſius & tolerantia hic loquitur; quaſi dicat, qui datus eſt Eccleſiæ Caput ſuper omnia, & tanquam Rex curat & inſpicit Eccleſiam ſuam, atque etiam Judæos refractarios tolerat etiamnum, ſed videt & adanimum revocat ipſorum infeſtationem, is inquam eſt in cœlo. Simile Pſal.* II. 4. *ſedens in cœlo ridet &c.* Etenim *phraſis, eſſe cum Deo, non ſignificat aliquid minus quam eſſe in Cœlo &c. Jam Hoſea hæc prædicante erat in cœlo, coll. Joh.* I. 1. 2. *&c. Sed verba Hoſeæ accipienda ſunt, ut accommodata temporis ultimo inſtantibus diebus vindictæ. Ibi fideles erant inculcaturi quod hic dicitur; Rex Eccleſiæ quemadmodum in initio*

*tio fuit apud Deum, & quum visitavit populum suum venit à Deo, ita jam rediit ad Deum & sedet ut Rex in cœlo tanquam throno gratiæ &c. De aliis*, inquit, *expositionibus hujus loci sufficiat Grotii verissimum verbum, duræ sunt omnes hujus loci expositiones, &c. Proxime ad veram explicationem accedit D. Diodati, excubitores Ephraim sunt apud Deum meum, quod vult intelligi de Verorum Prophetarum translatione ad Deum per mortem. Sed peccat, quod singularem in pluralem mutat, quodque non animadvertit hic agi de ἐπισκόπῳ non dormiente & intime cognoscente & suo tempore ultionem expetituro.* Sed ostendimus nos dudum in *Commentario nostro*, quam multæ & variæ nequaquam ineptæ expositiones sint illius textus, quæ verbis & inprimis contextui longe magis conveniant. Ex quibus nobis, propter rationes illic datas, maxime placuit; ut *Speculator Ephrajimi*, collective æque quam *Propheta* intelligendus, dicat Inspectores omnes populi Israël, Politicos & Ecclesiasticos, forte etiam extraordinarios cum vel præ ordinariis, qui tales erant, *cum* & sub *Deo meo*, Custode supremo Israëlis, non jam decenter & in rei veritate, sed ex officio & professione sua & aliorum persuasione, *coll. Jes.* LVI. 10. *&c.* De quo *speculatore*, vel *speculante*, idem dicitur quod de *Propheta* mox nominato, eum esse *laqueum aucupis super omnes vias ejus, odium in domo Dei ejus*; in quorum posteriorum interpretatione, plane necessaria, etiam nobiscum facit *Cl. Coccejus*. Quænam certe sit necessitas, imo species, heic in *speculatore Ephrajimi* reperiendi Christum Regem Ecclesiæ suæ, sic ne quidem ab Ecclesia sed à Refractariis Judæis denominatum, id non video; neque cur phrasin illam עם אלהי *cum Deo meo*, habitam pro Prædicato, ad locum Cœli magis quam ad sinceram Dei Adhæsionem referamus; neque cur illam localem in Cœlo Præsentiam ad futurum tempus Christi incarnati & glorificati referamus unice; ut mittam plura.

VI. Post Hoseæ illud dicendum etiam de isto *Hamos.* IX. 6. quod & *Galatinus* ursit, *exstruens in cœlis sublimes mansiones suas &c.* dum vertit *Cl. Coccejus*, *qui ædificat in cœlis gradus suos.* Is pro commentario adjecit; *Hoc non de Cœnaculo interpretor cum Junio, quia aliud est* עלית *Psal.* CIV. 3. *aliud* מעלה

Atque Hamos. IX. 6. de Ædificante in cœlis Gradus suos.

מעלה *gradus, ascensus. &c. habentibus hinc LXX.* ὁ οἰκοδομῶν εἰς τὸν οὐρανὸν τὴν ἀνάβασιν αὐτοῦ. *Recte, sed paulo restrictius.* (Ita & apud *Hieronymum est, qui ædificat in cælo ascensionem suam.*) *Nam gradus etiam thronum significare possunt, qui gradibus scanditur. Sensus jam patet. Qui sua virtute ascendit in cœlum ad occupandum thronum tanquam suum & à se exædificatum, is revera est Jehova. Atqui is quem vos rejicitis, propter quem hæ plagæ vobis infliguntur, ascendit in cœlum velut gradibus suis, & in thronum suum à semet extructum, nim. Christus. Ergo is est Jehovah. Quod ascenderit Christus, sufficienti testimonio Discipulorum, & virtutibus ac effusione Spiritus Sancti comprobatum est, addo & judiciis. Quod suis Gradibus ascenderit, comprobatur, quia antea dixerat, se ascensurum ut Filium Dei, à quo exierit, ut qui prius descenderit, qui sit unum cum Patre, qui faciat opera Patris, & similia. Qua re facta, non potuit de veritate dicta dubitari. Si enim in hisce fuisset mentitus, non fuisset ad Deum assumtus. De hac Ascensione est Psal.* 11.4. *ubi sedens in cœlo dicitur respective ad Dominum & Unctum ejus &c.* Est vero ex Versione illa Græca, quam longe alio modo tamen *Theodoretus* & *Cyrillus Alex.* exposuerunt, quod & ad Christi Ascensionem in iis spectavit, cum *Tertulliano* variis in locis, *Cyrillus Jeros. Catech. XIV.* ubi hanc inculcans dixit, μνεμόνευε τοῦ προφήτου εἰπόντος, ὁ οἰκοδομῶν εἰς οὐρανὸν τὴν ἀνάβασιν αὐτοῦ, καὶ τὰ λοιπὰ, ὅσα εἴρητο χθὲς, διὰ τὰς τῶν ἰουδαίων ἀντιλογίας. Dum à Christo ipso ad Ecclesiam transiens *Hieronymus* scripsit; *Ipse est qui quotidie ædificat in Cœlo Ascensionem suam, & dicit in Euangelio, Pater meus usque modo operatur, & ego operor, & non solum de costa Adam in typum Ecclesiæ semel ædificavit Evam, sed quotidie credentes & membra corporis sui ædificat, & de terra ad cœlum levat, ut in illis ipse conscendat &c.* Enimvero totus contextus comminatorius, uti in *Commentario nostro* monstravimus olim, antecedens & consequens non sinit, ut heic de Christo Ascendente ad salutem populi sui cogitemus; sed nos cogit, ut agnoscamus descriptionem summæ Majestatis & potentiæ Divinæ, secundum quam denunciata judicia certissime in impios exequeretur. Et est revera aliud *ædificare in cœlis gradus suos*, quod qua ratione sit proprie capiendum, ipse vix clare

clare ſatis docet *Cl. Coccejus*, aliud aſcendere in cœlum; dum עליה & מעלה ita ſunt ab eadem origine, ut vel immediate vel metonymice eundem ſignificatum facile admittant.

VII. Cur heic taceamus quoque de loco *Mich.* II. 13. *Aſcendit Effractor coram illis, effregerunt & tranſierunt portam, & egreſſi ſunt per eam, tranſivique Rex eorum coram eis & Jehovah in capite eorum.* Ad quem locum de Chriſti Aſcenſione expreſſe quidem non loquitur *Cl. Coccejus*, ſed inter alia ſcripſit; *Veteres Hebræos per* פורץ / *perfractorem intellexerunt Eliam, qui eſt Joannes Baptiſta, per Regem Chriſtum filium Davidis, &c.* Verum à *Rev. Joh. Pearſonio Ceſtrienſi in Expoſit. Symb.* videmus hunc locum omnino, tanquam conſentientibus quodammodo Judæis, urgeri pro Aſcenſione Chriſti, poſt illum *Pſalmi* LXVIII. *Idem quoque*, inquit, *vel ipſiſmet Judæis fatentibus innuit Prophetia hæc Michæ, aſcendit pandens iter ante eos, dividet, tranſibunt portam & egredientur per eam, & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum. Atque ita Aſcenſio Chriſti tam prophetice quam typice expreſſa fuit.* Ad quæ firmanda in *Notis* adjecit; *Perruptor hic ex Judæorum confeſſione titulus ac nomen Meſſiæ eſt. Ita Autor libri Abchat Ruchal in ſua Adventus Meſſiæ deſcriptione hoc loco utitur.* Sed iſta minime eſt mens omnium, dum *Kimchi* Patrem ſuum tam Effractoris quam Regis nomen ad Zedekiam retuliſſe monuit; atque ipſe *Autor Libri illius*, quem *Doct. Hulſius* noſter confutatum dedit, non de Meſſia ſed הקנה ſeu *Deo Sancto Benedicto* heic loquitur ex *Micha*, docente ſic, *tempore illo quo exibunt tribus ex captivitate nubes glorioſæ Majeſtatis Divinæ circumdaturas illas.* Pergit *Pearſonius*; *Idemque apparet porro ex dicto Moſe Haddarſchan in Bereshit Rabba, plantatio inferna eſt Abraham, plantatio ſuperna eſt Meſſias, quemadmodum ſcriptum eſt, corruptor aſcendet ante eos &c. Sic ille in Gen.* XI. 9. *Rurſum in eodem Bereshit Rabba Gen.* XLIV. 18. *quando lætabimur? quando pedes Schechinæ ſtabunt in monte olivæ. Et rurſum in eodem Bereschit, quando? quando captivi aſcendent ex inferno, ac Schechina in capite, ſicut ſcriptum eſt, Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Sed quicquid ex iſtis conſtet, illos ad Deum vel & ad Meſſiam forte in his verbis reſpexiſſe, nihil tamen de ejus Aſcenſione in cœ-

Etiam Mich. II. 13. de Effractore Aſcendente, coram illis &c.

lum habent, quod foret proprie τὸ ζητούμενον dum *Aſcenſio* heic indubie intelligitur de felici & potenti Evaſione diſperſi Iſraëlis, per inſtrumenta quidem apta, ſed præcipue per veri Regis eorum & Jehovæ virtutem potentiſſimam & optimam. Quæ nos quidem ad Chriſtum, ſed non ad ejus Aſcenſionem in cœlum, ducunt; uti in *Commentario noſtro* monſtravimus. Vult autem *Cl. Coccejus* hæc prorſus connectere cum *Cap.* I. 3. *Dominus extitatus eſt de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit arces terræ, & tranſit, pergit ſemper magis magisque, Rex ipſorum ante ipſos, imo Jehovah eſt in initiis ipſorum nim. ut perrumpat & calcet arces terræ &c.* Poſtquam antea docuiſſet, *ſignificari fore poſt captivitatem Babylonicam, ut omnes auguſtiæ, quibus auguſtabantur inprimis à Regibus Syrorum, per potentiam Dei perrumpant, terram ſubigant, urbes occupent, eaſque retineant, atque ex iis prodeant & in eas redeant,* atque *tunc venturum Chriſtum Regem.*

Et Geminus ex Zacharia locus Cap. VI. 13. & XIV. 4.

VIII. Sic ad *Zachariam* pervenimus, ex quo duos præcipue textus ad Aſcenſionem Chriſti quoque applicari obſervamus. Unus eſt *Cap.* VI. 13. *Et ipſe portabit Majeſtatem, & ſedebit & dominabitur ſuper throno ſuo, & erit Sacerdos ſuper throno ſuo, &c.* Quem locum inter alios notavit *Cl. Coccejus*; ſæpius non tantum & *ad Ham.* IX. 6. tanquam in quo *ſit de Aſcenſione*, ſed & *ad Deut.* XXXII. 1. Ubi citato loco *Zachariæ* huic ſubjicit; *Ubi nota, Virum eundem eſſe & Principem & Sacerdotem, & tanquam Principem & Sacerdotem ſedere in throno Dei. h. e. in cœlo.* Uti ad hunc ipſum ſcripſit; הוא *opponitur vilitati, exinanitioni, & ſervituti omni, ipſique exterminationi &c. Prima poſt mortem demonſtratio gloriæ Filii hic intelligitur, aut omnis exaltatio in cumulum contrahitur. Sed alii gradus exaltationis à primo diſtincti ſequuntur. Ideo malo priorem explicationem &c. Expreſſior Majeſtatis deſignatio fit per attributionem Seſſionis in throno Dei, ad exercendum officium Regium & Sacerdotale, &c.* Ad quæ, miſſis aliis quæ ad præſens noſtrum inſtitutum haud magnopere faciunt, & quæ tractata a nobis legi poſſunt tum in *Comment. noſtro*, tum *Exerc. Myſcell. Diſp. VI.* notamus modo; *Thronum ſuum* reciproce heic potius in כסאו / quam *Thronum ejus*, ſeu Dei, eſſe agnoſcendum; & hunc quidem non incommode de Cœlo exponi,

poni, sed non minus recte de Ecclesia, per cœlum & terram diffusa; dum palam est, expresse heic non declarari quis sit iste Thronus, sed significari directe summam Christi Gloriam, tum per *Majestatis Portationem*, emblematice seu typice repræsentatam in Corona amplissima Josuæ capiti imposita, tum per *Sessionem & Dominationem super Throno suo*, ejus qui simul foret *Sacerdos*, uti secundum ordinem Aharonis erat Josuah Coronatus. Ad quam summam Gloriam, Regiam non minus quam Sacerdotalem, referri posse & debere Ascensionem in Cœlum nemo sane neget. Sed alter *Zachariæ* locus laudatur quoque ex *Cap.* XIV. 4. *Et stabunt pedes ejus in die illo super monte Olivarum, qui super facie Jerusalem ab oriente, & discindetur mons olivavum &c.* Ad hæc scilicet verba spectasse videntur multi ab ævo in fabula illa de Vestigiis Pedum à Domino Ascendente impressis monti Oliveto, de qua diximus *Cap.* IV. Quorum prædictionem heic reperit etiam *Baronius ad A. Chr. XXXIV.* §. 232. *De his olim Zacharias Propheta intellexisse videtur cum Prophetice hæc locutus est, stabunt pedes ejus in illa supra montem olivarum qui est &c.* Quod si verum est, certe aliqua heic erit Ascensionis prædictio; magis etiam quam conversationis Christi cum Discipulis, orationis, & passionis in illo loco &c. sicuti ipsam stationem pedum Christi Ascendentis super illo monte inter Veteres alios heic omnino etiam reperit *Eusebius Lib.* VI. *Dem. Euang. Cap.* 18. ἔςησαν δὲ ἀληθῶς καὶ κατὰ τὴν πρόχειρον καὶ ῥητὴν διήγησιν οἱ πόδες τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν, αὐτοῦ δὴ τοῦ λόγου, δι' οὗ ἀνείληφεν ἀνθρωπείου σκήνους, ἐπὶ τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν, πρὸς τῷ αὐτόθι δεικνυμένῳ σπηλαίῳ, εὐξαμένου τε καὶ τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς ἐπὶ τῆς ἀφωρείας τοῦ τῶν ἐλαιῶν ὄρους τὰ περὶ τῆς συντελείας μυςήρια παραδεδωκότος, ἐντεῦθέν τε τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον πεποιημένου, ὡς ὁ λουκᾶς ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἀποςόλων διδάσκει, φάσκων &c. Sed ostendimus dudum in *Commentario nostro*, totum illum *Zachariæ* contextum plane alienum esse à Domini nostri resuscitati Ascensione in Cœlum, ad quam vocum priorum sonus solus heic duxit Interpretes tales; dum cum illa minime convenit *Montis* illa *Discissio dè medio sui ad orientem & ad mare magna valde, recedente dimidio montis ad septentrionem & dimidio ejus ad meridiem*, cum *fuga* per *vallem montis &c.* Quæ omnia certissi-

tiſſime à litera nos plane avocant ad ſenſum alium emblematicum, varium prorſus apud Interpretes, ex quibus qui nobis maxime placet, videri dicto loco poteſt. Hoc addere licet, quod ſi *ſtatio pedum ſuper monte olivarum* ad literam de Chriſto Incarnato etiamque Reſuſcitato eſſet intelligenda, necdum inde concludi poſſet illius ab eo Receſſus per Aſcenſionem in Cœlum.

Tandem verba nota Mal. IV. 2. de Orituro Sole Juſtitiæ.

IX. Memoramus adhuc inter loca hæc poſtremo illud *Malach.* IV. 2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol Juſtitiæ.* Ubi certum ſatis eſt, in *Sole Juſtitiæ* deſignari Meſſiam, verum mundi lumen, quod puritate, decore, ſplendoreque vere cœleſti, præ aliis omnibus excellit, atque orbem inferiorem omnem illuminat, purgat, calefacit, vivificat, exhilarat, corroborat, & ad fructus ſuos inſtruit, &c. & apud quem eſt illa Juſtitiæ plenitudo, ut per Juſtificationem & Sanctificationem illam cum ſuis communicet ſufficientiſſime, *coll. Jer. XXIII. 6. &c.* Neque de eo dubitare licet, quin is perſonaliter ut *Oriens* poſſit recte ſpectari heic in verbo נמל non jam in Æterna Generatione, aut in Promiſſione antiqua, ſed in Nativitate Humana ex Maria, in Manifeſtatione per Prædicationem & Miracula, in Reſurrectione ex morte, & in Adventu noviſſimo è cœlo, ut ante poſtremum hunc actum merito etiam ponatur ejus *Aſcenſio in Cœlum* ſupremum, ſicuti Sol oriens ad cœli viſibilis culmen progreditur. Uti nos cum aliis dudum in *Commentario noſtro* monſtravimus, nec in rei ſumma aliter heic diſſeruit *Cl. Coccejus*; *Sol Juſtitiæ eſt Chriſtus, lucens teſtimonio Majeſtatis ſuæ, & in apertum proferens juſtitiam veram, & radiis ſuis ſanans ægritudines noſtras, h. e. verbo & Spiritu ſuo nos regenerans & ſanctificans, & conſolans. Orietur, i. e. manifeſtabitur* 1. *Per Nativitatem, doctrinam, opera, paſſionem, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlum, & effuſionem Spiritus Sancti.* Addens; 2. *Per ablationem velli, in deſtructione templi, urbis, principum, & ſic ſublatione ſervitutis Zach.* XIII. 1. Interim magnopere dubito, annon ſuppoſito perſonali ortu omni Meſſiæ, heic potiſſimum ſpectetur ad ortum ejus realem per omne tempus Novi Teſt. qui contingit per claram Euangelii prædicationem & copioſam Effuſionem Spiritus in fideles timentes nomen Jehovæ,

unde

unde ſunt illa Bona, quæ heic cum Ortu hoc Solis jungun-tur, *coll.* 2 *Cor.* IV. 6. *Tit.* II. 11. 12. 2 *Pet.* I. 19. *&c.* Dum alienum certiſſime judicari debet, ut Ortum hunc Solis Juſtitiæ directe & unice de Aſcenſione Domini noſtri interpretemur.

## CAPUT DECIMUM TERTIUM.

### *Quo ad Typos Aſcenſionis Dominicæ varii generis tandem tranſitur.*

Aſcenſionis Domini noſtri Typus dudum quæſitus inepte in Apocrypha fabula de Habakuko.

Non minus porro prædictam Aſcenſionem Domini, quam ejus Reſurrectionem, per *Typos* quosdam olim delineari & firmari ſimul voluit Deus. Qui quidem ita ſollicite quæſiti fuere ab ævo, ut & in *Apocryphis* ipſis illos ſuo modo invenerint quidam. Uti ſic apud ipſum *Cyrillum Jer. Catecheſi* XIV. legimus; ὅταν γὰρ ὡς ἀδυνάτῳ τῇ τοῦ σωτῆρος ἀναβάσει ἀντιλέγωσι, μνημόνευε τοῦ ψελὶ τὸ μεταθέσεως τοῦ ἀββακοὺμ, vel ἀμβακοὺμ, εἰρημένων, εἰ γὰρ ὁ ἀββακοὺμ ὑπὸ ἀγγέλου μετετέθη, βασαχθεὶς ἀπὸ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, πολὺ μᾶλλον ὁ τῆς σοφίης τῶν ἀγγέλων δεσπότης ἐξ ὄρους ἐλαιῶν νεφέλῃ ἐπιβὰς, οἰκείᾳ δυνάμει ποιεῖσθαι τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον δυνατώτερον ἦν. Καὶ τὰ μὲν ὅμοια μνημόνευε τῶν θαυμάτων, τὴν δὲ ὑπεροχὴν τήρει τῷ δεσπότῃ τῷ θαυματοποιῷ, οἱ μὲν γὰρ ἐβασάζοντο, ὁ δὲ βασάζει τὰ πάντα. Quæ vere aliena prorſus ſunt, & manifeſte ſpectant ad Fabulam exhibitam *in Append.* IV. *Danielis*, ſeu hujus *Cap.* XIV. ubi *verſ.* 32. *&c.* legitur; καὶ ἀμβακοὺμ ὁ προφήτης ἦν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ αὐτὸς ἕψησεν ἕψημα, καὶ ἐνέθρυψεν ἄρτους εἰς σκάφην, καὶ ἐπορεύετο εἰς τὸ πεδίον ἀπενέγκαι τοῖς θερισταῖς. Καὶ εἶπεν ἄγγελος κυρίου τῷ ἀμβακοὺμ, ἀπένεγκαι τὸ ἄριστον ὃ ἔχεις εἰς βαβυλῶνα τῷ δανιὴλ εἰς τὸν λάκκον τῶν λεόντων. Καὶ εἶπεν ἀμβακοὺμ, κύριε, βαβυλῶνα οὐκ ἑώρακα, καὶ τὸν λάκκον οὐ γινώσκω ποῦ ἐστιν. Καὶ ἐπελάβετο ὁ ἄγγελος κυρίου τῆς κορυφῆς αὐτοῦ, καὶ βασάσας αὐτὸν εἰς βαβυλῶνα ἐπάνω τοῦ λάκκου ἐν τῷ ῥοίζῳ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ *&c.* Ὁ δὲ ἄγγελος τοῦ θεοῦ ἀποκατέστησεν τὸ ἀμβακοὺμ παραχρῆμα ἐπὶ τὸν τόπον αὐτοῦ. De qua etiam diximus olim *ad Hab.* I. 1.

Conferitur in eandem rem Virgæ Aharonis Reflorescentis, & Urnæ Mannæ, in Sanctuario Depositio mandata & facta.

II. Enimvero Typorum heic velimus obſervari multiplex illud diſcrimen, quod apud Reſurrectionem notatum fuit *Lib.* II. *Cap.* 14. Illic nempe jam actum fuit de *Aharonis Virga*, mirabiliter refloreſcente; quæ cum in intimo Sanctuario fuerit ex Divino juſſu reponenda & ſervanda *Num.* XVII. 10. *Hebr.* IX. 4. ſic etiam pro Chriſti Redivivi Aſcenſione ut ejus Typus laudari ſolet à multis. Sed alius longe Miraculi illius ſcopus à Moſe traditur, etiamque Aſſervatæ Virgæ in Sanctuario, ſpectans ad Aharonis Sacerdotium firmandum. Et quam diu non eſt probatum, Virgam illam præterea ſignificaſſe Chriſtum Redivivum, tam diu evaneſcunt omnia heic cogitata de ipſius Aſcenſione præfigurata in eadem. Et longe rectius heic memorari putem *Urnam Mannæ* in Sanctuario apud Arcam ex Dei mandato repoſitam *Exod.* XVI. 33. quam etiam Paulus nominavit ante Virgam Aharonis & Tabulas Legis, cum præpoſitione obſcuriori, *Hebr.* IX. 4. ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, & de qua olim quoque egimus *EXERC. TEXT. XI. Parte III.* ſublatis difficultatibus quæ ex collatione Pauli cum Vetere Scriptura heic oriuntur. Nihil enim poteſt eſſe certius, quam *Manna* illud fuiſſe veriſſimum & pleniſſimum Chriſti Typum, *coll. Joh.* VI. 32. 33. 41. 48. 50. 51. 1 *Cor.* X. 3. prout in ipſo omnino locum reperit Mannæ, & Nomen omne, & Qualitas, & Generatio, & Deſcenſus, & Sufficientia, & Neceſſitas, & Collectio, & Uſus, & Duratio, &c. Ad quæ omnia cum accedat Repoſitio in Urna intra Sanctuarium intimum & throni Divini proximum ambitum, nihil facilius admittendum videtur equidem, quam ut Chriſti Collocatio & Manſio in Cœlo ſupremo poſt ceſſantem ejus conſpectum in his terris ſit præfigurata in eo; in primis etiam accedente mentione *Mannæ Abſconditæ Apoc.* II. 17. quæ quo ſenſu ſic dicatur & quo pacto omnium optime ad Chriſtum referatur, docuimus nos alias in *Commentario Apocalypſico.* Et laudamus heic merito *Cl. Witſii* verba *Exerc.* XX. *ad Symb. Eodem ducit Mannæ in Urna ſive Ciſtula aurea depoſitio coram facie Jehvæ, ut ibi ſervaretur, omnis corruptionis & putrefactionis expers. Quo ſignificabatur, eum qui deſcendit ex cœlo, ut eſſet panis vitæ peccatoribus ſine ipſo indubiè morituris, iterum in cœlum aſſum-*

*tum*

*tum iri, ut nulli amplius infirmitati obnoxius, in immarcessibili gloria æternum apud Patrem vivat.*

III. Sed & ad aliud, si ita dicere licet, magis principale Decus Adyti intimi contemplandum nos heic ducit Paulus, eodem loco, *Hebr.* IX. 3. 4. 5. quando describens σκηνὴν τὴν λεγομένην ἁγια ἁγίων, de hac dicit, χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον, καὶ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης περικεκαλυμμένην πάντοθεν χρυσίῳ, ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης, ὑπερέχουσα δὲ αὐτῆς χερουβὶμ δόξης, κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον, &c. In quibus verbis quæ occurrunt de θυμιατηρίῳ χρυσῷ, non putamus equidem referenda ad Thuribulum Aureum, quo uteretur Pontifex in Adyti Ingressu annuo, ex *Josepho Lib.* II. *c. App. coll. Lev.* XVI. 12. quodque in Adyto servaretur ipso alias. Sed longe potius capimus de Altari Suffitus, seu ad literam *Suffitorio*, dicto *Aureo* propter lignum ejus auro undique obductum *Exod.* XXX. 1. XXXIX. 38. *&c.* in oppositione ad alterum Aeneum in Atrio, *coll. Exod.* XXXIX. 39. *&c.* Quamvis enim Suffitorium illud Altare collocatum esset, non intra Sanctum Sanctorum, sed in Sancto, cum Candelabro & Mensa ejusque Panibus, atque hinc quotidie adiretur à Sacerdotibus cum Suffitu; non male tamen Paulus de Sanctuario intimo post secundum Velum dixit, quod illud *habuerit* hoc Suffitorium, quod ei scilicet proxime connexum fuit, & ad ejus usum omnino spectavit, *coll. Exod.* XXX. 6. *&c.* uti & nos dicemus Domum quamvis Divinam vel Humanam habere non tantum suas mansiones interiores, sed & porticus & gradus exteriores ad illas ducentes. Sed istis heic missis, spectari nunc volumus *Arcam Fœderis*, *undique Auro obductam*, *in qua* certissime fuerunt inclusæ *Fœderis Tabulæ*, à Mose relictæ, qua ejus leges præcipuæ continebantur, *coll. Deut.* X. 5. 1 *Reg.* VIII. 9. 2 *Chron.* V. 10. & supra quam cum *Propitiatorio*, seu *Tegmento* impositio, *Cherubim Gloriæ* protendebantur; de qua Arca cum Propitiatorio illo & Cherubim, & quidem constituenda intra velum, constant Leges Mosaicæ *Exod.* XXV. 16. 18. 21. XL. 3. *&c.* Uti & notissimum est, hanc fuisse Divinæ Majestatis & Gratiæ sedem umbraticam *Lev.* XVI. 2. 2 *Sam.* VI. 2. *Psal.* LXXX. 2. *&c.* Jam vero hæc Arca cum Obtegu-

Quam maxime & rectissime Arca Fœderis cum Propitiatorio, quæ erat Gratiæ & Cultus Divini Sedes Principalis intra Velum.

mento ſuo nos omnino ad Meſſiam ducere ex Dei Legiſlatoris ſcopo cenſenda eſt; ſive ea ſpectetur ut ſedes ejus ipſius magnifica & digniſſima, ſive ut ſedes vel Dei Triunius vel Patris in gratia inveniendi apud ipſum ſolum. Quam in rem conferri quoque poteſt, non tam textus *Rom.* III. 25. ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, qui huc communiter referri ſolet ob uſum vocis ἱλαστηρίου pro illa הכפרת / *Operculi*, apud LXX. & Paulum *Hebr.* IX. 5. ſed quem nos cum aliis rectius ad *propitiationem* ab ipſo factam *coll.* 1 *Joh.* II. 2. *&c.* referri judicavimus dudum *EXERC. TEXT. XXXIX. Parte III.* Quam quidem alter ex 1 *Pet.* I. 12. ubi poſt memorata Euangelii myſteria de Chriſto hujuſque Paſſionibus & Gloria, quæ & quatenus hæc olim à Vatibus erant tradita, ſubjicitur, εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι, cum manifeſto ſatis reſpectu ad ſitum Cherubim ſupra Arcam, in quo adeò fuerit iſtius deſiderii Angelici quædam delineatio. Quin & tertius ex *Apoc.* XI. 19. καὶ ἠνοίγη ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὤφθη ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης αὐτοῦ ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ, qui ad Deum & Mediatorem glorioſe in Eccleſia triumphante præſentem nos optime ducit. Neque dubium eſt, quin Arca illa optime repræſentaverit Chriſtum; non jam in omnibus, vel multis aliis quæ heic accumulari ſolent, ſed in Præſtantia magnifica, in Legis Divinæ Fœderisque complexu perfectiſſimo intra ſe, & in Dei gratia quærenda & invenienda apud & per hunc unum pleniſſime. Jam porro & pro certo merito habeatur, quod intimum illud Sanctuarium fuerit veriſſimus Typus Cœli ſupremi, ſecundum Pauli ipſius obſervationem *Hebr.* IX. 11. 12. Unde Arcam illam cum Propitiatorio obtegumento illic firmiter collocari, quid aliud clarius ſignificabit, quam Thronum cœleſtem, quem ſemper ita tenuit Deus Trinus, ut etiam Chriſtus poſt parationem per paſſiones illic eſſet Seſſurus ut θεάνθρωπος. Ut de Arcæ hujus *Adductione*, tum in *Tſyonem* tempore Davidis 2 *Sam.* VI. tum in *Templum* ſub Salomone 2 *Chron.* V. nihil nunc addam amplius.

In primis huc facit Annuus Ingreſſus Pon-

IV. Præ illo autem ſymbolo Chriſti urgemus etiamnum Moſaicam conſtitutionem de *Pontifice*, ſeu Sacerdote Magno, ſecundum quam ille quotannis in Die Expiationis ſolenni

lenni poſt Hircum ex duobus unum Oblatum ſuper Altari debebat ingredi intra velum, cum hujus Sanguine ut illud ſuper Propitiatorium ſpargeret decenti & religioſo modo, *coll. Levit.* XVI. 15. *&c.* de qua videri etiam poſſunt à nobis dicta *EXERC. TEXT. VII. & VIII. Parte V.* Et eſt ille Annuus & Solennis Introitus Pontificis Iſraëlitici in Sanctuarium intimum, quem ad verum Pontificem noſtrum Jeſum ejusque Adſcenſionem in Cœlum ita tranſtulit ſolide & apte Paulus, ut hic ne quidem nomen illud mereretur aut vim ejus impleret, niſi in Cœlum ſic aſcendiſſet poſt corporis ſui oblationem in morte factam. Sic enim ille *Hebr.* IX. 11. 12. Χριστὸς δὲ παραγενόμενος ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς, οὐ χειροποιήτου, τουτέστιν οὐ ταύτης τῆς κτίσεως, οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων, διὰ δὲ τοῦ ἰδίου αἵματος, εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος, *coll. verſ.* 24. οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν, νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ θεοῦ ὑπὲρ ἡμῶν, οὐδ' ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτὸν, ὥσπερ ὁ ἀρχιερεὺς εἰσέρχεται εἰς τὰ ἅγια κατ' ἐνιαυτὸν ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ &c. νῦν δὲ ἅπαξ ἐπὶ τῇ συντελείᾳ τῶν αἰώνων εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας ἑαυτοῦ πεφανέρωται &c. Et ſic idem, tum *Hebr.* VI. 19. 20. εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος, ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ἡμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ἀρχιερεὺς γενόμενος εἰς τὸν αἰῶνα, tum *Hebr.* VIII. 1. 2. 4. κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς, τῶν ἁγίων λειτουργὸς καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος, καὶ οὐκ ἄνθρωπος, &c. εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, οὐδ' ἂν ἦν ἱερεὺς, ὄντων τῶν ἱερέων τῶν προσφερόντων κατὰ τὸν νόμον τὰ δῶρα, οἵτινες ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ λατρεύουσι τῶν ἐπουρανίων &c. Uti cum Theologis aliis emphatice heic dixit *Cel. Witſius* noſter; *Nobiliſſimus Chriſti in Cœlos Aſcendentis Typus fuit Pontifex Maximus ſemel quotannis Decimo die menſis Septimi, cujus Calendæ annum vulgarem ſive civilem inchoabant, cum ſuo victimæ cruore intra velum in Sanctum Sanctorum intrans, interceſſurus pro populo Lev.* XVI. *ita ut Dominus Jeſus in initio Anni gratiæ & libertatis fuſo ſanguine ſuo, rupto velo carnis ſuæ, in Sacrarium non manufactum ſed cœleſte viam nobis initiaturus intravit, ut virtutem ſatisfactionis ſuæ*

tificis in Adytum ad Expiationem populi cum Sanguine.

*Patri repræſentans continuò pro nobis intercederet Hebr.* IX. 24. VI. 19. 20.

Quin etiam facere poteſt Henochi Aſſumptio ad Deum, cui placuerat.

V. Hic nempe eſt illuſtris Chriſti Adſcendentis *Typus Legalis*, de cujus vi præſignificativa, tam ex Novo Teſt. quam ex Ceremoniarum natura umbratica poſſumus eſſe certi, *coll. Col.* II. 17. *Hebr.* X. 1. *&c.* Cum quo licere & decere heic puto ut jungamus unum & alterum Typum *Eventualem* per ſingulariſſimam Dei providentiam; quem reperimus in Perſonis *Henochi* ante Legem & Diluvium ipſum, ac *Eliæ* ſub Legis Moſaicæ miniſterio, ſublatis in cœlum vivis. De *Henocho* חנוך legimus apud Moſen *Gen.* V. 24. *& ambulavit Henoch cum Deo, & non ipſe, quia aſſumſit eum Deus.* Atque Paulus dixit *Hebr.* XI. 13. πίσει ἐνὼχ μετετέθη, τὸ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεὸς, πρὸ γὰρ τῆς μεταθέσεως αὐτοῦ μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ. Conſtat nempe, hunc *Henochum*, ex vi nominis hujus ſingulariter Deo *Conſecratum*, quem & apud *Gentiles* celebrari ſub nominibus *Annaci*, *Cannaci*, *Nannaci*, quin & *Atlantis*, ab ævo obſervarunt nonnulli, atque *Talmudici* nomine *Metatron* quoque dignantur, filium Jeredi in Patriarchali linea Sethi, quem *Septimum ab Adamo* vocavit *Judas* Apoſtolus *verſ.* 14. fuiſſe Virum præ aliis ætatis ſuæ ante-Diluvianæ vere eximium. Quod docet teſtimonium Moſaicum de ejus *Ambulatione cum Deo*, in hujus tanquam Ducis & Inſpectoris etiam adhæſione arctiſſima, adeoque vita omni illuc juxta animum compoſita, unde alias mentio Ambulationis poſt Deum & coram Deo, pro eo quod heic legitur cum Deo; dum aberrant heic indubie, qui Ambulationem hanc ad ipſam Cœli Beatitatem aut ejus obtinendæ ſtudium trahunt. Quod ſi communi tantum modo & gradu præſtitiſſet cum aliis Piis, non fuiſſet ratio ipſum ſolum cum Noacho ex omnibus coætaneis ſic commendandi. Eodem modo, ob eandem rationem, accipe illud Pauli ad imitationem ☥ LXX. μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ, *teſtimonium obtinuit Deo placuiſſe*, in perſona & vita ſua, non tam cum aliis quam præ aliis; quod uti à Moſe habet etiamnum per orbem totum, ita & apud ſuæ ætatis homines accipere potuit, quin & apud animum ſuum per Spiritus Divini blandiloquia cœleſtia. Adeo abſurdum eſt, quod laudem hanc ma-

magnam ad opprobrium levitatis & inconſtantiæ traxerunt peſſime *Judæi* quidam cum *Jarchio*. Summam quoque ejus gratiam apud Deum arguit, quod *Judas* narrat *verſ.* 14. 15. tanquam rem ſibi exploratiſſimam, ex teſtimonio Divino Spiritus non minus facilè quam humano, etiamſi illud apud Moſen non legatur, quod ipſe jam ſuo tempore *prophetaverit*, ſeu ſingulari inſpiratione Divina, non ſcripſerit ſed locutus ſit, de futuro Domini Judicio, alii vero ſeu ſcripto ſeu traditione Orali facile propagaverint, atque tandem à Juda ſit Canoni inſertum. Quod præſtat multum, præ eo quod ex Moſe ipſo, non quidem *Formulam* ſed *Fundamentum* hujus Prophetiæ educere conatus eſt *Cel. Heideggerus Hiſt. Patr. Exerc. X.* quaſi hoc *totum eſſet* ἴγλεγχον, quod *duo argumenta plane demonſtrent*, prius quod *Patriarchæ certo Dei conſilio fuerint Doctores Eccleſiæ &c.* & alterum, quod heic dicatur *cum Deo ambulaſſe*, unde proclive fuerit conficere, eum *non pro ſe tantum quæſiviſſe Deum, ſed etiam alios propoſito terrore ultimi judicii ab impietate & injuſtitia deterruiſſe, &c.* Ad Ambulationem ſingulariſſimam cum Deo ſecutum dicit Moſes, quod איננו *non ipſe*, fuerit amplius inter homines & in his terris poſt annos vitæ trecentos ſexaginta & quinque, καὶ οὐκ ἐνεφάνετο, *& non apparuit* apud LXX. & *Vulgatum, quoniam Deus eum* לקח / ſeu *abſtulit* ab hominibus & terris his, ſeu *ſuſtulit* & ſumpſit ad ſe cum quo ambulaverat arctius, utique *tranſtulit*, ſeu omnipotenti virtute & bonitate ſua illum de terra aliorſum tulit, ſicuti *Paulus* ex LXX. ter heic habet, μετέθηκεν, & μετάθεσιν, dum apud Moſen *Vulgatus* ponit ſimplex *tulit*. An vero Ablatio, vel Aſſumptio, vel Tranſlatio illa referenda ad Animam ſolam quæ per mortem fuerit ſeparata à corpore? uti id communiter locum habet in piis. Ita quidem complures volunt ab ævo Judæi, pro uſu phraſios iſtius aut ſimilis obvio, quem etiam nos agnoſcendum putamus *Jeſ.* LIII. 8. quando illic לקח / jungitur exegetice cum *excidio de terra viventium*, & in exinatione Meſſiæ tradenda adhuc eſt Vates manifeſte. Sed cur ſic de uno Henocho phraſis hæc gemina eſſet adhibita, cujus ſignificatio ad Patriarchas pariter pertineret, qui *mortui* dicuntur? Et quod dixit Moſes de Perſona Henochi, id non debere ad Animam

ejus

ejus reſtringi monſtravit Paulus, addens τὸ μὴ ἰδεῖν θάνατον, *ut non videret mortem*, ſeu mortem aliis communem nullo modo ſubiret, *coll. Pſal.* LXXXIX. 49. *Luc.* II. 24. IX. 27. *&c.* quorſum & cum Judæis aliis ducit *Onkeloſi* Paraphraſis. Sed quorſum ſine morte viſa tranſlatus eſt Henoch? De *Paradiſo* heic loquuntur cum *Judæis*, decem illuc tranſlatos ponentibus, *Veteres* nonnulli Chriſtiani; ſicuti & apud *Vulgatum* legitur *Sirac.* XLIV. 15. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*, ſed pro Græcis εὑρηρέσησε κυρίῳ θεῷ, ἢ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς. Loquemur & nos haud difficulter ita cum eis; ſed intelligemus Paradiſum, non terreſtrem, utique ante & per Diluvium vaſtatum, & qui minime fuit, nedum eſt poſt peccatum locus ſupremæ beatitatis, verum omnino Cœleſtem, *coll. Luc.* XXIII. 43. 2 *Cor.* XII. 4. *Apoc.* II. 7. Ille enim eſt locus, in quo Deus thronum ſuum fixit, à terris remotiſſimus, in quo beatam ſui communionem promiſit, & quorſum hinc transfert, quos ad ſe aſſumit ille arctius quam unquam aut uſquam alibi, *coll. Pſal.* XLIX. 16. *&c.* Fuit autem hoc ſingulariſſimum conſequens ſingulariſſimæ Ambulationis cum Deo, per quam huic placuerat Henoch; & ſimul fructus *Fidei* Salutaris in Meſſiam, ad quam inſtrumentaliter hunc exitum viri refert Apoſtolus.

Nec non Eliæ Raptus in Cœlum In turbine.

VI. Cum hoc Henocho conferendus nunc adhuc meritò eſt *Elias*, de quo ſic habet hiſtoria 2 *Reg.* II. 1. *Fuitque cum aſcendere facturus eſſet Jehovah Eliam per turbinem in cœlum &c. coll. verſ.* 5. *an noſti quod hodie Jehovah aſſumet Dominum tuum de ſuper capite tuo? verſ.* 9. *poſtula quid faciam tibi, antequam aſſumar à tecum, verſ.* 10. *ſi videris me aſſumptum à tecum verſ.* 11. 12. *fuitque ipſis eundo euntibus & loquendo, & ecce Currus ignis & Equi ignis, & diviſerunt inter ipſos duos, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum. Viditque Eliſah, & ipſe clamans, pater mi, pater mi, currus Iſraëlis & equites ejus, & non vidit eum amplius, verſ.* 16. 17. *& dixerunt ad eum, ecce quæſo cum ſervis tuis quinquaginta viri robuſti eant nunc & quærant Dominum tuum, ſi forte ſuſtulerit eum Spiritus Jehovæ & projecerit in unum montium, aut in unam vallium, dixitque ne mittatis, & inſtantibus illis uſque ad pudorem dixit, mittite, & miſerunt quinqua-*

*quaginta viros, & quæſiverunt tribus diebus, ſed non invenerunt eum &c.* Perſona, de qua iſta narrantur, principalis eſt *Elias*, vel *Elijah* אליה / quod nomen exponunt per *Deus Dominus*, uti ipſius cognomen eſt *Thisbites*. Fuit ille Propheta inſignis in Regno Iſraëlis, corruptiſſimo tempore Achabi & Iſabelis, quando conſtantiſſime tamen Domino adhæſit, & non minus per opera ſtupenda quam per zelum fervidiſſimum contra idololatriam & impietatem ſe Deo & populo ejus commendavit, hinc & multum celebratus uſque hodie poſt fata apud Judæos, & commendatus in Novo Teſt. nomine ipſius etiam tranſlato ad Johannem Baptiſtam *Mal.* IV. 5. *Matt.* XI. 14. *&c.* ſicuti & ipſe in transformatione Servatoris noſtri huic cum Moſe ſe fuit ſiſtens *Matt.* XVII. 4. 5. *&c.* Et quid ſingularius, quam poſt denunciationem & notitiam rei antecedentem, etiam apud Eliſam & Filios Prophetarum, & promiſſam illi dignam Spiritus portionem, hunc tantum Vatem à latere Eliſæ abripi in turbine igneo, ita ut cum dimiſſione pallii in cœlum aſcendat prorſus, *Jehovah* id faciente eumque *aſſumente?* Ubi conſequenter neutiquam licet cogitare de aſſumptione mera in Cœlum Aëreum aut alium aliquem locum minus dignum, quando talis raptus vix inter beneficia Eliæ collata à Deo poſſet numerari; ſed omnino Cœlum oportet intelligere ſupremum, in quo apud Dei thronum præmium pietatis lætum Deus ſervis ſuis largitur. Neque magis extra Scripturam de Morte interveniente heic ſomniandum eſt, quam de Anima ſola aſſumpta, dum Corpus nuſquam certe inveniri potuit, & non hoc ſed pallium aſcendens demiſit.

VII. Enumerat ad Henochi hiſtoriam iſtam *Cel. Heideggerus in Hiſt. Patr. multa graviſſima myſteria*, quorum ſit in ea *documentum*, & quæ ad numerum *Denarium* extendit. Interim de Chriſti Aſcenſione illic tacet. Sed *Loc. XII. Corp. Theol. Enochi Aſſumptionem in Cœlum Typum fuiſſe* monet; *corporalis etiam Aſſumptionis Chriſti, omniumque qui ceu membra equidem corporis eidem ut capiti cohærent, in cœlum.* Atque *Loc. XVIII.* Aſcenſionem Chriſti *adumbratam* dicit *exemplis Enochi & Eliæ.* Sic ille ſubmiſſius loquitur de Præſignificatione Aſcenſionis Chriſti, ad exemplum *Cl. Cocceji*, qui dè *Fœd. Cap. X.* monet tantum, *Deum in Enochi Aſſumptione oſtendiſſe, quid Fidelibus*

Pro cujus utriuſque Typica præfiguratione admittenda differitur.

*præparaverit*, atque perinde ad *Gen.* v. 24. *paraſſe Deum diverſis temporibus teſtimonia, ex quibus conſtaret, homines hæredes juſtitiæ eſſe hæredes vitæ animo & corpore poſſidendæ, & vitæ quidem ſtatim à morte ſive diſceſſu animæ a corpore poſſeſſionem adiri, eamque in cœlis agi, Corpus autem die quem determinavit Deus eſſe reſuſcitandum*, ſic de ipſius Chriſti Aſcenſione præfigurata tacens, etiam in *Summa Theol.* Quod mirum ob ſolitam cæteroquin Typorum multiplicationem, & majorem ſimilitudinem cum Chriſto quam cum Fidelibus heic repertam. Quæ poſterior obſervatio mihi perſuadet, in Henocho & Elia omnino agnoſcere Typos inſignes Aſcendentis Chriſti; tum ſenſu latiori, quatenus ſic dicunt Imagines & Similitudines; tum ſenſu forte ſtrictiori, quatenus & Præfigurationem ex Dei operantis intentione involvunt. Ita certe ſingulariſſimæ fuerunt Perſonæ, ſua quiſque ætate, Henoch & Elias, in ſua Ambulatione cum Deo, Deique complacentia, & Prophetico quod geſſerunt Munere toto, ut ad neminem rectius quam ad Chriſtum horum plenitudo vera transferatur. Atque ita perinde ſingulariſſima fuere exempla Aſſumptionis horum vivorum reſpectu animæ & corporis abſque morte viſa ad Deum, ut talis neutiquam in aliis hominibus ſed in ſolo Chriſto obtinuerit. Unde hoc tanquam ſolidæ fiduciæ fundamentum per Imagines illas etiam repræſentare conveniebat Divinæ ſapientiæ & bonitati. Si objicias diſcrimen multiplex & magnum inter hæc exempla & Chriſti fatum, quod recte plures heic enumerant, id in omnibus plane Typis etiam Legalibus ſemper reperies, ut inter umbras & corpus maneat diſtinctio decens. Quod & jam olim inculcavit *Cyrillus Jeroſ.* μνημόνευε, ὅτι ἐνὼχ μετετέθη, ἀλλ' Ἰησοῦς ἀνῆλθε, μνημόνευε τῶν περὶ ἠλίαν τῶν χθὲς εἰρημένων, ὅτι ἠλίας μὲν ἅρματι πυρὸς ἀνελήφθη, Χριστῷ δὲ τὸ ἅρμα μυριοπλάσιον χιλιάδες ἐυφημούντων, ᾗ ὅτι ἠλίας μὲν ἀνελήφθη πρὸς ἀνατολὰς ἐν Ἰορδάνῃ, Χριστὸς δὲ πρὸς ἀνατολὰς ἐν χερουβὶμ κεδρῶν ἀνῆλθε, ᾗ ὅτι ἐκεῖνος μὲν εἶπε, δοθήσεται διπλᾶ ἐν πνεύματι τῷ ἁγίῳ μαθητῇ, Χριστὸς δὲ τοσαύτην παρέχει τοῖς μαθηταῖς ἀπόλαυσιν χάριτος ἐν ἁγίῳ πνεύματος, ὥστε μὴ μόνον αὐτὸ ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς, ἀλλὰ ᾗ ἀφῇ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν αὐτῶν τὴν κολυμβήθραν αὐτὸ μεταδιδόναι τοῖς πιστεύσι, &c.

De Moſe aliquid adji.

VIII. An vero cum Henocho & Elia tanquam Typum

ter-

tertium Aſcendentis Chriſti jungere licet aut decet Moſen, Mediatorem Fœderis Veteris illum magnum, & externum Populi Liberatorem ſub Deo? ſive jam ille ſpectetur in Aſcenſione ad Deum in monte Sinai, per quam à Populo ad tempus auferebatur, ſive in ſua finali ab Iſraëlitis Ablatione. Ita equidem lego apud *Huetium Lib. II. Alnet. Quæſt. Cap.* 19. *Chriſto cœlum mirabiliter ſcandenti jam ante præluſerant Enochus, Elias, atque ipſe etiam Moſes; quibus addere poſſumus & Habacucum &c.* Quando & ad probationem, ejus quod de Moſe dixit, laudat illud *Clementis Alex. Lib. I. Strom.* ἴσχυε δὲ ἡ τρίτον ὄνομα ἐν ἐρήμῳ μὴ τὴ ἀνάληψιν, ὡς φασιν οἱ μύσαι, Μελχί. Neutrum ego quidem dicere auſim. Prior enim illa Aſcenſio, ſæpius repetita, non fiebat in cœlum, ſed in montem terribilem, atque alium longe habuit ſcopum quam ut illic præmium pietatis ſuæ obtineret. Et poſterior Aſcenſio nuſquam nominatur in Scripturis, ſed ex adverſo Mors & Sepultura Moſi tunc tribuitur *Deut.* xxxiv. 5–7. *&c.* De qua omnino tenenda diſſeruimus olim *EXERC. TEXT. XXXII. Parte III.* tum contra *Hieronymum* aliosque *Veteres*, Aſcenſionem in Cœlum Moſi tribuentes juxta Henochum & Eliam, tum contra quoſdam *Judæos* & *Pontificios*, tum & contra *Cl. Coccejum* noſtrum. Qui ſcripſit *ad Luc.* ix. 31. *De Moſe legimus, quod mortuus ſit, & quod Deus ipſum ſepeliverit in quadam valle, ita ut nemo cognoverit ejus ſepulchrum. Quæ ἀινιγματωδῶς accipi poſſunt, nempe quod in certa Valle ultimo viſum ſit Corpus Moſis ſuperſtante Gloria Dei, quodque cum Gloria Dei inde receſſiſſet, corpus Moſis tanquam ſepultum nulli apparuerit. Id igitur in cœlum tranſlatum fuiſſe, Euangelica hiſtoria aperit.* Item *ad Deut.* xxxiv. 5. 6. *An Mors hic ſignificet ſeparationem Animæ à corpore, an tranſmutationem qualem expectant quos deprehendet dies Domini* 1 *Cor.* xv. 51. *diſquiri poteſt. Joſephus dicit, quod ſcripſerit ſe mortuum &c. Ex Matt.* xvii. 3. *& Luc.* ix. 30. *patet, eum, ſaltem quoad ſpiritum, in cœlum tranſlatum eſſe. Conſequens Mortis eſt Sepultura, cujus locus in genere dicitur, ita tamen ut negetur ullum hominem inveniſſe ubi ſepultus fuerit. An hoc ita dicatur, ut per Sepulturam debeat intelligi μετάθεσις ſive tranſpoſitio corporis una cum anima, quæ indigitetur facta circa locum ſive vallem*

citur, an etiam Corpore & anima in Cœlum tranſlatus eſſe ſine morte & Sepultura credi queat.

*latus montis, an vero ſit intelligenda corporis in terra conditio, ambigi poteſt, tum quia hic ſcriptum eſt neminem ſcire monimentum ejus, tum quia in Epiſtola Judæ legimus verſ. 9. Michaëlem cum Diabolo de Corpore Moſis diſceptaſſe, &c.* Dum ego nullam in his ratiociniis vim probandi deprehendo, nec abſque ulla neceſſitate ſenſum tam alienum à litera textus admittere queo.

## CAPUT DECIMUM QUARTUM.

### *Quo cum Chriſti Aſcenſione juncta ejus Seſſio ad Dextram Dei declaratur reſpectu varietatis Phraſium.*

Tranſitus ad Chriſti Seſſionem à Dextra Dei Patris.

Quod ſi Chriſtus ſimpliciter in Cœlum vivus eſſet Aſſumptus, vel & Aſcendiſſet, quid in eo magni & nobis ſalutaris præ Angelis cœleſtibus, quin & præ Piorum Animabus, haberet? ſi non in Cœlo illo Supremo Suprema etiam Gloria præ omnibus Creaturis ipſi contigiſſet. Et hanc ideoque junxit Euangelium cum ipſius Aſcenſione prorſus immediate, ſub phraſi potiſſimum *Seſſionis ad Dextram Dei*, quæ ſola etiam nonnunquam adhibita Adſcenſionem ejus includit. Et dicitur hic communiter *Tertius Gradus* Exaltationis Dominicæ, in ipſo Symbolo Chriſtiano, quod Apoſtolicum audit, expreſſe ante Aſcenſionem poſitus.

Loca Novi Teſt. quæ explicite de ea agunt, ſimul exhibentur.

II. De iſthac ſua *Seſſione ad Dextram Dei* Chriſtus locutus eſt jam ante mortem ſuam *Matt.* XXVI. 64. πλὴν λέγω ὑμῖν, ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τ̀ υἱὸν τ̃ ἀνθρώπυ καθήμενον ἐκ δεξιῶν τ̃ δυνάμεως, κ̀ ἐρχόμενον ἐπὶ τ̃ νεφελῶν τ̃ ὐρανο̃, ſubſtituente *Marco Cap.* XIV. 62. κ̀ ὄψεσθε τ̀ υἱὸν τ̃ ἀνθρώπυ καθήμενον ἐκ δεξιῶν τ̃ δυνάμεως, κ̀ ἐρχόμενον μ̀ τ̃ νεφελῶν τ̃ ὐρανο̃, atque *Luca Cap.* XXII. 69. ἀπὸ τ̃ νῦν ἔσαι ὁ υἱὸς τ̃ ἀνθρώπου καθήμεν@ ἐκ δεξιῶν τ̃ δυνάμεως τ̃ θεο̃. Eam tradit *Marcus* ipſi contigiſſe *Cap.* XVI. 19. ὁ μὲν ο̃ν κύρι@ μ̀ τὸ λαλῆσαι ἀυτοῖς ἀνελήφθη εἰς τ̀ ὐρανὸν, κ̀ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τ̃ θεο̃. Eam factam repererunt etiam quidam in Apoſtolicis verbis *Act.* II. 33. τῇ δεξιᾷ ο̃ν τ̃ θεο̃ ὑψωθεὶς, τήν τε ἐπαγγελίαν τ̃ ἁγίυ πνεύματ@ λαβὼν &c.

coll.

*coll. Act.* v. 35. τοῦτον ὁ θεὸς ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσε τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, ubi alii in *Dextra Dei* intellexerunt ejus Potentiam ſupremam per quam Chriſtus exaltatus eſt. Interim ipſe *Beza* æque quam noſter *de Dieu* notavit, *Arabem Interpretem legiſſe*, πρὸς τὴν δεξιὰν, *ut Eph.* IV. 10. Quin & *Cel. Piſcator* vertit, *ad dexteram Dei exaltatus*; ut *Dativus hic eandem vim habeat, quam in illo Virgiliano, it clamor cœlo*, expoſitionem hanc *confirmari* dicens *ex verſ.* 34. Atque etiam hæc placuit *Coccejo* noſtro, τῇ δεξιᾷ τοῦ θεοῦ ὑψωθεὶς, exponenti, *collocatione ad dextram Dei exaltatus.* Sed abſque omni contradictione Apoſtoli in *Epiſtolis* ſuis pleno ore tradiderunt hanc Chriſti Seſſionem ad Dextram Dei; tum Petrus 1. *Pet.* III. 22. ὃς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν, ὑποταγέντων αὐτῷ ἀγγέλων καὶ ἐξουσιῶν καὶ δυνάμεων; tum Paulus *Rom.* VIII. 34. ὃς καί ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, *Eph.* I. 20. καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν ἐπουρανίοις, ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, &c. *Col.* III. 1. τὰ ἄνω ζητεῖτε, οὗ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ καθήμενος, *Hebr.* I. 3. ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, *Hebr.* VIII. 1. ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *Hebr.* X. 12. εἰς τὸ διηνεκὲς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, & *Hebr.* XII. 2. ἐν δεξιᾷ τε τοῦ θρόνου τοῦ θεοῦ ἐκάθισεν. Ad quæ loca addi adhuc poteſt ille *Act.* VII. 55. 56. ubi de Stephano Protomartyre fert Lucas, ἀτενίσας εἰς τὸν οὐρανὸν, εἶδε δόξαν θεοῦ, καὶ Ἰησοῦν ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ, καὶ εἶπεν, Ἰδοὺ θεωρῶ τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ θεοῦ. Quo pacto ſimul heic eonſpicienda voluimus dare omnia loca Novi Teſt. quæ iſtius Seſſionis Chriſti meminerunt.

III. Monſtrat eorundem facilis hinc collatio, plus quam unum phraſis diſcrimen heic reperiri, quod & inter alios obſervavit diligenter *Jac. Altingius*, tum alibi, tum *Diſſert. VII. Hept. IV.* Scilicet in *Epiſtolis* Apoſtolicis conſtans ſit ſingularis mentio τῆς δεξιᾶς, in *Euangeliis* vero & *Actis* pluralis τῶν δεξιῶν. Apud Fœmininum vero Adjectivum illud ἡ δεξιὰ *dextra* non eſt dubium quin ſubintelligatur Subſtantivum χεὶρ, *manus*, quod hinc *Belgice* ſemper addi ſolet, & in aliis caſibus etiam Græce additum legitur *Matt.* v. 30. *Luc.* VI. 6. *Act.* III. 7. *Apoc.* I. 16. 17. XIII. 16. dum alias illic quoque occurrunt *dexter oculus Matt.* v. 29. *dextra maxilla*

Dextræ heic quandoque fit mentio ſingulariter, ſed & Dextrorum pluraliter.

*Matt.* v. 39. *dextra auris Luc.* XXII. 50. *Joh.* XVIII. 10. *dexter pes Apoc.* x. 2. Nomen illud Græcum, petitum à δέξασθαι, unde & Latinorum *dextra* fluxiſſe videtur, manui uni datum præ altera indubie ab ejus Apprehenſione, tam activa quam poſſiva frequentiori, ſive per vim quandam communiter inditam, ſive per conſuetudinem meram. Transfertur vero una cum Siniſtra, non modo ad Animalia quæ gemina habent membra ſimilia, ſed & ad Rerum quarumvis partes laterales inter ſe oppoſitas; quin & Hebræum יָמִין tribuitur *Auſtrali* plagæ terræ, propterea quod homini orientem aſpicienti ſit à dextra. Quoniam autem *Dextra* laudatur præ ſiniſtra variis modis, hinc & nomen illud ad aptitudinem, oportunitatem, promptitudinem, & felicitatem, denotandam ſolet adhiberi metaphorice. Quod jam attinet ad, non τοὺς δεξιοὺς, ſed τὰ δεξιὰ in Neutro plurali, unde eſt Genitivus δεξιῶν, apparet ſponte heic ſubintelligi τὰ μέρη, *dextras partes*, pro quibus & *dextrum latus* dicere ſolent Interpretes *Joh.* XXI. 6. *Matt.* XXVII. 38. *&c.* Nec ulla heic adeo eſt difficultas in Nominis unius & alterius uſu ſacro, quando in eodem latere eſt Dextra manus cum omnibus aliis membris quæ Dextra dicuntur.

Et Dextra illa dicitur Dei, Potentiæ, Majeſtatis, Throni.

IV. Dextra porro, de qua heic agitur, dicitur communiſſime *Dei*, τοῦ Θεοῦ, vel ubi de Deo ipſo agente ſermo eſt, αὐτοῦ *ſua*; ita ut appelletur nonnunquam ἡ δυνάμεως, vel δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, nonnunquam τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, nonnunquam τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς, nonnunquam τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ. Neque dubitari poteſt, quin Dei nomen heic accipiatur perſonaliter de Patre, Prima Perſona Deitatis, ob diſtinctionem manifeſtam ejus à Filio Mediatore; unde & in *Symbolo Chriſtiano* ad nomen *Dei* additur iterum, ſicut in Articulo Primo, illud *Patris*, vel etiam *Patris Omnipotentis*, dum in *Conſtantinopolitano* reperitur ſimpliciter *ad dextram Patris*, ſed in *Nicæno* tota hæc Seſſio omittitur. Quid vero dicendum de aliis illis Dextræ hujus additamentis? Alterutrum eligere per nos licet; ut vel *Potentia*, *Majeſtas*, *Thronusque Majeſtatis*, notent metonymicè Deum Potentiſſimum & Throno inſidentem Regem, prout Abſtracta nomina Deo pro Concretis tribui paſſim meritoque ſolent; vel per modum Attributorum commendent ejus Dextram, tanquam

Poten-

Potentiſſimam, Magnificentiſſimam, & vere Dominantem præ aliis omnibus. Quod ſi apud Thronum Dei ſubſiſtere volueris magis proprie, tanquam à Deo ipſo prorſus diſtinctum; vel in illo intelligere poteris Sedem Throni primam in quo ut inſidens ſpectetur Deus, vel Dextram Throni totius referre non ad locum à Throno univerſo diſtinctum, ſed ad Dextram Throni ipſius Partem, *coll. Apoc.* III. 21. *&c.*

V. *Præpoſitio* ad hæc eſt quidem nulla in gemino *Actorum Apoſtolicorum* loco, ſed gemina in aliis, ubi occurrit nempe illa ἐξ vel ἐν, nunquam ἐπὶ vel εἰς, pro Hebræo ל. Prior illa ἐξ, *ex*, vel *à*, vel *ab*, reſpondens Hebrææ מן qua etiam Latinè ſic ſolemus uti, habet heic ſenſum *ad*, ſeu *verſus*, ſeu *apud*, adeoque non dicit abſentiam ſed præſentiam. Quæ cum queat eſſe magis vel minus arcta, ſunt enim & à Dextra noſtra urbes & regiones longiſſime à nobis diſſitæ una cum hominibus earum incolis; præpoſitio altera ἐν, *in*, ad ſummam propinquitatem & intimam unionem nos magis ducit, *coll. Hebr.* IX. 4. *&c.* Niſi velis forte Dextram accipiendam eſſe metonymice de loco ad dextram ſito omni, quando idem diceret cum ἐξ. Sed hoc minus mihi aptum videtur per rem heic ſignificatam; dum illud *in* non male forte retuleris ad dextræ manus protenſionem, ut ſit adeo *in dextra*, intra ejus extenſæ ambitum, adeoqne immediate proxime omnino.

Præpoſitionum additarum notatur Varietas.

VI. *Verbum* amplius plus quam unum heic adhiberi obſervamus de Domino noſtro, quod ad Corporis Situm ſuam habet relationem. Semel atque iterum legimus Græcum ἐστὶν, *eſt*; quod ſimpliciter dicit exiſtentiam ſeu præſentiam veram & actualem in Dei dextra, in oppoſitione quidem ad præteritam durationem, inprimis vitæ terreſtris & exinanitionis in ea, ſed non ad futuram, cum potius hujus reſpectu perpetuitatem involvat præſens tempus; ſed quod nullum ſitum determinat, dum in loco aliquo pariter ſunt, æque qui ſtant, & ambulant, quam qui genua flectunt, jacent, aut ſedent. Sæpius autem occurrit heic *Seſſio*; quæ indubie indicium eſt Quietis gratæ præ labore difficili, & Honoris amplioris præ ſtatione miniſtrantium, inprimis apud thronum, & Durationis utriuſque longioris, ad quam ſe componunt ex jubentium voto Sedentes. Interim *Statio* heic bis memoratur in hiſto-

Ad quam Dextram dicitur Chriſtus Eſſe, vel Sedere, vel & Stare.

ria

ria Stephani; ſed cum relatione non ad Deum Patrem, ſed ad ipſum Protomartyrem, cui ſolatium & auxilium ferre & quaſi manum porrigere ad aſſumptionem ſic videbatur Dominus. In quam rem non male ſcripſit inter alios *Jac. Altingius*; *Non adverſatur quoque factum Seſſioni contrarium, quod Stephanus Jeſum viderit ſtantem ad dextram Dei. Nam Stare illud Chriſti non ea propter oſtenſum eſt Stephano, quod non abſolviſſet ſuum laborem, at denuo ad eum conſummandum ſurgere ſeque accingere neceſſum haberet, ſed ad Solatium, tum Stephani ipſius, tum aliorum qui pro nomine ejus paſſuri erant, ut ſcirent & ille & iſti quam promtus ſit ad opitulandum ipſosque recipiendum, in occurſum eorum ſurgens, uti pater ille prodigi Luc.* XV. 20. Poſtquam aliam ſolviſſet objectionem; *Gloriæ iſti ac felicitati nihil decedit per opus quod Chriſto in cœlis agendum incumbit, opus nempe Interceſſionis quod jugiter exercet. Nam non eſt iſtud opus laborioſum, moleſtiæ plenum, ſed glorioſum, utpote quod nititur ſatisfactione præſtita, cujus commemoratio nihil aliud eſt quam poſtulatio fœderalis, ut qui pacti conditiones à ſua parte implevit reciprocas poſcat impleri vi ejuſdem pacti? argumento loci Joh.* XVII. 1. *&c. Quocirca Sedens hac Interpellatione defungitur Rom.* VIII. 34. (ubi tamen non eſt verbum *Sedendi*,) *quia quieti ejus conſtanti nihil adverſatur, imo ut ea conſtans ſit facit, dum laborem ad expiationem neceſſarium conſummatum eſſe repræſentat.* Quod & idem reponendum erit, ſi objiciatur ejus Cura omnis tam Regia quam Sacerdotalis de Eccleſia ſua per *ambulationem inter candelabra* etiam repræſentata *Apoc.* II. 1. *&c.*

Sunt vero & heic Verba adhibita Neutra, Paſſiva, & Activa.

VII. Tandem & heic, æque quam apud Reſurrectionem & Aſcenſionem, adhibentur Verba quidem, ut apparet, Neutra, & Paſſiva, ſed & magis Activa. Ad priora ſpectat, quod fertur Dominus noſter *eſſe*, & *ſedere*, ad Dei Dextram, abſque determinatione Perſonæ id efficientis; ut tam ad ipſum quam ad Patrem illud referri queat. Ad ſecundum genus locutionis pertinet, tum *Collocatio* ejus à Patre facta nempe, ut Domino & Judice ſupremo, qui Filio ſic pro meritis retribuat, unde oratio illa Chriſti ad Patrem, *Joh.* XVII. 1. 5. *&c.* δόξασόν σε τὸν υἱόν *&c.* καὶ νῦν δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί, *&c.* tum &

*Exal-*

*Exaltatio*, eidem tributa. Ultimo denique modo accipimus merito illud καθίζειν, *considere*, ipsi Filio sic adscriptum, ut dicat loci illius occupationem propriam; ad quam scilicet Jus plenum & Potentia ipsius sufficiens adeo significatur. Quod heic sufficiet verbo monuisse.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM.

### *Quo de Re Significata, Sessionis hujus Christi ad Dextram Dei, Negative disseritur.*

Sessionis hujus, impropriè intelligendæ, varia Expositio.

Cum ex Dei Incorporea prorsus Essentia, nec assumpta unquam à Patre perinde ut à Filio Humanitate, constet apud Christianos sic satis, Sessionem hanc Christi ad Dextram Dei Patris non posse ad literam intelligi; dissensus haud levis de hujus Articuli expositione observari potest inter eos. Quem nos ita trademus nunc, ut opiniones minus probandas breviter præmittamus, cum earundem examine modesto; sic tandem perventuri ad veram quæ secundum Scripturas heic tenenda est sententiam.

Ab Ubiquitariis illa ad Omnipræsentiam & Omnipotentiam Humanæ Naturæ trahitur, de qua collata cum Communicatione Idiomatum & Consubstantiatione Eucharistica disseritur.

II. Ubi ante omnia non possumus diffiteri, quod nec accipere, nec capere etiam satis, queamus dogma *Ubiquitariorum*, ad quod Sessio hæc Christi seu magis seu minus directe trahitur à Viris Doctis & Celebribus; una cum inculcata Communicatione Attributorum Dei Operativorum Reali cum Natura Christi Humana, & cum asserta suo modo Consubstantiatione Reali Corporis Christi cum Pane Eucharistico. Quod utrumque caput doctrinæ, vere imperceptibile, nobis obtrudi non patimur extra Scripturas; his in iis quæ certò tradunt semper fidem habere parati, cum omnis nudæ & vanæ ratiocinationis rejectione. Utique, quod ad Communicationem Idiomatum quorundam Divinorum attinet, per Unionem Duarum Naturarum Personalem in Christo θεανθρώπῳ; non possumus eam reperire usquam traditam à Scriptoribus Sacris, qui Personæ in concreto, non Naturæ in Abstracto, seu Christo, ab una vel ab altera Natura denominato, merito tamen tribuunt, non quædam sed omnia Attributa,

tam Divinæ hinc naturæ, ut ſunt Æternitas, Independentia, Immutabilitas, Omnipræſentia, Omnipotentia, Omniſcientia &c. quam Humanæ, v. g. Nativitatem ex Maria temporariam, Senſibilitatem, limitatam Præſentiam, Impotentiam, Inſcitiam, Fata adverſa & proſpera &c. Nec eſt illa Communicatio Proprietatum vel Attributorum mere verbalis, ſed & ſimul quam maxime Realis; dum Unio Naturarum Integrarum Duarum in Una Perſona hoc per ſe operatur, ut Utriusque illi uni Attributa veriſſimè competant. Quod ſi Unio illa operaretur amplius, quædam Attributa Divina competere & tribui debere Naturæ Humanæ; jam non modo Unitas Attributorum in Deitate re ipſa tolleretur, ſed & ſimul Unitas Dei ipſius, cujus Attributa creaturæ qua tali convenirent. Quin etiam, non poſſet ita Humanitas Deificari, quin hæc ipſa verè deſineret eſſe, ſi non in totum utique magna ex parte, per Attributa Divina Infinita, quorum nullum Ens Finitum Capax eſt. Nihil ſane certius eſt, quam Naturarum ſic introduci manifeſtam nimis Confuſionem; qualis etiam foret Animæ & Corporis, ſi pro eo quod Utriusque Attributa recte tribuamus Homini, nos illa Animæ tribueremus Corpori, vel illa Corporis Animæ noſtræ. Et quod deinde attinet ad *Conſubſtantiationem*, ubi unquam hoc dixit Dominus noſter, *In Cum & Sub Pane eſſe Corpus ſuum?* Quod ſi dixiſſet omnino, jam dicere non potuiſſet ſenſu proprio Panem eſſe Corpus ſuum, quando quod eſt in cum & ſub alio, eo ipſo non eſt ipſum illud aliud. Unde in locutione hac Diſparati de Diſparato, ſi vere ſint talia uti eſt Panis & Corpus Chriſti, neceſſarius eſt ſenſus improprius, ſive metaphoricus ſive metonymicus; uti cum dico, Lignum eſſe Ferrum, Hominem eſſe Beſtiam, Imaginem eſſe Virum, &c. Quæ forma loquendi tam trita eſt quotidiano omnium uſu, ut ubique etiam in Scriptura ipſa occurrat, in Parabolis & Emblematibus illic lectis & expoſitis. Unde & magis hæc admittenda eſt in *Signo*, non nudo & ſignificativo, ſed *Obſignativo* ſimul, & moraliter ac ſpiritualiter *Collativo*; quale in Pane Euchariſtico ex Chriſti inſtitutione agnoſcimus merito. Et dolemus prorſus, Viros Doctos inter *Proteſtantes* per phraſin illam adeo facilem intellectu ex uſu communi & ſacro, quam ad Tranſubſtantiationem

nem & natam hinc monstrosissimam & probrosissimam Idololatriam traxerunt *Papistæ* dudum, cum assertione πολυτοπίας, passos esse se abduci ad sensum adeo alienum; ex quo quæ nos judicamus Absurda consequi, ea tamen ipsis Sequelas has non agnoscentibus nolimus equidem tribuere. Interim nec Dogmata hæc satis apte cohærere deprehendimus cum Sessione ad Dextram Dei tracta ad Omnipræsentiam; siquidem quod ex Unione Naturarum fluit vere, illud non perinde demum deduci potest à statu Exaltationis post Exinanitionem secuto, quicquid ad Distinctiones vanas & obscuras heic recurratur; & siquidem per positam Omnipræsentiam Humanitatis Christi non minus Corpus ejus ipsum In Cum & Sub aliis Corporibus omnibus aderit vere præsens, quam In Cum & Sub Pane Eucharistico, etiamsi heic forte alia ejus relatio sit & significatio hinc fluens.

Instantiæ Ubiquitariorum ex hac Sessione enascuntur.

III. Enimvero, ut ad Sessionem hanc ipsam Christo tributam propius nunc accedamus, urgetur heic à Viris Doctis notio communis *Dextræ Dei*, cui unitus & arctissime junctus sit scilicet Christus respectu suæ Humanitatis per *Sessionem* ad eam; in quo omnis vis expositionis seu argumentationis hujus hæret. Nempe Dextra manus cum sit membrum hominis præcipuum, per quod in alia corpora operatur valide, & robur suum exerit, hinc per metaphoram, in aliis Membris humanis perinde Deo tributis familiarem, Dextra Dei significare solet, æque quam Manus & Brachium, ejus Robur & Potentiam supremam, per quam omnia operatur pro lubitu, sive naturaliter sive supernaturaliter, *coll. Exod.* xv. 6. 12. *Psal.* cxviii. 15. 16. *&c.* Neque dubitare licet, quin illa Dextra sit Ubique, ubi scilicet operatur & per opera potentissima se præsentem monstrat, in Cœlo pariter & in Terra, *coll. Psal.* cxxxix. 10. *&c.* Et cum jam Sessio ad literam dicat arctam Unionem cum eo cujus latus in hac clauditur; hinc Christi Sessio ad eam Dextram significabit, hunc esse Ubicunque est ea Dei Dextra, uti Regis lateri adhærens semper est ubicunque Rex ipse est. Illa porro Sessio Christi minus referenda videatur ad Divinam quam ad Humanam ejus Naturam; non tantum quod Christi ut Dei eadem sit Dextra potentissima cum Patre, sed & quod Exaltationis Gradus priores, Resur-

rectio & Aſcenſio, pertineant unice ad Humanam Naturam, unde & de Tertio hoc Gradu ſimiliter ſtatui debeat.

Contra quas notatur, hanc non tribui Naturæ Humanæ in Abſtracto, ſed Perſonæ Θεανθρώπου in Concreto.

IV. Ut de iſtis ordine retrogrado dicamus, hoc omnino notandum venit primo, quod Seſſio Chriſti ad Dextram Dei Perſonæ illius in Concreto & non Humanitati in abſtracto tribuatur & competat vere; in qua adeo partem ſuam habeat quidem Humanitas reſpectu dictionis & rei ipſius, ſed convenientem ſuæ conditioni, verum majorem longe Deitas ipſius. Eſt enim hæc *Gloria*, quam rei præcipuæ & fundamenti reſpectu *habuit apud Patrem antequam mundus eſſet Joh.* XVII. 5. *&c.* Et pertinet ad eam Regimen glorioſum Eccleſiæ ſuæ, quod gerit maxime ſecundum Deitatem ſuam. Nec alia per omnia eſt ratio Priorum Graduum Exaltationis Chriſti Duorum; in quibus quidem ſola Humanitas reſuſcitata & de terra in cœlum localiter tranſlata eſt, ſed Deitas hoc effecit, ut illa Perſona Reſurrexiſſe & Aſcendiſſe pleno ſenſu dicatur, ſicuti & de Sepulchro & de Terra omni ſe ſubduxit Deitas Filii in illa Humanitate aſſumpta in qua antea illic ſe manifeſtaverat. Et ſi vel horum Graduum foret alia ratio ex eorundem natura ſpeciali, quid de ſequentibus, ſeu de Suſcitatione noviſſima mortuorum & Judicio Univerſali dicendum eſt aliud, quam illos potiſſimum & principaliter referendos eſſe ad Chriſtum ſecundum Deitatem ſuam? Et quod ad Identitatem Dextræ Dei Patris & Filii attinet, hæc quidem obſtaret quadantenus adverſus Deitatem Chriſti in hac ejus Seſſione ſpectandam, ſi de Dextra Dei Triunius heic ageretur οὐσιωδῶς; minime vero, quando Dextra Dei Patris ὑποστατικῶς heic intelligitur, à quo Perſonaliter ut Filius & Mediator etiam conſtitutus ipſe cum Dextra ſua ſatis eſt diſtinctus. Si valeret ergo iſta interpretatio Dextræ Dei in hoc argumento, nihil hinc aliud ſequeretur, quam Chriſtum Θεάνθρωπον eſſe juxta Dei Dextram Ubique Præſentem; non autem id Humanæ Naturæ pariter ac Diviñæ reſpectu verum eſſet, ſed ſufficeret conveniens Humanitati Manſio apud Dei Dextram.

Et obſervatur, Seſſionem illam ad Dextram non involvere Præ-

V. Hoc deinde probe obſervari debet, quod Seſſio Chriſti ad Dextram Dei Patris minime involvat Præſentiam Localem Ubicunque ſit illa Dextra Dei, ſed ſufficiat phraſios hujus reſpectu, ſi alicubi ſit cum illa Dei Dextra eadem arcte uni-

unitus. Quod ſimilitudine Urbium & Regionum ad Fluvios aut ad Mare ſitorum dudum illuſtrarunt noſtri Theologi; quæ ſcilicet propter iſtam ſuam conjunctionem, etiam proximam, non circumeunt aut alluunt terras omnes, ad quas progrediuntur fluvii ipſi vel protenditur mare. Quin & Conſiliarii & Senatores meritò dicentur aſſidere Regis Lateri, etiamſi hoc non fiat ubique quorſum Rex ſe confert. Ut non dicam modo de ipſis Piis & Fidelibus, qui Deo Omnipræſenti ſemper arctiſſime multis modis juncti ſunt in gratia, attamen ipſi non fiunt per hoc omnipræſentes. Quod ſi putes, hinc ſequi aliquam Separationem Chriſti à Deo, qui nempe ſit etiam ubi non ſit Chriſtus; neganda eſt illa conſequentia, quoniam Deus ubicunque eſt totus eſt, nec multiplicatur ejus Eſſentia aut Perfectio per omnipræſentiam ejus. Neque efficere debet Unio arcta aliquam Confuſionem, aut Communicationem Proprietatum, quarum una non magis communicabilis eſt quam altera, Omnipræſentia & Omnipotentia ſcilicet præ Independentia & Immutabilitate abſoluta.

ſentiam Ubicunque eſt ea Dextra.

VI. Tertium iſtud minime prætermitti poteſt, quod nullam heic conſiderationem mereatur notio *Dextræ Dei* illa, per quam Potentiam ejus Omnipræſentem declarat, ſed ſpectari illa debeat in phraſi integra *Sedendi* ad eandem, adeoque unice referatur ad Dextræ Decus & Æſtimationem potiſſimam præ Siniſtra, quæ ſic ſuo etiam modo cum Sedente ad illam communicatur, *coll. Gen.* XLVIII. 13. 14. 1 *Reg.* II. 12. *Pſal.* XLV. 10. *Matt.* XX. 21. 23. XXV. 33. 34. *&c.* Plane quemadmodum ſi dixerim, hunc aut illum claudere Regis Dextram, non jam ſpectare debeo ad Regis illius Potentiam, vel etiam ad Protenſionem manus ejus majorem aut minorem, ſed ad Decus illi à Rege favente collatum. Quod ut alia phraſi uſurpatæ de Dextra illuſtrem etiamnum, velim conferri illud Pauli *Gal.* II. 9. *Jacobum & Cephan & Joannem agnita gratia Paulo data dextras ſocietatis dediſſe Paulo & Barnabæ.* Ubi liquidiſſimum eſt, non ſpectari adeo ad Poteſtatem communicatam, quam ad Fraternitatem & Affectum huic convenientem, oppoſite ad indignam Rejectionem, vel etiam ad Poteſtatem ſuperiorem omnem, cui per mutuam Dextræ Dationem ſit renunciatum. Non oportet igitur Unam Dex-

Præcipue heic ſpectandam eſſe urgetur phraſin integram Sedendi ad Dextram, ſed non notionem Dextræ ſeliur.

træ vocem heic ſeparatim ſpectare, quæ per alias voces adjectas varie conſiderari poteſt, ſed ad phraſin integram attendere. Sicuti, ut alterius Membri humani varii uſus ſimilitudine illud adhuc illuſtrem, dicens, hunc aut illum hominem Os ſuum admoviſſe ad alterius labia vel genas, cum oſculando ſcilicet; nullo ſic modo ſpecto, aut ab aliis ſpectari volo, ad Oris flatum, aut loquelam, aut eſum, in quibus omnibus Os eſt organum quoque ordinatium, quam & iſta per admotionem illam communicarentur quadantenus.

Quin tandem non omittendum, quod Seſſio hæc ad Dextram in Cœlo ponatur.

VII. Quartum vero accedere tandem debet, quod Seſſio Chriſti ad Dextram Dei Patris referatur plane ad *Cœlum* Supremum, in quod Jeſus aſcendit; ἀνελήφθη εἰς τ οὐρανὸν, ᾗ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν ☧ θεοῦ, apud *Marcum*, τῇ δεξιᾷ ☧ θεοῦ ὑψωθεὶς, apud *Lucam*, ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ ☧ θεῦ, πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν, apud *Petrum*, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτῦ ἐν ἐπουρανίοις, τὰ ἄνω ὅ ὁ Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τῦ θεῦ καθήμενος, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τ μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνυ τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς, apud *Paulum* &c. In quibus locis manifeſta eſt oppoſitio adverſus alia loca omnia, & inprimis Terram antea à Chriſto calcatam, quam ille aſcendens dereliquit, uti antea ſuo loco vidimus; non quidem reſpectu Divinæ ſuæ Naturæ, cujus intuitu eſt ſemper cum Patre Omnipræſens; neque reſpectu manifeſtationis omnis gloriæ ipſius humanæ, quæ certe fit etiam per terras in erectione regni ipſius; ſed reſpectu Naturæ Humanæ, de qua heic diſputatur, quæque ex mortuis ſuſcitata & in cœlum tranſlata fuit, & ratione manifeſtationis Perſonalis Gloriæ Chriſti Divinæ, quæ major eſt in Cœlo Supremo quam alibi uſquam, perinde ut Dei ipſius Triunius. Ad quod argumentum Scripturarium addere licet & decet ipſam naturam Humanitatis Corporeæ; quæ ita ſuis limitibus anguſtis circumſcribitur undique, ut illi prorſus repugnet eſſe Ubique ubi eſt potentiſſima Dei Dextra per Cœlum omne & Terram, ſive reſpectu Partium variarum quæ ſimul non conſtituunt tam diffuſam molem, ſive reſpectu Totius & Partium omnium, quod ad Ubiquitatem veram requireretur omnino; quæque propter ſuam Extenſionem ſolidam nec alia Corpora ejuſdem naturæ corporeæ penetrare poteſt, ut non intra poros ſolos ſed & ipſam corporum molem contineatur.

VIII.

VIII. Sed in illa disputatione, quam prorsus prætermittere non potuimus, non lubet diutius heic hærere. Transimus potius ad quorundam aliorum glossas, quæ quidem spectant suo modo ad Dextræ excellentiorem præ siniſtra Dignitatem, sed simul phrases in aliis dissimiliores cum Sessione ad Dextram temere confundunt; hinc levius eam quam decet exponentes, sive de Favore Dei singulari in Christum, sive de Glorificatione Cœlesti per eum. In quam rem conferuntur loca *Psal.* XVI. 8. *quoniam à Dextra mea*, Jehovah quem posui coram me jugiter, *non dimovebor*, *Psal.* CX. 5. *Dominus ad Dextram meam, confringet in die iræ suæ reges*, *Matt.* XXV. 33. *& constituet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à siniſtris*, *coll. Apoc.* III. 21. *vincenti dabo ei sedere mecum in throno meo, ut & ego vici, & consedi cum Patro meo in throno ejus &c.* Sed sciendum est, longe aliud esse, *Jehovam* esse *à dextra*, vel *ad dextram*, alterius, qui sic ipse à siniſtra Jehovæ constituitur, (quam phrasin de intima præsentia, directione, corroboratione, cooperatione, & defensione, exposuimus in illis *Psalmis* à nobis tractatis,) quam alterum esse, imo sedere, à dextra Jehovæ. Perinde magnum est discrimen constitutionis multorum judicandorum à Dextra Judicis tribunali suo insidentis ex ejus adverso, & quidem in oppositione ad alios plures siniſtræ ejus oppositos; & sessionis collateralis ad Dextram Regis in throno. Quin tandem diversitas facile agnoscitur, inter Sessionem qualemcunque Fidelium omnium cum Christo in throno ipsius, & Sessionem Christi prorsus singularem in throno Patris ad ejus Dextram, etiamsi hæc cum illa quadantenus comparetur. Post quæ omnia scimus etiam, quod Favorem Dei Patris singularem Christus jam sit expertus in ipso Exinanitionis statu, & quod ille fidelibus etiam recte tribuatur, tum heic, tum posthac, quando illi omnes certissime Regni Cœlestis hæreditatem obtinebunt; dum Sessio hæc adeo peculiaris est Christo uni, ut hinc dixerit Paulus *Hebr.* I. 13. *ad quem Angelorum dixit unquam, sede à dextris meis &c.*

Expositio Sessionis hujus apud alios de Favore Dei, vel Glorificatione Cœlesti.

IX. Plenius de Dextræ Dignitate cogitasse deprehenduntur, tum *Sociniani* complures, tum & *Papistæ* varii, qui in Sessione Christi ad eam repererunt ejus quandam Majestatem

Tracta eadem Sessio quoque ad Dignitatem

supra

Divina majorem à Socinianis & Papistis quibusdam.

supra ipsum Deum. Quam in rem scripsit Celebris inter Socinianos *Val. Smalcius Cap.* XIX. *de Div. J. Chr. Legimus quidem & scimus omnes, Jesum Christum sedere ad Dextram Dei, & magnum Sacerdotem esse super domum Dei, tempus fore quando etiam ipse Filius subjicietur illi qui ei omnia subdidit, denique Patrem neminem judicare, sed omne judicium Filio dedisse, ut omnes honorificent Filium sicut honorificeant Patrem. Sed quotusquisque est qui profunditatem & emphasin nimis magnam istorum verborum consideret? &c. Christum igitur sedere à dextra Dei non tantum est, illum potestate Divina præditum esse, sed ita illum ea præditum esse, ut quodammodo vices Dei ipsius gerat, ipsa phrasis natura docet. Christum super domum Dei esse magnum Sacerdotem non tantum significat, illum in domo Dei regenda omnia posse, sed solum esse qui omnia possit. Filium olim subjectum futurum qui sibi subjecit omnia, satis aperte etiam innuit, Filium absolute nunc regnare. Patrem denique neminem judicare, sed omne judicium Filio dedisse, tantam in se continet Christi potentiam, ut quoties ista verba considero toties mirabundus tantum non obstupescam, præsertim si considerem quod res est, Judicium eo in loco phrasi Hebraica significare Dominium & Gubernationem &c. Ita ut vi horum Verborum dici quodammodo possit, quod mirum omnibus accidere potest, Christum ab eo tempore quo ascendit in cœlos ita regnare in hoc mundo super populum suum, ut Pater Regno super eum se ipsum quodammodo privasse videatur. Quod tamen nos non simpliciter ut verba sonant intelligendum esse statuimus, sed ad vere Divinum suum Imperium quam disertissime exprimendum ita Jesum Christum locutum esse credimus, &c. Sed ita conjunctum est Christi regnum cum Dei regno, ut quoad Ecclesiam Dei vices gerere suo modo jure dici possit Jesus Christus, & quod improprie & in figura tantum de Josepho dictum fuerat, quod absque ipsius imperio nemo in omni terra Ægypti nec manum nec pedem movere potuerit, id proprie simul & re ipsa in Christo impletum est, &c.* Quando autem adversus ista objecit, *hac ratione aliquid Deo Patri detrahi*; monet *primum, non esse humani cerebri inventum, sed ex apertissimis sacrarum literarum locis depromptum oraculum*; deinde *tantum abesse, ut per hoc aliquid Dei Patris gloriæ detrahatur, ut id potius ad Summam Dei Gloriam spectet. Hinc enim apparere, Deum illum unum non tan-*

*tantum talem esse qui omnibus absolute imperet, verum etiam talem qui alium etiam talem efficere potuerit, qui nomine & vice Dei, potestatem tamen ab eo consecutus, absolute in Ecclesiam vel populum Dei dominium habeat &c.* Cum quibus glossis magnopere conveniunt, quæ in *Maldonato Cel. Jesuita ad Psal.* cx. 1. notarunt dudum; *Dextram non solum significare Christum æqualem Patri, sed etiam majorem, administratione scilicet regni, non autem re ipsa.* Quod vocat equidem *monstrosum paradoxon* Ven. Avus noster *Joh. Cloppenburgius*, cujus respectu *pudorem in Jesuita requirit*; merito tamen addens, *quandoquidem consentit ille de Filii Æqualitate in Unitate Essentiæ Divinæ, pudendum multo magis censendum præsens Paradoxon Smalcii, quod supponit, Personæ quæ natura Homo est, non Deus, Deum unicum illum qui natura Deus est cessisse gloriam suam, & locum sibi in Ecclesia debitum, ut loco suo nunc absolute regnet Christus occupata ipsius dextera*; & hanc ab ipso *subdole vocari tantam Dei Magnificentiam, & Jesu Christi Exaltationem, intelligendo* scil. *magnificam Dei manificentiam, qua ad Christi hominis exaltationem se vere humiliavit Deus &c.* Enimvero, uti Filius non potest extolli supra Patrem, ita minime nuda Creatura supra Creatorem, sive re ipsa, sive externa aliqua specie vel apparentia. Quemadmodum neque apud Deum respectu Christi heic locum habere possunt mores humani, plurimum simulati, per quos Extraneis aut Hospitibus quin & Mulieribus Uxoribus imò Filiabus dignior locus cedi solet, licet indigniores sint ipsi re ipsa & in cedentium virorum oculis. Et quod ad loca attinet collata à *Smalcio*, sunt illa omnino satis aliena; quando *Magnus Sacerdos super domum Dei*, nequaquam Christum ponit superiorem Deo in cujus domo est ille Sacerdos, sed potius & magis ipsum Deo subjicere videtur, exemplo Pontificis veteris; quando *Filius Patri subjiciendus* olim, hoc ipso nunc supra Patrem non ponitur exaltatus, sed tantum nos ducit ad solenniorem demonstrationem Subjectionis Filii sub Patrem, quam Paulus ipse arguit heic jam antecedenter quoque obtinuisse *vers.* 27. 28. ὅταν δὲ εἴπε, ὅτι πάντα ὑποτέτακται, δῆλον ὅτι ἐκτὸς τοῦ ὑποτάξαντος αὐτῷ τὰ πάντα, ὅταν δὲ ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα, τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα, ἵνα

ἢ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι; quando denique *Judicium omne Filio datum*, ſi vel Dominium omne in eo intellexeris, non exuit Patrem iſthac ſua gloria ullatenus, ſed ponit hunc ut Judicantem in Filio & per Filium ſecundum Oeconomiam Triunius Dei ſapientiſſimam. Quo pacto etiam ad Chriſti ſolius Regnum abſolutum, in oppoſitione ad illud Dei, trahi apte poſſit illius Seſſio ad hujus Dextram, neutiquam video; quando hi duo utique ut ſimul juxta ſe invicem Sedentes ſic conderari debent.

Ad quam evitandam felicius Siniſtram præ Dextra Honoratam fuiſſe olim, quidam urſerunt.

X. Interim manere videtur illud dubium præcipuum, quomodo non ut dignior & honoratior ſit ſpectandus Chriſtus in Seſſione ejus ad Dextram Dei, ſiquidem Dextra excellit præ ſiniſtra, etiam in Aſſeſſione ad illam. Hoc vero tam magnum viſum eſt nonnullis, ut inculcaverint hac occaſione, Siniſtram olim præ Dextra fuiſſe æſtimatam, atque ſic Dextram heic ut viliorem quoque eſſe ſpectandam. Tanquam opinionis hujus ſeu Autor ſeu Patronus præcipuus laudari ſolet *Antonius Nebriſſenſis Quinquag. Cap.* XXXIX. qui poſt motam hanc difficultatem, memoratamque aliorum expoſitionem *à dextris*, per *in bonis potioribus*, quam *certe nimis violentam atque male cohærentem* dicit, ſubjicit; *Ego vero cum hanc Ordinis Sedendi indignitatem mecum ſæpius reputarem, ſubiit mihi quædam ſuſpicio, alium fuiſſe apud Antiquos ſedendi ordinem quam qui ſit noſtris temporibus, ut videl. qui ſederet ad ſiniſtram eſſet potior eo qui ſederet ad dextram. Id quod poſtea multis argumentis fuit mihi exploratum atque compertum.* Quando multa ex Poëtis Latinis adducit, ut probet ſatellites potentiorum *laterones* ſive *latrones* fuiſſe dictos, quia *tegerent, clauderent*, aut *cingerent latus*; atque *exteriores* appellatos hos ad dextram euntes aliorum, ſed *interiores* illos qui erant ad horum ſiniſtram, tanquam locum præſtantiorem Dominorum; quæ ſatis ſunt obſcura & aliena. *Eſt præterea*, inquit, *non contemnenda quædam ratio ſumpta ex eo quod legimus, Paulum Apoſtolum datum comitem ad dexteram Petri; quod in illorum Imaginibus diſponendis pictores obſervant, & in diplomatis Pontificum ſigillo munitis animadvertimus, ut Paulus ſemper ſit Petro dexter. Nunquid tanquam in potiori loco? Abſit ut Apoſtolorum Principi alter quis præferatur. Nam quid ſibi*

*vult*

*vult gladius ille quem Paulus habet ſtrictum, niſi quod eſt Petri comes, ſtipator, atque ſatelles? Hujus antiquitatis ignarus Thomas in illud Apoſtoli ad Gal. 1. qui ſuſcitavit eum à mortuis, commentum illud oppoſuit; quia præſens vita ſignificatur per Siniſtram, futura vero per Dexteram, in quantum iſta eſt cœleſtis & ſpiritualis, illa vero temporalis, ideo Petrus, quia vocatus à Chriſto adhuc in carne mortali poſito, ponitur in Bulla Papæ in Siniſtra parte, Paullus vero, quia vocatus a Chriſto jam glorificato, ponitur in Dextra parte &c.* Poſt quæ ille tamen plane contrarium concludere deprehenditur ipſe; *Nos vero ex iis quæ in ſuperioribus dicta ſunt reſpondemus, quod aut Pater ſedet in throno Majeſtatis ſuæ, & ita jubet Filium ſibi à dextris, i.e. in ſecundo loco ſedere, aut præſtat ſe Filio tanquam ſtipatorem protectoremque, ipſumque reponit in primo h. e. in tutiori loco &c.* Interim illud εὑρημα de Siniſtra Honorata præ Dextra non diſplicet Pontificiis ſcriptoribus, ad tuendum Petri Principatum, etiam Cardinalibus *Baronio* & ſimiliter *Bellarmino Lib. III. de Incarn. Cap.* 15. Ubi ad probationem rei & ipſe adducit *Sigilla Plumbea Pontificum, & multas antiquas picturas*, in quibus *Petrus ponitur à ſiniſtris*, dum *Lib. 1. de Rom. Pontif. Cap.* 27. inculcat primum illud de Bullis & Imaginibus non eſſe perpetuum, & ſpectare ad *Extraordinariam Pauli dignitatem*, antequam ad *Ant. Nebriſſenſis* cogitata ſe convertit, conferens ad iſta ex *Euſebio Lib. 1. de Vita Conſt.* exemplum *Conſtantini Adoleſcentis*, qui obiens provinciam cum ſeniore Auguſto ſemper ad hujus dextram inceſſerit. Quando amplius varie diſſerit; de Dextra Honoratiori in ſedibus recto ordine collocatis; de Paulo ſic ad Dextram Petri olim collocato, ut eum præcedat & fermè totum tegat, quod ſit argumentum obſequii in Paulo & dignitatis in Petro, quod deinde ex imperitia non obſervatum fuerit; & de Honore hoc Paulo habito, quoniam Eccleſiæ præ Petro profuerit, & Gentiles Judæis in Eccleſia Chriſtiana ſint præpoſiti, & Paulus à Chriſto immortali vocatus, & Benjamin ex quo Paulus Dextræ Filius à patre dictus, & à Joſepho omnibus fatribus antepoſitus. Quæ quam ſint complura vana & inania, ſponte liquet, & ſimul inter ſe minus cohærent.

XI. Ex adverſo pro Dextræ Dignitate majori in Seſſione merito Quod non eſſe admi-

tendum monſtratur, ſed aliter tollendum eſſe dubium motum.

merito laudatur, ab ipſo *Bellarmino*, tum *Ambroſius Serm.* LXI. *de Beat.* tum *Hieronymus in Eph.* 1. Et quicquid fuerit de hodiernis *Turcarum* aut aliorum quorundam *Orientalium* moribus, minus ſolidam deprehendimus heic prolixam diſputationem *Joh. Goropii Becani*, quam ille contra *Turnebum & Lambinum* inſtituit, pro Siniſtræ æſtimatione majori apud Romanos Veteres, *Lib. III. Hierogl.* quamque *in Sacris* inculcat *Baronius ad A.* 213. §. 6. *& ad A.* 321. §. 59. Dum ineptiſſime hic inculcat ſimul, *apud Hebreos partem dexteram potiorem fuiſſe, ſed Divino plane conſilio, per Patriarcham Jacob in benedictionibus Ephraim & Manaſſes propalato, mutatas eſſe vices rerum & ordinem, ut ſiniſtra dextræ præferretur. Quod quidem, tum ob myſterium eo Symbolo conſignatum, tum ob inolitam illam apud Gentes conſuetudinem, Dei Eccleſia majori ex parte ex Gentibus aggregata diu uſu retinuit, nimirum ut in publico Patrum conſeſſu qui dignitate cæteris antecellerent in Siniſtra parte conſiderent, &c.* Quid enim ille de Hebræis hac in parte novit ante Jacobi factum? quod ipſi eſt utique adverſiſſimum, dum manus dextra heic impoſita fertur contra Joſephi votum illi cui major contingeret benedictio. Et nihil certius eſt, quam in Scriptura Veteris & Novi Teſt. quæ heic unice attendenda venit, conſtanter Dextræ agilioris & robuſtioris Excellentiam præ ſiniſtra poni vel ſupponi, etiam in Metaphorico vocis uſu, inde ab antiquiſſima illa Jacobi benedicentis hiſtoria *Gen.* XLVIII. 13. 14. quam ille ipſe ad majorem benedictionem Ephrajimi præ Menaſſeh primogenito retulit *verſ.* 19. *vere frater ejus parvus magnus erit præ ipſo, & ſemen ejus erit plenitudo gentium &c. poſuitque Ephrajim ante Manaſſeh.* Hinc enim eſt, quod ubique Dextra nominatur ante ſiniſtram, tum hominum, *coll. Gen.* XLIII. 9. XXIV. 49. *Exod.* XIV. 22. *Num.* XX. 19. *Jon.* IV. 11. *&c.* tum Dei, *coll.* 1 *Reg.* XXII. 19. *Matt.* XXV. 23. 24. *&c.* quodque totiens Deo Dextra præ Siniſtra tribuitur, quin & Satan ad *Dextram* conſtituitur ſubjectorum ſuorum *Pſal.* CIX. 6. nec non à ſe impetitorum ad ſubjectionem *Zach.* III. 1. quibus tamen locis ſpecialis quoque reſpectus ad Judicii formam antiquam obſervari ſolet ab Interpretibus. Et eſt ex eadem Dextræ excellentia, quod cor ſapientis *ad dextram* eſſe fertur *Eccl.* X. 2.

quod-

quodque Salomo insidens throno Matri Bathsebæ sedem collocavit *ad dextram suam*, ad eam honorandam præ aliis ad sinistram constitutis vel constituendis proximo loco 1 *Reg.* 11. 19. prout & hinc est, quod Mater Filiorum Zebedæi Sessionem horum *à Dextris* Christi petiit, juxta quidem sed tamen ante illam à sinistris *Matt.* xx. 20. 21. imo quod Sponsa Regina collocatur *ad dextram Sponsi* præ aliis Regum filiis & quibuscunque *Psal.* xlv. 10. uti res ipsa loquitur. Per quorum locorum collationem cum appareat liquidissime, honorem Dextræ majorem esse agnoscendum, cum respectu & comparatione tamen nulla ad ipsum Regem, sed unice ad eos qui ab opposita hujus sinistra locum suum habent aut habere possent, dum & per locum medium quem hic tenet, & per elevationem ejus aut exornationem majorem, hic ipse suam sic satis tuetur dignitatem, nihil equidem ex Sessione Christi ad Dextram Dei Patris pro illius supra hunc dignitate colliges solide.

XII. Enimvero, cum Sessio ad Dextram ad eundem videatur cum Deo Patre Thronum referre Christum, multi ab ævo eam se satis exposuisse declarant per hujus Æqualem cum eo Majestatem, Gloriam, & Potestatem Imperii. Quæ Christo nequit denegari, attamen ita simpliciter nominata heic minus sufficit ad rei intellectum satis plenum & distinctum. Et quidem propter rationem plus quam unam. Nimirum quod eadem Æqualitas cum Patre non minus Spiritui S. quam Filio conveniat; quod eadem Filio semper competierit, etiam ante Ascensionem, quin & Incarnationem; quod in ejusdem societatem vel partem nullam veniat Natura Humana; imo quod sic manere videatur illud dubium de Dextra heic nominata præ sinistra. Quorsum spectant illa *Ven. Cloppenburgii*; *Enimvero nec præcisè nec directe Sessio Christi ad Dextram significat esse ἴσα θεῷ æqualem cum Deo &c. Si enim directe Sessio ad Dextram significaret esse Æqualem cum Deo, cogeremur dicere cum Thoma Aquinate, & Maldonato, & Brentio, Christum ab æterno sedisse ad Dexteram Patris, & Christum etiam secundum naturam humanam sedisse ad Dextram Dei, quam primum Verbum Caro factum est, item Spiritum S. posse propriè dici sedere ad Dexteram Dei Patris & Filii, &c.*

Sessio illa quo modo ab aliis referatur simpliciter ad Æqualitatem Gloriæ & Potestatis cum Patre; addita inepta etiam hypothesi de Sceptro quasi communi cum eo qui tenenti ad Dextram sedet.

Nec possum heic ego laudare cogitata satis otiosa & ludicra *Cl. Vitringæ*, prout hæc ex *Lib. II. Observ. Sacr. Cap.* 4. descripsimus etiam cum censura nostra *EXERC. TEXT. XLIX. Parte VI. ad Hebr.* XII. 2. Per quæ nos ille ducit quidem ad *summam gloriam illam Christi Mediatoris, qui ipse à Patre assumptus est in communionem Regni, id enim hanc phrasin significare apud eos qui verum amant in confesso esse debet*; sed simul vult, nec insignem honorem notari quem Pater habuerit Filio, cum respectu ad vulgarem Sessionem ad Dextram, nec Honorem Paterno Proximum, cum respectu ad Consuetudinem Regum orientis, verum *Communicationem Regni & Imperii Eandam & Æqualem cum Patre*. In quam rem urget, *sedere* idem esse cum *Regnare*, quod ergo Christo tributum, sit regnare cum Patre; atque *ad dextram* hactenus à nemine rite intellectum vel explicatum, *ita clare se explicaturum* dicit, *ut ne minimus amplius dubitandi scrupulus superst*, & non esse heic *ullum respectum ad id quod vulgo fieri inter homines consuevit, vel aliud aliquid quod vulgo solet allegari, ut quoddam honoris insigne, sed hoc totum μυστήριον esse quod hac in phrasi latet, quod cum difficile non sit, mirari libet Interpretes clarius non expressisse.* Ergo *Dextra Dei* consideranda est ut *Gerens Sceptrum, Regiæ Dignitatis Insigne*; & quando aliquis *sedet à Dextra Sceptrum* tenentis, *Sceptrum illud inter utrumque medium est, h. e. inter latus dextrum illius qui Sceptrum tenet & sinistrum illius qui tenenti assidet, ita ut ille, qui claudit latus Dextram tenentis Sceptrum, eandem plane videatur habere proportionem & respectum ad Sceptrum quam is habet qui manu sua Dextra Sceptrum tenet. Hæc vero Sceptri quasi Divisio & Communicatio inter eum qui tenet Sceptrum, & tenenti à Dextris sedet, significat quam evidentissime Communicationem Regni, Potestatis, Imperii, ejusque Insignium; qui enim factus est Sceptri particeps, idem particeps est Imperii & potestatis, quorum emblema Sceptrum est. Hæc vero*, inquit, *tota vis & ἐνέργεια est Φορᾶς* Sessionis *ad Dextram, quam etiam & in aliis Scripturæ locis, & in Christo nihil aliud significare, mox abundantissime sumus ostensuri.* Dum *is qui ad sinistram sedet longius à Sceptro abest, neque ullam cum Sceptro videtur habere communionem, quæ in hac Φορᾷ unice spectatur*; ast *Sessio ad Dextram Regis nec majorem nec minorem honorem, sed Pa-*

*rem*

*rem & Æqualem notat Poteſtatem Dignitatemque &c.* Ad cujus rei probationem laudatur tum Factum Salomonis in Bathſebam; collata hiſtoria Eſteræ Sceptrum Regium tangentis, & Filiæ Herodiadis, & Matris filiorum Zebedæ, ubi Siniſtra accedat tanquam poſt Dextram proxima rurſus Sceptro, & reſpectus adſit ad Principem Synedrii cum Patre Domus Judicii & Sapientibus reliquis, juxta textus *Pſal.* XVI. 8. *Deut.* XXXIII. 2. *Zach.* XIII. 7. *&c.* & communicationem Fidelium cum Regno Chriſti ad hujus Dextram collocatorum, quin & factum Neronis in Tiridatem quem juxta ſe latere Dextro collocavit apud *Suetonium &c.* Sed nulla ab ipſo tentatur probatio; vel quod adſcitus in Regni Societatem ab Adſcilcente ad Dextram fuerit collocatus; vel quod Seſſio ſola ſecundum Dextram tenentis Sceptrum absque Sceptro propria manu geſto ſuffecerit ad veram Regiæ Poteſtatis communicationem ſignificandam; quo magis Rex Sceptrum tenens facilius cogitatur illud coram ſuo corpore verſus Siniſtram ſuam tenere, quam de ſe verſus Dextram & huic aſſidentem alterum. Ut ſic vere tam à ratione omni, quam à Praxi Regia, inventum hoc magnum aberret totum. Neque unquam Salomon Bathſebam fecit Sociam Regni; neque ſors ea, aut ritus iſte ad eam ſignificandam, contigit, vel Eſteræ, vel Filiæ Herodiadis, vel petita fuit hoc modo à Matre filiorum Zebedæi; neque reſpectus ad Seſſionem Principis & Patris Domus Judicii & Synedrorum aliorum eſt ſatis certus, vel aptus ad rem præſentem, ob communicationem Principatus heic minime factam. Et alieniſſima ſunt porro loca omnia Scripturæ adducta, æque quam Honor Tiridati a Nerone exhibitus, qui eum certe minime ſecum ad Imperii ſocietatem per illum honorem evexit. Adeo nihil in operoſa illa Diſſertatione heic eſt ſolidi vel veriſimilis, quidquid Vir Doctus ſibi in ea magnopere complacuerit.

XIII. An igitur huc tandem veniendum eſt, ut ad Honorem non quidem Deo per omnia Æqualem, ſed Deo proximum & ſubordinatum, heic agnoſcendum concedamus. Id video ab aliquibus fieri, dum ab aliis negatur faciendum, cum reſpectu, vel ad alteram Naturam Chriſti Humanam, vel ad Minoritatem realem Perſonæ quam Divinam. Quemad-

Proximus Deo Patri Honor heic ſpectandus, non tamen Minor quam Divinus.

admodum ſcripſit *Jac. Altingius* inter alios; *Hæc porro Gloria & Felicitas, licet maxima & excedens omnem creaturæ Gloriam & beatitudinem poſſibilem, attamen Minor Divina, huic quidem proxima, tamen neutiquam Æqualis: uti enim Seſſio ad Dextram Regis proximum à Rege honorem indicat, ſic quoque per Seſſionem Chriſti ad Dexteram Patris proximus à Patre Honor & Dignitas ſignificatur.* Nempe non poteſt ob ſummam Filii cum Patre Unitatem non obtinere heic apud utrumque idem plane Honor ſummus ſeu vere Divinus, ſecundum illud Chriſti ipſius *Joh.* v. 27. *ut omnes honorent Filium ſicut honorant Patrem, qui non honorat Filium neque honorat Patrem qui ipſum miſit, &c.* Atque illa Honoris Æqualitas etiam declaratur per ejusdem Throni inſeſſionem, uti & Judicii Dationem Filio factam huc refert Chriſtus *verſ.* 22. Et hactenus nequit Sedens ad Dextram Dei Chriſtus Inferior ſtatui Deo ſine magna abſurditate. Sed hoc minime obſtat, quo minus Seſſio illius ad Dextram Dei Patris involvat Minoritatem veram Perſonæ, in altera Natura Humana ab ipſo Aſſumpta quæ nunquam poteſt aut debet à nobis Deificari; quin & Minoritatem aliquam, tum Voluntariam reſpectu Muneris quod etiam ſecundum Deitatem ſuam gerit exſequens opus ſalutis humanæ quod ipſi Pater demandavit, tum & Perſonalem, certe Ordinis, ſecundum quem Chriſtus ut Filius eſt Perſona Deitatis Secunda poſt Patrem ut primam, cui hinc ut tali omnis rerum diſpoſitio tribuitur prima; quocunque demum reſpectu Chriſtus alias ſuam cum Patre Æqualitatem prædicans dixerit de ſe *Joh.* XIV. 28. ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστί, *quoniam Pater major me eſt*, ſine reſtrictione utique veriſimili ad Exinanitionis ſuæ tempus. Quam rem ut tanto certius admittas, annon oportet agnoſcere, Honorem omnem Mediatoris, ſeu Prophetici, Sacerdotalis, & Regii, Muneris, eſſe prorſus Summum & Divinum, qui nempe non conveniat Non Deo, ſed ponat vel ſupponat hunc qui illum accipit eſſe verum Deum? Sed annon ſimul agnoſcendum eſt, involvi alteram Naturam Humanam, & Subordinationem Perſonæ in iſthoc Munere, atque in ſubſiſtendi Modo peculiari, ſecundum quas conſiderationes Honor ille Minor dici poteſt & debet illo Dei Patris, à quo

geni-

genitus, Mediator conſtitutus, & in mundum miſſus eſt per Incarnationem? Utique ſicuti conferens Majeſtatem abſque ſui læſione vel imminutione diſtinguitur ab eo in quem illam confert; ita collocans ad Dextram ſuam Deus Pater merito diſtinguetur à collocato illic Chriſto Filio, etiam reſpectu Dignitatis, ex parte quidem Æqualis, ſed & ex parte ſecundum modo dicta Majoris & Minoris.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM.

### *Quo verus Senſus Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Patris poſitive declaratur.*

UT tandem nunc tradamus id, quod tenetur heic vere riteque & tenendum eſt decenter à Chriſtianis, de Domini ſui *Seſſione ad Dei Dextram*, ſpectare in illa oportet Gloriam Majeſtatemque ſummam, quam in illum ut Θεάνθρωπον poſt exinanitionem ejus in ipſa Aſcenſione Cœleſti contulit palam Deus, tum ſecundum Perſonam ſuam convenienter Utrique Naturæ, tum reſpectu Declarationis & Agnitionis ejus realis apud alios, tam Angelos, quam maxime Homines, Cœleſtes & Terreſtres, Amicos & Inimicos, diverſiſſimo licet modo factæ. Poſitiva Deſcriptio brevis Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei.

II. Ad quam *Metaphoricæ* hujus phraſios interpretationem nos ducit, tum hujus ipſius conſideratio decens, tum ejusdem collatio cum aliis heic in Scriptura adhibitis ad declarationem ejus planiorem. Quod ad *Phraſin* ipſam attinet, nihil clarius eſt, quam hanc ab Uſu Humanano eſſe petitam; non in itione vel ſtatione hac aut illa, quæ ob varias rationes inter duos aut plures poteſt vario ordine inſtitui, ſed in Seſſione Duorum aut plurium etiam reſpectu ſui invicem; non privatorum hominum, ſed in Dignitate præ aliis conſtitutorum; non privata aut minus ſolenni, quæ & ipſa admodum arbitraria eſſe ſolet, ſed publica magis & ſolenniſſima, in qua ad decus & ordinem mutuum curatiſſime attendi ſolet, tum ab ipſis ſimul ſedentibus, tum ab aliis attendentibus ad Ad cujus veritatem agnoſcendam ducit Ritus humanus, unde Phraſis illa petita eſt.

illam tanquam ſymbolicam. Qualis Seſſio locum habebat ſcilicet ſecundum *Talmudicos* in Synedriis Judæorum, & Minori Virorum Viginti ac Trium, & potiſſimum Majori LXX Virali, (de cujus *Originibus* diximus olim *EXERC. TEXT. XII. Parte V.*) reſpectu *Principis*, tanquam Præſidis ſummi, & *Patris Domus Judicii*, tanquam ſecundi & Vice-Præſidis, ac reliquorum Sapientum Synedrorum à Dextris & ſiniſtris hinc & inde collocatorum. Et qualis ſimiliter eſt & fuit ſatis conſtans ab ævo Conſeſſus Regum & Principum ſupremorum cum aliis Propinquis, Conſiliariis, & Miniſtris ſuis, in ſplendidis ipſorum Thronis; ſive ad Judicium habendum, ſive ad Conſtitutiones ſuas declarandas, ſive ad Majeſtatem ſuam illuſtriori modo & ſolennius demonſtrandam ſubjectis ſuis. Heic nempe Medium locum, per ſe ſatis diſtinctum, etiam Celſitudine & Apparatu ſuo magnificentiſſimo, ſive hunc ipſum Thronum dixeris ſive Throni amplioris Partem digniſſimam, tenet ipſe Rex, qui eo ipſo loco occupato æque quam Diadematis ſuper caput & Sceptri in manu ſua geſtati inſignibus, ſe quis & quantus ſit præ aliis oſtendit. Heic deinde qui Regi proximus eſt præ aliis omnibus, illi proxime etiam præ iis aſſidet; & quidem ad Dexteram illius tanquam digniorem præ ſiniſtra, reliquis ordine ſuo hinc & inde ſedentibus vel etiam ſtantibus pro conditionis ſuæ varietate ſingulis. Ad qualem ex parte Dei conſpectum in Majeſtate ſua nos etiam ducimur per Viſionem quæ Michæ obtigiſſe fertur 1 *Reg.* XXII. 19. *Vidi Jehovam ſedentem ſuper Throno ſuo & exercitum omnem cœlorum ſtantem apud illum à Dextra illius & a ſiniſtra illius*; ut de aliis *Jeſaiæ*, *Ezechielis*, *Danielis*, & *Zachariæ*, viſionibus qualicunque modo conferendis, nihil nunc dicam. Ille autem qui proximo & digniſſimo apud Regem loco ſic collocatus eſt & conſidet, non tantum vere Eſt huic Proximus in Regno, qualis ille eſt & manet etiam illic non ſedens, nec ſolenniter ornatus; ſed & proximus eſſe Declaratur palam per illam in eo loco Seſſionem æque quam per Ornatum omnem huic convenientem; quin & ſecundum eam declarationem pro proximo Regi Agnoſcitur ab omnibus intuentibus, amicis & inimicis, licet ab his cum pari invidia & metu. In quam

rem

rem putamus ab ævo non male collatam hiſtoriam Joſephi à Pharaone ampliſſime honorati coram & præ omnibus, ex *Gen.* XLI. 39. 44. *Poſtquam Deus te ſcire fecit hoc omne, non eſt intelligens & ſapiens ſicut tu, tu eris ſuper domum meam, & ſuper os tuum oſculabitur omnis populus meus, tantum throno hoc magnus ero præ te, vide dedi te ſuper omnem terram Ægypti. Abſtulitque annulum ſuum Pharaoh de ſuper manu ſua, & dedit illum ſuper manum Joſephi, ac induit eum veſtibus byſſi, & poſuit torquem auri ſuper collum ejus, & vehi fecit eum in curru ſuo ſecundo, clamabantque coram illo Abrech, & dedit eum ſuper omnem terram Ægypti. Et dixit Pharaoh ad Joſephum, ego Pharaoh, & ſine te non attollet vir manum ſuam aut pedem ſuum in omni terra Ægypti.* Quando jam nobis proponitur Deus ut dimiſſum quaſi antea de throno cœleſti & ex ſinu ſuo Filium, imo hunc ignominiæ omni terreſtri & morti ipſi ac ſepulchro traditum, atque ſic veluti abdicatum, non modo per Reſurrectionem in vitam reſtituens, atque per Aſcenſionem in aulam ſuam revocans, ſed & per Seſſionem hanc in throno ſuo proxime ad Dextram ſuam collocans; quid aliud cogites, quam iſtam à nobis dictam Gloriam Majeſtatemque ſupremam & vere Divinam Perſonæ ipſius? Et hanc quidem ut non modo ſimpliciter illi Tributam, ſed & Monſtratam ac Declaratam, coram omni oculo, quin & Agnitam hinc ſimul ab omni intuente.

III. Quod ſolum argumentum ab emblematici Symboli Uſu humano petitum cum heic ſufficere poſſet, Euangelium addidit aliud invictum, per alias phraſes ſubſtitutas ad prioris illius declarationem uberiorem. Quam in rem præclariſſimus eſt locus *Eph.* 1. 20–22. Καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, &c. Scilicet *in Dextra ſua* à Deo ipſius & Patre gloriæ conſtitutus Dominus noſter Jeſus Chriſtus in cœleſtibus, eo ipſo evectus eſt *ſupra*, vel *longe ſupra*, non ſe ipſum, ſed *principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem omnem*, h. e. dignitatem quamvis creaturis conceſſam unquam aut uſ-

Nec non alia phraſis magis propria, quam Paulus ſubſtituit Eph. 1. 20–22.

quam, ſub quocunque illa nomine veniat; quæ ne ulla crederetur excluſa quod diſtincte nominata non eſſet, accedit, & *ſupra nomen*, dignitatis deſignativum, & ſplendidiſſimum, quod *non modo in ſeculo hoc ſed & futuro*, ſeu mundo, inferiori & ſuperiori vel cœleſti *Col.* 1. 16. *&c.* ſeu durationc, vel hujus mundi & futuræ æternitatis, vel Veteris forte & Novi Teſt. *nominatur*, ſeu eſt atque cognoſcitur & celebratur, *omne* absque diſcrimine vel exceptione ulla. Quæ tamen Evectio cum non ſit cum pari relatione ad omnes creaturas facta; hinc ab una parte, *omnia*, præter Eccleſiam nomina iſta habentia unquam aut uſquam, *ſub ejus*, ad Patris Dextram collocati, *pedibus eſſe* à *Deo ſubjecta*, *coll. Pſal.* VIII. 7. CX. 1. *&c.* ut illi ſubſint nec reſiſtere queant, tanquam inſtrumenta & adjumenta regni, vel etiam hoſtes devicti & conculcandi in ipſius ira, *coll. Pſal.* II. 9. *&c.* ſed ab altera parte *Eccleſiæ*, ſuæ electæ, *quæ eſt corpus ejus*, myſticum, *& implementum implentis omnia in omnibus* ſimili ratione, ſeu paſſive ſeu active, *in caput ſupra omnia*, ſupremum & univerſale, ipſe idem *datus* fertur, quod nempe glorioſum ipſum in hanc influeret gratia ſua potentiſſima fovente regente & conſervante. Ex quibus breviſſime dictis apparet, non eſſe ut de Diſcrimine Nominum illorum quatuor heic quidquam dicamus, vel de reſpectu eorum ad Angelos aut Homines diſputemus. Abſolute enim Deo collocanti ſedet proximus, & ſecundum Seſſionem hanc eſt & ſignificatur ipſius Gloria & Majeſtas ſuprema.

Quin & tertia qua ille uſus eſt Phil. 2. 9—11.

IV. Et amon æque clarus eſt in rem noſtram textus *Phil.* II. 9.–11. *Propterea & Deus illum ſuperexaltavit, & Nomen ſuper omne nomen gratificatus eſt illi, ut in Nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium terreſtrium & ſubterraneorum, & omnis lingua confiteatur quod Jeſus Chriſtus ſit Dominus ad gloriam Dei Patris.* De quo egimus latius *EXERC. TEXT. XLII. Parte VI.* Ubi nulla quidem fit mentio expreſſa *Seſſionis ad Dextram Dei*; attamen agitur de Gloria quam Pater in Filium contulit poſt Exinanitionem ſuperatam, quando illi Seſſio ad ejus Dextram tribuitur, ut alia phraſi idem certiſſime dicatur. Atque ubi non modo *Superexaltatio* abſolutè memoratur, ſed & *Nomen ſupra nomen omne* prorſus aliud, non Dei dantis ſed

Crea-

Creaturarum quarumcunque, ſeu Dignitas ſuprema, in ipſo Nomine Filii Dei, Proprii, Naturalis, Æterni, & Unigeniti, vere ſupremo comprehenſi, *coll. Hebr.* 1. 4. 5. *&c.* quod ipſi cum ſingulari beneficentia fuit conceſſum. Cum Conſequenti hoc & Fructu, ut cœleſtes terreſtres & ſubterraneæ creaturæ omnes illi ſe venerabundæ quaſi genibus flexis ſubmittant, & lingua ſua volentes vel nolentes confiteantur, Jeſum Chriſtum eſſe Dominum ſupremum Eccleſiæ & Mundi totius, ad Dei Patris illum conſtituentis & exaltantis gloriam. En ergo rurſus Honorem Supremum Exaltati Meſſiæ, Deo Patri proximum, quem ejus ad Dexiram Dei collocatio Cœleſtis ſignificat nobis.

V. Audiamus quin etiam Petrum 1 *Pet.* III. 22. *Qui eſt in Dextra Dei, profectus in cœlum, ſubjectis illi Angelis & Poteſtatibus & Virtutibus*, ipſis illis cœleſtibus. Ubi ille expreſſe nominatam Seſſionem hanc ad Dextram Dei cœleſtem declarat, per ſubjectionem creaturarum excellentiſſimarum, ſeu ſpirituum potentiſſimorum, unde aliæ creaturæ inferiores ſint ſcilicet facile ſatis æſtimandæ. Sed redeamus magis ad Paulum, ubi tamen Seſſionem hanc non expreſſit. Spectamus nempe ad locum *Hebr.* II. 7–9. ubi poſt adducta verba *Pſalmi* VIII. 6. 7. *feciſti illum paululum minorem Angelis, gloria & honore coronaſti illum, & conſtituiſti illum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſub pedibus ejus poſuiſti*, dixit ille; *In eo quod ſubjecit illi omnia nihil omiſit illi non ſubjectum.* (Uti etiam obſervat 1 *Cor.* XV. 27. *cum dicit autem omnia eſſe ſubjecta, palam eſt hoc eſſe præter ſubjicientem ei omnia.*) Quod licet necdum pleniſſime ſit impletum, ſed certa ratione hinc adhuc exſpectandum, *videmus Jeſum*, inquit tamen, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, *gloria ac honore coronatum.* En ergo rurſus *Coronam Gloriæ & Honoris*, cum *Conſtitutione ſuper opera manuum Dei, omniumque poſitione ſub illius pedibus*, exegetice ſubſtitutam pro ejus Collocatione ad Dei Patris Dextram! Et ad alterum perinde 1 *Cor.* XV. 25. Ubi, poſt futuram adhuc Abolitionem omnis Imperii omnisque Poteſtatis & Virtutis inimicæ à ſe tributam Chriſto cum manifeſto reſpectu ad Davidicam prædictionem Collocationis ad Dextram Dei, dicit Apoſtolus, δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρις οὗ θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς

Confertur & phraſis Petri, cum Dupliei adhuc textu Pauli.

ἐχθρὸς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, *oportet enim illum regnare, donec inimicos omnes posuerit sub pedibus illius.* Perinde uti Petrus *Act.* 11. 33—36. cum Jesum dixisset τῇ δεξιᾷ τοῦ θεοῦ ὑψωθέντα, τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβόντα, citatis mox verbis *Psalmi* cx. subjecit; Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτο πᾶς οἶκος ἰσραὴλ, ὅτι κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ θεὸς ἐποίησε, τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε. Quin & iterum *Act.* v. 30. 31. *Deus ille patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interfecistis suspendentes in ligno,* τοῦτον ὁ θεὸς ἀρχηγὸν καὶ σωτῆρα ὕψωσε τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, δοῦναι μετάνοιαν τῷ ἰσραὴλ καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Quibus ex locis omnibus & singulis hoc clarissimum est, ad Divinam Patrique proximam Gloriam Personæ θεανθρώπου & Regni ejus, declaratam atque agnitam, spectare omnino Sessionem ejus ad Dextram Dei Patris. Quod amplius, si ita placet, etiam discere potes ex Domini ipsius ore; ubi ille ad Discipulos in monte Galilææ dixit *Matt.* XXVIII. 18. *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, atque dein Johanni *Apoc.* I. 18. *ego sum primus ille & ultimus*, καὶ ὁ ζῶν, καὶ ἐγενόμην νεκρὸς, καὶ ἰδοὺ ζῶν εἰμὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμὴν, καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου, imo & Angelo Ecclesiæ Laodicensis suo nomine à Johanne scribi voluit *Apoc.* III. 21. ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου, ὡς κἀγὼ ἐνίκησα καὶ ἐκάθισα μετὰ τοῦ πατρός μου ἐν τῷ θρόνῳ αὐτοῦ.

Quali modo hæc Sessio tribuenda sit Personæ Divinæ ut tali.

VI. Post generaliorem hanc exegesin Sessionis Christi ad Dextram Dei, nihil est decentius, quam ut paulo distinctius adhuc pro imbecilli nostro captu in partibus suis hanc ejus *Gloriam*, uti ipse dixit *Luc.* XXIV. 26. vel *glorias* uti Petrus habet 1 *Petr.* I. 11. post passionem insecutas, contemplemur. Atque sic ante omnia heic reperimus, & agnoscendam certissime habemus, datam vel redditam ut sic loquamur illi tanquam Filio Dei vero & proprio secundum hanc naturam Gloriam omnem Divinam, quam quidem cum ipsa Natura illa per Generationem æternam acceperat nec unquam amiserat vere, attamen tectam magnopere habuerat in Exinanitione sua antecedente, sed dictis factisque nunc illi iterum tribuit Pater, secundum rogationem illam Christi ipsius *Joh.* XVII. 5. *nunc autem glorifica me tu Pater apud te ipsum ea Gloria quam habui antequam mundus esset apud te.* Et secundum illud

lud Pauli *Hebr.* 1. 3. 4. 5. *Conſedit ad Dextram magnitudinis in ſublimibus*, τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν ὄνομα, τίνι γὰρ εἶπέ ποτε τῶν ἀγγέλων, υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, καὶ πάλιν, ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα, καὶ αὐτὸς ἔσαι μοι εἰς υἱόν, ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην λέγει, καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ &c. Quibus convenienter legimus quoque Honorem Divinum ipſi juxta Patrem ab omni Angelorum multitudine tributum *Apoc.* v. 12. *Dignus eſt Agnus ille mactatus accipere potentiam, & divitias, & ſapientiam, & robur, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, dum & *verſ.* 13. illic occurrit *omnis creatura in cœlo & in terra & in mari quæ ſunt, & in eis omnia, dicentia, Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur, in ſecula ſeculorum &c.* Atque hactenus merito cum aliis ſcripſit *Ven. Cloppenburgius*; *Quoad Divinam Naturam, quia demum poſt Aſcenſionem in cœlos in ſuo fulgore plene enituit & illuſtriſſime patefacta eſt Divina Chriſti Majeſtas, quippe tunc demum plene diſcuſſa omni humilis & obſcuræ conditionis nube, quæ ante reſurrectionem obnubilaverat & quaſi velo contexerat Divinæ Majeſtatis gloriam. Quo referendum illud Chriſti poſtulatum Joh.* XVII. 5. *&c.*

VII. Deinde ad Humanam ejus Naturam venientes, celebrare debemus Gloriæ omnis, Gaudiique, & Majeſtatis, quæ ſecundum Animam & Corpus in Beatis cœlitibus obtinet, menſura & gradu ſingulis conceſſo ſufficientiſſimo ad eorum veram plenamque beatitatem, Amplitudinem; non quidem prorſus Infinitam cujus finita natura nulla capax eſt, ſed tamen longe maximam & abundantiſſimam nec comparandam cum illa aliorum cœlitum omnium. Ad quam ſatis apte referre licet illud *Pſal.* XLV. 8. *dilexiſti juſtitiam & odiſti improbitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ ſociis tuis*; prout certe ille, ſecundum Humanitatem vi Unionis Perſonalis & Muneris geſti, non minus in gloria excellere debuit, quam in gratia excelluerat adhuc exinanitus præ aliis, *coll. Col.* 1. 18. 19. καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, ὅς ἐστιν ἀρχὴ, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι. Nec poſſumus quin heic quoque laudemus *Ven.*

Et quomodo illi conveniat ſecundum Naturam Humanam.

*Avi Cloppenburgii dicta; Quoad Humanam naturam, ſummus Glorificationis apex conſiſtit in illa ſupra omnes creaturas Deo proxima Beatitudine, qua fruitur Chriſtus in ſumma excellentia perfectionis & gaudii animæ & corporis, quam Paulus vocat Imaginem Filii, cui conformes ſunt quos Deus juxta prædeſtinationis ſuæ propoſitum glorificaturus eſt Rom.* VIII. 29. *vocans Chriſtum ipſum primogenitum inter multos fratres. Huc etiam propriè, non autem ut vulgo fit etiam ad ſtatum Humiliationis in terris, referendum cenſemus oraculum illud Pſal.* XLV. 8. *Exaltationis enim oleum non ad gratiam in terris ſed gloriæ in cœlis Unctionem ſpectat, atque hoc flagitat tota Pſalmi ſeries, quippe in quo Chriſti Regis & Reginæ Eccleſiæ glorioſæ epithalamium canitur, adeoque prædicatur hilaris omnisque luctus expers matrimonii ſtatus, tanquam obedientiæ Sponſi in terris peractæ præmium. De quo ſuo pleno gaudio, comprehenſo in Seſſione ad Dextram Dei, gloriatur ipſe Pſal.* XVI. 11. *Perfectio Animæ Chriſti, ſumme excellens in Seſſione ad Dexteram quæ gaudii illius fons eſt, conſiſtit in Scientiæ & Potentiæ ad ſummum uſque gradum Amplificatione. Acceſſit hæc Integritati ac Rectitudini Intellectus & Voluntatis priſtinæ, quæ ab ipſo ortu fuit & manſit perfecta. Salva tamen manet Differentia ἀσύγχυτος inter illum Humanæ Chriſti Scientiæ ac Potentiæ gradum, quantumvis ſummum, non tamen abſolute infinitum neque independentem à Divina, & Omniſcientiæ & Omnipotentiæ attributa. Hæc enim non egrediuntur ſubjectum ſuum, naturam Divinam, cum qua per Simplicitatem Dei abſolutam unum ſunt, & naturæ Humanæ in Perſona Chriſti etium incommunicabilia. Perfectio Corporis Chriſti ſumme excellens, in Seſſione ad Dexteram ex illa manans, eſt ſummum Robur & Pulcritudo forma ac ſplendore eximia Pſal.* XLV. 2. *quæ etiam Synecdochice ſolet dici Gloria ipſius Luc.* IX. 26. *Joh.* XVII. 24. *Phil.* III. 21. *Quæ quidem Gloria indicatur prioribus locis oculis percipi potuiſſe, adeoque neceſſario fuit ſplendor corporis viſibilis. Atque juxta hanc analogiam Scriptura pronunciat, Seſſionem Chriſti ad Dexteram Dei & viſibilem futuram Matt.* XXVI. 34. *& viſam Stephano protomartyri Act.* VII. 55. 56. *Confirmat porro illam viſibilem Corporis Chriſti in cœlis gloriam præludium ejus & umbra illa, quæ olim interceſſit in ſtatu humili, quando facta eſt in monte ſancto corporis Chriſti*

*Trans-*

*Transfiguratio Matt.* XVII. 2. *& 2 Pet.* I. 20. *Huc quoque referendum, quod apud Johannem* I *Epiſt.* III. 2. *legitur, videbimus eum ſicuti eſt, quod ut ad Deitatem ipſam referatur non patitur Spiritualis & Inviſibilis Dei natura &c.*

Et quam Poteſtatem illi ſimul tribuat.

VIII. Pro Perſona ſic Exaltata glorioſiſſimè ſecundum Utramque Naturam ſuam, eſt etiam ejuſdem Poteſtas Ampliſſima, ad cujus exercitium Utraque Natura pro ſuo modo concurrit. Hanc utique ſummam ipſe ad Dextram Dei Sedens exercet in Cœlo ipſo, tanquam declaratus palam & agnitus illic Dominus; non ſolum Loci illius, ab ipſo quoque facti & dependentis, ſuisque parati meritis ſuis antecedentibus; ſed & Angelorum, ipſum cum omni ſubjectione venerantium, & ab ipſius nutu pendentium in omnibus ad gloriam ipſius; & quam maxime Hominum Beatorum, ipſum pro Salvatore ſuo unico habentium & ut talem jugiter celebrantium. Hanc ille quin etiam extendit ita ad omnem reliquam Creatam Molem, ut ne Infernus quidem ipſi ſit ſubtractus, nec ſe ipſi ſubducere ullo modo queant Infernales Spiritus, ſive cohibenti, ſive jubenti, ſive punienti pro peſſimis meritis. Hanc ille quam maximè exſerit in Terram Univerſam cum Hominibus ejus Incolis & Habitatoribus, ab ipſius arbitrio pendentibus per omnia. Quatenus in animas & corpora eorum æquale habet Imperium, quale nudæ nulli creaturæ competit aut unquam competiit aut competet. Quatenus populum electum ſibi facit obſequentem cum fide & fiducia; ad hoc juxta Verbum ſuum per Miniſtros prædicatum mittens Spiritum ex alto liberaliſſime, qui perſuadeat, trahat, retineatque, & ducat indeſinenter. Quatenus eundem in complexu ſuo, & in ſingulis membris, tuetur potentiſſime, & ſervat fideliſſime adverſus vim omnem & fraudem mundi ac inferni, vario & ſapientiſſimo modo. Quatenus Hoſtes ejus, tam opertos quam apertos, quos dignoſcit curatiſſime ſine ullo errore, coërcet, quando & quouſque lubet ad ſuorum ſalutem ſuamque gloriam, tolerat in ſua longanimitate ad pleniorem eorum convictionem & ſuorum exercitium, & oportune perdit tandem, ad ipſorum pudorem æternum & ſuorum gaudium ſolidum. Quatenus tandem omnia, etiam in ſpeciem adverſiſſima, facit ita inſervire ad iſtos ſuos fines glo-

rioſos, ut manum ejus tanquam in throno ſedentis cernant aliquando & agnoſcant, ſerius vel ocyus etiam antea cœci; ſecundum illud *Jeſ.* XXVI. 10. 11. *Gratia fiet improbo, non diſcet juſtitiam, in terra æquitatum inique aget, & non intuebitur excellentiam Jehovæ. Jehovah, elata eſt manus tua, non videbunt; videbunt & pudeſient, zelo populi, etiam ignis hoſtes tuos conſumet &c.*

An etiam Seſſio Corporalis, tanquam Emblematica, in cœlis ſimul ſit agnoſcenda.

IX. Quam facile foret iſta omnia latius deducere, nemo non videt; ſed id minus neceſſarium heic judicamus, quod & dudum feliciter præſtitum ab aliis fuit, etiam *Pearſonio Ceſtrienſi*, Viro Venerando & Doctiſſimo. Sed hoc forte non prorſus indignum erit inquiſitione aliqua, an cum ſenſu hoc Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Emblematico, qui omnino firmiter eſt tenendus, etiam jungi aptè ſimul debeat aut poſſit Literalis alter; adeo ut res ad literam immediate notata non modo in phraſi nobis repræſentet magnam illam Domini noſtri Gloriam, ſed & in Eventu ipſo corporali, hoc eſt, ut clarius dicamus, an non etiam in Cœlo ipſo ſupremo agnoſci quæat aut debeat Elevati admodum Throni ſpecies cum inſigniori repræſentatione Majeſtatis Divinæ ſuper illo, ad cujus Dextram Chriſtus ſit actu ipſo conſtitutus, ut omnibus ſuprema Deoque proxima ſic ad oculum liqueat ejus Gloria & Majeſtas præſentibus nunc & olim, æque quam per phraſin illam hæc nobis inſinuatur. Quemadmodum cum de Regibus Humanis dicimus, illos tenere Thronum, Sceptrum, & Coronam, ad ſignificandum quidem illorum Imperia, ſed ſine excluſione ulla illorum dictorum Symbolorum regni quæ tamen omni momento non adſunt. Qualia cogitata prorſus tollit *Rev. Pearſonius*, non tantum intuitu Dextræ Deo incorporeo ſic non competentis, ſed & Seſſionis ipſius ad eam; *Non debemus concipere, Seſſione ea exprimi ullum corporis Chriſti in cœlis ſitum flexuræ atque inclinationibus membrorum noſtrorum correſpondentem. Etenim in Scripturis generalius aliquod vocabulum legimus, quod duntaxat ipſum in Cœlis Eſſe demonſtrat, ſine ulla expreſſione modi cujuſdam ſpecialis. Ita Paulus Rom.* VIII. 34. *qui ipſe eſt ad dextram Dei, & Petrus* 1 *Pet.* III. 22. *&c. Præterea alium quoque ſitum deſcriptum invenimus præter Seſſionem Act.* VII. 55. *ſtans apparebat Stephano, quem*

*quem nos in Symbolo noſtro ut Sedentem deſcribimus &c. Hoc igitur Sedendi vocabulum ſi à corporeo Seſſionis humanæ ſitu præſcindatur, fieri poteſt ut nihil amplius denotet quam habitationem, poſſeſſionem, permanſionem, ac durationem, quæ frequentiſſima vocis ejus acceptio eſt in lingua Hebræa ac Græca.* Præter quam *Habitationis* notionem loquitur de illa *Quietis*, *Dominii*, & *Judicii*, ac concludit; *Ita igitur Sedere non involvit ullam aliquam peculiarem inclinationem vel flexionem determinatamve poſitionem ac ſitum corporis, ſed idem eſt quod Eſſe in cœlis cum quadam permanentia ac habitatione ac beatitudine ſtatus, nec non Regia ac Judiciaria poteſtate, quæ acceptiones etiam in aliis ſcriptoribus inveniuntur*; laudatque in hanc rem *Servii obſervationem in Virgilii Æneid.* IX. Sed dubito, an iſta diſputatio ſic ſit ſatis ſolida. Licet enim Deus ſit ipſe Incorporeus, poteſt tamen corporeus illi Thronus aliquis tribui, ſuper quo ſit qualiſcunque ejus ſymbolica repræſentatio, *Dextram* admittens. Nec *Seſſio*, quæ certe ſenſu quietis, dominii, & judicii, ſpectat ad Corporis ſpecialem ſitum in phraſi, atque ſic determinata eſt, tollitur, vel per generalius *Eſſe* Chriſti, vel etiam per *Stationem* aliquam temporariam & oportunam, veram vel apparentem. Magis forte obſtabit adverſus Seſſionem Chriſti proprie dictam illam in Humanitate ipſius, quod ea certe ante Reſuſcitationem noviſſimam & habitum Judicium futura dici queat Uſus valde exigui apud Cœleſtes Spiritus, tam Angelicos quam Humanos; & nimis forte ſimul determinare Domini noſtri Præſentiam Humanam glorioſam in cœlo. Quorſum conferri poſſunt illa *Jac. Altingii*; *Haudquaquam deſignatur certus & ſpecialis locus in cœlis. Quamvis enim Corpus Chriſti etiam iſthic ſit circumſcriptum, quia adhuc eſt & manet corpus verum quamvis glorioſum, non eſt tamen ipſe certo loco incluſus, extra quem gloriæ diminutionem patiatur, ſed ubicunque corpore ſuo eſſe vult in cœlis, ibi eſt liberrimo & glorioſo agilitatis motu eo tranſlatus, & eſt ibi ad Dextram Dei. Namque Thronus majeſtatis Dei non eſt locus aliquis definitus in cœlo, ſed totum Cœlum, adeo ut Chriſtus corpore ſuo ubivis in cœlo conſiſtens poſſit eſſe ad dextram throni majeſtatis Dei.* Ex adverſo rurſus dici poſſe videtur, tum quod Deus alias ſe ut Throno inſidentem repræſentare ſuis ſoleat in ſplendidiſſimo aliquo

Emblemate, etiam cum Filii appropinquatione vel aſſeſſione; tum quod Stephano in Cœlis ad Dei Dextram ſic apparuerit utique, qui non falſa ſed vera vidiſſe cenſendus ſit; tum quod Viſibilis ejus Seſſio æque quam Reditus promiſſus legatur *Matt.* XXVI. 64. tum quod Humanitas Chriſti Viſibilis etiam certum & glorioſum ſitum exigat præ aliis, juxta aliud Decus omne ei conveniens. Et dubitari poteſt, an Viſio Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Corporalis cum ratione reſtringatur ad *ſummum robur, pulchritudinem, formam, ac ſplendorem eximium*, quæ heic nominavit inter alios *Cel. Witſius* noſter. Ego, ut verum fatear, ex ingenio meo rem iſtam determinare non audeo; & cum in Scripturis eam determinatam non reperiam, malo hanc experientiæ futuræ beatitatis cognoſcendam relinquere, certus de Gloria Summa Chriſti, etiam maxime per Seſſionem ſignificata. Dum omnino magis illuc propenderem, ſi conſtaret ſatis theſis *Clar. Joh. Weſſelii* noſtri, ab ipſo prolixius inculcata *Diſſert. Leid. III.* occaſione *Gloriæ Domini* quam Moſes videre deſideravit *Exod.* XXXIII. ſeu *Glorioſæ Speciei externæ Symbolique præſentiæ ac majeſtatis ejus.* Hac enim occaſione pergit; *Non convenire, an Moſes reſpexerit ad ejusmodi aliquam lucidiſſimam figuram miraculoſe à Deo nunc producendam &c. an vero ad illam ſignate ſpeciem glorioſam, qua in cœlis ſe præſentem certo loco ſiſtere voluit Deus &c.* pro qua opinione laudat *Clericum*, conferentem 1 *Joh.* III. 2. 1 *Cor.* XIII. 12. 1 *Tim.* VI. 16. *an tandem putaverit ſpeciem hanc eandem ſplendidiſſimam nunc adeſſe in monte Sinai, ſed in Nube ex qua Deum loquentem audiebat latere inconſpicuam.* Et deinde latius adhuc; *Credo equidem Deum in Cœlo Tertio Throno ſuo ac Beatorum ſede præſentiam ſuam ejuſmodi Fulgentiſſima Luce teſtari atque in æternum teſtaturum eſſe omnibus poſt Reſurrectionem mortuorum futuram glorificatis*; laudato mox *Gregorio in Gloſſa Ord.* & *Vogelſangio* noſtro *Exerc. XII. de Nat. D. Forte etiam huc referri debet* 2 *Cor.* V. 7. *per fidem enim ambulamus*, δι' εἴδους. *Ad quem locum ita Camero in Præl. ad Matt.* XIX. 3. *Vulg. Interp. edidit, non per ſpeciem; non male, nam* εἶδος *omnino ſpecies eſt,* חמונה / πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυφανιδος. *Itaque & eo loco Apoſtolus allufit ad hæc in quorum interpretatione verſamur Domini verba, nim. quæ repe-*

*riun-*

*riuntur Num.* XII. 8. *per ſpeciem igitur eſt* בתמונה. *Atqui* תמונה *ſimilitudo ſeu ſpecies Jehovæ videndæ à Moſe eſt hæc Gloria à partibus poſterioribus heic à Moſe viſa, ſed quoad Faciem poſt conſpicienda, & vix dubito, quin David ſplendidiſſimum illud præſentiæ Dei in Cœlo futurum ſymbolum vocaverit Imaginem ejus Pſal.* XVII. 15. *ego in juſtitia videbo Faciem tuam, cujus Viſio Moſi ſcil. denegata fuit mortali, ſatiabor* בהקיץ *in evigilando, vel cum evigilavero, nempe ex mortis ſomno,* תמונתך *Imagine tua ſcil. tota cujus poſteriora modo viſa ſunt à Moſe in monte. LXX. & Vulgatus tranſtulerunt, ſatiabor cum apparuerit Gloria tua. Stephanus* ἀτενίσας εἰς τὸν οὐρανὸν εἶδε δόξαν θεοῦ, *intentis in cœlum oculis vidit Gloriam Dei, cœleſtis forte iſtius Lucis partem aliquam mortali viſui accommodatam, ut Moſes Act.* VII. 55. *Mitto plura, & quidem haud præter rationem omnem huc referenda, loca Col.* I. 12. *Apoc.* XXI. 11. 23. *Verum exiſtimo ſimul, vel illud ipſum Cœleſtis præſentiæ Divinæ Symbolum, vel ejus Partem, vel ſaltem ei plane Simile aliquod aliud, nunc adfuiſſe revera in monte Sinai, ſed in medio Nubis latuiſſe, atque occultatum fuiſſe &c.*

X. Enimvero, an non una cum Chriſti Collocatione ad Dextram Patris agnoſci debent, ſecundum emblematicam exegeſin noſtram, alii vel alius ad Dei Siniſtram in cœlis? Id debere fieri negamus, quando Siniſtra in ipſo Throno vacare poteſt variis occaſionibus, dum Dextra occupatur, & Locus ipſe medius ſuo decore ſemper diſtinguitur. Sed id poſſe fieri concedimus, uti ſic Exercitus Cœleſtis omnis viſus fuit à Micha ad Dextram hinc & Siniſtram inde throno ſuo inſidentis Domini 1 *Reg.* XXII. 10. atque locum proximum à dextris & ſiniſtris Chriſti deſideravit pro Zebedæi filiis ſuis mater *Matt.* XX. 21. *&c.* Et ſi roges, cui vel quibus iſta Siniſtræ Seſſio tribuenda videatur, dicam illam in longiori diſtantia etiam ſimul à Dextris non poſſe denegari ſanctis Cœlitibus ambeuntibus Dei Thronum, *coll. Apoc.* VII. 15. 1 *Theſſ.* IV. 17. *&c.* Sed & dicam ſimul nihil obſtare, quo minus in propinquitate maxima Siniſtræ Dei cogitemus de Spiritu Sancto, qui ita tanquam Perſona Deitatis Tertia communicat de Gloria Patris & Filii per Unitatem Eſſentiæ, ut etiam Chriſtus θεάνθρωπος per ipſum glorioſe regnet in Eccleſiam ſuam,

An alius Seſſio ad Siniſtram Dei ex hac Seſſione ad Dextram concludi poſſit, & cui illa tribuenda ſit.

ſuam, ad hoc etiam miſſum ex ejus promiſſo liberaliſſimo & fideliſſimo. Sed nolimus hanc opinionem urgere, ubi ſic loquentem Scripturam non deprehendimus, & in myſteriis his curioſitas nimia laudari nequit. Dum placent valde illa *Cl. Witſii* noſtri; *Hactenus ergo uni Chriſto propria eſt hæc Gloria, ut cum nulla eam creatura partiatur. Quod enim Fideles in throno Chriſti ſeſſuri dicantur, vel ad Dextram ejus ſtare, id intelligendum eſt de eorum communione cum Chriſto, per quam fit ut in gloria Chriſti tanquam in ſua gloria lætentur, ipſique ſuo modo gloriam nanciſcantur Chriſti, gloriæ quam in natura humana poſſidet quodam modo ſimilem, neutiquam parem &c. Id quod Chriſto datur dignum eſt Filio Dei Unigenito & ὁμοουσίῳ, dignum officio iſto ad cujus conſortium Non-Deus admitti non poteſt. Sed nunquid eam cum Altera Divina Perſona communem habet? Reſpondeo, eam de qua agimus Gloriam Oeconomicam eſſe, quæ Chriſto qua Mediatori competit. Sicut ergo Mediatoris Officium ex Tribus Deitatis Perſonis ſolus ſuſcepit Filius, ita etiam Gloria ea, quæ Muneris bene obiti præmium ac merces eſt, ſoli competit Chriſto. Nuſquam Scriptura dicit, Spiritum S. ad Dei Dextram ſedere. Interim quatenus Gloria hæc involvit ὑπαρχὴν Deitatis, ac τὸ ἰσότιμον paritatem honoris cum Patre fundatam in Unitate Divinæ Eſſentiæ, eo adſpectu à Gloria Patris ac Spiritus S. ſeparari nequit. Hactenus eſt Communio ejuſdem Gloriæ ac Throni. Servata tamen Diſtinctione, non Gradus, multo minus Speciei, ſed Ordinis tantum, qui eſſe poteſt inter eum qui honorem dat, ſive qui aliquem omnibus ſubjectis pari ſecum honore afficiendum eſſe oſtendit, & inter eum, qui eo honore afficitur aut æquo cultu humanitatis declaratur.*

---

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

### *Quo de Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Patris Duratione agitur.*

Seſſio Chriſti ad Dextram Dei

Ex declarata eum in modum plenius diſtinctiusque, tum negative tum poſitive, Seſſione Chriſti ad Dextram Dei Pa-

Patris consequens primum est certissimum, quod hæc illi tribui nequeat *ab omni retro Æternitate*. Quod inter alios valide urget *Cyrillus Alex. Cat.* XIV. ne quidem ferens dissentientes alios, ne æterna gloria Christi in periculum veniat, collatis etiam textibus *Jes.* VI. 1. & *Psal.* XCIII. 2. Quamquam enim ut Filius Proprius Dei Patris una cum Essentia Divina per Generationem Æternam semper habuerit Perfectiones omnes Divinas glorioſissimas, nec unquam ullo temporis momento successivo ullam novam & majorem sic gloriam accipere potuerit, etiam Patri intime præsens; non tamen dici poterit tunc fuisse in Cœlo, quod nondum creatum erat, in quo hæc Sessio ponitur obtinere; nec habuit tum locum Declaratio & Agnitio Gloriæ ejus apud Creaturas alias, quæ nullæ adhuc erant, vel cœlestes, vel terrestres, dum collocatio ad Dextram Dei ponit Gloriæ declarationem & agnitionem apud hos. Quod si ad Dei Decretum recurrere lubeat, id agnoscimus equidem omnino Æternum de Filio ad Dextram olim collocando, æque quam de omnibus quæ in tempore fiunt; sed magnum est discrimen inter Decretum rei olim futuræ, & Eventum huic conformem, quæ hinc in re vel in phrasi confundere non licet aut decet.

non est repetenda ab omni retro Æternitate.

II. Consequens deinde ex antea dictis æque certum est alterum hoc, quod eadem Christi Sessio non debeat repeti, vel *à Mundi Conditi initio*, vel *ab Hominis Lapsu & Restitutione* per *Proteuangelium*. Quamquam enim tunc jam fuerit Cœlum, in quo ipse cum Patre & Spiritu thronum suum etiam fixit magis quam in terra, recipiendis quoque hominibus aliquando destinatum; & quamquam jam tum essent quibus Gloria Christi tanquam Filii Dei declarari cum agnitione posset, imo & actu sic declarata fuit; imo quamquam inde ab hominum lapsorum Restitutione dicta Christus considerari possit & debeat ut Caput Ecclesiæ suæ verum & unicum, quam futuræ Incarnationis & Passionis suæ vi jam tum habebat aliquam in his terris, regebatque & tuebatur, hoc nomine agnoscendus & celebrandus ab ea; non tamen ipse Christus adhuc Carnem assumpserat Humanam, in qua Cœli thronum teneret, nec in illa laboraverat pro Ecclesiæ suæ salute ad laboris istius præmium dignum acquirendum, nec per orbem

Neque vel à Mundi Conditi, aut Euangelii prædicati, Initio primo; vel ab Incarnatione & Prædicatione in carne; vel à Resurrectione etiam ipsa.

omnem

omnem & hujus populos diffundebatur ipſius Regnum aut perrumpebat cum ſplendore cœleſti· uti ipſi ad Patris dextram ſeſſuro futurum erat. Conſequens porro tertium hoc quoque agnoſci debet, quod non liceat Seſſionem hanc Chriſti ad Dei Dextram repetere *ab ipſius Incarnatione* per Conceptionem & Nativitatem ex Maria Virgine miraculoſam prorſus, vel *Manifeſtatione* inſecuta per Dicta & Facta ſplendida. Quamquam enim tum jam qui erat Deus verus etiam factus ſit verus Homo in Perſona Una, eſſetque ſimul vere Rex, & Dominus gloriæ; quamquam & ſecundum Naturam Humanam non defuerint Excellentiæ & Gloriæ Signa multa ſatis illuſtria, venerationem aliorum provocantia & fidem in ipſum obſequiumque debitum operantia; erat tamen ille ſecundum Deitatis Gloriam quam maxime tectus, & ſecundum Humanitatem vilis inter homines atque ignominiæ omnis ſubjectum & objectum prorſus ſervile, etiam ſecundum vaticinia, adeoque in medio labore animæ ſuæ per quem ad propoſitam mercedem Seſſionis tendebat, eam minime adhuc nactus. Conſequens etiam quartum hoc ſatis liquidum eſt, quod non ſit dicendus Chriſtus Conſediſſe vel Collocatus eſſe actu pleno ad Dei Patris Dextram inde *ab ipſius Reſurrectione ex Morte & Sepulchro*, atque Apparitione nova apud Diſcipulos ſuos. Quamquam enim jam tunc laborem omnem durum & triſte opprobrium vere ſuperaſſet, atque mortem cum Immortalitate glorioſa permutaſſet, hinc nec amplius vel hominum promiſcuæ multitudini ſe ſiſtens, vel cum Diſcipulis veteri morte converſatus, imo in gradu ad Seſſionem hanc ſuper throno quaſi ſupremo conſtitutus eſſet; non tamen adhuc in Cœlum aſcenderat, neque ad Gloriæ ejus plenitudinem pervenerat, quæ cum familiariori converſatione cum ſuis conſiſtere non ita potuiſſet; nedum quod Regnum ſuum ampliſſimum per orbem nondum erigere & demonſtrare tunc inceperit.

Sed ab ejus Aſcenſione in Cœlum inſecuta.

III. Et quid opus eſt multis aliis? Scripturam nos heic habemus ſequendam, æque quam Seſſionis hujus naturam antea declaratam. Atque illa quidem palam oſtendit, quod Seſſio hæc Chriſti ad Dei Patris Dextram proximum fuerit & ſit Conſequens Aſcenſionis ipſius in Cœlum ſupremum, factæ

Die

Die Quadrageſimo poſt Reſurrectionem ex morte, in quo hinc Sedere ad Dei Dextram dicitur Dominus. Quod ex locis omnibus antea adductis eſt liquidiſſimum; adeo ut etiam in illo, ὃς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, Paulus Aſcenſionem ejus ſit complexus. Nec prius ille, vel Spiritum illa copia in Eccleſiam ſuam accepit effundendam, vel cum illa Potentiæ demonſtratione Satanam & omnes hoſtes ſuos proſternere cœpit, nec cum Jubilo illo cœlitum tanquam victor mortis receptus eſt, quam cum in Cœlum aſcenderet.

Seſſio eadem duratura certiſſime uſque ad Finem hujus Mundi.

IV. Hoc autem cum ſit Initium Seſſionis hujus, de ejuſdem Duratione in futurum adhuc videndum eſt; quæ in quandam controverſiam majorem venit cum minime deberet. Ubi nemo dubitet, quin ad Dextram Patris ſit conſeſſurus Chriſtus, ex quo in cœlum aſcendit ad mundi hujus Finem ultimum; ſecundum ipſius verbi *Sedendi* vim, tanquam oppoſiti adverſus ſtionem omnem. Et ſi ex cœlo non eſt venturus ille ſecundum Humanitatem ſuam niſi ad habendum Judicium in fine hujus ſeculi, atque tam diu oportet Cœlum ipſum complecti, temerè etiam de honorata Paterni Throni cœleſtis parte ille movendus ponetur, vel à ſe vel à Patre vel ab alio quoquam. Quod & clariſſime docet Paulus *Hebr.* x. 12. 13. αὐτὸς δὲ μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν εἰς τὸ διηνεκὲς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ, τὸ λοιπὸν ἐκδεχόμενος ἕως τεθῶσιν οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ. Ubi τὸ διηνεκὲς, per rei naturam atque illa quæ ſequuntur de Hoſtium ſubjectione, longe potius ad illud ἐκάθισεν, *conſedit*, quam ad præmiſſam Oblationem pro peccato refertur; dum nec in ſequenti *verſ.* 14. idem illud εἰς τὸ διηνεκὲς ad Oblationem directe ſpectat, ſed ad τελείωσιν τῶν ἁγιαζομένων uti oblationis illius fructum optatiſſimum. Et certe non poteſt illud εἰς τὸ διηνεκὲς heic ad minus aliquod durationis ſpatium trahi, quam eſt ſtantis hujus mundi, in quo erunt ſemper hoſtes ſubigendi Chriſto à Patre, de quibus ſimul agit Paulus, & quidem præeunte Davide *Pſal.* cx. 1. *ſede ad dextram meam, donec inimicos tuos poſuero ſcabellum pedum tuorum.* Quod perinde urget Paulus 1 *Cor.* xv. 24. 25. 26. ad Inimicos illos etiam referens Mortem, in reſurrectione communi fidelium demum plene ſubigendam, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ &c. ὅταν καταργήσῃ πᾶσαν ἀρχὴν καὶ

πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν, δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρις οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ, ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος. Uti & Paulus idem dixit quidem *Hebr.* II. 9. *videmus Jesum gloria & honore coronatum*, sed & dixerat *vers.* 8. *nunc nondum videmus ei omnia subjecta.* Quidquid ergo varient admodum fata Regni in his terris, & floreat illud modo per orbem cum magno in hostes triumpho externo, prematurque mox miserrime ab his, quasi fere extirpatum esset; manet tamen Christus in gloria Paternæ Dextræ Cœlesti, & ex alto intuetur ac moderatur omnia ad suam gloriam & populi sui salutem, ipsum quoque hostium furorem insanum qui ipsum vincere nec turbare ullo modo possunt. Estque illa Sessionis Christi cœlestis Duratio prorsus tenenda; tam contra somniatam Christi Invisibilem Præsentiam Corporalem in Sacramento; quam contra somnia omnia Enthusiastica de Christi Regno Terrestri ad quod erigendum & ipse citius de cœlis sit descensurus visibiliter. Ut nihil dicam de possibili vel actuali Defectione Ecclesiæ in his terris; quæ propter externum splendorem minorem, atque Ecclesiæ translationem de uno populo & loco ad alium, pessime à multis cogitatur, cum tamen absque læsione magna Sessionis Christi in Throno Divino Regni nequeat cogitari ullatenus. Et si heic sint tempora difficilia, in primis etiam Anti-Christiana, quibus externe videri posset actum esse de Ecclesia; fuerunt non modo, sed & erunt adhuc alia lætissima, in quibus plenitudo Gentium intrabit totusque Israël servabitur, ad quæ aspiramus ὡς ὑποκαρδοκίας.

Et quo modo post cum etiam omnino locum sit habitura.

V. An ergo in isto Mundi Fine desinet Christus Sedere ad Dei Patris Dextram? vel pro tempore, vel & in perpetuum? Prius non potest admitti, nisi cum restrictione necessaria, respectu Christi; uti nec posterius nisi cum limitatione respectu Ecclesiæ ejus. Certe quatenus Christus ex Cœlo redibit, conspiciendus in Nubibus ad habendum Judicium super orbem omnem, eatenus non sedebit tunc in Cœlo ad Patris Dextram, cum loca ista sint satis distincta & dissita à se invicem. Attamen tantum abest, ut Gloriam suam supremam hinc deponat, ut ex adverso sit eam declaraturus illustrius quam unquam antea, per pompam secum adductam & Judicii actus

ctus omnes; unde nonnulli ſub Seſſione ad Dextram illum Adventum complectuntur, alii vero ut Quartum Gradum Exaltationis conſiderant. Deinde, quatenus Chriſtus Eccleſiam ſuam, tum plenè collectam, & ex manu incurrentium hoſtium pleniſſime liberatam, dè terris ad ſe in cœlum extollet; non regnabit ille ſic amplius unquam per orbem hunc inferiorem, uti ante quando in medio hoſtium heic dominabatur in ſuos. Attamen, uti Chriſtus non eſt manſurus in Nubibus, aut ſuper terra, ſed rediturus ad Patrem poſt Judicium peractum; ita Gloria Perſonæ ejus & Regni neutiquam erit ſublata vel imminuta, ubi Eccleſiam totam Triumphantem habebit ſibi in cœlo unitam arctiſſime. Nec quidquam ſtultius cogitetur, quam Eccleſiæ à Chriſto promeritum Bonum fore abſolute Æternum, ſed illud quod Chriſtus ipſe ſibi acquiſivit mere temporarium & tranſitorium cum brevi ſpatio imo momento mundi hujus durantis. Unde εἰς τὸ διηνεκὲς apud Paulum heic ad omnem æternitatem protendimus, per quam Seſſio hæc Chriſti ad Dextram Dei Patris re ipſa vere durabit; uti & hoc Paulus meritò concluſiſſe cenſendus eſt ex illo Davidis, *donec inimicos tuos poſuero ſcabellum pedum tuorum*, ſiquidem inimicis omnibus plane ſubactis nemo ſupererit qui Chriſtum de throno deturbare tentet. Et eſt probe tenendum hoc dogma contra *Socinianas* hypotheſes de Chriſti Regno olim plane finiendo, quando mundi finis aderit. Nec eſt, ut in objectiones notas ex *Paulo* heic excurramus latius, ad abſolutam Æternitatem Regni ejus tenendam, quam alias plusquam ſemel inculcavimus. Nempe, ut verbis tamen hoc tribus dicamus; *Finem* Paulus non ſpectavit illic Regni & Gloriæ Chriſti, ſed ſimpliciſſime Mundi hujus, vel alias Hoſtium omnium ſubactorum, vel hujus præſentis Modi regnandi; *Regnum tradendum* Deo ac Patri non intellexit ille de eo à ſe deponendo & in Patrem transferendo, ſed de eo ab Hoſtibus omnibus ſimul illic nominatis erepto coram Patri exhibendo, quod cum hoc ipſe teneat porro; *Deum Futurum Omnia in omnibus* accipere decet de Beatitate plena omnium in Dei arcta & magis immediata Communione, utique non extra ſed per Chriſtum; atque ὑποταγὴν Chriſti illic intelligere oportet, vel novam reſpectu corporis myſtici plene

jam collecti & ſanctificati, vel longe potius continuatam & continuandam in æternum reſpectu Humanitatis, & Muneris collati, & Ordinis quoque Perſonalis. Quorſum nos cogit omninò præſens jam Chriſti Subjectio ſub Patrem, & argumentatio Paulina, in omnium Subjectione ſub Chriſto excipi-Patrem ſubjicientem. Dum de hac phraſi legi meretur doctiſſima *Diſſertatio XVI. Cl. Weſſelii* noſtri.

---

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

### *Quo Certitudo Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Patris varie aſſeritur, potiſſimum autem ex Vaticiniis Veteribus.*

Ad Certitudinem Seſſionis hujus Chriſti aſſerendam tranſitur.

Hoc autem, quod tradidit Euangelium de Chriſti Seſſione ad Dextram Dei Patris, non minus verum certumque eſſe, quam quod docet idem de ipſius Reſurrectione ex Morte & Sepulchro, atque Aſcenſione in Cœlum; varie rurſus conſtare poteſt. Et vere heic eſt longe minor difficultas fidei, ubi agnoſcis Chriſtum Reſurgentem, & Aſcendentem in Cœlum ſupremum, ut illi poſt admiranda illa fata porro tribuas Gloriam ſummam & Deo Patri proximam, loco communioris beatitatis cujuſcunque aliarum creaturarum in cœlo eodem apud Deum. Ne autem ullo modo de re hac dubites amplius, attende rurſus ad Rem ipſam, in ſua Poſſibilitate, Decentia, & Neceſſitate; attende ad Euangeliſtas, illam tradentes; attende ad tot ſignificantiſſimas quas adhibuerunt Phraſes; attende ad Orbis Convicti & converſi Fidem; attende ad Realia Teſtimonia à Jeſu Exaltato data; attende denique ad Vaticinia ſatis illuſtria, quæ heic etiam præceſſerunt.

Quæ utique eſt Poſſibilis, Decens, Neceſſaria; à fide dignißimis Viris tradita; per varias phraſes

II. Quid enim quæſo cum ulla ſpecie heic cogitetur quod fieri non potuerit? Utique viliſſimos & indigniſſimos his in terris ad ſummos honores extolli, per ſingularem Dei Providentiam, quotidiana non minus arguunt exempla, quam illa quæ in Scripturis leguntur. Et hunc Jeſum olim viliſſimum & depreſſiſſimum, qui ipſam cum reliquis hoſtibus vi-

cit

cit mortem, & ſupra cœlos virtute ſua aſcendit, etiam in cœlo ſupremo Deo proximum declarari atque agnoſci, ac inde imperium protendere in omnia, nemo jure neget fieri Poſſe. Quid deinde Decentius exiſtimetur, quam ut idem qui de throno ſublimi Paterno deſcendit ſponte, ad ejus gloriam, & populi ſui ſalutem, imo ſe pro hac utraque exinanivit tantopere infra omnes, opere hoc peracto eundem Thronum denuo occupet & ſupra omnes extollatur? Imo quid tandem magis Neceſſarium, intuitu non modo Amoris ſed & Juſtitiæ Paternæ, Dignitatis deinde ipſius Filii, Salutisque plenæ Fidelium ſimul & coërcitionis & ſubactionis Hoſtium, quam ut idem ille Jeſus Gloriam hanc ſupremam & Imperium in omnia teneat? Atque illam quidem rem adeo Poſſibilem, Decentem, & Neceſſariam omni modo, tradiderunt eidem Viri laudatiſſimi, qui in reliquis Euangelii partibus fidem omni ratione meriti fuerunt, nec per hanc traditam ea indignos ſe fecerunt; nominatim magni Apoſtoli illi duo, Petrus & Paulus, quorum laudes ſingulares ſunt notiſſimæ, nec heic ſingulæ recenſendæ. Et ſi apud Seſſionem hanc, tanquam in cœlis obtinentem, non ſint heic notatæ circumſtantiæ, & modus omnis quem mortales equidem non percipiant, habemus heic tamen phraſes vere ſignificantiſſimas, varii admodum generis, per quas non minus rei certitudo quam magnitudo nobis ſic tanto potentius inſinuatur. Accedit autem & teſtimonium reale veritatis rei, tum in Orbe Converſo per ejus præconium, & hinc vidente & conſtantiſſimè celebrante Jeſum gloria & honore coronatum *Hebr.* 11. 9. *&c.* tum in Operibus Chriſti magnificis in ſuos ſubjectos tam acquirendos quam ſervandos & hoſtes coërcendos & perdendos, quæ oſtendunt Majeſtatem ejus, etiam citiſſimè in Spiritus Effuſione cum connexis & ſequelis, ſecundum illud Petri *Act.* 11. 33. τῇ δεξιᾷ οὖν τ θεοῦ ὑψωθεὶς, τήν τε ἐπαγγελίαν τ ἁγίου πνεύματος λαβὼν παρὰ τ πατρὸς, ἐξέχεε τοῦτο ὃ ὑμεῖς βλέπετε καὶ ἀκούετε *&c. verſ.* 36. ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος ἰσραὴλ, ὅτι κύριον καὶ χριστὸν αὐτὸν ὁ θεὸς ἐποίησε, τοῦτον τ Ἰησοῦν ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε *&c.* Nec debet aut poteſt heic prætermitti, quod Jeſus ipſe in hac Cœleſti Gloria ſua ſe coram videndum exhibuerit jamjam pro ipſius nomine morituro Stepha-

ſignificantiſſimas; recepta per Orbem; à Chriſto factis ipſis in Suos & in Hoſtes declarata; & ab ipſo cœlitus oſtenſa.

no. Ille ſiquidem, cum *eſſet plenus Spiritu Sancto*, eximia præ aliis menſura gratiæ, fertur à *Luca Act.* VII. 55. 56. ἀτενίσας εἰς τὸν οὐρανὸν *vidiſſe* δόξαν θεοῦ καὶ Ἰησοῦν ἑστῶτα ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ, *& dixiſſe*, ἰδοὺ θεωρῶ τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ θεοῦ, quin & hunc *invocaſſe*, κύριε Ἰησοῦ δέξαι τὸ πνεῦμά μου, *poſitisque genibus clamaſſe voce magna*, κύριε μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην, *atque his dictis obdormiviſſe*, tranquillè ac lætè in ſpe præſentis & futuræ gloriæ, à Chriſto ſibi tribuendæ. Quæ hiſtoria, exemplum gloriæ & gratiæ Chriſti præbens illuſtriſſimum, & ab omni parte adducta notabilis admodum, non poteſt pro vana imaginatione haberi, ſed veritatem rei viſæ una cum certa & ſolida videntis perſuaſione arguit omnino; ſive contigerit per immediatum Chriſti conſpectum prorſus extraordinarium de Terra in ipſum Cœlum ſupremum, ſive per ſymbolum ejus Viſibile inſolitum, ſive tandem per Divinæ ἐκστάσεως ſpeciem minus ſolitam. Ad quem modum Viſionis hujus plenius intelligendum confer, quæ olim de Viſione Paulina Chriſti Glorificati diximus *EXERC. TEXT. XLVI. Parte V.*

Et de qua nos certos reddere debet prædictio Pſalmi CX.

III. Sed feſtinamus nunc ad *Vaticinia*, à Divinis Prophetis olim edita de hac Meſſiæ Gloria cœleſti, prorſus infallibilia. Quale præ aliis omnibus eſt illud Davidis *Pſal.* CX. 1. 2. *&c. Dictum Jehovæ ad Dominum meum, ſede ad Dextram meam, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedibus tuis, ſceptrum fortitudinis tuæ mittet Jehovah ex Tſijon, dominare in medio inimicorum tuorum, populus tuus ſpontaneitatum in die exercitus tui, in decoribus ſanctitatis &c.* Imo facit & ad rei ejuſdem declarationem & inculcationem tanto majorem totus ille *Pſalmus* uſque ad ultima illa *verſ. 7. de torrente in via bibet, propterea attollet caput.* In quibus omnibus & ſingulis nunc explicandis & illuſtrandis non eſt ut diu hæreamus, poſt datam olim Pſalmi totius Analyſin Exegeticam *EXERC. TEXT. XVIII. Parte II.* & ſpeciatim quoque expoſitum *Verſum 6. EXERC. TEXT. XIV. Parte I.* Id notamus modo tanquam certiſſimum, quod David heic per *Dominum Meum*, de quo loquitur, nullum intelligat alium aut intelligere queat quam Meſſiam, cui promiſſo ipſe cum Regno ſuo ſubjectus erat, & à quo omnem ſalutem ſuam exſpectabat. Hoc Chriſtianos

ſtianos irrefragabiliter docuit Paulus, tum 1 *Cor.* xv. 24-26. tum maxime *Hebr.* 1. 13. *coll. verſ.* 1. *&c.* & *Hebr.* v. 6. & Petrus *Act.* 11. 34. 35. quin & ipſe Dominus noſter Jeſus in ſua cum Phariſæis diſſertatione *Matt.* xxii. 40. *&c.* quam perinde nobis traditam reperimus *Marc.* xii. 35. & *Luc.* xx. 40. *congregatis autem Phariſæis, rogavit eos Jeſus, dicens, quid videtur vobis de Chriſto? cujus Filius eſt? dicunt illi, Davidis. Dicit eis, quomodo igitur David in Spiritu Dominum illum vocat, dicens, dixit Dominus Domino meo, ſede à Dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo David eum vocat Dominum, quomodo Filius ejus eſt?* Ad quod argumentum paratiſſima fuiſſet exceptio, niſi de Meſſia illic agi ſic ſatis conſenſiſſent, hinc impotentes ad illi quidquam reſpondendum, neque auſi illum ab iſto die amplius interrogare. De hoc etiam Judæi convinci debent; non modo per nomen illud ſplendidiſſimum *Domini Mei*, quod ipſe David Rex Judæ & Iſraëlis ſub Deo ſupremus illi dedit, nec ulli vel Angelo vel Homini convenit in ea ſignificatus plenitudine qua Meſſiæ Domino gloriæ tribuitur merito; ſed & conſequenter per Prædicata omnia, quæ ab initio ad finem ſubjiciuntur, quæque ineptiſſime trahere nonnunquam vellent ipſi, ſive ad Davidem, ſive ad Abrahamum, ſive ad Salomonem, ſive ad Jechizkiam, ſive ad Zorobabelem, ſive ad ipſum Populum Iſraël.

IV. De illo autem Meſſia heic uſurpatur, alibi apud Prophetas tam plene nuſquam lecta, ſed ex CX hoc Pſalmo in Novo Teſt. repetita phraſis illa, *Sedendi ad Dextram Jehovæ*, etiam cum additamento illo maximo, *donec inimici ejus poſiti* à Jehovah in *ſcabellum pedibus ejus.* Et ad hanc *Gloriam Perſonæ* ejus, ſubjicitur illa *Regni verſ.* 2. 3. extendendi latiſſime per Orbem, *Jehovah ſceptrum mittet ex Tſijon, dominare in medio inimicorum tuorum*; penetraturi intime & potentiſſime, *populus tuus erit ſpontaneitatum, in die exercitus tui, in decoribus ſanctitatis*; & mire augendi ſubjectorum numero *verſ.* 3. *ex utero auroræ erit tibi ros juventutis tuæ.* Sequitur autem & Gloria *Sacerdotii* digniſſimi & æterni cum Regno jungendi *verſ.* 4. *juravit Jehovah, nec pœnitebit, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchitzedek*, qui & ſimul Rex in Salem

Cujus totius ſumma Analytice etiam exhibetur.

lem & Sacerdos Dei Altiſſimi fuerat olim Aharonico major multis modis, nec à genere, vitæque initio & fine, adeoque ſucceſſore, deſcriptus uſquam; ſecundum ea quæ Paulus heic urſit in Chriſti ab ipſo præfigurati gloriam. Adjicitur quin etiam Gloria *Victoriæ & Triumphi* de hoſtibus *verſ.* 5. 6. *Dominus ad Dextram tuam, confringet in die iræ ſuæ reges, judicabit in gentibus, implebit cadaveribus, confringet caput ſuper terra ampla*, iſtorum ſcil. cadaverum proſtratorum ſuper terram amplam, non autem unum aliquod ſingulare ſuper illa dominaturum, ſive ſpirituale & infernale, ſive corporale & terreſtre, de quo multi admodum heic cogitant. Et poſt omnem hanc Gloriam, Domino Davidis adſcriptam, ſubjicitur tandem ejus *Ignominia*, per quam poſteriorem ad priorem illam graſſaturus erat ille *verſ.* 7. *de torrente bibet in via, propterea attollet caput.* Quæ omnia, in Analyſi noſtra Exegetica breviter quidem ſed decenter explicata & illuſtrata, tam graphice depingunt Meſſiam, ut nihil deſiderari heic queat amplius, quod ſpectat ad Seſſionem ejus prædictam, illiusque quem dedimus ſenſum.

Ad quam Seſſionem Chriſti nos etiam ducit textus Pſal. XVI. 11.

V. Unicum hunc diximus locum, qui Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei phraſin plene habet. Sed eſt alter & tertius, in quo eadem abbreviata legitur. Uti fit certiſſime *Pſal.* XVI. 11. *oſtendes mihi ſemitam vitarum, ſatietas lætitiarum cum facie tua, amœnitates in Dextra tua æternum.* Quem *Pſalmum* uti totum breviter expoſuimus *EXERC. TEXT. XVII. Parte III.* ita de *Verſibus* poſtremis ad aſſerendam Certitudinem Reſurrectionis Chriſti diximus *Lib. II. Cap. V.* Nempe heic de Meſſia agi, vel unice, vel certe præcipue, Judæos ipſos docuit per Spiritum Petrus *Act.* II. 25——31. & ſimiliter Paulus *Act.* XIII. 34. 37. Et hic poſt Reſuſcitationem incorruptam, non modo exſpectat *Vitam* beatam in quam ſit adducendus, ſed & *lætitiarum Satietatem* apud Dei faciem, atque ſimul *Amœnitates Æternas in Dextra* ejus. Licet enim poſtremæ duæ enunciationes, non ſint determinatæ expreſſius ad Perſonam loquentem, uti præcedens illa, *oſtendes mihi ſemitam vitarum*, referuntur tamen & hæc, vel unice vel principaliter vel certè incluſive, ad eandem Perſonam Meſſiæ, ut res ſic aptè ſatis inter ſe cohæreant. Et

heic

heic omnium maximam habet emphaſin; tum phraſis illa, *in Dextra tua*, de Chriſto illic ſedente uſurpata, & propinquitatem ejus præ aliis ſummam deſignans; tum nomen *Amœnitatum*, quod certe Capiti Eccleſiæ præ ejus membris ſingularibus convenit; tum & *Æternitas* harum abſolutiſſima. Utique qui Amœnitatibus in Dextra Dei æternum fruiturum ſe prævidet & prædicit, is hoc ipſo Seſſionem ſuam glorioſam ad eam ſatis clare expreſſiſſe deprehenditur. Unde recte heic ſcripſit noſter *Cel. Coccejus*; *Quum dicit ſe ire ad Amœna quæ ſunt in Dextra*, (ita ille verba hæc prioribus connectit, ob poſteriorum ſeparationem nimiam *Junium* redarguens merito,) *ſignificat ſe fore ad Dextram Dei, & compotem omnium illorum Amœnorum, ut ex Dextra Dei illa tanquam Caput Eccleſiæ ſuæ diſtribuat inter homines. Vide Pſal.* CX. 1. LXVIII. 19. *Eph.* IV. 8. 10. *Non eſt nobis religio ita explicare, quia de Chriſto iſta prædicta ſunt, & Jeſus in cœlum ſublatus eſt, & Beneficia ejus in Eccleſiam extiterunt. Ita docemur ab Apoſtolis argumentari à conſenſu Scripturæ & Implemento ad Interpretationem Scripturæ Hebr.* II. 9. *Act.* II. 32. 33. *&c.* In fine adhuc addens; *In hanc ſententiam explicato hoc Pſalmo, facile deinceps erit judicare, quo modo Davidi, Eccleſiæ, & ſingulis membris ejus, cuilibet pro ſua menſura conformationis vel communionis cum capite conveniat, ut hic etiam retineamus quod eſt Pſal.* VIII. *dictum, Filium hominis minoratum, & poſtea gloria & honore coronatum, primo debere intelligi Chriſtum, qui quum inter homines ambulavit Deus hominem viſitavit, deinde eos qui ſunt Chriſti, qui in ipſo excitati & gloria coronati ſunt.*

VI. Tertium locum nominatæ Dextræ Dei cum reſpectu ad ei Aſſeſſurum Meſſiam nominamus *Pſal.* LXXX. 18. *Sit manus tua ſuper Virum Dextræ tuæ, ſuper Filium hominis quem roboraſti tibi.* Ubi & præceſſit *verſ.* 16. *ſuper Filium quem roboraſti tibi.* Ubi numerus ſingularis, cum deſcriptione nequaquam communi, ſimplicius & prius ad ſingularem Perſonam aliquam, quam ad plures diſtributive aut collective, nos ducit. Qui quando primum dicitur בן *Filius*, abſque addita mentione *Hominis*, quæ ſecundo loco accedit, poteſt quidem hoc nomen ſubintelligi, uti & LXX. & *Vulgatus* addiderunt; & longe rectius, quam illud בן *vitis*, cujus reſpectu *Cl.*

Nec non Pſal. LXXX. 18. Filius hominis dictus Vir Dextræ Dei.

*Coccejus* heic cum *Piſcatore* vertit ן per *palmitem*, vel *ſurculum*, collata *ſtirpe* plantata per Dei Dextram, & inculcata heic notione *malleoli validioris*, ad notandam ſic *tribum Judæ fortiorem & robuſtiorem cæteris*. Sed nec minus apte in nomine *Filii* abſolute poſito ſpectare poſſumus ad illum, qui eſt Filius Dei Æternus, per Communicationem ejuſdem numero Eſſentiæ ita à Deo Patre genitus, ut nullum ſibi habeat parem, & per illud nomen ſolum ſic ab aliis omnibus ſatis diſcernatur, *coll. Pſal.* II. 7. 12. *Prov.* XXX. 4. *Hoſ.* XI. 1. *&c.* Quando autem ſecundo loco idem ille dicitur *Filius hominis*, ſpectatur manifeſte ad Naturam Humanam, quam in tempore ab Adamo ipſo per Mariam Virginem erat accepturus ſingulariſſimo modo; & in qua unus ille præ aliis omnibus fratribus excelleret, primum quidem viliſſima depreſſione, ſed & dein ſublimiſſima glorificatione, unde id nomen ejus in Euangeliis eſt familiariſſimum, ex ipſis quoque vaticiniis *Pſal.* VIII. 4. *Dan.* VII. 13. de quibus antea ſuo loco dictum eſt *Capp. X. & XI.* Et hic ipſe veriſſime præ aliis eſt ille Filius Dei & Hominis, *quem Jehovah ſibi roboravit*, ſeu robore omni animæ & corporis ad ſuum opus feliciter peragendum & gloriam ſimiliter promovendam inſtruxit, atque prævalere fecit contra hoſtes omnes potentiſſimos, non obſtante externa impotentia carnis. Ille vero idem quando accipit nomen *Viri Dextræ Jehovæ*, quid aliud cogites prius? quam Heroa eximium, virtute & opere Deo proximum *Zach.* XIII. 7. qui hinc *ad Dextram ejus* ſit conſtitutus, hanc honorificentiſſime claudens in ipſius throno; inprimis ubi alias contractior phraſis ſic plenius explicatur. Quamquam ne ſic quidem excludatur notio omnis Amoris, Protectionis, vel Adjumenti, quam alii in nomine illo Viri Dextræ Divinæ reperiunt. Quando jam rogatur Jehovah, ut in gratia *viſitet Vitem ſuam* afflictam, *& ſuper Filium* illum, poteſt hoc intelligi; vel ut prius fiat propter eum, rogatione ſic facta in ipſius nomine, *coll. Pſal.* LXXXIV. 10. *Dan.* IX. 17. *&c.* vel ut illum ipſum quoque viſitet gratia ſua promerita, in favorem populi ſui. Quo eodem ſenſu deinde tum ſequitur, *ſit manus tua ſuper* eum, ad illum conſtanter in bonum Eccleſiæ tegendum, dirigendum, & juvandum, *coll. Pſal.* CX. 1. 2. *&c.* quæ rogatio

etiam

etiam ſic ad Orationem Dei in ipſius nomine nos ducit. Et habent hæc omnia ſimiliter locum, ſive Querelas antecedentes cum Supplicationibus ad Eccleſiam Veterem Judaicam, ſive ad Novam & Chriſtianam, exiſtimaveris ſpectare; de quo non lubet heic nunc præter ſcopum noſtrum differere. Ubi autem ipſa *Paraphraſis* Chaldaica heic primo loco nominavit *Regem Meſſiam*, qui deinde *Virum Dextræ* reddidit גבר דקימתא / ליח בידימינך quod vertunt, *cui juraſti in manu dextra tua*, ſed & vertere licet, *quem collocaſti in manu dextra tua*, nec abludunt Patres Veteres, mirum profecto eſt, quod Chriſtiani nonnulli heic cogitaverint magis, vel de Populo Dei univerſo, vel de Homine aliquo ſingulari uno vel pluribus. Prolixus heic eſt inter alios *Doct. Piſcator ad verſ.* 16. *Sed hæc expoſitio*, de Chriſto, *videtur mihi aliena, quia tum è cohærentia ſententiarum, tum ex ipſis verbis apparet, hic de nulla alia re ſermonem eſſe quam de Populo Iſraëlitico &c.* Et *ad verſ.* 18. ἐπιμονὴ, *ubi populus Iſraëliticus comparatur Viro &c. Populo tuo, quem olim Dextra tua defendiſti & magnificaſti, &c. Filio hominis, i. e. homini. Periphraſis Hebraica, rurſus autem intelligitur populus Dei, quem Deus ſimili metaphora nominat filium ſuum primogenitum Exod.* IV. 22. Enimvero recte quidem ab initio *ad verſ.* 18. ſcripſit *Cl. Coccejus*; *In maxima emphaſi Vir Dextræ eſt is qui ſedet ad dextram Dei Pſal.* CX. 1 *in quo dextra Dei operatur. Nempe is, qui nuncupatur Vir, cujus nomen eſt Germen, qui eſt juxta Deum Zach.* VI. *&* XIII. *h. e. Chriſtus. Etiam vocabulum Filius hominis in N. Teſt. Chriſtum ſignificat imitatione ſtili Pſal.* VIII. Sed deinde mirum in modum divagari ipſum deprehendimus; *Sed tamen*, inquit, *inter dominationem Gentium & Chriſti revelationem intercedit aliquid, quod per hanc pericopam intelligi poteſt. Dan.* XI. 34. *præmittitur, Iſraëlitas quum offendent adjutum iri auxilio parvo. Zach.* XII. 4. 5. *&c. & dicent Principes Judæ in corde ſuo* אמצה לי *robur mihi habitantes Hieroſolymæ in Jehovah Deo ipſorum. Pſalmus introducit Fideles, veros cives & filios Hieroſolymæ, orantes pro Principibus. Zacharias introducit Principes glorificantes Deum, ipſos roborantem, & ea roboratione ipſorum fidei & precibus fidelium filiorum Hieroſolymæ reſpondentem & ſatisfacientem. Judas Maccabæus & Fratres ipſius, & qui cum ipſis ad-*

*verſus Antiochum bellum geſſerunt, ſunt Viri Dextræ Dei, illos fecit Viros, ſicut Filii hominis, quos Deus ſibi roboravit & contentione virium donavit. Quæ contentio virium, tum in animo ſpectata eſt, tum in labore ingenti & indefeſſo. In animo fuit ſingularis fides & magna in Deo fiducia, & amor nominis Dei ac populi ipſius, promptitudo conſilii æque ac manus, & conſtantia in omnibus periculis &c.* Quæ quidem interpretatio mihi ſe minimè commendat; ut ſcilicet ab emphaſi omni verborum recedatur, propter aliquid quod inter Dominationem antiquam gentium in Judæos & Chriſti Revelationem in carne intercedere debebat, quod heic intelligi poſſit, (quaſi ſic certum eſſet, illa duo extrema cum medio interveniente heic prophetice reperiri depicta, quod hactenus nullo modo probatum video;) & ut hinc Viri Dextræ Dei dicat Principes Judæorum, qui cum eſſent Filii Hominis per Dextram Dei facti ſint Viri animo & corpore fortes, Judam nempe Maccabæum cum Fratribus reliquisque adverſus Antiochum gerentibus feliciter bellum. Et dubito, an iſta interpretandi ratio non conveniat nimium cum *Grotii* gloſſis, ubi ille de Chriſto dicta ad Zorobabelem & alios applicans redargui meritiſſime à Chriſtianis ſolet.

Res per hanc Seſſionem ſignificata, ſeu Gloria Perſonæ & Regni vere Divina, ubique etiam in Vaticiniis fuit inculcata.

VII. Enimvero, ſi vel nullus eſſet locus Vet. Teſtamenti, in quo de Meſſia Seſſuro ad Dei Patris Dextram legeretur adhibita hac phraſi, an non id ad veritatem hujus Seſſionis in Euangelio traditæ poſſet ſufficere, quod res ſignificata per hanc Seſſionem ubique in Vet. Teſt. de Meſſia fuerit prædicta? Et hoc fit evidentiſſime, ubicunque de Meſſiæ poſt exinanitionem maximam, tum Aſcenſione locali, de qua ante actum eſt, tum Regno ampliſſimo, & potentiſſimo, & conſtantiſſimo, vereque Divino, agitur. Atque heic provocamus nos ad *Moſen*; qui exhibet mox ab initio ex Dei ore *Semen Mulieris contriturum Caput Serpentis Gen.* III. 15. quod declaravimus *Hiſt. Parad. Lib. IV.* qui *in Abrahami Semine* habet *benedicendas omnes Gentes terræ Gen.* XXII. 18. de quo egimus *EXERC. TEXT. III. Parte IV.* qui *Shiloni* ponit futuram *Aggregationem populorum*, cum ſumma vini & lactis ſpiritualis abundantia *Gen.* XLIX. 10–12. de quo vide *Comment. in Pentat.* qui *Stellam* oſtendit *progreſſuram ex Jacob, & Sceptrum ſurrecturum*

*rum ex Iſrael*, quod confringeret angulos Moabi, & deſtrueret omnes filios Sethi, dum fieret Edom poſſeſſio, & Sehir poſſeſſio inimicis ſuis, Iſrael vero faceret robur, atque dominaretur ex Jacob perderetque ſuperſtitem ex Urbe *Num.* XXIV. 17–19. de quo perinde actum *in Comment. Pentat.* quique *Gentes* dixit ipſe *acclamaturas populo ejus, quoniam ſanguinem ſervorum ſuorum ulciſcetur, & vindictam hoſtibus ſuis reddet, & propitium ſe præbebit terræ ſuæ populi ſui Deut.* XXXII. 43. *&c.* quod & declaravimus *in Commentat. Pentat.* Provocamus non minus ad *Pſalmos*, ex multis paucos nunc; qui celebrant Meſſiam, ut *Regem Unctum Tſionis*, declaratum palam Dei Filium, qui Gentes omnes poſſeſſionem ſit accepturus, hoſtesque potentiſſimos contriturus niſi ſe illi juxta Deum ſubmittant *Pſal.* II. 6. *&c.* quem expoſitum dedimus *EXERC. TEXT. XV. Parte III.* qui eundem prædicant ut *Coronatum gloria, honore*, & imperio univerſali in opera omnia manuum Dei *Pſal.* VIII. 6. *&c.* quem illuſtravimus *EXERC. TEXT. XVI. Parte III.* qui eundem proclamant *Regem omnis terræ, regnantem ſuper gentes, ſedentem ſuper throno ſanctitatis ſuæ, principalibus populorum congregatis in populum Dei Abraham*, ut *ipſius ſint clypei terræ, valde* ſic *exaltati Pſal.* XLVII. 8–10. de quo diximus *EXERC. TEXT. XIX. Parte IV.* qui ejuſdem in cœlo conſtituti Decus magnificentiſſimum per Orbem juxta Cœlum omnem extollunt *Pſal.* LXVIII. 19. *&c.* quem tractavimus *EXERC. TEXT. XVIII. Parte III.* imo qui pluribus locis ita ad Magnificentiam Regis Meſſiæ & Regni ejus accumulant phraſes, ut nullæ videantur fuiſſe ſatis validæ ad eam exprimendam. Vide *Pſal.* LXXII. cum *EXERC. TEXT. XXII. Parte IV.* item *Pſal.* LXXXIX. cum *EXERC. TEXT. XI. Parte VI.* nec non *Pſal.* XCV. XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX. C. *&c.* Provocamus tandem ad *Prophetas*; inter quos celebrat Meſſiam *Jeſaias Cap.* IX. 5. 6. ut *ſuper cujus humerum Principatus foret*, cujus *nomen vocandum Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis, Pater Æternitatis, Princeps pacis*, cujus *Amplitudini Principatus & Pacis non foret finis, ſuper ſolium Davidis, & ſuper regnum ejus, firmando illud & fulciendo illud in judicio & in juſtitia, à nunc & in ſeculum &c.* de quo egimus *EXERC. TEXT. XVI. Parte VI.*

eundem prædicat *Jeremias Cap.* XXIII. 5. 6. ut *Germen juſtum Davidi ſuſcitandum* à Jehovah, & *Regem regnaturum* qui *proſperaretur faceretque judicium & juſtitiam in terra*, in cujus *diebus ſalvaretur Judah*, & *Iſrael habitaret in fiducia*, cui tribuendum *nomen Jehovæ Juſtitiæ noſtræ*, &c. de quo diximus *EXERC. TEXT. XXIII. Parte VI.* eundem extollit *Ezechiel Cap.* XVII. 23. 24. ut futurum *Cedrum glorioſiſſimam*, fruge pariter & fronde, quod tractavimus *Lib. II. Cap. X.* eundem cum Regno ſuo deprehendimus apud *Danielem Cap.* II. & VII. tanquam cui daretur cum Appropinquatione ad Stabilem dierum *dominatio & honor & regnum, ut omnes populi, nationes, & linguæ, eum honorarent*, cujusque dominatio æterna & non peritura, nec regnum perdendum unquam, &c. quem textum habuimus & ad Meſſiam omnino pertinere monſtravimus *Cap. X.* imo eundem in ſua Majeſtate vividiſſime depictum videmus à *Micha Cap.* V. 1. &c. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvusne ut ſis in millibus Jehudah? ex te mihi exibit ut ſit Dominator in Iſrael, atque exitus ejus ante principium ante dies ſeculi, propterea tradet eos ad tempus quo pariens pepererit, atque reliquum fratrum ejus revertentur ſuper filios Iſrael, ſtabitque & paſcet in fortitudine Jehovæ, in elatione nominis Jehovæ Dei ſui, & ſedebunt, quoniam nunc magnificabitur ad terminos terræ, & erit iſte pax &c.* Ut de aliis locis majorum Vatum plurimis & Duodecim Prophetarum minorum, vel & Hiſtoricis ſcriptis, nunc nihil amplius addam. Certe qui tanta cum majeſtate erat dominaturus in omnia & omnes, is merito dicitur & creditur ad Dei Dextram conſeſſurus in cœlis.

---

## CAPUT DECIMUM NONUM.

### *Quo ad Vaticinia hæc Typi, Seſſionis Meſſiæ ad Dextram Dei, qualeſcunque etiam adduntur.*

Typus Seſſionis hujus qualis in

In *Typorum*, qui varie ſic dicti, nec omnes vi hujus nominis Præſignificativi aut Prædictivi deprehenduntur, ſed non-

nonnulli in ſimilitudine ſive convenientia ſola conſiſtunt, ſecundum dicta *Lib. II. Cap.* 14. in horum, inquam, numero nominari ab ævo præ aliis ſolet *Joſeph* Patriarcha, Jacobi filius, tam Male primum habitus & à fratribus & ab extraneis, quam fuit ille deinde Exaltatus in Ægypto, ut illius terræ Regi eſſet proximus, *Gen* XLI. 40. *&c.* atque Fratres cum Patre ipſo ſe coram eo incurvarent, ſecundum ipſius quæ imprudenter narraverat ſomnia *Gen.* XXXVII. 7. 9. *&c.* Quem Typum inter alios valde urget *Rev. Pearſonius*; *Joſephus à fratribus traditus atque venundatus, manifeſtus Chriſti Typus erat, & quanquam in aliis multis Meſſiam referat, nulla tamen in re magis quam quod è carcere eductus ad proximam Regiæ dignitatem in Ægypto evectus ſit. Ita enim ad ipſum Pharao Gen.* XLI. 40. *&c. Ita ſcil. Joſephus omnem poteſtatem Regiam exequebatur ſibi commiſſam, omnia edicta ac mandata per ipſum promulgabantur, omnia negotia per ipſum gerebantur, niſi quod autoritas qua hæc omnia præſtabat in Pharaone reſideret. Manifeſtus hiç Filii hominis Typus fuit, qui à Dextris Dei ſedens poteſtatem obtinuit regendi ac gubernandi omnia cum in cœlo tum in terra, imprimis vero ut Gubernator Domus ſuæ quæ eſt Eccleſia, cum hoc expreſſo mandato, ut ipſi etiam genu flectatur cœleſtium terreſtrium ac infernalium. Hæc omnia autem nomine atque autoritate Patris, cui nempe thronus ſemper manet, atque in quo originaria autoritas reſidet. Sic igitur Seſſio Meſſiæ præfigurata fuit.* Et non eſt tam multiplex convenientia inter Joſephum & Chriſtum heic etiamnum tradita, ut non liceat adhuc plures quærere & invenire per omnes hiſtoriæ ejus partes; dum ſemper inter Ægypti & Eccleſiæ Dominium, quin & Pharaonem ejus Regem qui Joſephum evexit, atque Deum Patrem collocantem Filium à Dextris, magnum manet diſcrimen, præter aliud multiplex. Et notavimus jam antea, hypotheſin illam quod in continuata hiſtoria unum Idemque Chriſti fatum nequeat bis repræſentari illuc duxiſſe *Cl. Vitringa*, ut Joſephi Dignitatem ſummam in Ægypto non referret ad Chriſti ipſius Collocationem à Dextris Dei quam ille heic nuſquam reperit, *Obſ. Lib. VI. Cap.* 21. ſed ad *Chriſtianos, quibus primum tractu temporis in Romano Imperio eouſque res ſucceſſerunt, ut non tantum Chriſtiana religio diſſeminata fuerit per totum Imperium Romanum,*

Joſepho Exaltato agnoſci quæt.

*manum, ſed etiam ut in palatiis Imperatorum & Principum, imò in ipſius palatio Diocletiani ipſorum curæ ac fidei omnia commiſſa ſint &c.* quod delineatum ſit per Præfecturam Domus Potipharis Joſepho commiſſam; ſed *qui deinde ex Diocletianæa afflictione liberati vindicatique ſunt per Conſtantinum Imperatorem Romanum, omnia illorum Curis & Præfecturis ſubjiciente.* Prout in eam rem inculcat, *Exaltationem Joſephi Antitypici in Ægypto, h. e. Romano Imperio, rem eſſe aliam quam ejus ὑπερύψωσιν ad Dextram Patris*, nimirum *illius evidentiſſimam demonſtrationem*, quæ in hoc Typo reſpicitur. Huc etiam mire trahit; tam antecedentia, Joſephum ſcil. traditum Mercatoribus Midianitis venditumque Viginti Siclis, ad Pauli converſi Fugam & Prædicationem in Arabia, & miſſas inde Jeroſolymam Eleemoſynas; tum conſequentia, ſomnium v. g. Pharaonis expoſitum à Joſepho ad ſomnium θεόπεμπτον Conſtantini M. quo tempore cum Maxentio de ſumma rei ante mœnia Romæ decertaret &c. Quales tranſlationes, nimis profecto ludicræ, mihi iſtam prædictivam Repræſentationem Chriſti in Joſepho haud parum faciunt dubiam. Inprimis quando conſidero fundamenta, tum ab aliis data, tum ab hoc Viro poſita, pro Typica illa Præſignificatione; uti eſt Conſenſus Interpretum, qui in ſtricto ſenſu Typi tamen nec conveniunt omnes; ſingularis dein plane & admirabilis luſus Divinæ Providentiæ in adminiſtrandis fatis totius vitæ Joſephi, dilectiſſimi & ſanctiſſimi filii ſui Patris &c. quæ ad præſignificationem ſolam nos non ducit neceſſario; nomen נזיר אחיו *ſecreti fratrum ſuorum*, à Jacobo datum Joſepho, quod ad Typicam præfigurationem ſpectare nondum conſtat; tandem Joſephi ipſius Somnium de *Sole Luna & Sideribus Undecim ſe reverenter coram ipſo incurvantibus Gen.* XXXVII. 9. quod utique directe ad Jacobum cum Conjuge & Filiis pertinet, nec probabit ille unquam ſpectare ad Oeconomæ Veteris abolitionem, & Anti-Chriſtianiſmi everſionem, quidquid iſta audacter dicat.

Etiamque in Adamo Primo.

II. Certam ergo longe magis in Joſepho reperimus Convenientiam qualemcunque cum Chriſto, quam ejus poſt Exinanitionem Exaltandi prædictionem realem. Quod perinde dici debere putamus de Adamo homine primo. Quem equi-

dem

dem τύπον τ̃ μέλλοντ@, *typum futuri*, aliquando Chriſti, dixit expreſſe Paulus *Rom.* v. 14. Sed ſenſu generaliori & tenuiori imaginis qualiſcunque ſimilis, uti monſtravimus dudum *EXERC. TEXT. XLII. Parte V.* nec cum reſpectu ad alia omnia capita convenientiæ quæ heic cogitari queunt, ſed ad Repræſentationem omnium ad Utrumque ſpectantium, qualis in Fœdere Operum hujusque Violatione obtinuit in Adamo, ſed in Fœdere Gratiæ in Chriſto tanquam Altero Adamo obtinet. Quam poſteriorem cum priori merito comparat Paulus, ne Imputatio crederetur eſſe ſine exemplo; ſed quæ cogitari nequit ante Fœdus Gratiæ erectum, & quidem in ipſo Lapſu antecedente hoc. Similitudinem vero ſi vis etiam Adami cum Chriſto Sedente ad Dei Dextram; cogita Adamum ex pulvere terræ factum, quem Deus omnium ſub ſe Creaturarum Dominum conſtituit tamen ſplendidiſſimum, omnibusque Donis ſimul animi & corporis beavit. Unde & David phraſes ſuas de Chriſti gloria petiiſſe videtur in *Pſalmo* VIII. q.d. hoc quod ſuo modo verum fuit in Adamo, longe excellentiori ſenſu de Chriſto Altero Adamo verum eſt, & hinc cum Dei celebratione agnoſci ab omnibus debet.

Sed magis in Moſe & in Joſua.

III. Quidni potius urgeamus heic *Moſen*, forte & cum *Joſua* ſucceſſore? qui uterque fuit Chriſti Typus Præſignificativus; ille in populo Iſrael educendo ex Ægyptiaca ſervitute, & ducendo per mare & deſertum, ubi & Legem dedit Fœdusque Dei nomine cum populo ſolenniter firmavit; hic autem in eodem populo introducendo in Hæreditatem promiſſam, una cum hoſtium Cananæorum deletione. Nempe *Moſes* ille, ut paucis dicam modo, Dux populi, & Liberator externus, quin & prioris Fœderis Mediator, ab exiguis ſurrexit initiis, ſpretus ab Ægyptiis ſimul & Iſraëlitis; ſed emerſit per Dei providentiam ſingularem, qua vocatus fuit, & miſſus, & ereptus ab omnibus præſentiſſimis periculis, & nactus poteſtatem Deo vocanti mittenti & adjuvanti proximam, tum in Ægyptios ad horum perditionem variam, tum maxime in Populum Iſraël, qui volens nolens ipſius voci debuit obedire, & cujus reſpectu ille dicitur *Rex in Jeſchurun, in congregatione capitum populi, ſimul tribuum Iſraëlis Deut.* XXXIII. 5. tantopere etiam apud Gentes omnes

quaquavorſum ab ævo celebratus. Atque *Joſua*, ſeu *Jeſus*, vim iſtius nominis ſui in adducta externa ſalute adimplens, Moſi in exaltatione ſua ſucceſſit poſt fidem in Deum & Populum præſtitam, quando juſſus à Deo fuit Moſes *manum ei imponere, coram Eleazaro Sacerdote, & omni cœtu, eum conſtituere in eorum oculis & præcepta dare, de ſplendore ſuo ſuper eum ponere, ut audirent omnis cœtus filiorum Iſrael Num.* XXVII. 18. *&c.* imo quando conſequenter *Jehovah* ipſe *magnificavit Joſuam in oculis totius Iſrael, atque timuerunt eum ſicuti timuerant Moſen omnibus diebus vitæ ejus Joſ.* IV. 14. hujus & factorum hujus fama quoque per populos omnes ſparſa.

Quin & in Davide ac Salomone.

IV. Non minus adhuc inhærendum puto iis, quæ *Davidi & Salomoni* filio ejus contigiſſe ſcimus ex ſacris monumentis; quorum prior Bella Domini geſſit contra hoſtes undique, uti poſterior Templum ædificavit & in multa Pace & Proſperitate Regnum tenuit. Enimvero fuiſſe hunc utrumque inſignem prorſus Chriſti Typum, hinc & ab ipſis denominati plusquam ſemel, nemo dubitet. Prout jam prior, Vir ille *Dilectus*, & *ſecundum Dei cor*, ex viliori *Bethlehem* ortus, *acceptus* à Deo fuit dè *caulis pecoris, de poſt fœtas adductus ad paſcendum Jacob populum ejus, & Iſraëlem hæreditatem ejus, &c. Pſal.* LXXVIII. 70. 71. *&c.* ita per mille afflictiones perſecutiones & opprobria ad Regnum Judæ & Iſraëlis pervenit, quod per proſperrrima bella in populos omnes propinquos & longinquos, imo & per generationes & ſecula inſecuta, celebrari fecit, *coll. 2 Sam.* VIII. 1. 2. *&c.* Prout etiam poſterior, ille *Pacificus* & *Dilectus Domini*, maxima Gloriæ poſt Davidem patrem accepit promiſſa, non obſtante aliorum oppoſitione magna, atque ita feliciter *conſcendit Thronum Jehovæ, ut Rex loco Davidis patris ſui, & proſperatus eſt, & obedierunt ei omnis Iſrael, & omnes principes ac potentes, atque etiam omnes filii Regis David dederunt manum ſub Salomonem regem, & magnificavit Jehovah Salomonem in ſublimitate in oculis omnis Iſrael, deditque ſuper eum decus Regni, quale non fuerat ſuper omni Rege ante eum ſuper Iſrael &c. 1 Chron.* XXIX. 23. *&c.* Quæ & excellentiſſima majeſtas & proſperitas ad ædificationes ſplendidas, inprimis Templi magnificentiſſimi, ipſum traxit, nomine ejus ſic æternitati vere conſecrato.

Qui-

Quibus omnibus decenter ſpectatis, optimos heic reperiri putem Typos Meſſiæ, ſupra omnes exaltandi ad Dextram Patris, per Belli & Pacis proſperrimos ſucceſſus ſimiles, quos hic longe adhuc majores erat habiturus.

Sed maximus & certiſſimus in Joſua, Filio Jotſadak, Pontifice Coronato à Zacharia.

V. Sed omnium clariſſimum & certiſſimum Typum hujus Gloriæ Chriſti nobis dedit Deus ipſe per *Zachariam Cap.* VI. 8. *&c.* in perſona *Joſuæ* alterius, filii Jotſadak, Pontificis in reſtitutione populi ex Babel. Quam non Viſionem ſed Hiſtoriam veram tractavimus, non tantum in *Commentario* noſtro decenter, ſed multo latius *Exercit. Miſcell. Diſp. VI.* Summa hiſtoriæ iſtius eſt, quod jubeatur Zacharias Vates à Jehovah ipſo, *accipere à Deportatione*, in domo Joſuæ filii Tſephanjæ, *Argentum & Aurum*, ex quibus pretioſiſſimis metallis *faceret*, non coronas plane diverſas, ſed potius unam *Coronam* ampliſſimam varios habentem circuitus, quam *poneret in capite Jehoſuæ filii Jehotſadak Sacerdotis magni.* Quo ipſo ne ille crederetur ad Regni majeſtatem perventurus, Typi iſtius externi exegeſin voluit Deus addere & addi à Zacharia; *Et dices ad eum dicendo, ſic dixit Jehovah exercituum dicendo, ecce Vir*, non hic Joſua ſed alter in eo Repreſentatus, *Germen nomen ejus, & de ſubter ſe germinabit, & ædificabit Templum Jehovæ, & ipſe ædificabit Templum Jehovæ, & ipſe portabit majeſtatem*, etiam in hac Corona ampliſſima repræſentatam, *& ſedebit & dominabitur ſuper throno ſuo, & erit Sacerdos ſuper throno ſuo*, utrumque munus Sacerdotale & Regium ſimul geſturus, tanquam verus Melchitſedek cujus ordinem heic nominaverat dudum David, *& inter Duos illos*, ſive Regem & Sacerdotem in Una Chriſti Perſona concurrentem, ſive me Jehovam & Germen illud magnificum, non jam fuit ab æterno, cum omnia heic legantur in futuro & prædicantur, ſed *erit, Conſilium Pacis*, ſeu ſumma & amiciſſima conſpiratio in verum Eccleſiæ Bonum, temporale & æternum, quod ſic erit operandum perfectiſſime. En ergo Typum Meſſiæ Exaltandi, præter quem non eſt alius cui prædicata iſta conveniant, adeo datum plane extra ordinem, & ſimul ab ipſo clariſſime expoſitum, ut refragari nullo modo liceat cuiquam. Nec eſt heic Corona tantum ampliſſima, capiti Pontificis impoſita, ſed & *Seſſio ac Dominatio* ampliſſima *ſuper throno*, ſuo & Patris,

Patris, in quo Sacerdos simul foret, imo Jehovæ proxima, ut locus esset mutuo illi *Pacis Consilio*, dum Pater adesset in omnibus Filio & Filius Patri adhæreret constanter.

---

## CAPUT VIGESIMUM.

### *Quo Libri hujus Tertii Argumentum in Summam tandem quoque contrahitur.*

Verba Ascensionem Christi designantia conferuntur.

Uti in Utroque Libro præcedenti singulorum *Capitum* argumentum in totidem Theses contraximus, ad lectoris usum, ita & heic modo libet agere, ut tractatio nostra sit hac etiam in parte Uniformis. Atque ita notari ante alia debere putavimus, putamusque, Verba Scripturæ Sacræ de Christi Redivivi Translatione in Cœlum usurpata; tum Passiva magis, *Exaltari*, *Attolli*, *Sursum ferri*, vel *Assumi*, vel *Recipi*, *&c.* quæ ad Deum Patrem tanquam Personam Primam & Judicis partes tuentem nos ducunt; tum & Neutro-Activa, *Ascendere*, *Abire*, *Proficisci*, *Derelinquere mundum*, *Ire ad Patrem*, *in Cœlum Ingredi*, *&c.* quæ ad propriam Christi Potentiam & Potestatem Divinam nos attendere jubent.

Ascensionis Christi Terminus A Quo, Ad Quem, Medium spatium, Nubes auferens eum, ejusque facta Conspectus Apostolicus, jubent Translationem. Localem heic agnoscere.

II. Ascensio autem ista cum dicat Translationem Localem, indubie magis proprie Humanitati Christi convenit quam ejus Deitati, quæ tamen in Humanitate singulari modo se præsentem monstrat. Est autem Translationis hujus *Terminus A Quo*, Terra hæc Inferior universa. In qua se dein non amplius futurum sæpissime monuit & varie Christus Discipulos suos ante abitum suum *Matt.* XXIV. 23. XXVI. 11. 1 *Cor.* XI. 24. 25. 26. *Joh.* XIV. XV. XVI. XVII. XX. 17. Quibus præmonitionibus Eventus omnino respondisse deprehenditur *Luc.* XXIV. 51. *Hebr.* VIII. 4. 2 *Cor.* V. 6—9. *Phil.* I. 23. 24. Unde nec usquam deinde in hac Terra deprehensus est ipse. Dum facillime solvuntur Objectiones, quæ ab aliis in contrarium moventur, ex Christi Promissis, & Dictis Generalioribus, quin & Exemplis Præsentiæ illius. Ascensionis ejusdem Christi *Terminus ad Quem* est Cœlum Supremum, secun-

ſecundum Chriſti quoque Prædictiones repetitas, & Eventum ab Apoſtolis notatum *Marc.* XVI. 19. *Luc.* XXIV. 51. *Act.* I. II. III. 21. *&c.* Ad quem Terminum ut à Terra hac perveniret Dominus, ipſe Cœlos Viſibiles omnes tranſiit expeditiſſime, nulla ſpatii iſtius magnitudine vel objecta corporum mole impeditus. Subſerviit autem Chriſto Aſcendenti Nubes, quæ illum non tantum à Diſcipulorum oculis abſtulit, ſed & in Altitudinem notabilem ſuſtulit, quod ad Localem Tranſlationem omnino ducit. Æque quam Diſcipulorum præſentium Conſpectus, qualis in mera Diſparitione non potuit obtinere.

Aſcenſionis Tempus ita fuit Dies Quadrageſimus, ut Locus fuerit Bethanienſis tractus Montis Oliveti, prope Jeruſalem.

III. Aſcendit ita Dominus noſter in Cœlum, poſt abſolutam Loquelam neceſſariam & Benedictionem in Diſcipulos. Et quidem Die Quadrageſimo à Reſurrectione, qui ſatis heic & alias quoque notabilis eſt; potius Matutina aliqua parte quam alia ejus Diei. Quas vero de Chriſti Aſcendentis Loquela phraſes habent diverſas Marcus & Lucas, illæ ſuo modo diſtingui poſſe videntur. Quod autem ad Locum Aſcenſionis attinet, oritur heic difficultas ſatis magna, quomodo Lucæ verba in Euangelio & in Actis inter ſe conciliari aptiſſime queant, quod varie tamen fit. Nempe occurrit heic apud ipſum in Euangelio *Bethania*, in quam cum Diſcipulis extra Urbem Jeruſalem ivit Jeſus, quæ apud Johannem alibi dicitur Quindecim Stadiis ab Urbe abfuiſſe. Quam temere autem heic & alibi in Euangelio cogitetur de duplici plane diſtincta Bethania; tam ſolide agnoſcatur, illud nomen nos nonnunquam ducere ad Vicum ejus nominis, & nonnunquam ad Tractum agrorum propinquorum, quod infeliciter impugnavit *Ligtfootus*. Cumque exiverit Chriſtus cum Diſcipulis, ut in horum, ſed non hominum multorum aliorum promiſcuo, conſpectu in Cœlum aſcenderet, vix dubitandum putem, quin Tractus ille Bethaniæ heic præ Vico ſit intelligendus. In Actis porro Diſcipuli poſt Aſcenſionem Domini reverſi feruntur eſſe in Jeruſalem *à monte Oliveto prope Jeruſalem habente Sabbathi Iter*, ſive ab ea diſtante ad Stadia tantum, ſeu Quinque majora, ſeu Sex Septem vel Octo fere minora. Quod variis quidem modis aliis magis vel minus commodis conciliari ſolet, ſed optime conciliatur per obſervationem il-

lam præmiſſam de Bethaniæ notione duplici, deque heic intelligendo non Vico ſed Tractu Bethaniæ, qui per Montem Olivetum protendebatur verſus Urbem Jeruſalem; dum neque conſtat nobis determinatum Punctum Montis illius, à quo Dominus aſcendit, & Montis ejuſdem aſcendentis initium, non autem is per omnes partes, fuit notatæ illius diſtantiæ ab Urbe. Non eſt autem dubium, quin in Monte illo Bethanienſis tractus eligendo ad ſuam Aſcenſionem in Cœlum Dominus noſter ſapientiam ſuam omnino etiam oſtenderit Diſcipulis ſuis.

Traditio Vetus, ſed vere Fabuloſa, de Veſtigiis pedum ab Aſcendente Domino impreſſis monti, hac occaſione exhibetur & ad examen vocatur.

IV. Interim non poteſt heic intacta prætermitti traditio vetus de Veſtigiis Aſcendentis Domini monti impreſſis; quam cum aliis inculcavit *Baronius*, & varie confirmare ſtuduit *in Annalibus*. Nec diffiteri poſſumus, legi aliqua huc ſpectare viſa apud *Hieronymum*, nec non *Optatum*, *Paulinum*, *Sulpicium*, præter alia *Cyrilli Hieroſ. Auguſtini*, & *Euſebii* ipſius, quæ huc trahuntur. Enimvero nihil eſt, de Miraculoſe relictis iſtis pedum Veſtigiis ab Aſcendente Domino in monte Oliveti, in Hiſtoria Sacra aut Doctrina Novi Teſt. nec etiam in Vaticiniis veteribus, quæ huc nonnunquam ineptiſſime torquentur ex *Zach.* XIV.4. & *Pſal.* CXXXII.7. Nihil ſimiliter eſt de eiſdem Veſtigiis in Eccleſiaſticis Scriptoribus Trium Seculorum Primorum; dum qui de Seculi Quarti parte Prima citantur, *Euſebius*, *Cyrillus Jeroſ. & Optatus Milevit.* adeò generaliter heic loquuntur, ut Veſtigia illa hinc nemo ſolide exſculpat. Et quod ad *Hieronymum* ac *Auguſtinum* in exitu Seculi Quarti, *Paulinum* quoque & *Sulpicium* in initio Seculi Quinti, attinet, generatim tenere oportet; illos pluſquam Trecentis annis poſt rem geſtam vixiſſe, ætate multum inclinante in ſuperſtitioſam credulitatem; atque illis jure poſſe opponi *Euſebium*, *Socratem*, *Sozomenum*, *ac Theodoretum*, qui nihil tale aut ſimile habent iiſdem ſeculis. Præter quæ ſunt & alia quæ priorum Autorum ſingulorum quatuor autoritatem heic minuunt multum. Seculorum aliorum inſecutorum heic non eſt cur rationem magnam habeamus; quando fabuloſa ſuperſtitio omnia fere occupavit paulatim magis, atque ipſe *Beda* Seculo *VIII.* ſcripſit quæ traditionem hanc dubiam facere poſſunt. Et quod ad Recentiores Deſcriptores

ptores Terræ Sanctæ attinet, quales *Cotovicus*, *Brocardus*, *Petrus Valenſis*, *Adrichomius*, *&c.* horum narrationes mire quantum differunt ab antiqua illa Traditione, & ex figmentis ſumptæ ſunt certiſſimè. Qualia plura etiam habet *Baronius*, quæ nullam plane fidem merentur. Quæ cuncta id efficiunt, ut miremur heic facilitatem *Caſauboni* noſtri, in ſumendo patrocinio hujus traditionis.

Corona ſplendida præſens apud Domini Aſcenſionem.

V. Cæterum digniſſima ſpectatu eſt Corona eorum qui Chriſtum Aſcendentem viderunt. Et hi fuerunt Apoſtoli Undecim; qui etiam à Luca heic nominibus ſuis ſolitis exprimuntur, ordine ſapientiſſimo. Quos omnes heic tanquam Spectatores adeſſe voluit Dominus, ad tanto majorem rei Certitudinem apud ipſos & ipſorum auditores; dum apud Enochum aſſumptum fortè nemo, & apud Eliæ ſublationem unus tantum adfuerat Eliſah. Quamquam vero non deſint ratiocinia varia, etiam ex ſequenti dein Lucæ contextu, quibus urgent quidam, juxta Apoſtolos etiam alios Diſcipulos & Mulieres apud hanc Chriſti Aſcenſionem fuiſſe præſentes; nihil tamen eſt quod de eo nos certos reddere poſſit. Sed Apoſtolos ſuos omnes legitur Chriſtus *Extra Duxiſſe uſque in Bethaniam*, & deinde cum *manuum elatione* eis *benedixiſſe*; quando mox viderunt eum ſimul clariſſime & diſtinctiſſime Aſcendentem, ortis hinc Affectibus in Dominum decentiſſimis quos prodiderunt Actionibus ſuis. Qui tamen Viſus non eſt cum ulla ſpecie protendendus ad ultimum Aſcenſionis Terminum, ubi Nubes expreſſe dicitur ipſum Aſcendentem ab illorum conſpectu abſtuliſſe. Et facit hic ipſe Apoſtolorum Conſpectus ſimul ad Certitudinem & ad Magnitudinem Aſcenſionis Dominicæ plurimum.

Nubes quæ ad Uſum Domini heic intervenit.

VI. Ubi in Aſcenſione Domini *Nubem* interveniſſe legimus in Actis, generaliter conſiderari poteſt Nubium varietas, improprie & proprie ſic dictarum, pro varietate qualitatum & effectuum. Eſt autem ea heic cogitanda nec parva nec magna nimis; ſervanda etiam mediocritate altitudinis, craſſitiei, & celeritatis. Et porro conferentur utiliter; tum Nubes Ignea & Turbida in Aſſumptione Eliæ; tum Nubes Denſa & Gravis juncta cum vocibus & fulguribus & voce buccinæ valde fortis apud Sinai & Legiſlationem illic factam; tum Nubis & Ignis

Co-

Columna in deſerto tegens & ducens populum; tum Nubes apud Chriſti Transformationem lucida. Dum conjectura potior eſt, Nubem hanc fuiſſe minus terribilem, & ex adverſo Lucidam ac cum Majeſtate Amœnam. Cæteroquin vix ita intentis in cœlum oculis manſiſſent Apoſtoli, & mox cum gaudio reverſi in urbem. Illa autem Nubes eſt, quæ Dominum de terra ſuſtulit ita, ut eum quoque abſtulerit à Diſcipulorum oculis in majorem cœli altitudinem; perperam à nonnullis tracta Nubis hujus operatione ad ſolam velationem coram Diſcipulis. Neque fuit ex neceſſitate, ſed ex majeſtate Chriſti, quod Nubem ſibi in hac Aſcenſione voluit inſervire. Adfuiſſe porro heic Domino ad uſum ſuum Cœleſtes quoque Angelos, tum per hiſtoriam geſtorum mox apud Apoſtolos, tum per alias rationes varias, vix eſt dubitandum. Quin & ſatis probabile nobis videtur, ſodalitium amplius Beatorum hominum in Aſcenſione hac Chriſtum fuiſſe comitatum, ſi non de infima terra, utique de Cœli medii regione una vel alia.

Angelorum accedens ſimul Miniſterium.

VII. Spirituum Cœleſtium Miniſterium ſe heic palam prodidit mox ad Aſcenſionem, quando apud Apoſtolos ſe ſtiterunt Viri Duo, cum Sermone Redargutivo & Inſtructivo, qui Effectu optato in Diſcipulis minime deſtitutus fuit. Scilicet Domino ab oculis per Nubem ſublato, manſerunt Apoſtoli in Cœlum ἀτενίζοντες, quorſum Jeſus abreptus eſſet, & annon forte mox rediturus eſſet, vel aliquid ad ipſos demiſſurus. Atque id dum agunt ipſi, *ecce Viri Duo*; non utique Homines aliunde venientes, ſed Angeli in forma emblematica ſolita virili, & quidem in *Veſtitu Albo*, puro læto glorioſo, ſibi & Domino & nuncio ſuo convenienti, illis deſuper repente *adſtiterunt*.. Qui ne quidem interrogati ad eos *dixerunt*, poſt increpationis ſpeciem quandam, quæ ipſos erudirent de præterito & ſimul de futuro. *Viri Galilæi*, inquiunt, quæ compellatio, partim ad commendationem, partim ad depreſſionem eorum trahi poteſt, ſed ſimpliciſſime ad eorum patriam Angelis notam refertur; *quid in cœlum intuentes ſtatis?* nempe quid in illam partem cœli, in qua à conſpectu veſtro ſublatus eſt Chriſtus, intuemini? & quid ſtatis, ſeu manetis heic erecti? ob quam rationem, & in quem finem?

fruſtra

fruſtra utique & inaniter. Namque, hæc accedit mox Inſtructio, *Jeſus hic*, quem aſcendentem modo poſt colloquia grata vidiſtis, *in cælum*, ipſum ſupremum quorſum oculi veſtri pertingere omni ſolita acie nequeunt, *ſublatus eſt*, ſua & Divina virtute, *à vobis*, diſcipulis ejus cum quibus antea fuit converſatus, & à terra tota. Atque idem ille Jeſus, *veniet*, aliquando ex cœlo rediturus in nubes, *ſic quemadmodum illum abeuntem in cælum vidiſtis* modo, tam vere, tam viſibiliter, tam glorioſe, etiam cum illuſtri Nubium Angelorum & Cœlitum pompa vere Divina; dum convenientia tamen univerſalis in omnibus etiam circumſtantiis minoribus heic cogitanda nequaquam eſt. Quod alloquium tam feliciter affecit Apoſtolos, ut ipſi mox *in Jeruſalem ſint reverſi cum gaudio magno*, atque *in Templo* non tantum *Deum laudaverint & benedixerint ſemper*, ſeu omni tempore opportuno, ſed & in domus ſuæ prioris *Cœnaculum aſcenderint*, manentes illic amiciſſime & religioſiſſime inter ſe uniti, ad exſpectandum implementum promiſſionis Chriſti & Patris. Et hæc pars hiſtoriæ plurimum facit ad Certitudinem & Gloriam Aſcenſionis Domini noſtri.

Certitudo hiſtoriæ hujus variè monſtrata.

VIII. Quamquam hæc pars Exaltationis Chriſti poſt admiſſam ejus Reſurrectionem ſit minus difficilis creditu, decet tamen ut hanc Evangelii partem etiam firmemus valide. Quod fiet ante omnia, ſi rem ipſam decenter contemplemur, tum in Poſſibilitate ſua per Divinam virtutem, tum in Decentia ſua ſumma ab omni parte, tum & in Neceſſitate ipſa. Quando recte tranſitur ad Scriptores Apoſtolos & Apoſtolicos Viros ut omni fide digniſſimos. Quin & porro ad *Narrationis* horum Modum, quoad Circumſtantias quoque Temporis & Loci. Ad quæ etiam accedit Aſcenſionis hujus Fides juxta Famam ejus per orbem omnem perrumpens mirifice, Chriſtique Exaltati Facta in populum ſuum & in Hoſtes ſuos ſtupenda. Sed præ his omnibus attendi heic volumus ad Vaticinia Prophetica, tum Verbalia tum Realia, quæ fallere nequeunt per Dei ipſius veracitatem ſummam, quæque de Meſſiæ Aſcenſione clariſſime teſtata ſunt longè ante eventum.

Quam maximè ex Vaticinio Pſal.

IX. Tale equidem eſt præ aliis omnibus, quod legitur *Pſal.* LXVIII. 19. quod & Paulus in eam rem laudavit *Eph.* IV. 8. 9. 10.

LXVIII. 19. à Paulo heic merito laudato.

10. In eo compellatur *Jah Deus*, qui *in Altum* fertur *Aſcenſurus*, quin & *Captivitatem Captivaturus*, & *Dona accepturus in homine, atque etiam Refractariis ad habitandum*; quod ita *dici* propter Chriſtum, hujusque Fata & Facta, monuit Paulus phraſi impersonali. Quod tamen hic noluit credi ob ſuam dicentis autoritatem, ſed & probavit; tum ex Aſcenſione, quatenus hæc Deo tributa Deſcenſum antecedentem ponit, Filio Dei Meſſiæ convenientem in hæc Inferiora mundi per Incarnationem heic ſpectatam; tum ex Donorum Datione inſecuta, quæ ſatis recte per Impletionem omnium heic quoque intelligitur. Quæ utraque in Jeſu noſtro obtinuiſſe deprehenditur. Dum nec alia argumenta complura deſunt in illo *Pſalmo*, quæ hunc ad Meſſiam omnino ſpectare arguunt.

Ex aliis Pſalmis huc optime referuntur loca Pſal. XXIV. 7. & XLVII.

X. Ad eandem Chriſti Aſcenſionem referuntur & alii *Pſalmi*, ſed hi præ illis magis recte & ſolide. Uti textus *Pſal.* II. 4. *Sedens in cœlis ridebit*; item *Pſal.* VII. 11. *Clypeus meus eſt apud Deum qui ſalvat rectos corde, coll. verſ.* 8. *ſupra illum in Altum redi*; nec non *Pſal.* VIII. 2. *qui dediſti majeſtatem tuam ſuper cœlos*; etiam *Pſal.* XLV. 5. ubi verba vertuntur, *decus tuum trajice, &c.* Præ quibus nos heic nominamus *Pſal.* XXIV. 7——10 *attollite portæ capita veſtra & attollimini oſtia ſeculi, & ingredietur Rex gloriæ &c.* Et maxime *Pſal.* XLVII. 6. *aſcendit Deus in jubilo, & Jehovah in voce tubæ*; in quo non obſtat hiſtoria Eventus in Jeſu, quatenus *Jubili & Vocis Tubæ* nullum facit mentionem, dum hæc difficultas varie tolli poteſt ab attendentibus.

Rectè etiam Aſcenſio illa prædicta reperitur Jer. XXX. 21. & Dan. VII. 13. 14.

XI. Extra Pſalmos in Prophetis certiſſime etiam Chriſti Aſcenſio prædicta deprehenditur. Nominatim apud *Jeremiam Cap.* XXX. 21. Ubi Jehovah loquens introducitur de *Iſraëlis Magnifico & Dominatore*, quæ præclariſſima ſunt Meſſiæ Nomina, illi præ aliis omnibus competentia. Et hic primum fertur *Futurus ex* ea gente, atque *Exiturus ex ejus medio.* Et hunc dein dicitur *Jehovah facturus appropinquare ad ſe*, ita ut *appropinquet ad ſe*; dum nemo alius eſt qui *oppignoret cor ſuum ut appropinquet* ad ipſum. Unde eſt heic certiſſima deſcriptio Meſſiæ, Aſcenſuri tanquam Pontificis ad Deum in cœleſte ſanctuarium. Uti ſimiliter legimus *Dan.* VII. 13. 14. de Appropinquatione Meſſiæ ad Jehovam, non quidem Sacerdota-

dotali, ſed vere Regia. Ubi poſt viſas *Beſtias* Quatuor prodeunt *Throni*, cum *Antiqua*, ſeu *Stabili, dierum*; quæ optima Dei eſt deſcriptio, uti & hunc arguit omnis Majeſtas addita, tum Perſonæ tum Operis. Prodit præterea *Similis Filio hominis*; ſeu Similitudo, vel Hominis ſimpliciter, vel etiam Meſſiæ præ aliis hominibus futuri vilis & glorioſi. Qui venit *cum Cœli Nubibus*, & *ad Stabilem dierum pervenit*, ad hunc *appropinquare factus*, atque accipiens *poteſtatem ac gloriam & regnum*, tam late extenſum per omnes populos, quam durabile in perpetuum. In qua poſtrema Viſionis hujus parte prorſus mirandum eſt, quomodo *Grotius* potuerit reperire *Populum Romanum*; in quo tamen ſimul haud obſcuram ponit Chriſti Imaginem. Dum vere nulla potuit dari repræſentatio clarior Chriſti, futuri etiam Hominis, qui in cœlum ad Deum erat aſſumendus, ut Regnum inde gereret latiſſime & conſtantiſſime. In alia tamen heic ire voluit *Cl. Coccejus*, illi interpretationi viſionis hujus ſe ita opponens, prolixiori ſatis diſputatione; ut Stabilem dierum ex adverſo velit eſſe Chriſtum, & Filium hominis Populum ejuſdem Chriſtianum. Adverſus quæ ejus Cl. Viri cogitata facilis eſt diſputatio; nec minus difficilis ſolutio Objectionum quas ille movit. Inprimis quando ipſe debuit agnoſcere, id quod de populo *dato Regno & Dominatione* dicitur, *intelligendum eſſe ratione Capitis & Regis.*

XII. Lubet aliis Viris Doctis pro eadem Chriſti Aſcenſione laudare & alia plura Vaticinia. Uti pro tali habetur illud verbum Moſis de *Cœlis daturis magnitudinem Deo noſtro Deut.* xxxii. 1. 4. illud Aguris de *Via Aquilæ in cœlum Prov.* xxx. 19. illa Jeſaiæ *Cap.* liii. 8. de *Aſſumptione ex judicio & coarctatione*, *Cap.* lii. 12. de ipſius *Exaltatione ſumma*, *Cap.* lxiii. 1. de ipſius *Magnifico progreſſu*, *Cap.* lxvi. 1. de *Cœlo Throno* ejus, &c. illud porrò *Ezechielis Cap.* 1. 26. 28. *coll. Cap.* x. 1. 4. 17. *&c.* de *Hominis reditu à limine Templi ad Thronum ſuum*, tum illud *Hoſ.* ix. 8. *de Speculante Ephraimum cum Deo meo*, tum illud *Ham.* ix. 6. de *extruente in cœlis ſublimes manſiones ſuas*, tum illud *Mich.* ii. 13. de *Tranſitu Regis coram eis &c.* tum illud *Zachariæ Cap.* vi. 15. de *Seſſione Germinis ſuper throno*, & *Cap.* xiv. 4. de *Pedibus Jehovæ conſtituris ſuper monte Olivarum*, tum & illud *Mal.* iv. 2. de *Orituro Sole Juſtitiæ.* In quibus

Dum alia Loca varia in hanc rem magis dubia ſunt.

omnibus locis ad Aſcenſionem Chriſti applicandis, nonnunquam ipſa Verſio, ſed & alias Interpretatio realis, nimia laborare imbecillitate videtur.

De Typis agitur, Arce Fœderis cum Propitiatorio, Pontificis in Die Expiationis, nec non Henochi & Eliæ.

XIII. Non deſtituit autem Deus populum veterem heic *Typis* quibuſdam prædictæ iſtius Aſcenſionis, æque quam Reſurrectionis ipſius. Qualem antiquitus repererunt etiam in Fabula Apocrypha de Habakuki Raptu miro per aëra. Sed quales latius vel ſtrictius dictos heic etiam agnoſcere decet, illos minus & hos magis præſignificativos. Et valet heic præ *Aharonis Virga* indubie *Urna Mannæ*, repoſita in Sanctuario intimo apud Arcam: dum in Manna agnoſci debet Chriſti Typus, ex doctrina hujus ipſius, & Pauli. Sed inprimis ipſa *Arca Fœderis*, cum *Propitiatorio*, quæ ibidem locum ſuum habuit ex Dei ordinatione. Et maxime omnium *Pontifex*, quando Die Expiationis Annuo cum Sanguine Hirci oblati debuit ex Dei ordinatione ingredi in Sanctum Sanctorum, ut hunc Jehovæ ad Thronum illum ſuum terreſtrem repræſentaret, gratiam pro populo acquiſiturus. Quod ipſum fuiſſe à Chriſto peragendum hinc in cœleſti Sanctuario, nos late docuit Paulus *Hebr.* IX. 11. 12. 24. Nec male cum his Typis Legalibus, qui certi magis ſunt, videntur jungi Eventuales illi, quos heic in Henocho atque Elia deprehendimus. De priori illo ante Legem Moſis hoc ſingulariſſimum narrat Moſes *Gen.* V. 24. quod poſt *Ambulationem* his in terris *cum Deo*, *non* amplius *ipſe* fuerit, heic nempe inventus & præſens, *quia aſſumpſit eum Deus*. Uti conſequenter etiam Paulus *Hebr.* XI. 5. de ipſo ſcripſit, *quod fide fuerit tranſpoſitus ne videret mortem, & non inventus, quia tranſpoſuit illum Deus, ante tranſpoſitionem enim illius teſtimonium obtinuit Deo placuiſſe.* Dum aliena vere ſunt, quæ de ipſo in Paradiſum terreſtrem, aut alium locum præter Cœlum ſupremum, tranſlato nugati ab ævo fuere multi. De poſteriori altero ſub Lege Moſaica clara eſt hiſtoria 2 *Reg.* II. quid prædictum ſit, & in eventu ſecutum, vidente Eliſah. Fuit nempe ille Propheta inſignis, & quaſi unus ſui temporis Dei Servus corruptiſſimo tempore Achazi, in ſingulariſſimum quoque zeli ſui præmium à *Curru & Equis Igneis* ita raptus, ut *per Turbinem in Cœlum aſcenderit*, fruſtra clamante poſt ipſum Eliſa, temere hinc in terris his quæſitus.

In

In quibus duobus tanquam veri & pleni Nominis Typis Chriſti admittendis, cur ſint quidam hodie paulo difficiliores, qui alias Typos admodum multiplicare ſolent, id equidem ignorare me fateor. Quod autem nonnulli heic quoque de Moſe cogitant, quaſi ille haud diſſimiliter à Deo ad ſe fuerit ſublatus cum à populo ablatus fuit; id nimis repugnat narrationi ſacræ de ipſius Morte & Sepultura *Deut.* xxxiv. ſ. 6. 7. nec cum hujus torſione violenta fingendum eſſe videtur.

Seſſio Chriſti ad Dextram Dei Patris Chriſto tribuitur cum aliqua phraſios varietate.

XIV. Licet porro Chriſtus ita Aſcendiſſe tradatur & credatur in Cœlum ſupremum, idem quod tenent Angeli & exſpectant Fideles, ſatis tamen Excellentiæ præ aliis omnibus creaturis in eo obtinet Dominus noſter. Quæ in Euangelica doctrina ſignificatur per *Seſſionem ejus ad Dextram Dei*, atque ſic in *Symbolo Chriſtiano* etiam poſt Aſcenſionem exprimitur. Apparet vero ex omnibus locis quæ de hac gloria Domini agunt, eſſe heic phraſium diſcrimen multiplex, ſed nequaquam reale admodum. Aliquando ſcilicet legimus heic de Dei *Dextra*, quando ſubintelligenda videtur manus; ſed & alias de *Dextris*, pluraliter, per quæ ducimur ad dextras partes omnes. Deinde Dextra vocatur illa non tantum *Dei*, ſed & δυνάμεως ſeu *potentiæ* Dei, μεγαλωσύνης ſeu *majeſtatis*, item *throni majeſtatis*, & *throni Dei*; quæ poſſunt quidem ſuo modo diſtingui, ſed non debent inter ſe opponi. Præpoſitio porro quandoque eſt nulla apud hoc Dextræ nomen, ſed communiter illa *ab*, & *in*, ſeu ἐξ & ἐν, quæ poſterior Propinquitatem Seſſionis magis determinat quam prior. Amplius adhuc dicitur Chriſtus nonnunquam ſimpliciter *Eſſe* ad Dei dextram, ſed alias *Sedere* ibidem, quod magis emphaticum eſt; quin etiam ſemel *Stare*, quod ſpecialem in Stephani Viſione rationem habet. Præter quæ omnia hoc etiamnum teneri debet, quod verba heic adhibeantur de Chriſto Neutra & Paſſiva non tantum, *eſſe*, *ſedere*, & *collocari*, quæ poſteriora ad Deum Patrem heic quoque agentem Judicem nos ducunt; ſed & Activum *conſidere*, quod Jus & Potentiam Chriſti propriam nobis denuo inſinuat.

Expoſitiones iſtius Seſſionis minus pro-

XV. De Seſſionis hujus Chriſti ſignificatione vera nimius vere eſt diſſenſus inter Chriſtianos. Ubi divaguntur magnopere præ aliis *Ubiquitarii*, eandem trahentes ad Omnipoten-

bandæ reconſentur variæ, cum earundem examine brevi.

tem Omnipræſentiam Humanæ Naturæ Chriſti, ad quam tenendam duxit illos ſimul perverſa hypotheſis de *Communicatione* quorundam *Idiomatum* Divinorum in Chriſto, atque dogma mirum *Conſubſtantiationis*. Quæ tamen ipſa vix apte cohærent cum Ubiquitate Humanæ Naturæ collata per Seſſionem ad Dextram Dei. Interim Dextram Dei inculcant ipſi, quæ ipſius Potentiam actuoſam per metaphoram notat, eſſe prorſus Omnipræſentem, unde neceſſarium ſit hunc Aſſidentem eſſe ubicunque illa eſt, ne fiat heic ulla Separatio. Ad quam argumentationem notari à Noſtris ſolet, Seſſionem hanc non tribui Humanæ Naturæ in abſtracto, licet hæc partem ſuam in ea habeat, ſed Perſonæ θεανθρώπε in concreto, unde non eſt ut per omnia ad Naturam Humanam trahatur. Deinde hoc etiam, quod Dextræ Dei Omnipræſentia neutiquam involvat ſimilem Omnipræſentiam Aſſidentis, dum unio ſic ſatis conſtat ſi alicubi obtineat. Præcipue autem, quod heic non ſit attendenda notio Dextræ Dei, qualis alibi varia occurrit pro phraſium & textuum circumſtantiis; ſed phraſis tota Sedendi ad eam Dextram in ſuo complexu, quæ notionem Dextræ Dei heic determinat. Quarto denique, quod Seſſio illa ad Dextram Dei Chriſto conſtanter tribuatur, cum reſtrictione expreſſa ad Cœlum Supremum; dum neque Humana Natura capax eſt Omnipræſentiæ Divinæ. Aliorum porro quorundam gloſſæ de *Dei Favore* eximio, ſive de *Glorificatione* Cœleſti, minime ſatisfaciunt notioni Seſſionis hujus Chriſti. Ineptiſſima ſunt quoque cogitata *Socinianorum* quorundam & *Papiſtarum*, de Gloria Chriſti Majore quam Divina ſic ſignificata; cujus vani prætextus facile diſcutiuntur. Qua occaſione producuntur Autores, qui Siniſtram olim putarunt Honoratam fuiſſe præ Dextra; amplectenubus id etiam Papiſtis, ad Pauli à Dextris Petri collocati Decus infra hunc deprimendum. Sed iſtius opinionis vanitas, ſecundum Scripturas certè Vet. & Novi Teſt. eſt nimis conſpicua apud attendentes, quam ut illi ſubſcribere liceat. An ergo ſimpliciter heic in Seſſione eſt agnoſcenda Æqualitas Majeſtatis & Imperii, quæ inter Patrem & Filium intercedat? Non videtur equidem, per rationes varias; quidquid illam hypotheſin nuper adſtruere conatus ſit *Cl. Vi-*

*tringa*

*trinza* per figmentum ingenii inaniſſimum, de Sceptro quaſi communicato Sedenti à Dextris ab eo qui à Siniſtris Sedens illud manu teneret. Neque tandem Honorem ſimpliciter Minorem Divino in Seſſione hac ad Dei Dextram judicamus agnoſci poſſe, abſque læſione nimia Majeſtatis ipſius Divinæ, etiam deprehenſæ in eo quod per Seſſionem hanc poſitive notari deinde liquebit.

XVI. Eſt ergo poſitive Seſſio hæc Chriſti ad Dextram Dei Patris, Gloria & Majeſtas ſumma, quam in Θεάνθρωπον poſt Exinanitionem in Cœlo contulit Deus, ſecundum Perſonam convenienter Naturæ Utrique, cum ejus Declaratione & Agnitione Reali apud Angelos & Homines quosvis. Quæ Seſſionis hujus interpretatio fundata eſt in ipſa Phraſi, petita à Regum & Principum humanorum conſuetudine, ad Deum ſymbolice tranſlata. Sed deinde firmatur invicte etiam ex Phraſibus aliis Scripturariis, heic junctis à Paulo *Eph.* 1. 20–22. nec non ſubſtitutis *Phil.* II. 9–11. Præter quæ loca conferuntur heic merito quoque, tum 1 *Pet.* III. 22. tum *Hebr.* II. 7–9. & 1 *Cor.* XV. 25. quibus omnibus Seſſio hæc declarata eſſe cenſeri debet. Quando autem illa Gloria diſtinctius exponenda venit, conſiderare in ea oportet Gloriam ipſam verè Divinam, quam ipſe ab æterno ut Filius proprius Dei habuit, ſed ad tempus Exinanitionis quaſi tectam magis recepit quoad publicam manifeſtationem, *coll. Joh.* XVII. 5. *Hebr.* 1. 3–5. *&c.* Cui Gloriæ Divinæ jungenda Amplitudo Gloriæ, Gaudii, & Majeſtatis præ omnibus aliis cœlitibus, ipſi ſecundum Humanitatem collata, pro hujus capacitate, *coll. Pſal.* XLV. 5. *Col.* 1. 18. 19. *&c.* Cui utrique Gloriæ accedit *Poteſtas* maxima, in Cœlum Terram & omnes creaturas, exercita magnificentiſſime, quamquam variè. An jam porro phraſi Seſſionis iſtius ad literam reſpondens poni queat aut debeat Emblema Cœleſte Throni cum inſidente Deo Patre & Chriſto viſibiliter in Humanitate illi ad Dextram Proximo, id determinare nos minime audemus, ſed intuitui noſtro futuro in cœlis relinquimus. Interim apud Seſſionem hanc Chriſti à Dextra Dei, poſſumus quidem forte non male cogitare de Spiritu S. proxime, vel etiam remotius de Creaturis, à Siniſtra ejus; ſed hoc neceſſarium tamen nequaquam eſt.

Eadem poſitive explicatur, cum aſtructione neceſſaria.

XVII.

De Initio & Duratione istius Sessionis Christi agitur.

XVII. Quod ad Sessionis hujus Durationem nunc attinet, nequaquam est illa repetenda, vel ab omni retro Æternitate, vel à Primo Mundi aut Restitutionis Humanæ initio, vel ab Incarnatione & Prædicatione Christi, vel ab ipsius Resurrectione ex Morte & Sepulchro; sed ab ejus Ascensione in Cœlum, à qua illam Euangelium deducit, æque quam rei significatæ natura inde deducendam esse monstrat. Durabit porro hæc Sessio Christi in cœlis indubie ad Mundi hujus Finem, in quo omnes Hostes plane erunt devicti & pedibus ejus subjecti, inter variantia admodum Ecclesiæ Militantis Fata; nec exspectandum unquam, ut Christus ante illum Finem in has terras redeat ad Regnum aliquod mundanum illic erigendum & gerendum. Dum in illo Fine Mundi Christus quidem pro tempore isto descendet ex cœlo visibiliter ad Judicium habendum, sed Gloria ejus hoc ipso non erit minor; quin & Ecclesia deinde non erit quidem amplius ulla colligenda vel militans in his terris, sed eandem plane collectam & triumphantem in cœlo summa cum gloria reget & beabit Christus in omnem æternitatem, Patri semper proximus mansurus in ipsius throno.

Certitudo hujus Sessionis asseritur, potissimum ex Vaticiniis.

XVIII. Certitudo Euangelii in hac Sessione Christi ad Dextram Dei Patris eodem modo constare potest ac debet, quo Veritas Resurrectionis & Ascensionis ipsius antea asserta fuit. Pro qua consequenter dissertatur eisdem Argumentorum classibus. Sed maxime omnium ex Vaticiniis Prophetarum Veteribus quæ fallere nequeunt. Quale est præ aliis illud *Psal.* cx. 1. 2. *&c.* ubi ita agitur de Messia, ut Sessio hæc ejus non tantum nominetur plene, sed & describatur copiosissime simul, secundum Analysin Psalmi facilem. Quale & deinde deprehenditur *Psal.* xvi. 11. *amœnitates in Dextra tua in æternum*, utique cum respectu certo ad Messiam resurrecturum ad Vitam beatam. Atque *Psal.* lxxx. 18. nominato illic *Filio hominis* simul *Viro Dextræ Jehovæ*, quem hic sibi roboravit; licet alii nonnulli illud nomen perperam aliorsum trahant. Præter quæ Loca tria sunt heic alia, apud Mosen, in Psalmis, & apud Prophetas omnes, de Gloria illa Messiæ & Regni ejus suprema; quæ idem cum hac Christi Sessione dicunt certissime aliis tantum phrasibus. Qualia nonnulla recensentur, alibi à nobis exposita.

XIX.

XIX. Etiám heic nominare licet Typos, latius vel & ſtrictius dictos. Et ſic quidem *Joſephum*, in ſua Exaltatione Ægyptiaca, etiam ſupra Paternam domum juxta Ægyptum; quam tamen alii potius referunt ad Chriſtianiſmi Exaltationem in mundo & Imperio Romano tempore Conſtantini Magni. Dum nominari heic non abſque ratione omni poſſet & ipſe *Adam* primus, in illa Dignitate in qua conſtitutus ipſe à Deo fuit ſuper omnes creaturas. Sed nominabitur ſummo jure, tum *Moſes*, Rex in Jeſchurun, qui populum Iſrael ex Ægypto eduxit, tum *Joſuah*, ejus ſucceſſor proximus, qui eundem cum hoſtium debellatione in Cananææ poſſeſſionem introduxit. Et poſt hos nominari debent Reges Iſraëlis celebratiſſimi, *David*, qui bella Jehovæ tam feliciter geſſit, hoſtibus undique devictis & perditis latiſſime, & *Salomoh*, qui in throno Jehovæ collocatus ſui & regni ſui gloriam latiſſime diffudit per pacis & proſperitatis omnis abundantiam ſtupendam. Sed præ his omnibus Deus ipſe populo ſuo Meſſiam in gloria ſua cœleſti contemplandum dedit miniſterio *Zachariæ Cap.* VI. 9. *&c.* quando *Joſuam Pontificem* magnum juſſit ornari palam Corona ampliſſima ex auro & argento paranda, & capiti ipſius imponenda, cum addito vaticinio exegetico hujus viſibilis ſymboli illo, *ecce Vir, Germen nomen ejus, & de ſubter ſe germinabit, & ædificabit Templum Jehovæ, & ipſe ædificabit Templum Jehovæ, & ipſe portabit majeſtatem, & ſedebit, & dominabitur in throno ſuo, & erit Sacerdos ſuper throno ſuo, & inter Duos illos erit conſilium pacis.* Quem locum olim cum ſingulari cura tractavimus, atque in rem præſentem non poſſumus non ampliſſime commendare.

Quorſum & referuntur Typi Joſephi exaltati in Ægypto, Adami, Moſis, Joſuæ, Davidis, Salomonis, & maxime Joſuæ Coronati.

XX. En exhibitam ita hoc Volumine toto *Glorioſam Exaltationem Jeſu Chriſti*, in ipſius Reſurrectione, Aſcenſione, & Seſſione ad Dextram Dei Patris; ut per eam ſit prorſus ſublatum omne ſcandalum, quod ex ejus Vili Incarnatione, Depreſſione maxima, & ipſa Crucis Morte probroſiſſima, petitur ab incredulis, qui earum rationem & myſterium ſuaviſſimum non capiunt. Incurvent ſe, & procumbant, coram hoc omnium victore ac Domino magis in dies omnes terræ fines! & contremiſcant ad ejus conſiderationem omnes hoſtes ejus contumaces, qui nil aliud quam exitium certum atque æternum

Clauſula operis hujus, cum promiſſo Autoris ulteriori.

habent exſpectandum. Confidant tranquilli in eo, qui per fidem, ſpem, amorem, & orationem jugem, ad tutrices ipſius ulnas ſe conferunt, tam in morte quam in vita omni! Atquæ hæc qui in nobis operatus es, Domine, conſerva & confirma per gratiam tuam, per quam & vitam viresque dediſti ad hæc ſcribenda ad tuam gloriam, donec contingat te coram intueri ex propinquo non tantum in Præſenti Gloria tua, ſed & te contemplari in *Gloria tua Futura*, *Redeuntem* in Nubibus Cœli, *Suſcitantem* Mortuos ex pulvere ſuo, & *Judicantem* tam vivos ſuperſtites quam mortuos ſuſcitatos, ut tuis quidem conſummata Salus ab ipſis immerita, hoſtibus autem tuis plena perditio promerita contingat æternum! Quos etiam Gloriæ tuæ immenſæ adhuc exſpectatos actus, ſi conſilio & Gloriæ tuæ in eo adhuc forte inſervire ſeni mihi conceſſeris, & cum vita vires animi & corporis dederis, me illuſtraturum ſimili ſcriptione publica coram Eccleſia Univerſa ſancte promitto.

FINIS.

# INDEX BREVIS

## Rerum Præcipuarum & Vocum in hac Hiſtoria Exaltationis Chriſti comprehenſarum.

### Secundum Numerum Librorum A. B. C. Capitum, & Paragraphorum.


A.

*Ablatio ſubita Jeſu ab Emmauticis* A. X. 20.

*Acceptio Donorum in homine Meſſiæ tributa* C. IX. 3.

*Accubitus Jeſu Emmaunticus cum Diſcipulis* A. X. 19. *Alius ad Mare Galilææ* A. XIII. 5.

*Activa Verba de Reſurrectione Chriſti uſurpata* A. I. *De Aſcenſione* C. 1. 4. *De Seſſione ad Dextram Dei* C. XIV. 7.

*Actor.* I. 4 — 8. A. XV.

*Actor.* I. 9. C. II. VI.

*Actor.* I. 10. 11. C. VII.

*Actor.* II. 25 — 32. B. V.

*Actor.* XIII. 34 — 37. B. VI.

*A Dextra, & in Dextra Dei ſedere dictus Meſſias* C. XIV. 5.

*Adam quo modo Typus Reſurr. Chriſti dici poſſit* B. XIV. 4.

*Adam quo modo ſpectari queat ut Typus Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei* C. XIX. 2.

*Ædificans gradus ſuos in cœlis* C. XII. 6.

*Ægris manus imponendæ ad Sanationem* A. XIV. 25.

*Ænigma Ezechielis de Aquilis* B. X. 2. 3. 4.

*Æqualitas Gloriæ & Majeſtatis Chriſti cum Patre ſimpliciter non notata per Seſſionem ad Dextram Dei* C. XV. 12.

Ἄγει τρίτην ἡμέραν A. X. 12.

*Agnos Chriſti cum ovibus paſcere juſſus Petrus* A. XIII. 11.

*Aharonis Virga Frondens an Typus Reſurrectionis Chriſti* B XIV. 3. *Ejuſque repoſitio in Sanctuario an Typus Aſcenſionis ejus* C. XIII. 2.

*Albus Veſtitus Angelorum* C. VII. 3.

*Alter Diſcipulus Emmaunticus* A. X. 3.

*Altum in quod aſcendit Chriſtus* C. IX. 2.

*Ambulatio Emmauntica Diſcipulorum ineptiſſime expoſita à Ligtfooto* A. X. 5. 6.

*Amœnitates in Dextra Dei* B. V. 7.

*Amor Petri in Dominum inquiſitus* B. XIII. 7. 8.

Ἀναζάειν *juxta* ζάειν *de Chriſto Reſurgente uſurpatur* A. I. 4.

Ἀναλαμβάνειν, ἀναφέρειν, & ἁρπάζειν *de Chriſto Aſcendente* C. I. 3.

*Angelicus ſermo ad Mulieres* A. VI. 8.

*Angeli Duo apud Joh & Marc. cum eorum Prædicatis* A. IV. 5.
*Angelus Domini terram movit apud Resurr. Christi* A. IV. 4. *&c. Ejus Forma, Indumentum, Descensus, Lapidis amotio, Sessio* 4. *Matthæi in his conciliatio cum Euangelistis aliis* 5.
*Angeli Mariæ Magd. apparentes & nunciantes* A. IX. 9.
*Angelorum præsentia apud Ascensionem Christi* C. VI. 8. *Apparitio* VII. 3 *&c. Sermo ad Discipulos Compellativus* 5. *Redargutivus* 6. *Instructivus de Præterito* 7. *Et de Futuro* 8. *Unde fructus optati in illis* 9. *Ejusque liquens Certitudo* 10.
*Ἀνίσανι tributum, tum Patri in Aoristo primo, tum Filio in Aoristo secundo* A. I. 6. 7.
*Anima Messiæ non relinquenda in inferno* B. V. 4. *Eadem in Resurrectione* A. II. 2.
*Annus Resurrectionis Christi* A. III. 15.
*Ἀνόητοι* A. X. 14.
*Antiquus dierum* C. XI. 7.
*Apertio Oculorum in Discipulis* A. X. 19.
*Apertio Mentis ad intellectum Scripturarum* A. XI. 12.
*Ἀφανῆς quo modo factus Jesus à Discipulis* A. X. 20.
*Ἄπιστος & πιστὸς varie exponi possunt* A. XII. 10.
*Ἀποκατάστασις* A. XV. 6.
*Apostolis concessa Visio Christi prima* A. XI. *&c. Vid. Apparitio.*
*Apostolorum, qui Resurrectionem Christi tradiderunt, Laudes* B. I. 5.
*Apostoli Omnes Testes Ascensionis Christi* C. V. 2. 3. *Non alii Fratres, aut Mulieres* 4. *Qui à Christo ex Urbe in Bethaniam adducti* 5. *Ibique clare eum viderunt* 5. 6. *Eorum prospectus in cœlum redargutus* C. VII. 2.
*Apostoli non fuere Discipuli Emmauntici* A. X. 4.
*Apparitiones Christi Redivivi* A. VII. 1. *Quæ quidem fuerunt Veræ, sed Temporariæ, non Perpetuæ* 2. *Corporales ad Visum, Auditum, Tactum.* 3. *Blandæ & Familiares* 4. *Contigeruntque non Populo, sed Testibus à Deo designatis* 5. *Per Dies Quadraginta* 6. *Omnes neutiquam enarratæ sunt* 7. *Sed apud Euangelistas Septem vel Octo* 8.
*Apparitio Christi Redivivi apud Cephan* A. VIII. 2. 3 *Vere facta* 4. *Ipso Die Resurrectionis ante reditum Emmaunticorum* 5. *In Reditu à Sepulchro cum Johanne* 6.
*Apparitio Christi Redivivi apud Jacobum* A. VIII. 7. 8.
*Apparitio Christi Redivivi apud Mulieres* A. IX. 1. *&c.*
*Apparitio Christi Redivivi apud Mariam Magd. brevius narrata Marco* A. IX. 6. 7. *Latius Johanni* 8. *&c*
*Apparitio Christi Redivivi apud Discipulos Emmaunticos* A. X. 1. *&c.*

*Appa-*

*Apparitio Christi Redivivi prima apud Apostolos* A. XI. 1. &c. *Qui tunc fuere congregati, foribus clausis, ob metum* 3. *Quando Jesus se subito stitit in medio cum Pacis voto* 4. *Et qui tunc conturbati fuere, putantes se videre Spiritum* 5. *Hinc redarguti à Christo* 6. *Mox confirmati, oblato Visu & Tactu* 7. 8. *Etiam per Esum postulatum & sumptum* 9. *Et per Vaticinia tunc simul adducta* 10. &c. *Verba Mandati ad eos* 15. *Etiam secundum Johannem* 18. &c. *Tempus ejus* 21. *Et Rei Certitudo hinc constans* 22.

*Apparitio Christi Redivivi secunda apud Apostolos* A. XII. 1. &c. *Ejus Occasio data à Thoma* 2. *Antea non Præsente* 3. *Hinc Incredulo prorsus* 4. *Sed nunc Præsente* 5. *Quando se denuo stitit Jesus cum voto Pacis* 6. *Cui & nunc datur mandatum Contrectandi ipsum* 7. *Ne esset Incredulus, sed Credens* 8. *Quod ad Resurrectionem Christi heic referendum* 9. *Dum alios sensus alias quoque admittit* 10. *Et qui respondet, Domine mi & Deus mi* 11. *Verborum horum vis magna* 12. *Eorum torsio Sociniana confutata* 13. *Eorundem Laus Dominica* 14. *Cum Commendatione illorum qui sine visu tali crederent* 15. *Tempus rei gestæ* 16. *Certitudo Resurrectionis Christi hinc constans* 17.

*Apparitio Christi Redivivi tertia apud Apostolos piscantes* A. XIII. 1. &c. *Eorum Nomina exhibentur* 2. *Alto Mane in littore stetit tunc, & cum eis de Piscatione egit non tantum, sed & eam prosperam reddidit, adhuc ignotus* 3. *Quando Discipuli à Johanne moniti ad eum venerunt, & præ aliis Petrus, invenerunt que Victum paratum* 4. *Jubens tamen etiam de nunc captis piscibus adferre, & secum prandere, quod factum* 5. *Specialis tractatio cum Petro* 6. &c. *Quando res hæc facta sit* 23. *Resurrectionis Certitudo hinc constans* 24.

*Apparitio Christi Redivivi quarta apud Apostolos* A. XIV. 1. &c. *In qua adfuere simul plus quam Quingenti fratres* 2. 3. *Facta in determinato Monte Galilææ* 4. *Ubi se eis stitit Dominus* 5. *Adoratus à suis, dum alii adhuc dubitabant* 6. *Christi ad eos Accessus & Sermo* 7. *Quo declaravit Gloriam sibi datam* 8. *Ab aliis male expositam* 9. 10. *Deinde jussit ire ad Gentes promiscuè* 11. *Ut in Disciplinam Christi colligerentur* 12. *Per Baptismum, ad Parvulos quoque extendendum* 13. *In Nomen Patris, Filii, & Spiritus S.* 14. *Quæ tamen voces hinc non sunt necessariò adhibendæ* 15. *Deinde & per Doctrinam Observantiæ Mandatorum Christi* 16. *Conferuntur quæ huc apud Marcum spectant* 17. 18. 19. *Promissum*

*ſum de Chriſto ſemper cum ſuis futuro* 20. *&c. Locus & Tempus hujus rei geſtæ* 27. *Certitudo Reſurrectionis Chriſti hinc conſtans* 28.

*Apparitio Chriſti Redivivi quinta apud Apoſtolos* A. XV. 1. *&c. Quæ contigit Apoſtolis omnibus* 2. *Quibus Chriſtus fuit* συναλιζόμενος 3. *Et quos ex Jeruſalem adduxit foras in Bethaniam* 4. *Eos monens ad Officium, cum Promiſſione* 5. *Facta tum ab iis Interrogatio* 6. *Senſu, ſeu corporali, ſeu potius Spirituali* 7. *Ob quam redarguti à Domino* 8. *Dein addita Promiſſione ampliſſima* 9. *Et Monitione* 10. *Poſt quæ per Benedictionem eis valedixit* 12. *Conſtans hinc Reſurrectionis Certitudo* 13.

*Apparitio Chriſti Redivivi poſt Aſcenſionem quæ contigit Paulo* A. XVI. 2. *&c. Et Johanni in Patbmo* 8.

*Apparitio Chriſti Redivivi à Joſepho memorata* B. II. 7. 11.

*Apparitio Angelorum duorum in Veſtibus albis apud Aſcenſionem Chriſti* C. VII. 2.

*Apprehenſio Pedum Chriſti à Mulieribus facta* A. IX. 5.

*Appropinquatio Meſſiæ ad Deum Sacerdotalis* C. XI. 4. *Regia cum Nubibus* 9.

*Aqua Vinum & Lac à Meſſia oblata* B VI. 3.

*Aquilæ Via in Cœlum* C. XII. 2.

*Aquilarum ænigma apud Ezechielem* B. X. 2. 3.

*Arca Fœderis cum Propitiatorio Typus Aſcenſionis Chriſti* C. XIII. 3.

*Ardens Cor Emmaunticorum* A. X. 21.

*Argentum cui non, & abſque quo emendum* B VI. 3. *Non dandum pro Non-Pane* 4.

*Aromata Vid. Unguentum.*

*Aſcenſionem ſuam ad Patrem quo ſenſu neget, & prædicat Chriſtus* A. IX. 13. 14.

*Aſcenſio Chriſti notata Verbis Paſſivis & Activis* C. I. 1. *&c.*

*Aſcenſio Chriſti dicit Tranſlationem Localem de Terra* C. II. 2. 8. *In Cœlum ſupremum* 9. 10 *Per Cœlos medios* 11. *Interveniente Nube* 12. *Et Intuentibus Diſcipulis factam* 13.

*Aſcenſionis Chriſti iſtius Veritas defenditur contra objectiones* C. II. 8.

*Aſcenſionis Chriſti Tempus* C. III. 3. *Et Locus* 5. *&c. Teſtes* αὐτόπται V. *&c.*

*Aſcenſionis Hiſtoriæ Veritas aſſerta ex Poſſibilitate* C. VIII. 2. *Ex Decentia & Neceſſitate* 3. *Ex Scriptorum Laudibus* 4. *Ex Circumſtantiis* 5. *Ex Effectis per Orbem, & Factis Chriſti in bonos & malos* 6. *Ex Vaticiniis* 7.

*Aſcenſionis Chriſti Prædictio* C. IX. X. *Et Typi varii* XIII. 1. *&c.*

*Aſcenſio Chriſti in Altum prædicta* C. IX. 2.

*Aſcenſio Dei in Jubilo, &* Jehovæ

*in voce Tubæ* C. X. 7.
*Aſcenſio cum Donorum Datione ad Chriſtum ſpectat* C. IX. 6.
*Aſcenſio Chriſti in cœlum an & prædicta ſit Deut.* XXXII. 1—4. C. XII. 1. *An Prov.* XXX. 19. 2. *An Jeſ.* LII. 13. LIII. 8. LXVI. 13. *An Ezech.* I. & X. 4. *An Hoſ.* IX. 8. 5. *An Hamos.* IX. 6. 6. *An Mich.* II. 13. 7. *An Zach.* VI. 13. XIV. 4. 8. *An Mal.* IV. 2. 9.
*Avicula Dimiſſa Viva Typus Reſurrectionis Chriſti* A. XIV. 7.

B.

*Baptiſmus quo modo Neceſſarius ad Salutem* A. XIV. 18. 19. *Ad Infantes extendendus* 13. *Non doctrinæ ſed Aquæ intelligendus* 13. *In Nomen Patris & Filii, & Spiritus S. quo modo faciendus* 14.
*Baptiſmus in Spiritu promiſſus* A. XV. 5.
*Beatitas Credentium abſque Viſu* A. XII. 15.
*Beatorum Cœlitum præſentia apud Chriſti Aſcenſionem rectè cogitatur* C. VI. 9.
*Benedictio Dominica Piſcationis Apoſtolicæ inſolita* A. XIII. 3.
*Benedictio Apoſtolorum à Domino Aſcenſuro facta* A. XV. 2.
*Beneplacitum Jehovæ proſpere exſecuturus Meſſias* B. IX. 9. *Cum Fructibus hinc fluentibus* 10.
*Benignitates Davidis Fideles* B. VI. 7. *&c. Ab ipſo Meſſia Dandæ ſuis* 11. *Argumentum pro Chriſti Reſurrectione ex iis* 12.
*Benignus Dei non Viſurus Corruptionem* B. V. 5.
*Beſtiæ Quatuor quales apud Danielem* C. XI. 7.
*Bethania, in quam educti Apoſtoli à Domino Aſcenſuro* A XV. 4. *Et unde Chriſtus Aſcendit, intelligenda non de Vico, ſed de ejus Tractu montano* C. III. 6.
*Bibere Mortifera ſine læſione, promiſſum à Chriſto credentibus* A. XIV. 24.
*Bibitio Meſſiæ ex Torrente in Via* B. VIII. 9.
*Boni Eſus à Meſſia ſeu poſtulatus ſeu promiſſus* B. VI. 5.
*Braunii Obſervatio ad Cœlorum Tranſitum Dominicum minus ſolida* C. II. 11.

C.

*Cæſio Fœderis à Meſſia facienda* B. VI. 6.
*Canonis Vet. Teſt. Diſtributio Varia* A. XI. 11.
*Capitis Exaltatio Meſſiæ tributa* B. VIII. 9.
*Captivitatis Captivatio Meſſiæ tributa* C. IX. 2.
*Caro Meſſiæ moratura in Fiducia* B. VI. 3.
*Caro & Oſſa ſpiritibus negata* A. XI. 7. 8.
*Cedri Altæ Ramuſculus tener* B. X. 6. *Ejuſque Tractatio Varia* 7. *Ad Meſſiam Exinanitum & Exaltatum ſpectans* 7.

*Ce-*

Digitized by Google

*Cephas à quo Visus Christus* A. VIII. 2.
*Certitudo Resurrectionis constans ex Apparitione apud Mulieres & Mariam Magdal.* A. IX. 10. *Apud Emmaunticos* X. 26. *Apud Apostolos congregatos primo Die* XI. 22. *Apud eosdem Altera post Octiduum* XII. 17. *Apud eosdem Tertia* XIII. 24. *Apud eosdem Quarta* XIV. 28. *Nec non Quinta* XV. 13. *&c.*
*Certitudo ejus Historiæ late Asserta, potissimum ex Vaticiniis, quæ alia præ aliis rectius heic laudantur.* B. I. *&c. Vid. Veritas.*
*Certitudo Ascensionis varie monstrata* C. VIII. *Nec non Sessionis ad Dextram Dei* C. XVIII.
*Certitudo utriusque Historiæ astructa varie, inprimis ex Vaticiniis* C. IX. *&c.* XVIII. 3. *&c.*
*Christi Resurrectio. Vid. Resurrectio.*
*Christi Ascensio. Vid. Ascensio.*
*Christi Sessio ad Dextram Dei. Vid. Sessio.*
*Christi Apparitio. Vid. Apparitio.*
*Christi* προσπόιησις *ultra Emmauntem eundi* A. X. 17.
*Christus quo sensu apud Josephum dicatur fuisse Jesus* B. II. 7. 11.
*Cinctio aliena Petro prædicta seniori* A. XIII. 17. 18.
*Circumstantiæ Resurrectionis Christi eam confirmant* B. I. 6. *Nec non Ascensionis* C. VIII. 5.
*Clausæ Fores ob Metum Judæorum* A. XI. 3.
*Cleopæ Socius quis, ejusque Historia* A. X. 2. 3.
*Cloppenburgii & Cappelli Observatio de Nexu Testimonii Josephi* B. II. 15.
*Clypeus noster apud Deum* C. X. 3.
*Cœli per quos Christus transiit cum eorum* παρερμηνείᾳ, *apud Braunium* C. II. 11.
*Cœlum Supremum, in quod Christus ascendit* C. II. 9. 10.
*Cœlum dans magnitudinem Filio Dei* C. XII. 1.
*Cœlum Thronus Dei* C. XII. 3.
*Collectio Ecclesiæ argumentum Resurrectionis Christi* B. II. 3.
*Communicatio Idiomatum Divinorum cum Humanitate Christi aliena* C. XV. 2.
*Conservatio Ecclesiæ Effectus Christi Redivivi* B. III. 4.
*Constantia Martyrum Effectus Christi Redivivi* B. III. 5.
*Constantini Visio, & Signum hinc factum* B. III. 8.
*Constitutio Regni Israel* A. XV. 6. 7.
*Consubstantatio conficta in Eucharistia* C. XV. 2.
*Consummatio Seculi* A. XIV. 20.
*Contrectatio mandata Thomæ* A. XII. 7.
*Conturbatio Apostolorum ad Conspectum Jesu* A. XI. 5.
*Conversio secuta ad Historiam Resurrectionis eam firmat* B. I. 7.
*Cor Emmaunticorum Ardens* A. X. 21.

1 *Corinth.*

1 *Corinth.* xv. 5. A. VIII. 2. *&c.*
1 *Cor.* xv. 7. A. VIII. 7. *&c.*
1 Cor. xv. 8. A. XVI. 2.
*Corpus Idem qualitatibus mutatum recepit Chriſtus reſurgens* A. II. 3. 4.
*Corruptio Cuſtodum Sepulchri Dominici. Vid. Cuſtodes.*
*Corruptio non videnda à Meſſia* B. V. 5. *An ad Tertium Diem Reſurrectionis nos ducat* B. XIII. 4.
*Creatura omnis cui prædicandum Evangelium* A. XIV. 17.
*Credentes ſecutura Signa* A. XIV. 21.
*Crucifixio ſubeunda an Petro prædicta à Domino* A. XIII. 17. 18.
*Cuſtodes apud Chriſti Reſurrectionem qui & quales* A. V. 2. *Commoti & facti ut Mortui ab Angeli viſu & opere* 3. *Nunciarunt deingeſta Pontificibus* 4. *Eorum Corruptio inſecuta, & Mendacium ſparſum* 5. *Unde hæc conſtent certo.* 7.

D.

*Dæmonia Septem ejecta ex Maria Magd. à Chriſto* A. IX. 6.
*Dæmoniorum Ejectio in nomine Chriſti promiſſa* A. XIV. 22.
*Damnatio denuncianda Incredulis* A. XIV. 19.
*Daniel an Typus Chriſti Reſurrecturi* B. XIV. 4.
*Daniel* II. 34. 35. 44. 45. B. X. 12. *&c.*
*Dan.* VII. 13. 14. C. XI. 7. *&c.*
*Datio Poteſtatis omnis Chriſto facta* A. XIV. 8.
*Datio Benignitatum Davidis* B. VI. 11.
*Datio donorum ad Chriſtum ducit* C. IX. 6.
*Davidis Benignitates Fideles* B. VI. 7. *&c.*
*David an Typus Reſurrectionis Chriſti* B. XIV. 4. *Et Seſſionis ad Dextram Dei* C. XIX. 4.
*Decentia Reſurrectionis Chriſti* B. I. 3. *Aſcenſionis* C. VIII. 3. *Et Seſſionis ad Dextram Dei* C. XVIII. 2.
Λᾶ A. X. 15.
*Deus meus & Deus veſter* A. IX. 14.
*Deut.* XXXII. 1–4. C. XII. 2.
*Dextra Navis ad quam rete à Diſcipulis projiciendum* A. XIII. 3.
*Dextra non indignior olim quam Siniſtra* C. XV. 10. 11.
*Dextræ & Dextrorum Dei Aſſeſſio* C. XIV. 2.
*Dextra Dei, Potentiæ, Majeſtatis, Throni* C. XIV. 4.
*Dextra Dei in Aſſeſſione ſpectanda* C. XV. 6.
*Dextra Dei. Vid. Seſſio.*
*Dextræ Dei Vir* C. XVIII. 6.
Διὰ δέξης *quid notet* A. I. 5.
Διαλογίζεσθε A. XI. 6.
*Dictio Jehovæ ad Filium diſtinguenda à Re Dicta* B. VII. 3. 4.
*Dierum Meſſiæ prolongatio prædicta* B. IX. 8.
*Dies Tertius Reſurrectionis. Vid. Tertius.*

*Dies Quadrageſimus Aſcenſionis Chriſti* C. III. 3.
*Dierum Permanens, vel Stabilis* C. XI. 7.
*Dignitas Major quam Divina non tribuenda Chriſto* C. XV. 9. &c.
*Diluculo valde Reſurrectio Chriſti contigit* A. III. 10.
*Dilectio Domini præ His quomodo intelligenda* A. XIII. 7. 8.
*Dilectio Domini profeſſa à Petro, & tanquam nota ipſi* A. XIII. 10.
*Diſcipulorum Incredulitas adverſus Mulieres* A. VI 10.
*Diſcipuli an Regni Spiritualis fuerint conſcii* A. XV. 6. 7.
*Diſcipuli Duo Emmauntici* A. X. 2. &c. *Non uere Apoſtoli* 4. *Ambulatio & Itio eorum in Emmaus* 5. 6. *Chriſti apud eos Apparitio, ſed ut Incogniti* 7. *Cum Colloquio in via* 8. &c. *In quo Laus Jeſu* 10. *Ignominia illi illata* 11. *Spes de illo vacillans* 12. *Anxietas nova ex Mulierum relatione* 13. *In quo dein Chriſti Redargutio juſta* 14. *Inſtitutio de Paſſionibus & Gloria Meſſiæ* 15. *Hujusque Aſſertio ex Moſe & Prophetis omnibus* 16. *Perſuaſio Jeſu ad manendum cum eis* 18. *Accubitus hujus, in quo Manifeſtatus* 19. *Et dein Ablatus ab iis ſubito* 20. *Sermo mutuus inſecutus* 21. *Et Reditus ad Apoſtolos* 22. *Qui Reſurrectionem Chriſti certam eis narrant* 23. *Mox & ipſis narrantibus ſua fata* 24. *Tempus Geſti hujus* 25. *Reſurrectionis Certitudo hinc conſtans* 26.
*Diſcipuli Jeſu ex Græcis apud Jophum* B II. 7. 11.
*Diſtributio Panis Fracti apud Diſcipulos Emmaunticos* A. X. 19.
*Diviſio varia Canonis Vet. Teſt.* A. XI. 11.
*Dominator Iſraëlis. Vid. Magnificus.*
*Donorum Acceptio & Datio Meſſiæ tributa* C. IX. 3—6.
*Dubitatio quibus in Monte Galilæo tribuatur* A. XIV. 6.
Δύναμις *in qua Chriſtus reſurgens definitus Filius Dei* A. I. 7.
*Duo Angeli, apud Chriſti Reſurrectionem, horumque Prædicata* A. IV. 5. *Apud ejus Aſcenſionem* C. VII. 3. &c.
*Duo Diſcipuli Emmauntem euntes* A. X. 2.
*Duodecim quibus Chriſtus fertur apparuiſſe* A. XI. 2.

E.

*Ecce apud Chriſti Reſurrectionem adhibitum* A. IV. 7.
*Eccleſiæ Collectio, & Conſervatio Effectus Reſurrectionis Chriſti* B. III. 3. 4.
*Eccleſia quo modo in Filio Hominis ſpectari queat* B. XI. 12. 13. 14.
Ἔκτρωμα A. XVI. 5.
*Eductio Apoſtolorum in Bethaniam* A. XV. 4.
*Effractor Aſcendens coram illis* B. XII. 7.
Ἐγείρεσθαι *Chriſto Redivivo tribuitur* A. I. 5.

*Eje-*

*Ejectio Dæmonum in nomine Christi promissa Credentibus* A. XIV. 22.
*Elias Raptus in Cœlum Typus Christi* B. XIII. 6.
*Emmauntici Discipuli Duo* A. X. 2. *&c. Vid. Discipuli.*
*Emmaus, ejusque Distantia ab Urbe* A. X. 5.
*Emptio Unguentorum à Mulieribus facta juxta Parationem* A. VI. 3. *Et quando* III. 10.
*Emptio oblata absque argento* B. VI. 3.
Ἐν δυνάμει *quo sensu Rom.* 1. 4. *dixerit Paulus* A. I. 7.
Ἐντέλλεσθαι A. XV. 11.
Ἐπαίρεσθαι C. I. 3.
Ἔπαρσις A. XV. 12.
Ἐπενδύτης A. XIII. 4.
*Ephes.* I. 20. 21. C. XVI. 3.
*Ephes.* IV. 8. 9. 10. C. IX. 1. *&c.*
*Ephes.* V. 14. C. IX. 5.
Ἐπιφώσκειν εἰς μίαν σαββάτων A. III. 11. 12.
*Epistola Pilati. Vid. Pilati.*
*Esse dicitur Christus ad Dextram Dei Patris* C. XIV. 6.
*Esus à Christo postulatus & sumptus* A. XI. 9.
*Esus Boni oblatus* B. VI. 3. 5.
*Euangelium varie denominatum, inprimis à Christo optime* A. I. 1. *Pars ejus gemina, minus & magis ab Infidelibus impugnata* 1. 2.
*Euangelium prædicandum omni Creaturæ* A. XIV. 17. *Ejus summa* 18. 19.
*Euangelii Cursus Veritatem Resurrectionis Christi probat* B. I. 7.
*Evigilatio & Visus Jeremiæ quo modo ad Christi Resurrectionem trahatur à nonnullis* B. XI. 6. 7. 8.
*Eusebii commendatio Testimonii Josephici de Christo* B. II. 10. *Silentium de Vestigiis Christi ascendentis* C. IV. 4.
*Exaltatio Capitis post Bibitionem ex Torrente* B. VIII. 9.
*Excitatio Christi à Patre facta* A. I. 5. *Et ab Ipso* 6.
Ἐξκσία A. XIV. 8.
*Extensio manuum cum Aliena Cinctione Petro seniori prædicta* A. XIII. 17. 18.
*Ezech.* XVII. *exponitur* B. X. *In quo Resurrectio Christi prædicta invenitur* 5. 6. *&c.*

F.

*Facta Jesu arguunt Christum Redivivum* B. III. 1. *Tum in Suos per Missionem Spiritus* 2. *Per Ecclesiæ Collectionem* 3. *Et Conservationem miram* 4. *Et Martyrum Constantiam* 5. *Tum in Hostes, & singulares, Pilatum, Neronem, Julianum* 6. *Et Gentes integras, uti Judæos Contumaces* 7. *Et Gentile Imperium Romanorum* 8. *Quod argumentum ab Exceptionibus vindicatur* 9.
*Fictio Jesu qualis agnoscenda* A. X. 17.
*Fides cum Baptismo postulata in Euangelio ad Salutem* A. XIV. 18. 19.

*Fidei Tarditas in Discipulis notata* A. X. 14.
*Fides Commendata Thomæ* A. XII. 8. &c.
*Fideles Benignitates Davidis* B. VI. 10. *Suis à Messia dandæ* 11. &c.
*Filius Dei definitus Christus resurgens* ἐν δυνάμει A. I. 7. *Hodie Genitus quo sensu dicatur* B. VII. 2. &c.
*Filius Hominis Roboratus* C. XVIII. 6.
*Filio Hominis Similis apud Danielem quis, & quo sensu* C. XI. 8. *Adventus ejus cum Cœli Nubibus ad Stabilem dierum, & Appropinquatio cum data summa potestate* 9. *Inepta interpretatio de Populo Romano* 10. *Indubie Messiam notat Exaltandum* 11. &c. *Quomodo ad Ecclesiam spectet* 12. 13. 14.
*Flatus Pentecostalis qualis intelligendus* A. XI. 18.
*Flavii Josephi Testimonium. Vid. Josephi.*
*Fœdus Seculi à Messia cædendum* B. VI. 6.
*Fœminæ Piæ. Vid. Mulieres.*
*Foras educti unde Apostoli* A. XV. 4.
*Fores clausæ ob metum Judæorum* A. XI. 3.
*Forma Alia, in qua Discipulis Emmaunticis apparuit Jesus* A. X. 7.
*Formula Verborum Certa in Baptismo an præscripta* A. XIV. 15.
*Fratres plus quam Quingenti, à quibus Christus visus simul* A. XIV. 2. 3.
*Frondens Virga Aharonis an Typus Resurrectionis Christi* B. XIV. 3.

G.

*Galilææ Mons, in quo Christus videndus & visus post resurrectionem* A. XIV. 4. &c.
*Galilæi ab Angelis dicti Apostoli* C. VII. 5.
*Gaudii Votum* A. IX. 4.
*Generatio Filii an & quo modo ad ejus seu Resurrectionem, seu Exhibitionem & Exaltationem spectet* B. VII. 2. *Sine Generationis Æternæ læsione ulla* 3. 4. 5.
*Genes.* III. 15. B. XII. 1.
*Gentes Omnes in Disciplinam Christi colligendæ* A. XIV. 11. *Etiam Infantes* 13.
*Genus Jobi* B. XII. 8.
*Gloria Messiæ, in quam ingressurus per passiones* A. X. 15.
*Gloria summa Personæ & Regni Messiæ prædicta* C. XVIII. 7.
*Goël Victurus* B. XII. 2.
*Gradus suos ædificans in cœlis* C. XII. 6.
*Græci Discipuli Jesu apud Josephum* B. II. 7. 11.

H.

*Habakuki fabula tracta in Typum Ascensionis Christi* C. XIII. 1.
*Habakuk an Cap. III. 2. de Christi Resurrectione agat* B. XI. 6.
*Habitatio Refractariorum* C. IX. 4.

*Ham-*

*Ham.* IX. 6. C. XII. 6.
*Ham.* IX. 11. *an faciat ad Chriſti Reſurrectionem* B. XI. 5.
*Hazazelis Hircus Typus Reſurrectionis Chriſti* B. XIV. 8.
ע *an Æternitatem Tſeph.* III. 8. *notet* B. XI. 5.
*Hebr.* IX. 3. 4. 5. C. XIII. 2. 3.
*Henochi Aſſumptio Typus Aſcenſionis Chriſti* C. XIII. 5.
*Hircus Hazazel Typus Reſurrectionis Chriſti* B. XIV. 8.
*Hiſtoria Reſurrectionis Chriſti, & Apparitionum ejus in ſummam contracta* A. XVII. *Illa perinde Aſcenſionis, & Seſſionis ad Dextram Dei* C. XX.
*Hiſtoriæ Reſurrectionis Chriſti Veritas aſſerta ex rei Poſſibilitate* B. I. 1. 2. *Decentia* 3. *Ac Neceſſitate* 4. *Ex Scriptorum deinde Qualitatibus laudatis* 5. *Ex narrationis Modo cum Circumſtantiis* 6. *Ex ejus Effectis per orbem* 7. *Ex Teſtimonio Pilati ad Tiberium* II. 1. 2. 3. 4. *Et Joſephi celeberrimo* 5. *&c. Ex Factis inſecutis Chriſti in Suos & in Hoſtes, Judæos & Romanos* III. 1. *&c. Ex Prædictionibus antiquis* IV. 1. *&c. Non quas celebratas reperimus ex Gentilibus* 3. *Sed apud Hebræos* 4 *Quæ varie diſtribuuntur* 5. *Et quibus jungendi Typi* 6. *Qualis prædictio Pſal* XVI. 8 — 11. V. 1 *&c. Et Jeſ.* LV. 3. VI. 1. *&c. Et Pſal.* II. 7. VII. 1. *&c. Et Pſalmis variis aliis* VIII. 1. *&c. Item ex Jeſ.* XXVI. 11. 16. XLIX. 7–9. *&* LIII. IX. *Ex Ezech.* XVII. 22. 23. X. 5. *&c. Ex Daniel* II. X. 12. *Vix autem ex Prov.* XXX. 18. XI. 2. *Vel Pſal.* III. 6. 3. *Vel Pſal.* XVI. 15. 4. *Vel Pſal.* LVII 9. 5. *Vel Hamoſ.* IX. 11. *&* *Tſeph.* III. 8. 5. *Vel Mich.* IV. 11. *Hab.* III. 2. *Zach.* IX. 9. *&* *Jer.* XXXI. 26. 6. 7. 8. *Tandem ex Typis variis* XIV. *Omnium horum Summa* XV.
*Hiſtoriæ Aſcenſionis Veritas varie aſſerta ſimiliter* C. VIII. 2. *&c. Vid. Aſcenſio.*
*Hiſtoriæ Seſſionis ad Dextram Dei Veritas varie aſſerta perinde* C. XVIII. 2. *Ex Vaticinio Pſal.* CX. 1. 4. *Ex Pſal.* XVI. 11. 5. *Ex Pſal* LXXX. 18. 6 *Ex locis omnibus, quibus Gloria Perſonæ & Regni Meſſiæ pingitur* 7.
*Hizkias ex morbo lethali reſtitutus an Typus Reſurrectionis Chriſti* B. XIV. 4.
*Homines quidam Singulares Typi an ſint Reſurrectionis Chriſti* B. XIV. 4
*Hominis Aſpectus ſuper ſpecie Throni* C. XII. 4.
*Hortulanum qualem Maria Magdal. putaverit Chriſtum* A. IX. 10.
*Hoſ.* V. 15. B. XIII. 6.
*Hoſ* VI. 2 B. XIII. 2. *&c.*
*Hoſ.* IX. 8. C. XII. 5.
*Hoſtium Chriſti Perditio Effectus Reſurrectionis Chriſti* B. III 6 7.

עתיק יומין C. XI. 7.
*Humanitatis Christi partes in Sessione ejus ad Dextram Dei* C. XVI. 7.

I.

*Jacobus à quo visus Jesus Redivivus, quis sit* A. VIII. 7. *Quando id factum* 8.
*Jacobi Justi encomium apud Josephum* B. II. 9.
*Jacob Patriarcha an Typus Resurrectionis Christi* B. XIV. 4.
*Identitas Animæ Christi in Resurrectione ejus* A. 11. 2. *Et Corporis* 3. 4.
*Idiomatum Divinorum Communicatio cum Humanitate in Christo facta* C. XV. 2.
*Jeremias an Typus Resurrectionis Christi* B. XIV. 4.
*Jer.* XXX. 21. C. XI. 1. *&c.*
*Jer.* XXXI. 26. B. XI. 6. *&c.*
*Jerosolymitana Mansio Apostolis mandata* A. XV. 5.
*Jes.* XXVIII. 16. B. IX. 1.
*Jes.* XLIX. 7–9. B. IX. 1.
*Jes.* LII. 13. C. XII. 3.
*Jes.* LIII. 8. C. XII. 3.
*Jes.* LIII. 7. 8. *&c.* B. IX. 1. *&c.*
*Jes.* LV. 3. B. VI. 1. *&c.*
*Jes.* LXVI. 1. C. XII. 3.
*Jesu Nazareni Commendatio ab Emmaunticis duobus facta* A. X. 9. 10. *Cum Ignominiæ ei illatæ mentione* 11.
*Jesu Nazareni descriptio apud Josephum an genuina nec ne* B. II. 5. *&c.*
*Ignominiæ Jesu illatæ Commemoratio ab Emmaunticis facta* A. X. 11.
*In & A Dextra Dei constituitur Christus* C. XIV. 5.
*Incorporei Spiritus* A. XI. 8.
*Incredulitas Discipulorum adversus Mulieres* A. V. 10.
*Incredulitas à quo Thomas avocatur* A. XII. 8.
*Infantium Baptismus. Vid. Baptismus.*
*Infernus in quo non relinquenda Anima Messiæ* B. V. 4.
*Ingressus Domini Glorioſus* C. X. 6.
*Ingressus annuus Pontificis an non Typus Ascensionis Christi* C. XIII. 4.
*Initium Interpretationis quo modo fecerit Christus à Mose & ab Omnibus Prophetis* A. X. 16.
*Inscitia Discipulorum redarguta* A. X. 14.
*Insufflatio Apostolorum à Christo facta cum Spiritus promisso* A. XI. 18.
*Interpretatio à Jesu quo modo Inchoata à Mose & ab Omnibus Prophetis* A. X. 16.
*Intuitus Apostolorum in Cœlum post Christi Ascensionem redargutus* C. VII. 2. 6.
*Invitatio Sitientis omnis ad Aquas* B. VI. 3.
*Job.* XIX. 25–27. B. XII.
*Jobi Genus ex Abrahami familia* B. XII. 8. *Et Ætas paulo ante Exitum Israëlis ex Ægypto* 9.

*Johanna Uxor Chuzæ* A. VI. 2.
*Joh.* XI. 16. A. XII. 2.
*Joh.* XIV. 5. A. XII. 2.
*Joh.* XX. 1 — 10. A. VI.
*Joh.* XX. 11 — 18. A. VI. 11. 12.
*Joh.* XX. 19 — 23. A. XI.
*Joh.* XX. 24 — 29.
*Joh.* XXI. tot. A. XIII. 1. *&c.*
*Johannes an cum Petro viderit Christum Redivivum* A. VIII. 6.
*Johannes ad Mare Tiberiados Christum primus agnovit* A. XIII. 4.
*Johannis cum Petro & Maria Magd. Accessus ad Sepulchrum* A. VI. 1. 12.
*Johannis Mansio qualis à Christo intellecta* A. XIII. 21. *Quæ male accepta à Discipulis occasionem rumori falso dedit de illo non moriturο* 22.
*Johannis Baptistæ encomium apud Josephum* B. II. 9.
*Jona cognomen Simonis Petri* A. XIII. 6.
*Jonas Typus Resurrectionis Christi* B. XIV. 10.
*Joseph an Typus Sessionis Christi ad Dextram Dei* C. XIX. 1. *An & Resurrectionis* B. XIV. 4.
*Josephi de Jesu nostro Testimonium celebre* B. II. 5. *Argumenta contra illius Authentiam* 6. *Illud ad speciem Sarcasmi non est trahendum* 7. *Veterum multorum Silentium contra illud urgetur* 8. *Pro eo facit Candor Josephi, in iis etiam quæ de Johanne Baptista & Jacobo Justo scripsit* 9. *Et constans lectio inde ab Eusebio & Hieronymo* 10. *Argumentum ejus omne Josepho bene convenire monstratur* 11. *Ad Silentium Veterum aliorum respondetur* 12. *De Stylo, Nexu, Codicum Varietate, Fraudibusque piis disseritur.* 13. *Huetii verba conferuntur* 14. *Cloppenburgii & Cappelli observationes ad Nexum* 15.
*Josua Fil. Nun Typus Sessionis ad Dextram Dei* C. XIX. 3.
*Josuah Fil. Jotsadak verè Typus ejusdem insignis* C. XIX. 5.
*Isaak an Typus Resurrectionis Christi* B. XIV. 11. *&c.*
*Israëlis Regnum* A. XV. 6. 7.
*Israëlis Liberatio exspectata* A. X 12.
*Itio Duorum Discipulorum in Emmaus* A. X. 5. *Male torta à Ligtfoοto* 6.
*Jubilum in quo Ascendit Deus* C. XIV. 7. 8.
*Judæorum Perditio à Christo Redivivo facta* B. III. 7.
*Juliani Perditio eidem tribuenda* B. III. 7.

## L.

*Lac & Vinum à Messia sitienti oblatum* B. VI. 3.
*Labor non appendendus pro Non-Pane* B. VI. 4.
*Lacus Tiberiadis* A. XIII. 2.
*Lætitiarum Satietas cum Facie Dei* B V. 7.
*Lapis Reprobatus factus in Caput Anguli* B. VIII. 10.
*Lapis de Monte abscissus, sine manibus,*

nibus, factus in Montem magnum B. X. 12. Ad Messiam spectat Moriturum & Resurrecturum 13–15.
Laudes Euangelistarum B. I. 5.
Laus Jesu ex ore Emmaunticorum A. X. 10.
Λέγει Impersonaliter usurpatur C. IX. 5.
Lex Mssis, Prophetæ, & Psalmi A. XI. 11.
Liberatio Israëlis à Jesu exspectata A. X. 12.
Linguarum Novarum loquela, promissa Credentibus A. XIV. 23.
Littori insistens Jesus apparuit Discipulis piscantibus A. XIII. 3.
Locus Ascensionis Dominicæ C. III. 5. &c.
Loquela Novarum Linguarum promissa Credentibus A. XIV. 23.
Luc. XXIII. 56. A. III. 10.
Luc. XXIV. 1 — 10. A. VI.
Luc. XXIV. 11. 12. A. VI. 11. 12.
Luc. XXIV. 13. 36. A. X. 1. &c.
Luc. XXIV. 36 — 49. A. XI. 1 &c.
Luc. XXIV. 50. A. XV.

M.

Magdalena Maria à nomine & Conditione sua descripta A. VI. 2.
Magnificus & Dominator Israëlis C. XI. 2. Ex hoc futurus & exiturus 3. Quem Deus appropinquare faceret 4. Ob Oppignorationem cordis ad id alteri nulli convenientem 5. Ad Christum Ascensurum spectat 6.
Magnus Terræ Motus A. IV. 2. 3
Majestas Dei data super cœlos C. X. 4
Majestatis portatio & Sessio super Throno tributa Messiæ C. XII. 8.
Major Dilectio Petri præ his quo modo intelligenda A. XIII. 7. 8.
Mala Petro à Domino prædicta ob nomen suum A. XIII. 17.
Mane Alto resurrexit Christus, in quod conspirant variæ Euangelistarum phrases A. III. 10. &c. Cur ita factum 14. An prædictum B. XIII. 5.
Manipulus Primitiarum Typus Resurrectionis Christi B. XIV. 6.
Manna post Sabbatum Typus Resurrectionis Christi B. XIV. 9.
Mannæ Urna in Sanctuario an Typus Ascensionis Christi C. XIII. 2.
Mandata Christi servare jubentur Baptizati A. XIV. 16.
Mansio Jesu cum Emmaunticis A. X. 18.
Mansio Jerosolymitana Apostolis mandata A. XV. 5.
Mansio Johannis qualis à Christo intellecta A. XIII. 21.
Manuum Christi Benedicentis Sublatio A. XV. 12.
Manuum Impositio ad ægrorum sanationem A. XIV. 25.
Manuum Protensio Petro in senectute prædicta A. XIII. 17. 18.
Marc. XVI. 1 — 7. A. VI. 12. X. 9. 10. 11. VII. 12.
Marc. XVI. 12. 13. X. 2. &c.
Marc. XVI. 14. A. XI. 1. &c.

Marc.

*Marc.* XVI. 15. 16. A. XIV. 17.
*Marc.* XVI. 17. 18. A.
*Mare Tiberiados* A. XIII. 2.
*Maria Magdalena à nomine & conditione ſua deſcripta* A. VI. 2. *Itio ad Sepulchrum, Conſpectus Angelicus, Abitus ad Petrum & Johannem cum horum Adductione* A. VI. 11. *&c.*
*Maria Magd. à qua Dæmonia Septem ejecta* A. IX. 6. *Ei facta Domini Apparitio brevius narrata à Marco* 7. *Latius à Johanne* 8. *&c. Ejus Statio apud Sepulchrum, hujusque Inſpectio cum Fletu* 8. *Ad quam ſecutus Angelorum Conſpectus & Colloquium* 9. *Converſio retrorſum cum Viſu Jeſu ignoti* 10. *Nomine ſuo compellata à Jeſu* 11. *Reſponſio per Rabbuni* 12. *Vetita Jeſum tangere* 13. *Juſſa nunciare Diſcipulis* 14. *Quod & fecit* 15.
*Maria Alia, dicta Jacobi, Clope, & Alphei* A. VI. 2.
*Martyrum Conſtantia Effectus Reſurrectionis Chriſti* B. III. 5.
Μαθητέυειν A. XIV. 11.
*Matt.* XII. 40. A. III. 2.
*Matt.* XXIV. 26. 27. C. II. 2.
*Matt.* XXVI. 11. C. II. 3.
*Matt.* XXVIII. 1. A. III.
*Matt.* XXVIII. 2. 3. A. IV.
*Matt.* XXVIII. 4. 11. 15. A. V.
*Matt.* XXVIII. 1. 5. 7. A. VI.
*Matt.* XXVIII. 8. 9. 10. A. IX.
*Matt.* XXVIII. 16 — 20. A. XIV.
*Matutino tempore reſurrexit Chriſtus* A. III. 10. *An id prædictum* B. XIII. 5.
*Mel cum Piſce datum Chriſto Redivivo apparenti* A. XI. 9.
*Mendacium Cuſtodum ex horum Corruptione ſparſum* A. V. 5. *&c.*
*Mentis Apertio ad Scripturas intelligendas* A. XI. 12.
*Metus Diſcipulorum à Judæis, ob quem clauſæ fores* A. XI. 3.
Μία σαββάτων A. III. 4.
*Mich.* II. 12. 13. C. XII. 7.
*Mich.* IV. 14. B. XI. 6.
מעלות C. XII. 6.
*Minor quam Divinus Honor non notatur per Seſſionem ad Dextram Dei* C. XV. 13.
*Miracula Jeſu à Joſepho memorata* B. II. 6. 7.
*Miſſio Chriſti Paterna, & Diſcipulorum à Chriſto* A. XI. 16.
*Miſſio Spiritus à Chriſto promiſſi* A. XI. 17.
*Modus deſcriptionis Reſurrectionis Chriſti hanc confirmat* B. I. 16.
*Mons Galilææ in quo ſolenniter Diſcipulis apparuit Jeſus Redivivus* A. XIV. 4.
*Mons Oliveti, unde Chriſtus Aſcendit* C. III. 7.
*Mons Magnus ex Lapide parvo* B. X. 12.
*Mors Meſſiæ piacularis* B. IX. 6.
*Mors Petro prædicta Violenta, non tamen determinate Crucifixio* A. XIII. 17. 18.
*Morti an ſubductus Johannes* A. XIII. 22.

*Moſes an Typus Chriſti Reſurrecturi* B. XIV. 4.
*Moſes an vere mortuus & ſepultus, an vero Tranſlatus ſit* C. XIII. 8.
*Moſes Typus Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei* C. XIX. 3.
*Moſes Teſtis Paſſionum & gloriæ Meſſiæ* A. X. 16.
*Motus Terræ apud Reſurrectionem Chriſti* A. IV. 2. *Iſque Magnus* 3. *Ab Angelo factus* 4. *Quando* 8.
*Mulieris Semen conterendum & contriturum* B. XII. 1.
*Mulieres Piæ apud Chriſti Reſurrectionem* A. VI. 2. *Earum Adventus ad Sepulchrum videndum & Chriſtum ungendum* 3. *Sollicitudo de Saxo amovendo* 4. *Liberatio ab ea per viſam devolutionem* 5. *Dolor ob Corpus Jeſu non inventum* 6. *Viſio Angelica* 7. *Et Auditus junctus* 8. *Factum omne inſecutum* 9. *Et Effectus, tum in Diſcipulis aliis, tum in Petro* 10.
*Mulierum Fatum ab Emmaunticis narratum* A. IX. 13.
*Mulieribus apparuit Chriſtus ipſe* A. IX. 1 *&c. Cum nunciaturæ fatum ſuum abirent* 3. *Occurrit cum Gaudii juſſu* 4. *Cujus & pedes apprehenderunt adorantes, & juſſum ab ipſo accipientes* 5.

N.

*Narratio Cuſtodum Sepulchri apud Pontifices* A. V. 4.
*Narratio Emmaunticorum de Mulieribus* A. X. 13.
*Narratio Matthæi de Mulieribus an Eadem cum illa Johannis de Maria Magd.* A. IX. 16.
*Nathanael deſcriptus* A. XIII. 2.
*Nazareni Jeſu commendatio ab Emmaunticis facta* A. X. 9
*Neceſſitas Paſſionum Meſſiæ ad ejus Gloriam* A. X. 15.
*Neceſſitas Reſurrectionis Chriſti* B. I. 4. *Et Aſcenſionis* C. VIII. 3. *Ac Seſſionis ad Dextram Dei* C. XVIII. 2.
*Noach an Typus Reſurrectionis Chriſti* B. XIV. 4.
*Nomen Patris Filii & Spiritus S. in quod baptizandi credentes* A. XIV. 14.
*Non Panis & Non Satians* B. VI. 4.
*Noſſe tempora quo ſenſu credentibus non conveniat* A. XV. 8.
*Notitia Dilectionis Petri apud Dominum* A. XIII. 10.
*Novarum Linguarum Loquela promiſſa* A. XIV. 23.
*Nubes Chriſtum aſcendentem ab oculis ſuorum auferens* C. II. 12. *Placida & grata potius quam terribilis* C. V. 5. *Ita abſtulit ut ſuſtulerit eum* 6. *Ad Domini Gloriam majorem* 7.
*Nubes varia* C. VI. 2.
*Nubes, quæ Eliam abſtulit* C. VI. 3.
*Nubes Iſraëlitica in Deſerto* C. VI. 4.
*Nubes apud Chriſtum in Monte* C. VI. 4.
*Nubes cum quibus advenire viſus eſt Filius hominis* C. XI 9.
*Nudus Petrus in mare proſiliit* A. XIII. 4.

*Nu-*

*Numerus Apparitionum Christi Redivivi* A. VII. 8.
*Numerus Piscium* 153. *Captorum ab Apostolis* A. XIII. 3.
*Nunciatio à Mulieribus & à Maria facta* A. IX. 15.

O.

*Obsignatio Sepulchri Christi* A. V. 2.
*Oculorum Retentio in Discipulis* A. X. 7. *Et Apertio* 19.
*Oliveti Mons unde Christus ascendit* C. III. 7. &c. *An Vestigia pedum ei impressa in Ascensione* IV. 1. &c.
*Omnes Prophetæ, à quibus Jesus interpretandi fecit initium* A. X. 16.
*Omnibus Apostolis quo modo contigisse feratur Apparitio Christi Ultima* A. XV. 2.
*Omnipræsentia Humanitatis Christi non fluit ex Sessione ad Dextram Dei* C. XV. 2. &c.
*Oppignoratio Cordis ad appropinquandum Deo* C. XI. 5.
Ὀψάριον A. XIII. 4.
Ὀψὲ σάββατων *exponitur* A. III. 11.
*Oracula Sibyllina pro Christi Resurrectione* B. IV. 3.
*Ordo Factorum & Fatorum Muliebrium apud Christi Resurrectionem* A. IX. 17. 18.
*Orientis Solis mentio apud Christi Resurrectionem* A. III. 10.
*Ortus Solis Justitiæ* C. XII. 9.
*Oves Christi pascere jussus Petrus* A. XIII. 12.

P.

*Pacis Votum Dominicum apud Apostolos* A. XI. 4. 14.
*Pædobaptismus. Vid. Baptismus.*
Πάλιν δεύτερον A. XIII. 12.
*Panis Fracti Distributio apud Emmauticos* A. X. 19.
Παραβιάζειν A. X. 18.
*Parabola de Aquilis apud Ezechielem* B X. 2. 3. 4.
Παροικεῖν *varie expositum* A. X. 18.
*Pascere Agnos & Oves Christi Petrus jussus* A. XIII. 11. &c. *Quod & ad alios Doctores spectat* 14. *Quam male à Pontificiis torqueatur* 16.
*Passiones Messiæ* B. IX. 3. *Earum Necessitas* A. X. 15.
*Passiva Verba de Resurrectione Christi adhibita* A. I. 4. *De Ascensione ejus* C. I. 2. 3. *De Sessione ad Dextram* C. XIV.
*Pater meus & Pater Vester* A. IX. 14.
*Patris Filii & Spiritus S. Nomen, in quod baptizamur* A. XIV. 14. 15.
*Patris promissum exponitur* A. XV. 5.
*Paulus quo modo Christum viderit* A. XVI. 2.
*Peccatorum Remissio & Retentio Apostolis tributa* A. XI. 19.
*Pedum Jehovæ Statio super monte Oliveti* C. XII. 8.
*Pedum Christi Vestigia an Monti Oliveto Impresso. Vid. Vestigia.*

*Pedum Christi Apprehensio à Mulieribus facta* A. IX. 5.
*Permanens Dierum* C. XI. 7.
*Personæ singulares an Typi Resurrectionis Christi* B. XIV. 4.
1 *Petr.* III. 22. C. XVI. 5.
*Petrus à Sinistris Pauli repræsentatus* C. XV. 10.
*Petri Accursus ad Sepulchrum, ejusque Fatum* A. VI. 10.
*Petri & Johannis Accessus ad Sepulchrum Christi* A. VI. 11. 12.
*Petrus Christum Redivivum vidit* A. VIII. 2.
*Petrus non fuit Socius Cleopæ* A. X. 4.
*Petrus ad Piscationem Discipulos alios vocavit* A. XIII. 2. *In mare ante eos prosiliit* 4. *Rogatus à Domino de Sui Dilectione* 6. *&c. Respondit recte* 10. *Hinc mandatus à Christo pascere Agnos suos* 11. *Iterum interrogatus, perinde respondit & jussus est* 12. *Quin & tertio id factum non sine omni tristitia Petri* 13-15. *Quomodo ad alios eadem spectent* 14. *Cur ter facta* 15. *Ex ea male concluditur fuisse Pontifex Universalis* 16. *Mala ei prædicta* 17. *Cum Morte violenta, non autem Crucifixione determinate* 18. *Sequela Christi ei mandata qualis* 19. 20. *Rogantis redargutio Dominica, cum mandato repetito* 21.
*Phil.* II. 9.-11. C. XVI. 4.
*Pilati Epistola ad Tiberium à Tertulliano laudata, & aliis post eum* B. II. 1. *Exemplum ejus ex Sixto Senensi & aliis, quod pro Authentico haberi nequit* 2. *Unde tamen ejus scriptio alia neganda non videtur* 3. *Quod contra Clericum defenditur* 4.
*Piscatio infelix Discipulorum in Mari Tiberiadis* A. XIII. 2.
*Pisces nulli, & dein plurimi à Discipulis capti* A. XIII. 3. *Eorumque majorum Numerus* 3.
*Piscis cum Melle datus Christo ab Apostolis* A. XI. 9.
Πνοὴ *in die Pentecostes* A. XI. 18.
*Pœnitentiæ Tribunal apud Pontificios* A. XI. 20.
*Pontificis Ingressus Annuus in Sanctuarium Typus Christi* C. XIII. 4.
*Pontificatus Universalis Petri quam male ex trino ad eum Mandato Dominico eliciatur* A. XIII. 16.
*Pontii Pilati Epistola. Vid. Pilati.*
*Portæ jussæ attollere caput suum ad Ingressum Domini gloriæ* C. X. 6.
*Possibilitas Resurrectionis Christi* B. I. 2. *Item Ascensionis* C. VIII. 3. *Et Sessionis ad Dextram Dei* XVIII. 2.
*Potens Opere & sermone* A. X. 10.
*Potestas omnis in Cœlo & super Terra Christo data* A. XIV. 8. *Inepte tracta ad Humanitatis Christi Omnipotentiam* 9. 10.
*Potestas Patris in qua Tempora constituta* A. XV. 8.
*Potestas Christi sedentis ad Dextram Dei amplissima* C. XVI. 8.

*Præ his Dilectio Dominica Petri* A. XIII. 7. 8.
*Præcepta Christi servare mandandum Baptizatis* A. XIV. 16.
*Præcipiens & Dux Messias* B. VI. 2.
*Prædictiones urgentur pro Christi Resurrectione* B. IV. *&c. Nec non Ascensione* C. IX. *&c. Et Sessione ad Dextram Dei* C. XVIII.
*Præsentia Christi apud suos in his terris perpetua* A. XIV. 20.
*Prima Apparitio Christi Redivivi apud Apostolos* A. XI.
*Primitiarum Manipulus Typus Christi Resurgentis* B. XIV. 6.
*Primus Septimanæ Dies quo Christus resurrexit* A. III. 4. *&c. Cur hic ad id electus* 7. *Is uti Tertius à morte, ita Alter à Sabbato, & Paschate Judaico* 8. *Et Vernalis adeo* 9. *Is an & prædictus* B. XIII. 8.
*Prolongatio Dierum Messiæ* B. IX. 8.
*Promissum Patris à Christo mittendum* A. XI. 17.
*Promissum Patris exspectandum* A. XV. 5.
*Propheta Potens Opere & sermone* A. X. 10.
*Prophetæ Testes Passionum & gloriæ Messiæ* A. X. 16.
*Prophetiæ de Resurrectione Christi* B. IV. *&c. De Ascensione* C. IX. *De Sessione ad Dextram Dei* C. XVIII.
*Propitiatorium cum Arca Typus Ascensionis Christi* C. XIII. 3.
*Prospectus Apostolorum in Cœlum ad Christi Ascensionem* C. VII. 2. 6.
Προσφάγιον A. XIII. 3.
Προσπορευσις *Jesu ad ulterius eundum* A. X. 17.
*Prov.* XXX. 18. 19. B. XI. 2. C. XII. 2.
*Psalmorum appellatio juxta Legem Mosis & Prophetas* A. XI. 11.
*Psal.* II. 4. C. X. 2.
*Psal.* II. 7. B. VII.
*Psal.* III. 6. B. XI. 3.
*Psal.* VII. 8. 11. C. X. 3.
*Psal.* VIII. 2. *&c.* B. VIII. 2. C. X. 4.
*Psal.* XVI. 8. 11. B. V. C. XVIII. 5.
*Psal.* XVII. 15. B. XI. 4.
*Psal.* XVIII. B. VIII. 3.
*Psal.* XXI. & XXII. B. VIII. 4.
*Psal.* XXIV. 7. 10. C. X. 6.
*Psal.* XL. B. VIII. 5.
*Psal.* XLI. B. VIII. 6.
*Psal.* XLV. 5. C. X. 5.
*Psal.* XLVII. 6. C. X. 7. 8.
*Psal.* LVII. 9. B. XI. 5.
*Psal.* LXVIII. B. VIII. 7. C. IX. 1. 7. 8.
*Psal.* LXIX. B. VIII. 8.
*Psal.* LXXX. 18. C. XVIII. 6.
*Psal.* CX. B. VIII. 9. C. XVIII. 3. 4.
*Psal.* CXVIII. B. VIII. 10.
*Pulvis super quem surrecturus Messias* B. XII. 5. *&c.*

Q.

*Quadrageſimus Dies Aſcenſionis Chriſti* C. III. 3.

*Quatuor Venti & Beſtiæ apud Danielem* C. XI. 7.

*Quingenti Fratres à quibus Chriſtus ſimul viſus* A. XIV. 2. 3.

R.

*Rabbuni compellatus Jeſus à Maria* A. IX. 12.

*Ramuſculus Tener Cedri altæ. Vid. Cedri.*

*Raptus Eliæ Typus Aſcenſionis Chriſti* C. XIII. 6.

*Redemptor Victurus* B. XII. 2. &c.

*Reditus Emmaunticorum ad Apoſtolos* A. X. 22.

*Reditus lætus Apoſtolorum in Urbem, cum Dei laude in Templo, & Manſione amica in Cœnaculo* C. VII. 9.

*Reditus Chriſti de cœlo promiſſus* C. VII. 8.

*Redivivi Jeſu Apparitio apud ſuos à Joſepho memorata* B. II. 7. 11.

*Refractariorum Habitatio* C. IX. 4.

*Regnum Sanctorum* C. XI. 12–14.

*Regni Iſrael Conſtitutio, vel Reſtitutio, qualis & quando exſpectanda* A. XV. 6. 7.

*Remiſſio & Retentio Peccatorum* A. XI. 19. *Peſſime detorta apud Pontificios* 20.

*Reprobatus Lapis factus in Caput Anguli* B. VIII. 10.

*Reſtitutio Regni Iſraël* A. XV. 6. 7.

*Reſurrectio Chriſti in Neutro, Paſſivo, & Activo expreſſa* A. 1. 4. *Emphatice Rom.* 1. 4. *intelligenda* 7.

*Reſurrectio Chriſti Eandem illi tribuit Animam* A. II. 2. *Idemque Corpus ſpecie & numero* 3. *Sed Qualitatibus mutatum* 4. *Et ſic Animæ Redunitum* 5.

*Reſurrectionis Chriſti Tempus, reſpectu Diei & Partis illius* A. III. 8. &c. *An & prædictum* B. XIII. 1.

*Reſurrectionis Chriſti Certitudo. Vid. Certitudo.*

*Reſurrectionis Hiſtoriæ Veritas. Vid. Veritas*

*Reſurrectio Chriſti Prædicta Pſal.* XVI. 8. B. V. *Etiam Jeſ.* LV. 3. VI. &c.

*Reſurrectio Chriſti à Jobo credita* B. XII. 2.

*Reſurrectionis Chriſti Typi multiplices* B XIV. 1. 3. &c.

*Reſurrectionis Chriſti Circumſtantiæ an & prædictæ* B. XIII. 7.

*Retentio Oculorum in Diſcipulis* A. X. 7.

*Retentio Jeſu amica apud Emmaunticos* A. X. 18.

*Retentio & Remiſſio Peccatorum* A. XI. 19. 20.

*Retis projectio in dextram partem mandata & feliciter facta* A. III. 3.

*Reviviſcere Chriſto tributum* A. 1. 4.

*Rogatio de Johanne à Petro facta* A. XIII. 21. *A Chriſto redarguta* 21.

*Romanum Imperium Gentile perditum à Chriſto* B. III. 8.


*Ro-*

Digitized by Google

*Romanus Populus inepte quæsitus in Filio hominis* C. XI. 10.
*Rom* 1. 4 A. 1. 7.
*Rom.* VI. 14. A. L. 5.
*Rom.* XIV. 9. A. L. 4.
*Rumor falsus de Johanne non moriturо* A. XIII. 22.

S.

*Sabbatorum Una vel Prima* A. III. 4.
*Sabbatum & Sabbata* A. III. 4. 5.
*Sabbatum transiisse* A. III. 10.
*Salome* A. VI. 2.
*Salomon Typus Sessionis Christi ad Dextram Dei* C. XIX. 4.
*Salus Credentium & Baptizatorum* A. XIV. 19.
*Sanatio Ægrorum per manuum impositionem* A. XIV. 25.
*Sapientia Jesu commendata apud Josephum* B. II. 6. 11.
*Satietas lætitiarum cum facie Dei* B. V. 7.
*Saxum ab Angelo devolutum à Sepulchro* A. IV. 4. 6.
*Saxum magnum devolvendum* A. VI. 4.
*Sceptrum commune temere tribuitur sedenti ad Dextram tenentis* C. XV. 12.
*Scriptores Resurrectionis Christi Laudati* B. L. 5.
*Scientia Goëlis Vivi* B. XII. 7.
Σκύθρωπος A X. 8.
*Seculi Fœdus à Messia Cædendum* B. VI. 6.
*Seculi Consummatio* A. XIV. 20.
Σεισμὸς A. IV. 2. *Isque Magnus* 3.
*Sedens in Cœlis an Messias* C. X. 2.
*Semen Messiæ Videndum* B. IX. 7.
*Semen Mulieris Conterendum & Contriturum* B. XII. 1.
*Semita Vitæ ostensa Messiæ* B. V. 6.
*Septem Dæmonia ejecta è Maria Magd.* A. IX. 6.
*Septimanæ Primus dies quo resurrexit Christus* A. III. 4.
*Sepultura Messiæ* B. IX. 5.
*Sepulchri Christi Obsignatio* A. V. 2.
*Sequela Christi Petro mandata qualis* A. XIII. 19. 20.
*Sermo Christi cum Emmaunticis* A. X. 8.
*Serpentes tollere absque noxa* A. XIV. 24.
*Serpentis Via super Petra* B. XI. 2.
*Servare Christi mandata Officium Baptizatorum* A. XIV. 16.
*Sessio super Throno* C. XII. 8.
*Sessio Christi ad Dextram Dei spectata in phrasios varietate* C. XIV. *Non dicit vel involvit Humanitatis Ubiquitatem* C. XV. 2. 3. *Non competit Humanitati ejus in abstracto* 4. *Phrasis isthæc integra spectanda* 6. *Cum Mansione in Cœlo juncta* 7. *Expositio perversa de Favore Dei, vel de Glorificatione cœlesti* 8. *Nec non de Dignitate Majori quam Divina* 9. *Etiam de Æqualitate Gloriæ & Potestatis simpliciter* 12.
*Sessionis Christi ad Dextram Dei declaratio positiva* C. XVI. 1. *&c. Dicit Gloriam & Majestatem* Θεανθρώπου *summam, palam Decla-*

*Declaratam in Perſona & Regno* 2. *Secundum Symboli à Regibus petiti naturam* 2. *Aliasque Phraſes ſubſtitutas vel junctas* 3. 5. *Quomodo pertineat ad Divinam perſonam reſpectu ejus Naturæ* 6. *Et ad Humanitatem* 7. *Poteſtas hinc illi competens ampliſſima* 8.

*Seſſio Chriſti ad Dextram Dei Corporalis in Emblemate viſibili an etiam agnoſcenda ſit* C. XVI 9.

*Seſſio Chriſti ad Dextram Dei non repetenda ab omni Æternitate* C. XVII. 1. *Neque ab initio Mundi, vel Euangelii, vel Incarnationis, vel Reſurrectionis* 2. *Sed ab ejus Aſcenſione* 3. *Duratura ad Mundi Finem* 4. *Quin & ultra eum* 5.

*Seſſionis Chriſti ad Dextram Dei Certitudo* C. XVIII.

*Seſſio ad Dei Siniſtram an ex illa Chriſti ad Dextram recte concludatur, & cui tribuenda tunc* C. XVI. 10.

*Sexaginta Stadiis ab Urbe Emmaus abfuit* A. X. 5.

*Sibyllina Oracula pro Chriſti Reſurrectione* B. IV. 3.

*Signa Credentes & Baptizatos ſecutura* A. XIV. 21. *An & quo modo Univerſaliter* 26.

*Signum à Conſtantino M. Viſum* B. III. 8.

*Silentium de Joſephi Teſtimonio Celebri apud Veteres multos* B. II. 8. 12.

*Simon à quo Chriſtus viſus* A. X. 23. *A quibus hoc dicatur* 23.

*Simon Jona* A. XIII. 6.

*Simſon an Typus Reſurrectionis Chriſti* B. XIV. 4.

*Simulatio qualis Chriſto tribui queat* A. X. 17.

*Sine Manibus Lapis* B. X. 12. *&c.*

*Siniſtra Dei cui in Seſſione tribui queat* C. XVI. 10.

*Siniſtra olim apud Hebræos aliosque plurimos non dignior quam Dextra* C. XV. 10. 11.

*Sitientis Invitatio ad Aquas* B. VI. 3.

*Socius Cleopæ quis fuerit* A. X. 3. *Neutiquam Petrus* 4.

*Solis Juſtitiæ Ortus* C. XII. 9.

*Solis Orientis mentio apud Chriſti Reſurrectionem* A. III. 10.

*Sollicitudo Mulierum de Saxo devolvendo* A. VI. 3. *Sublata per conſpectum devolutionis factæ* 5.

*Speculans Ephrajim cum Deo meo* C. XII. 5.

*Spes Duorum Emmaunticorum Vacillans* A. X. 12.

*Spiritibus negata Caro & Oſſa* A. XI. 7. *Eorum natura Incorporea* 8.

*Spiritum ſe videre quo modo putaverint Apoſtoli* A. XI. 5.

*Spiritus S. cum Inſufflatione promiſſus Apoſtolis* A XI. 18.

*Spiritus Miſſio Extraordinaria Effectus Chriſti Redivivi* B. III. 2.

*Spirituale Regnum Chriſti an agnoverint Apoſtoli* A. XV. 6. 7

*Stabilis Dierum* C. XI. 7.

*Stadiis Sexaginta ab Urbe abfuit Emmaus* A. X. 5.

*Sta-*

Digitized by Google

*Statio Mariæ Magd. apud ſepulchrum* A. IX. 8.
*Statio Chriſti ad Dextram Dei* C. XIV. 6.
*Summa Hiſtoriæ Reſurrectionis & Apparitionum Chriſti* A. XVI. 1. *Eorum quæ pro Veritate Hiſtoriæ Reſurrectionis fuere adducta* B. XV. *Dictorum de Aſcenſione & Seſſione Chriſti* C. XX.
Συναλίζεσθαι A. XV. 3.
*Surrectio Domini* לעד B. XI. 6.
*Surrectio Goëlis ſuper pulvere* B. XII. 5.

T.

*Tactus ſui à Chriſto oblatus* A. XI. 7.
*Tactus Chriſti Interdictus* A. IX. 13.
*Tarditas Diſcipulorum ad Credendum* A. X. 14.
*Tempus Reſurrectionis Chriſti* A. III. *An prædictum* B. XIII. 1.
*Tempus Aſcenſionis Dominicæ* C. III. 2.
*Tempora noſſe quo modo non conveniat Diſcipulis* A. XV. 8. *In Patris poteſtate conſtituta* 8.
*Tempus rei geſtæ cum Emmaunticis* A. X. 25.
*Tenebras quo modo Johannes adhuc ponat apud Chriſti Reſurrectionem* A. III. 10.
*Ter interrogatus & juſſus à Domino cur fuerit Petrus* A. XIII. 15.
Τηροῦντες *apud Chriſti Reſurrectionem. Vid. Cuſtodes.*
*Terra à Chriſto Aſcendente relicta reſpectu Humanitatis* C. II. 2. *&c.*
*Terræ Motus apud Reſurrectionem Chriſti* A. IV. 2. *Ejus Tempus determinatum* 8. *Factus ab Angelo deſcendente ut Miniſtro Domini* 6.
*Tertius Dies quo reſurrexit Chriſtus* A. III. 1. *Non Elapſus ſed Labens* 2. *Cur electus ad hoc* 3. *Etiam memoratus ab Emmaunticis* X. 12. *An & prædictus* B. XIII. 1.
*Teſtes Chriſti conſtituti Apoſtoli* A. XI. 15. XV. 10.
*Teſtimonium Joſephi celebre. Vid. Joſephi.*
*Teſtis Dux & Præcipiens Meſſias* B. VI. 2.
*Thomæ deſcriptio* A. XII. 2. *Ejus Abſentia, & unde illa* 3. *Incredulitas* 4. *Rurſus Præſentia* 5. *Quando Jeſus ſe ſtitit* 6. *Et contrectandum dedit* 7. *Et ab Incredulitate revocavit ad fidem* 8. 9. 10. *Ejus Reſponſio, Domine mi & Deus mi* 11. *Verborum horum Vis magna* 12. *Temere & blaſpheme à Socinianis enervata* 13. *Eorundem Laus Dominica* 14. *Cum Beatitate Credentium abſque Viſu tali* 15. *Tempus rei geſtæ* 16. *Certitudo Reſurrectionis hinc conſtans* 17.
*Thronus Dei Cœlum* C. XII. 3.
*Tiberiados Mare* A. XIII. 2.
*Tiberii in Chriſtianos Favor* B. II. 1. *&c.*
Τούτων *à Domino prolatum potius in Neutro quam in Maſculino intelli-*

*telligendum* A XIII. 7. 8.
*Tres Dies Sepulturæ Christi quo modo numerandi* A. III. 2.
*Tribunal Pœnitentiæ à Papistis male erectum & firmatum* A. XI. 20.
*Tseph.* III. 8. B. XI. 5.
*Tubæ vox in qua Jehovah ascendit, an & quo modo apud Christi Ascensionem reperiri queat* C. X. 7. 8.
*Typi varii generis* B. IV. 5. 6.
*Typi Resurrectionis Christi complures, minus & magis certi atque apti.* B. XIV. 1. 2. *&c.*
*Typi Ascensionis Domini* C. XIII. 1. *In Virga Aharonis, & Urna Mannæ* 2. *Utique in Arca Fœderis cum Propitiatorio* 3. *Pontificis Ingressu annuo* 4. *Henocho* 5. *Elia* 6. *Non item in Mose* 8.
*Typi Sessionis Christi ad Dextram Dei, inter quos Joseph numerari solet* C. XIX. 1. *Et Adam* 2. *Et Moses atque Josua* 3. *Et David ac Salomon* 4. *Maxime autem Josuah Pontifex Coronatus* 5.

V.

*Ubiquitas Humanitatis Christi temere asserta* C. XV. 2.
*Vaticinia pro Resurrectione Christi* B. IV. 1. *&c. Pro Ascensione* C. IX. 1. *Pro Sessione ad Dextram Dei* C. XVIII.
*Verba de Christi Resurrectione Neutra, Passiva, & Activa* A. 1. 4. *&c. De Ascensione ejus* C. 1. 2. *&c. De Sessione ad Dextram Dei* C. XIV. 7.
*Veritas Historiæ Resurrectionis Christi. Vid. Resurrectio.*
*Veritas Ascensionis Christi. Vid Asc.*
*Veritas Sessionis Christi. Vid. Sessio.*
*Veritatem lubenter recipientes Christiani apud Josephum* B. II. 7. 11.
*Vernali tempore Christus suscitatus* A. III. 9.
*Vesperascere* A. X. 18.
*Veterum multorum Silentium de Celebri Testimonio Josephi* B. II. 8. 12.
*Vestigia pedum Christi in Monte Oliveto inquiruntur* C. IV. *Autores pro his laudati* 1. 2. *Nullum eorum fundamentum in Scriptura* 3. *Nec in Antiquitate Prima* 4. *Observationes ad eos qui Secc.* IV. & V. *pro his laudantur* 5. *Speciales ad Hieronymum, Augustinum, Paulinum, & Sulpicium* 6. *De Beda aliisque Ævi Medii* 7. *De Recentioribus aliis* 8.
*Vestitus Angelorum Albus* C. VII. 3.
*Via Serpentis in Petra* B. XI. 2. *Aquilæ in Cœlum* C. XII. 2.
*Victurus Goël & Surrecturus super pulverem* B. XII. 4. 5.
*Vigiles. Vid. Custodes.*
*Vinum & Lac à Messia oblatum* B. VI. 3.
*Violenta Mors Petro prædicta* A. XIII. 17. 18.
*Virga Aharonis an Typus Resurrectionis Christi* B. XIV. 3.
*Vir Dextræ Dei* C. XVIII. 6.
*Viri Duo Apostolis adstantes* C. VII. 4.

*Virum*

*Virum an fas sit Jesum dicere apud Josephum* B. II. 7. 11.
*Visio Christi Cephæ concessa* A. VIII. 2. *&c. Oblata Christo ab Apostolis* A. XI. 7. *Non necessaria ad Fidem quo modo* A. XII. 16.
*Visio Christi Redivivi Paulina* A. XVI. 2. *&c. Et Johannis illa* A. XVI. 8.
*Visio Discipulorum apud Ascensionem* C. II. 13. *Qualis illa* V. 5. 6.
*Visio Seminis Messiæ tributa* B. IX. 7.
*Vitarum Semita ostendenda Messiæ* B. V. 6.
*Vivificatio Tertii Diei quo modo ad Messiam recte referatur* B. XIII. 2.
*Ultimo omnium apparuit Christus Paulo* A. XVI. 7.
*Unctio Christi à Mulieribus facienda* A. VI. 3.
*Undecim ad quos redierunt Duo Emmauntici Discipuli* A. X. 22.
*Undecim abeuntes in Montem Galilææ constitutum* A. XIV. 2.
*Unguentorum Emptio, & Paratio, à Mulieribus facta* A. VI. 3.
Ὑψωσις C. I. 2.
*Urna Mannæ an Typus Ascensionis Christi* C. XIII. 2.
*Unus pro Primo* A. III. 6.

Z.

Zach. VI. 8. *&c.* C. XIX. 5.
Zach. VI. 13. C. XII. 8.
Zach. XIV. 4. C. XII. 8.
Zach. IX. 9. B. XI. 6.
Ζάειν *de Christi Resurrectione adhibitum* A. I. 4.
Ζωοποιεῖσθαι A. I. 5.

# NOMINA JUVENUM

## Præſtantiſſimorum, qui quædam Hiſtoriæ hujus Capita publice repetitis vicibus defenderunt.

GABRIEL BINASZEWSKI, *Lithuanus.*

DANIEL BERTLINK, *Rotterod. Batavus.*

SAMUEL NERLICH, *Polonus.*

CAROLUS DU BLES, *Lugd. Batavus.*

GERARDUS MAAS, *Gouda Batavus.*

GERH. JOH. SWAAN, *Haga Batavus.*

CHRISTOPH. HENR. KARKETTEL, *Lithuanus.*

JOSEPHUS HARKANYI, *Tranſylvanus.*

OLPHERDUS BACKER, *Amſtelod. Batavus.*

BERNHARDINUS DE MOOR, *Gouda Batavus.*

---

B. L. Inter Errata, quæ complura ipſe facile pro æquitate tua emendabis, hæc velim obſerves. Eſſe legendum pag. 78. lin. 21. *ſolvere contectum &c.* pag. 297. lin. 10 ἐκοιμήθησαν, pag. 300. lin. 22. *terræ*, pag. 301. lin. 16. ἀνάγκαιον, pag. 645. ad marginem, *quod deinde decuerit, imo neceſſaria fuerit*, pag. 677. ad marg. *per Verſionem verborum, decus tunm trajice*, pag. 751. lin. 3. *Cyrillus Jeroſ.* &c.

# INDEX OPERUM JOHANNIS MARCKII,

*Editorum ad Annum uſque* MDCCXXVIII.

I. De SIBYLLINIS CARMINIBUS Diſputationes Academicæ Duodecim. Accedit Breve Examen Diſſertationis Gallicæ de Sibyllinis Oraculis editæ Pariſiis à Joh. Craſſetio Jeſuita. In 8to. Franeq. 1682. pagg. 304.

II. EXERCITATIONES JUVENILES, ſive Selectarum Diſputationum Textualium, atque Orationum in Academia Franequerana olim habitarum, Faſciculus. In Præfatione repetitæ ineptiæ Joh. Craſſetii Jeſuitæ Pariſienſis de Sibyllinis Oraculis exploduntur. Sunt autem Diſputationes XXVI. de Pœna Excidii, Apparitione Samuelis, Statutis Non Bonis, Promiſſo Eliæ Adventu, Pane Ἐπιϰσίῳ, Cælibatu Pauli, Templis Chriſtianorum, & Baptiſmo Pro Mortuis. Atque Orationes Quatuor, de Augmento Scientiæ Theologicæ, Funebris in Obitum Clar. Nicolai Arnoldi, de Cœlitum Stolis Albis, & de Confiƈta Conſtantini M. Donatione. In 8to. Groning. 1686. pag. 683.

III. COMPENDIUM THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ Didaƈtico-Elenƈticum, immixtis Problematibus plurimis & Quæſtionibus recentioribus adauƈtum, in uſus Academicæ Juventutis. In 8to Gron. 1686. pag. 1004.
Prodiit idem deinde Emendatum, & Brevibus Argumentis atque Indicibus neceſſariis inſtruƈtum. Acceſſerunt POSITITIONUM THEOLOGICARUM CENTURIÆ DECEM. In 4to. Amſtelædami 1690. pagg. 703.
Et Tertio editum eſt Amſtelæd. cum Notatione Operum Autoris quibus res eædem latius traƈtatæ ſunt, ad Capita & Paragraphos ſingulos A. 1722. pagg. 810.

IV. NARRATIO APOLOGETICA Proteſtationis atque Oppoſitionis à ſe inſtitutæ contra nonnullas Joh. Braunii Theſes. Una cum APPENDICE, qua Defenſio Joh. Braunii ad examen vocatur. In 8to. Gron. 1686. & 1687. pagg. 230.

V. ANALYSIS EXEGETICA CAPITIS LIII. JESAIÆ, in qua & alia complura Vaticinia de Meſſia illuſtrantur. Accedit MANTISSA OBSERVATIONUM TEXTUALIUM ad Loca Quindecim, Gen. IX. 25. 26. 27. Lev. XXVII. 28. 29. Job. XXXIII. 23. 24. 1 Reg. VI. 1. Pſal. XL. 7. Dan. II. 34. 35. 45. Zach. VI. 11. Joh. X. 34. 35. 36. Rom. III. 25. 1 Cor. VI. 2. Gal. III. 24. Hebr. XI. 11. 2 Pet. III. 13. Apoc. II. 24. Apoc. XXII. 11. In 8to Gron. 1687. pagg. 476.

VI. In APOCALYPSIN JOHANNIS COMMENTARIUS, ſeu Analyſis Exegetica, qua Lectionum Varietas exhibetur, Vocum & Phraſium Vis aperitur, Emblemata viſa juxta eam pinguntur, Significatio Myſtica indagatur, & Celebrium Virorum Gloſſæ ad examen vocantur. Præfatio continet Narrationem & Examen Breve Septem quæ celebrantur Periodorum Novi Teſtamenti. In 4to. Amſtelæd. 1689. pagg. 1050.

Prodiit Editio Altera Emendatior & Auctior, cum Animadverſionibus quibuſdam ad Cenſuram in Præfationem hanc à Joh. Wajeno editam. In 4to 2 vol. Trajecti 1699. pagg. 1044.

VII. EXERCITATIONES MISCELLANEÆ, ſive Selectarum Diſputationum atque Orationum in Academia Groningo-Omlandica habitarum Faſciculus. Diſputationes ſunt Septem Selectæ, de Hæreſios Nomine & Conſtitutione, Ejuſdem Cauſis & Ortu, Hæreſi Kainitica, Samaritaniſmo, Phraſi Moſis למען ספות הרות את הצמאה Deut. XXIX. 19. ad textum Zach. VI. 9——15. denique ad Viginti Loca V. & N. Teſt. ſequentia, Gen. I. 29. 30. V. 3. VIII. 21. Num. XXIV. 17. Deut. XXXII. 11. XXXIII. 23. 2 Sam. VI. 2. Job. XXIX. 18. Dan. XII. 2. Zach. X. 3. Matt. XXIII. 35. XXVII. 9. XXVIII. 17. 1 Cor. VII. 15. VIII. 5. 2 Cor. V. 1. 2 Tim. III. 5. Hebr. IX. 27. 2 Petr. II. 9—11. III. 16. Orationes ſunt Quinque, de Sopiendis in Eccleſia Litibus, Veterum & Hodiernorum præcipue Papiſticorum Errorum Convenientia, Veterum & Hodiernorum Enthuſiaſticorum Errorum Convenientia, Veterum & Hodiernorum Socinianorum Errorum Convenientia, ac Æternitate Regni Meſſiæ. In 8to. Amſt. 1690. pagg. 501.

VIII.

VIII. CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ MEDULLA, Didactico-Elenctica, ex Majori Opere ſecundum ejus Capita & Paragraphos expreſſa, in uſus primos Academicæ Juventutis. In 8to. Amſtel. 1690. pag. 312.
Eadem Altera vice Emendatior edita eſt Amſtel. 1696.
Et prodiit Tertia Editio, expreſſis Scripturæ Textibus aucta, Amſt. 1705. pagg. 470. Item Quarta 1716. & Quinta 1721.

IX. EXERCITATIONES TEXTUALES ad Quinquaginta Selecta Loca Vet. & Novi Teſtamenti. Argumenta quædam Præcipua, de Unctionibus, Polygamia, Cultu Molech, Miraculoſa Cuſtodia Veſtium Iſraëliticarum, Capillitio Abhshalomi, Damaſco Capite Syriæ, Dæmoniacis, &c. paulo latius tractantur. Accedit Oratio Inauguralis de Debita Sacrarum Scripturarum Veneratione. In 4to. Amſtelæd. 1694. pagg. 497.

X. In HOSEAM COMMENTARIUS, ſeu Analyſis Exegetica, qua Hebræus Textus cum Verſionibus Veteribus confertur, Vocum & Phraſium vis indagatur, rerum Nexus monſtratur, & in Senſum genuinum cum Examine variarum Interpretationum inquiritur. Diatribe annexa eſt ſingularis de Accipienda Uxore & Liberis Fornicationum. Et in Præfatione diſſeritur de Autoribus ac Fautoribus Periodorum Septem Novi Teſt. pro Præfatione Apocalyptica, adverſus Joh. Wajeni Sermonem Academicum. In 4to. Amſtel. 1696. pagg. 739.

XI. EXERCITATIONES EXEGETICÆ ad Quinquaginta Selecta Loca Vet. & Novi Teſtamenti. Argumenta quædam Præcipua, de Diluvii Univerſalis Modo, Tranſitu Iſraëlitarum per Mare Miraculoſo, Teraphim, Propinquitate Judicii tempore Apoſtolorum, Dominio Angelorum & Hominum in Eccleſiam Vet. Teſt. &c. paulo plenius exponuntur, & quorundam Textuum Analyſes Exegeticæ miſcentur. Accedit Oratio Academica de Exſpectanda adhuc in Terris Eccleſiæ Felicitate. In 4to. Amſtelæd. 1697. pagg. 813. Habendæ hæ ſunt, uti ab Autore citantur paſſim, pro Parte Secunda Exercitationum Textualium.

XII. In JOELEM, HAMOSUM, HOBHADJAM, &

JONAM, COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica, qua Hebræus Textus cum Versionibus Veteribus confertur &c. perinde ut in Hoseam factum est. In 4to. Amstelæd. 1698. pagg. 747.

XIII. In MICHAM, NAHUMUM, HABHAKKUKUM, & TSEPHANJAM, COMMENTARIUS, sen Analysis Exegetica, qua Hebræus Textus cum Versionibus Veteribus confertur, &c. perinde ut in Hoseam & alios Prophetas Minores factum est. In 4to. Amstelæd. 1700. pagg. 996.

XIV. In HAGGÆUM, ZECHARJAM, & MALACHIAM, COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica, qua Hebræus Textus cum Versionibus Veteribus confertur, &c. perinde ut in Hoseam & alios Prophetas Minores factum est. Præfatio Monitionem habet brevem adv. Joh. Braunium. In 4to. 2. Vol. Amstel. 1701. pagg. 1504.

XV. In CANTICUM SHELOMONIS COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica, qua Hebræus Textus cum Versionibus Veteribus confertur, &c. perinde ut in Hoseam & alios Prophetas Minores factum est. Annexa est etiam Analysis Exegetica Psalmi XLV. In 4to. Amstel. 1703. pagg. 1014.

XVI. HISTORIA PARADISI ILLUSTRATA Libris Quatuor, quibus non tantum Loci istius plenior Descritio exhibetur, sed & Hominis Integritas, Lapsus, ac prima Restitutio, declarantur, secundum Geneseos Capita II. & III. Accedit Oratio Academica de Propagati Christianismi Admirandis. In 4to. Amstel. 1705. pagg. 885.

XVII. MEDULLA THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ Didactico-Elenctica, transumpta ex Opere Latino Majori cum Omissionibus & Additionibus commodis, & Belgice edita; una cum Concione Ecclesiastica de Exspectata Mundi Innovatione ex 2 Petr. III. 13. habita in Seculi hujus Novi introitu in 4to. 1705. pagg. 1021. Quæ etiam prodiit altera vice Roterod. 1723.

XVIII. BIBLICÆ EXERCITATIONES ad Quinquaginta Selecta Loca Vet. & Novi Testamenti. Argumenta quædam Præcipna, de Ordine Nativitatis Filiorum Noachi, Anno Nativitatis Abrahami, hujus Nomine Mutato, Ca-

Columna Nubis & Ignis, aliisque pluribus Deſerti Miraculis, Deſcenſu Spiritus in forma Columbæ ſuper Chriſtum, Nomine ΛΟΓΟΥ huic dato, Peccato in Spiritum Sanctum, Fundamento Unico, &c. paulo plenius exponuntur, & quorundam Textuum Analyſes Exegeticæ miſcentur. Accedit Oratio Funebris in Obitum Clar. Viri Jacobi Triglandii J. F. J. N. In 4to. 2. Vol. Amſtelæd. 1707. pagg. 1122. Habendæ hæ ſunt, uti ab Autore citantur paſſim, pro Parte Tertia Exercitationum Textualium.

XIX. Brevis DECLARATIO QUARTI PRÆCEPTI Divinæ Legis, qua etiam Ceremoniale & Morale ejus oſtenditur, ſecundum Canones Synodi Dordracenæ, tranſumpta ex Exercitatione Latina & Belgice edita. In 4to. Lugd. Bat. 1708. pagg. 96. Prodiit ſecundo cum Additamento A. 1726. pagg. 106.

XX. Brevis INQUISITIO SEPTEM SIC DICTARUM PERIODORUM NOVI TEST. Cum ſimili Appendice de Celebratis Sex Signis Temporum Vet. Teſt. Quæ ex Scriptis Latinis Autoris in Belgicum Sermonem ſunt fere tranſlata. In 4to. Lugd. Bat. 1713. pagg. 264.

XXI. SCRIPTURARIÆ EXERCITATIONES ad Quinque & Viginti Selecta Loca VETERIS TEST. Argumenta quædam Præcipua de Chami Culpa & Canahanis Maledictione, Heſavi Servitute ſub Jacobo, Bello Hamalekitico, Quarti Præcepti Natura, Serpentinorum Morſuum Sanatione Mira, Jardenis Tranſitu Iſraëlitico, Solis Lunæque Statione, Umbræ Solaris Regreſſu, Satana Jobum Affligente, &c. paulo plenius exponuntur, & quorundam Textuum Analyſes Exegeticæ miſcentur. In 4to. Amſtelæd. 1709. pagg. 1173. Præfatio habet quædam adverſus Clericum, & ad Exod. XVI. 1. de Sabbatho.

XXII. SCRIPTURARIÆ EXERCITATIONES ad Quinque & Viginti Selecta Loca NOVI TESTAMENTI. Argumenta quædam Præcipua, de Nazoræi Appellatione à Prophetis Meſſiæ tributa, Minoris in Regno Cœlorum Magnitudine præ Johanne Baptiſta, Mandato Parentes honorandi per Traditiones Judaicas violato, Ignorantia Diei Noviſſimi Univerſali & Durante, obtenebrati-

one Solis apud Chriſti Crucifixionem Extraordinaria, Sex & Quadraginta Annis Ædificationis Templi, Datione Vitæ à Patre facta Filio, Abrahamico Viſu Diei Chriſti, Judæ Excluſione à Cœna Dominica, Jure Gladii à Judæis per Romanos Ablato, Itinere Sabbati inter Jerushalem & Montem Oliveti, Tempore & Loco Effuſi ſuper Apoſtolos Spiritus, &c. paulo plenius exponuntur. Accedit Oratio Funebris in Obitum Clar. Viri Hermanni Witſii. In 4to. Amſtelæd. 1710. pagg. 736. Habendæ hæ ſunt Exercitationes Scripturariæ, tam Veteris quam Novi Teſtamenti, uti ab Autore citantur paſſim Numeris Continuatis à I. ad L. pro Parte Quarta Exercitationum Textualium.

XXIII. In PENTATEUCHI Partes quaſdam Præcipuas COMMENTARIUS, ſeu Ultimorum Jacobi, Reliquorum Bilhami, & Noviſſimorum Moſis, quæ leguntur Gen. XLVII. . . . . XLIX. Num. XXII. . . . . XXIV. & Deut. XXIX. . . . XXXIII. Analyſis Exegetica. Qua Hebræus Textus cum Verſionibus Veteribus confertur, &c. perinde ut in Prophetis Minoribus factum eſt. In 4to. Lugd. Bat. 1713. pagg. 1096.

XXIV. EPITOME CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ DIDACTICO-ELENCTICA, ex majoribus Autoris Operibus extracta Belgice, atque ſic Edita à Joh. Wilhelmio, Theologiæ Doctore & Paſtore Rotterodamenſi, Rotterod. 1714. 8to. pagg. 724. Prodiit ſecundo 1720.

XXV. SYLLOGE DISSERTATIONUM Philol. Theolog. ad Selectos quoſdam Textus Vet. Teſt. Argumenta Præcipua, de Shalem Melcitſedeciana, Circumciſione Tſipporica, Veſtitu Annuo Pontificis, Hirco Hazazelis, Inceſtu Vetito, Divini Nominis interdicto, Iſraëliticis Jubilæis, Synedrii M. Originibus, Corachi hiſtoria, Propheta Simili Moſi, Divortiorum Lege, Jiphtachi Voto, Hendorica Pythoniſſa &c. paulo plenius exponuntur, & quorundam Pſalmorum Analyſes Exegeticæ miſcentur &c. Lugd. Bat. 4to. 1717. pagg. 801. Cum Appendicula de Inceſtis Congreſſibus.

XXVI. SYLLOGE DISSERTATIONUM Philol. Theolog. ad Selectos quoſdam Textus Novi Teſt. Quæ ſunt

de

de Tempore Nati Christi, Literis Punctisque Hebræorum, Parabolis Euangelicis, Clavibus Regni Cœlorum, Ecclesia Audienda, Aquilis ad Cadaver Congregandis, Doloribus & Clamoribus Christi Patientis Generatione Nova ex Spiritu, Præexistentia Animæ Christi conficta, Sabbatica Mosis Lectione in Synagogis, Typis, Traditione Satanæ, Christo Redivivo à Cepha & Paulo Viso, Θηριομαχία & Raptu Cœlesti Pauli, Anathemate Marantha, Allegorumenis, &c. Accedit Oratio Acad. de Mosaica Visione Dumeti Ardentis & Non Consumpti. Rotterod. 4to. 1721. pagg. 832. Habenda est hæc Sylloge Dissert. tam Vet. quam N. Test. uti ab Autore citantur Numeris Continuatis a I. ad L. pro Parte V. Exercitationum Text.

XXVII. FASCICULUS DISSERTATIONUM Philol. Exegeticarum ad Selectos Textus Vet. Test. Argumenta Præcipua, de Labii Confusione Babelica, Sodomæ Excidio, Aquis Lustrationis, Jerichuntis Occupatione, Shimsonis Ortu Vita & Morte, Seraphim, Cherubim, Michaële & Gabriële &c. paulo plenius exponuntur, Psalmorumque quorundam & Vaticiniorum aliorum Illustrium de Messia Analyses Exegeticæ cum Vindiciis justis miscentur. Lugd. Bat. 1725. 4to. pagg. 883.

XXVIII. FASCICULUS DISSERTATIONUM Philol. Exegeticarum ad Selectos Textus Novi Test. Argumenta præcipua, de Successiva Conductione Operariorum in Vinea, Crucifixionis Usu apud Hebræos, Decem Virginum Parabola, Die habiti à Judæis & Christo Paschatis Ultimi, Exitu Judæ, Pædobaptismi Decentia, duplici Gallicinio apud Petri Abnegationem, Sudore Christi Sanguineo, Latrone Converso, Admiranda Piscina Bethesdæ, Sanctitate Infantum Christianorum, Senioribus Non Laborantibus in Verbo &c. paulo plenius exponuntur. In 4to. Lugd. Bat. 1727. pagg. 790. Habendus est hic Fasciculus Dissertationum, tam Vet. quam Novi Test. uti ab Autore citantur Numeris continuatis ab I. ad L. pro Parte VI. Exercitationum Textualium.

XXIX. HISTORIA EXALTATIONIS Jesu Christi, Illustrata Libris Tribus. Quorum Primus Narrationem

Euan-

Euangelicam Reſurrectionis Domini cum hujus Apparitionibus exponit; Secundus Veritatem ejuſdem monſtrat, quam maxime ex Vaticiniis; & Tertius ſpectat ad declarandam & firmandam ſimiliter inſecutam illius Aſcenſionem in Cœlum, atque Seſſionem ad Dextram Dei Patris. In 4to. Lugd. Bat. 1728. pagg. 785.

Præter quæ prodierunt etiam.

I. CONSIDERATIONES THEOLOGICÆ ad Judicium Academico Politicum de Permittendo per Diſpenſationem à Chriſtiano & Reformato Domino Matrimonio Leviri cum Fratria. A Joh. Marckio, Salomone van Til, & Franciſco Fabricio, Theol. Profeſſoribus Lugd. Bat. 1711. 4to. pagg. 22.

II. FESTIVITAS SECULARIS Anni ſupra Milleſimum & Septingenteſimum Decimi & Noni. A Profeſſoribus Theologiæ in Acad. Lugd. Batava, Joh. Marckio, Franciſco Fabricio, Johanne Weſſelio, Tac. Hajone van den Honert. Lugd. Bat. 4to. pagg. 46. Quæ & Belgice edita eſt.

III. JUDICIUM ECCLESIASTICUM, quo Opiniones quædam Cl. Herm. Alexandri Roëll Synodice damnatæ ſunt, Laudatum à Profeſſoribus Theol. in Acad. Lugd. Batava, Joh. Marckio, Franciſco Fabricio, Joh. Weſſelio, Tac. Hajone vanden Honert, Lugd. Bat. A. 1723. 4to. pagg. 160.

Quod idem Belgice verſum à Rev. Herm. Wilh. Matthæo, Paſtore Hornano, prodiit Lugd. Bat. A. 1725. 4to. pagg. 160.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google